



22


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
BIBLIOTECA
12
7 K
24
Digitized by Google


F
11
13
12
20
D
18



LAPIS PHILOSOPHICVS,

SIVE

COMMENTARIVS IN *octo libros* PHYSICORVM ARISTOT.

In quo arcana Physiologiæ examinantur.

AVCTORE

JOANNE CASO, IN MEDICINA Doctore Oxoniensi, & olim collegij D. Ioannis ibidem præcursoris Socio.

ACCEDIT IN FINE ANCILLA PHIlosophiæ, seu Epitome in octo libros Aristot. Physicorum, eodem Auctore.

Cum INDICIBVS locupletissimis.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Apud heredes Andreæ Wecheli, & Anton. Hierat.
M. D C.

IN SEQVENT. PAGINÆ DECEM IMAGINES DECASTICHON.

EN homo, piscis, auis, Chaos; en tria semina rerum.
En φύσις vbere lac, flores ore, omnia cornu.
En rota Fortunæ, pera, sceptrum, aurum, vltio, frænum.
Fati Parca triplex en incipit, vrget, & occat.
Alæ ceruipedes, falx, frons, en Temporis horæ.
En cursu vt Phaethontis equi moueantur & Arcti.
En locus in Cælo stellis signisq; planetisque
En vacuum (vacuũ si quid sit) in orbe stat. Ecce
Infinitum; at habet, ne constet, Terminus alas.
Casus in occasum vergens hæc ante sepulchrum.


in occasum



HONORATISSIMO VIRO AC D. THOMÆ EGERTONO, EQVITI, DOMINO CVSTODI MAGNI SIGILLI Angliæ, Regiæque Maiestati à Consiliis, summam vitæ præsentis pariter & futuræ felicitatem.



VT prudentiores senes morientes in occasu istius delirantis mundi (Vir Nobilissime) diu solent deliberare, quibus liberos & diuitias (spem futuræ familiæ) vltimo testamento committãt, ne parta summo labore & industria (versa fortunæ rota) subito dilabantur omnia: ita equidem ætate iam sexagenarius, infirmitate sepulchro proximus, ante obitum serio mecum cogitaui cuinam thesaurum quem habeo, id est messem senectutis, & studiorum meorum in philosophia catastrophen commendarem. Sed deliberatio ista non longa fuit; nam postquam accepi à doctissimis amicis meis, *D. Singletono*, dignissimo capellano tuo, & *D. Guinno*, te tesseram Heroicæ voluntatis in priuatis sermonibus de me habitis non semel dedisse; videbar statim à fluctibus appulisse in por-

tum, in quo acquiesco. Et certe (Vir Summe) si incredibili solatio sit discedentibus ex hac vita fidelem reperiri amicum, cuius dextræ charissimum hæredem omniumque suarum rerum curam & saluam custodiam tradant; nescio sane quibus verbis sortem hanc meam explicem & extollam, quod te virum tam Honorificum Magnum Magni Sigilli Custodem, iustitiæ & conscientiæ Oratorem, Patronum innocentiæ, Oraculum ciuitatis inuenerim, apud quem talẽtum vitæ meæ, & vltimum studiorum pensum, id est volumen hoc philosophiæ Sigillo fauoris obsignandum & publicandum deponam.

Agnosco equidem (Heros amplissime) hoc depositum indignum chirographo & subscriptione, indignum vmbra virtutis, sapientiæ, authoritatis, honoris tui, si statum, stylum, ingenium, artem authoris ponderes, quæ omnia sunt exigua. Verumtamen quoniam in eo vt in monumento sepulta est vrna Aristotelis, omnium philosophorum facile principis, qua fracta inuenias puluerem ex quo vere LAPIS PHILOSOPHICVS fiat, per quem omnes rerum naturalium causæ, principia, proprietates, effecta examinentur; confidentius audeo protrudere & commendare nouatas has merces, adeoque polliceri, quod sub testa rudiori saltem vnionem reperias, si ab Atlantis sphæra (quam in republica sustines) dabis tibimet otium ambulandi & teipsum oblectandi in horto philosophiæ. Quid multa? Philosophum (vir Illustrissime) non decet multis perorare: aliter hic de genere, de familia, de fortuna, de loco in ciuitate,

tate, de gratia qua vales apud Principem, de amore populi, de ſingulari authoritate & honore multa dicerem; quæ omnia ſuam merentur laurum & laudem, nec non inſtar adamantis vim attrahendi me ſcriptorem habent, vt te præ aliis Patronum fore iſtius operis ex animo peroptem.

Sed aliæ quidem ſpeciatim occurrunt me vehementius mouentes cauſæ, inſignes nimirum virtutes animi tui, pietas, iuſtitia, prudentia, ſcientia rerum, in quibus pręcipue internus & externus honor viuit. His addo flagrantē amorem tuū erga literas & literatos, erga Academias & Academicos (longe abſit à verbis meis aſſentatio) hoc autem veriſſime dicam quod tacere non poſſum, Athénas noſtras (Oxonium intelligo) tuis meritis nuper multo erectiores & fœcundiores factas. Nam ex quo in Senatum veniſti multos doctiſſimos viros præmiis virtutis & eruditionis beaſti, quibus antea non datis omnino, aut detentis diu, magna nonnunquam ſidera tum Eccleſiæ, tum Academiæ olim (fere dixerim) ſine palmis debitis ceciderunt. *Inclyta enim virtus ſuo iure Oliuam honoris vendicat, & artes eiuſdem oleo & balſamo mirifice nutriuntur.* Hinc olim Reges, Senatores, Barones, Proceres, omneſque fere magni ordinis in republica ſapientes viri mirifice contenderunt, quis eorum alteri Eccleſias, Academias, Scholas, Deo, doctis, virtutū ſtudioſis, monumenta honoris pluſquam marmorea extruendo præiret. Sed præteriit aurea ætas illa, & nunc alia ſequitur in qua (mea quidem opinione) non minoris virtutis, potentiæ, & meriti ſint qui honorifice

conseruent, quam qui magnifice struxerunt omnia.

Verum enimuero in hac segni, & ad bona opera sterili ætate, vt sepulta semina præsentia & influentia solis reuiuiscunt: ita Athenæ bonarum literarum seminaria, sereno imprimis aspectu sacræ Maiestatis (quæ semper illa sceptro defendit) tum renouata veteri libertate videntur indies magis magisque reflorescere. Siquidem quotidie excitantur noui cultores vineæ, qui post ver sterile grauidam messem florumq; fertilem pollicentur. Inter hos duo sunt præcipue genera, vnum quod nouas plantas sapientiæ serit, alterum quod veteres adhuc florentes virtute & arte fouet. In illo genere soror nostra Cantabrigia nobis paulo beatior est, quæ tria Collegia insignia, egregia, magnifica non multis hinc annis à viris & feminis felicissimæ memoriæ fundata & perfecta digito demonstrat; quam felicitatem Oxonium (Regio partu genuina & germana illius soror) ei nō inuidet, sed peroptat auctiorem, vt castam & piam sororem decet. In hoc vtraque soror sibi mutuo gratulatur, quod nunquam defuerint sibi qui in vtraque semina optimarum artium & morum sparserint & conseruarint. Sic voluit Deus, sic ei placuit, vt Reges semper acerrimi propugnatores, Reginæ indulgētissimę matres & nutrices Academiarum fierent. Et certe non sine causa; nam *quid alta mœnia muniaque regni valent, si Academiæ (asyla religionis, pietatis, & sapientiæ, in quibus constat felicitas ciuitatis) ruant.*

Digre-

Digrederis (fortasse dicis) quid hoc ad nos? Non digredior (Mecænas optime) nam filius sum, & pro matre apud te opportune nunc loquor, cuius bene velle est bene posse nobis; apud te (inquam) loquor, qué ex virtute officii quo frueris in Republica Henricus Octauus Rex pleno consensu Academiæ perpetuum Custodem, interpretem, patronum libertatum & priuilegiorum nostrorum fecit; ideoque fecit, vt omnis litium occasio inter nos vel contra nos de illis, definitiua (vt aiunt) sentētia tanti iudicis in foro consciētiæ tolleretur. Qua sublata, ipsa Academia (*quæ sine priuilegiis vt corpus sine neruis languet*) semper veluti in templo pacis à fulminibus Atheorum tuta & secura viueret: ibique lauros perennis gloriæ texeret pro illis, quorum beneficia aut subsidia in suo ortu florente vel statu declinante senserit. Pergam (Mecænas illustrissime) & dicam quod me olim experta philosophia docuit; *merita nulla, nulla beneficia aut meliora aut augustiora esse posse, quam quæ in Academias conferantur; in quibus æterna historia benefactorum non æneis aut lapideis tabulis incisa, sed in libris sapientum (quæ sunt æternitatis & veritatis annales) conscripta manet.* Hinc Sigisberti & Alueredi, duorum Regum Anglorum nomina sacra apud nos sunt, qui has duas, quas habemus adhuc florentes fundarunt Academias, quibus successerunt & alii Heroico spiritu nati Reges (Henrici fere omnes & Eduardi) qui sapienter ex Platone obseruantes *non posse stare rempublicam sine literis*, literatis maxima dederunt priuilegia, vt in chartis magnis (sigillo hono- *Charta Eduar. 3. Hen. 4. & 8.*

rabili Officii cui iam præes per Nobilissimos præcessores tuos signatis) constat. Secutæ sunt Fœminæ deuotissimæ, Margareta Henrici Sexti vxor, quæ vnum, & Margareta Henrici Septimi mater, quæ duo Sorori nostræ Cantabrigiæ dedit Collegia, Maria eius nominis prima quæ Scholas nostras struxit, multaque alia nobis tum beneficia, tum libertates & immunitates contulit.

Sed quid de Regibus & Reginis ago? procedere non licet ne sim prolixior verbis, aliter Dominos Wickamos, Wainfletos, aliosque priuatos omnium Collegiorum in vtraque Academia Fundatores ordine percenserem; ipsosque Benefactores, Patronos, Cancellarios singulos, qui opibus, consilio, authoritate nos iuuerunt, non hic omitterem: imo nec tacerem eorum nomina qui iam conantur & student impense nobis benefacere.

Vnum certè inter cæteros honoris causà nomino THOMAM BODLÆVM, quo nec Mertonense Collegium (Seminarium optimorum ingeniorum semper fœcundissimum) aut doctiorem aut meliorem virum, nec Oxonium (Mater nostrum omnium) gratiorem filium vnquam aluit. Incepit enim hic opus magnificum, Bibliothecam nimirum publicam (olim magnificentissimorum optimorumq; virorum liberalitate erectam & ornatam, malorum

Humfredi D. Glocest. (vt ferunt) Cardinalis Beaufortii & Kemporum.

autem

autem hominum auaritia penitus deletam) non ſine maximis ſuis ſumptibus reſtaurare, redditibuſq; ſic dotare, vt cum optimis Europæ Bibliothecis, tum librorum electa multitudine, tum bonitate & ornatu comparetur. Huius exemplum (heros Ampliſſime) vt olim illud Richardi Dunelmenſis Epiſcopi (qui perſimile ducentis quinquaginta ab hinc annis Onoxiæ ſtruxit opus) plurimos ex Nobilibus bibliophilos fecit, eoſque ſic voce ſui operis non oris excitauit, vt alii trecentos, alii ducentos, plures alii, alii pauciores libros dederint. Omitto generoſos nonnullos, qui & libros (vt audio) huic operi abſoluendo liberaliter obtulerunt.

Hæc paucis iam ſcripſi (vir omnium Illuſtriſſime) vt fama tantorum virorum, qui tam egregie de nobis ſint meriti, dum hoc volumen Magnificentiæ tuæ dicatum viuit, in catalogo & canone noſtrorum Benefactorum viuat.

Perſoluere aliud officium non poſſum illis, nec aliud officium tibi, non aliud officium Academiæ, quæ me iam quadraginta ſex integros annos aluit.


Lumen quod dare poſſum dedi, primitias ſtudiorum aliis, meſſem honori tuo, meſſem (inquam) ſoli honori tuo, qui licet longe dulciore & maturiore in hoc autumno dignus ſis fructu, ſi tamen ea manu capias qua mente offeratur, in eo ſaporem perpetui & officioſi amoris ſenties.

Concludam, ſcripta iam ceſſant mea (vir ſumme) ſola ſuperſunt vota, vota pro te cui deuoui hoc opus, vota pro honoratiſſimo Domino meo D. DE BVRCKHVRST, ſummo totius Angliæ theſaurario, & Academiæ noſtræ Oxonienſis Ampliſſimo Patrono, cui alia ſtudiorum meorum ſymbola dedi; vota pro omnibus Senatoribus regni. Chriſtum ergo nunc precor, vt vnitum tantorum ſyderum aſpectum (in quo vis magma ineſt ſi Philoſophis credamus) Eccleſia, Reſpublica, Academia, ad gloriam Dei, Principis honorem, & bonarum literarum augmentum, diutiſſime & benigniſſime, influentem ſentiant. *Vale.*

Honori tuo ab omni officio deditiſs.

IOANNES CASVS.

EPI-



EPISTOLA AD. LECTOREM.

PERERIVS, *Toletus, Zabarella, Pacius, Collegium Conimbricense, aliique doctissimi viri, & (vt ita dicam, quod sentio) oracula humana sapientia hac ætate edita (studiose lector) authores sunt mutandi consilii mei. Eram enim missurus nunc maximum natu filium, & quasi hæredem studiorum meorum in theatrum mundi, vt de natura, de cœlo, de mundo, de abditis causis, & elementis rerum, de homine, de anima hominis, de Deo (metaphysico & infinito motore omnium) apud omnes loqueretur. Sed iam, quem cæco amore paterno deceptus putaui liberorum pulcherrimum, horum aliorumque inspectis operibus, multo minus formosum quam mihi antea apparebat esse verissime intelligo. Quare silentium plusquam Pythagoricum illi ad tempus imperaui; nunc vero me patre moriente hæres cum sit & in possessione omnium constitutus, veniam loquendi petit. Filius est, negare non possum; cæterum ea lege & conditione veniam concessi, vt solum iussa eloquatur mea* (scio enim adolescentulos verborum prodigos & profusos esse) *iussi autem vt ex omnibus, quæ in vniuersam philosophiam scripseram commentariis, arcana naturæ, & occulta mysteria philosophiæ selecta in iustum volumen cogeret, eademque solum cum relatione ad primam veritatem primamq; causam edoceret. Hoc si egerit (perbenigne lector) iussum meum & officium suum recte persoluet.*

Consilii mutandi ratio.

Adolescentes verborum prodigi & profusi sunt.

Si hic rationem consilii & mandati requiras, hæc est: sunt (uti nosti) excellentes viri quos modo nominaui; fuerunt etiam olim sapientissimi patres, quos cum his vna sequor (D. Thomam, Boetium, Lambertum, Scholam Coloniensem, aliosq; tum priuatos interpretes, tum synodos philosophorum intelligo) qui velis & vmbris omnibus remotis, Aristotelis textum ad viuum reserarunt. Quamobrē tametsi venas, arterias, neruos, hoc est omnes & singulas partes totius philosophiæ (vt ita dicam) naturales, vitales, animales, pro viribus ingenii resecuerim: hoc negotio tamen per alios tam præclare, tam accurate, tam dilucide, peracto, ne solis radiis lumen adderē mutaui consiliū meum, nec non penitus decreui in Cimmeriis tenebris & sepulchro perpetuæ obliuionis filium, triginta iam annos natum vna mecū sepelire. Ceterū hac in re a multis animo intellecto meo quidā dignissimi doctissimiq; viri ex Germania (cui nationi me multis nominibus deuinctum agnosco) literis à me contenderunt, quidā ettiam ex eadem gente me Onoxii humanissime salutātes enixe rogarunt, vt caries id operis in sepulchro nō consumeret, quod canities mea tot annorum studiis perfecisset: imo cumulo humanitatis sua hoc addiderunt, se velle suis ipsorum sumptibus diligenter curare vt vere, studiose, & graphice opus excusum in lucem prodeat. Gratias immortales tum egi, & nūc sane maiores & ago & habeo; quippe sic diligi, sic æstimari à tantis viris iisdemq; peregrinis oleum quasi vitale addit infirmæ senectuti meæ; quod oleum lucernā vitæ & studiorū meorum tam diu vt spero, pascet donec aliquod argumētū & symbolū grati animi illis persoluerim, qui me measq; rudiores chartulas tanti fecerunt.

Causa editionis huius libri.

Dilectio & æstimatio proborū peregrinorū animum addit.

Sed pergam; hoc oleo iniecto flamma accensa sepositum opus inter araneorũ telas & pulueres reuisi meũ, displicebat; iterum reuisi, placebat parum: limam addidi, non tamen perplacuit; longiores in textum commentarios (aliis nũc scriptis melioribus) reabscidi, arrisit magis; vulgaribus & tritis quæstionib. ex toto volum: ne reiectis tandem seclusa philosophiæ oracula in vnũ collegi corpus; id hoc est quod tibi (studiose lector) cõmendo opus, non quod limatius aut subtilius in eodẽ quicquam peregerim, sed quod aliter importunis precibus meorum amicorum & auidæ multorum expectationi satisfacere non possem: si muscam ex elephãte, si murem ex monte in conspectum mortaliũ non educerẽ. Verũ audi; nec musca hæc illa est, quæ in Olympicis ludis (equorum calcibus & curribus ingenti excitato puluere) apud se dixit, en quantum puluerẽ excitaui; nec mus ille ridiculus quem spectantibus rusticis & ignaris mons olim commotus peperit: musca tamen est, & mus paruus respectu destinati operis, præsertim, tot partibus a toto corpore dispunctis. Cæterum vt in musca minutissima maxima numinis sapientia cernitur, si mirum artificium; & in mure incredibilis Dei prouidentia, si animalculi fugam ante ædificii ruinã aut incendium spectes: ita in hoc paruo tractatu occultioris philosophiæ abstrusæ & reconditæ quædam rerum proprietates & causæ tanquam stellæ apparẽbunt, quarum ope veluti scala enixus, melius ad primam fortasse causam in qua quies sempiterna est, ascendas. Duo sunt naturæ libri, vnus in quo minores nõ sunt literæ & characteres quam terra, aqua, aer, ignis, cœlum: alter occultus, in quo literæ luminibus solũ animi cernũtur, quales sunt arcana vires, motus &

Abdita tantũ philosophiæ oracula hoc libro traduntur

Æsopus.

Liber iste mus respectu destinati operis.

Ælianus.

formæ rerum, adeoq; mens ipsa humana, dæmones, intelligentiæ, ideæ, spiritus. In maiori illo volumine stultus legat & intelligat Deum esse, at si hunc librũ aperias stupẽda Dei opera & naturæ interioris miracula perspicies, imo si cæcus non sis, Deum non solum esse, sed vt conditorẽ & motorẽ omniũ solũ colendum esse intelliges. Nam etsi quidam ex philosophis olim omniũ naturalibus rationibus fidentes, veramq; rerũ originẽ ac causam nescientes non paucos paganismi & atheismi nævos philosophiæ asperserint, eo tamen infusa fuit hæc nobilissima scientia in prima ætate & integritate mundi, eoque postea ab omnibus fere exculta, quo secundis causis & effectis consideratis mens (pars hominis nobilissima) ad primam causam omnium melius assurgeret. Infusam fuisse primõ æuo vel potiũs principio mundi, quia aliter Adamus nomina primæ (vt aiũt) intentionis omnibus & singulis rebus ex proprietate naturæ suæ non indidisset, neque vere fuisset sapiens rerum si earum causas, naturas, motus, proprietates & fines non sapuisset. Fuisse etiam perpetuo excultam hinc constat, quia ante diluuium historia omnium scientiarum in ligneis, æneis & lapideis columnis insculpta fuerit & relicta posteris, si antiquitas ipsa & antiquitatis expressa vestigia nuncia veritatis non mentiantur; quæ inde a patribus celebrata, primum in Chaldæam, Ægyptumque & Palæstinæ confines, tumque in Græciam aliasque omnes partes mundi fluxit; auctaque nouis sapientissimorum ingeniis palmas laurosq; honoris vbique obtinuit. Hinc Thales Milesius atque Pythagoras Samius primum de motu cœli, de cursu syderum, de ordine & concentu cælestium corporum, de intelligentiis mouendi causis

Alter naturæ liber Deum esse probat, alter vero Deum colendum esse.

Philosophia visus vt a secundis causis & effectis ad primã causam mens ascenderet.

Philosophiæ antiquitas.

sis, de planetarum aspectu, de influentiis, de spiritibus, de ipso Deo multa, magna, mira, scripserunt. Hos secuti sunt Anaxagoras, Architas Tarentinus, Heraclitus, Zeno, Plato, Aristoteles, aliique palmares in philosophia viri, qui volumina latentis naturæ sigillis primæ sapientiæ diu consignata, admirabili vi & solertia ingenii veluti claue diuinitus data palam aperuerunt; atque ex eis apertis à centro ad cœlum in omnibus Deum legerũt nobis. Exempli causa, si muscam animalculorum minutissimam iterum proponã; in musca (inquiũt) duæ sunt partes, anima & corpus: anima est causa generandi, vigendi, sentiẽdi mouendi in ea; corpus, quamuis sit non multò maius atomo, partes permultas tamen mirabili arte naturæ dispositas & aperte distinctas habet; foris caput, cornua, ocellos, os, instrumentum cibi, alas & bifidos pedes; intus autem facultates & organa tam sensus quam vitæ & motus, quæ omnia (vt ita dicam) in tam parua scintilla vitæ concludi & disponi non possunt, absente numine.

Probat philosophia Muscam non esse sine numine.

Si hinc à corpusculis & animulis muscarum, ad fabricam humanam & animam in ea diuinã accedas, incredibile non est, quod ex philosophia discas mirabilia; quæ sane omnia in omnibus mundi partibus admirabilem Deum esse liquido demonstrant. Nam microcosmus homo est, omniũq; quæ creauit Deus opus perfectissimum, & veluti clarissimũ speculum, in quo non solum partes inferioris mundi, sed etiam cœli vires, animiq; cœlestis æternæ virtutes conglobantur & lucent. O homo, stupor cœli, splendor naturæ, mentis diuinæ amor, princeps mundi, rerum omnium perfectio, imago Dei, nescis, nescis, quid, & qui sis, & quæ

Homo perfectissimum opus Dei.

Hominis dignitas.

sint in te naturæ miracula sine studio philosophiæ: philosophiā ergo disce, quæ omnia quasi digito demōstrat tibi; nescis sane sine assidua meditatione, quantā vim eloquentiæ in persuadendo, hoc studium sapientiæ habeat. Propone (si placet) pupillam oculi, ostendet miraculum; propone plantam pedis, audita philosophia, si esses Galenus, obstupesceres & diceres, hic numen est. Deus certe hoc nobile opus, hoc mirabile artificium fecit; quid multis? non est quo te vertas in vniuersali theatro & globo mundi quin statim digitū Dei, philosophorum arte, stylo, & colore, in tabulis depictum videas.

Philosophiæ excellentia.

Galen. li. 3. de vsu partium. c. 18.

Non te hic inuito ad olera, legumina, aliaq; id genus crassioris succi alimēta, in quibus sæpiuscule morbus, crapula, aut venenum latet, sed ad exquisitissimam mensam & epulas philosophiæ, in quibus Manna, Ambrosia, nectar, omniaque mellitissima animi oblectamēta insunt. Gusta igitur quam suauis, quam delectabilis sit diuina philosophia, diuina (inquam) philosophia; nam quamuis tabulis humanis comprehendatur, teraturque vbique mortalium illotis manibus; diuinitus tamen mundi primo auo (vt dixi) infusa fuit, mentisq; humanæ (quæ est diuina pars animæ) semper nobilissima scientia extitit. Diuinam iterum dico philosophiam, quia diuina tractat, abditissimas nempe formas, vnitates, & ideas rerum, immortalitatem animi, spiritus & intelligentias, mentem, fœlicitatem, Deum. Non est quod neges quin dicam diuina philosophia, quia in omnibus æternis, caducis, summis, infimis, separatis, mixtis, perfectis, imperfectis, necessariis, fortuitis, in omnibus, inquam, causis & effectis diuinitatem docet, cum o-

Diuina philosophia dicatur.

omnes

mnes omnium rerum essentias à prima essentia & causa, id est, à Deo pendere doceat. Quid murmuras? diuinam affirmo philosophiam esse, quia planissime in esse rerum Dei potentiam, in bene esse Dei amorem & bonitatem in conseruatione omnium defendit. Ne quæso detrahas quicquam, nam diuinam philosophiam concludere non desinam esse, quæ tam magnifice de diuina essentia, potentia, prouidentia, sapientia loquitur. O mens humana, quæ diuina philosophia instructa mysteria tam alta naturæ sapit!

Sed quis sum qui mirabilia naturæ & philosophiæ scribere nunc coner? nullus certe, si cum aliis sim conferendus, sed quantuluscunque sum, operam dabo, vt ex vrnulis meis purissimis philosophiæ fontibus repletis, nectar reconditũ hauriatur; imo totis viribus & neruis magnopere contendam, vt lapis verè Philosophicus fiat, quo aurum potabile occultioris sapientiæ cunctis sitientibus propinetur. Aurum, lapides pretiosos, honores, imperia, opesque fluxiles, vitreæ & inconstantis fortunæ auidissime vbique gentium expetunt terræ filii; sed perpauci aut nulli hoc aurum, hoc nectar animi, hunc lapidem philosophiæ quærunt. Inaniter & otiose permulti de hoc lapide, de cœlesti puluere, de quinta essentia, de mirabili arte conficiendi aurum disserunt, totaque vita laborantes Paracelsicas vmbras & nugas capiunt. Verumenimuero, si Vestalem hunc ignem diuinæ philosophiæ, eiusdemque occultam virtutem discerent (discere autem possunt facile) inuenient quidem in re qualibet quintam essentiam, quam visam, cognitam, & impense discussam perpetuo admirentur: Est enim in re qualibet (sit illa vilissimæ conditionis)

Verus lapis Philosophicus

Lapidem philosophicum frustra quærunt Alchimistæ.

cœlestis ignis inclusus, est infusus calor diuinus, est quinta impressa & infixa essentia, in quam arte & ingenio philosophi conuertatur. Non ergo si cernas viperam, venenum in illa solum consideres, sed decisis capite & cauda vino philosophico eiusdem carnes decoquas, donec mithridaticam antidotum contra venenum feceris. Imo adhuc (si placet) perge, & expressione facta, oleum cœleste vtilissimum effeceris; postremo, ne desinas operari donec sacro igne philosophia puluerem mirabilem illum effinxeris, quo quintam (vti vocant) essentiam vipera elicias. Nam certè est in venenosa bestiola diuinum quiddam esse quod sola philosophia & magna philosophorum sapientia detegit.

Lib. Prognosti. circa principium lib. 1. Phys. lib. de mundo.

Recte dixit Hippocrates diuinum quiddam esse in morbo, non minus recte Aristot. dicit diuinum quiddam esse in omni forma, opere & effectu natura, intelligit naturam (vt ita loquar) naturantem, intelligit Deum, qui præter materiam & formam (motus & quietis principia) diuinum quiddam in rem quamlibet infudit, quod excussis facib. nõ aliter quam splendidissimum aurum flammis consumpta scoria fulget.

Vera philosophia omnia ad Deũ, qui est primâ causa, refert.

Non hic sophisticam (vt aiunt) sublimationem partium, & elementorum realem mutationem intelligo, sed verissimam & philosophicam resolutionem rerum omnium in secundas & primas causas, adeoq; occultissimam vnionem illam in motrice & conseruatrice causarum causa; hoc est, in Deo à quo omnia suum esse & bene esse habent, & in quo eorum (vt vere dicam) quinta essentia (rebus nullis in nihilũ vnquam commutatis) perpetuo conseruantur. Nam quamuis finis cuiusque rei naturalis putredo sit, si materiam spectes, vnde vltima eiusdem resolutio in materiam

teriam primam dicitur in quam desinit; est tamen alia formæ consideratio, quippe in forma cuiusq; rei diuinum quiddam est, & ad diuinam causam motricē & conseruatricem redit, cui coniungi & aduniri omnia naturali instinctu, tanquam vltimo suo & perfectissimo bono vehementissime appetunt desiderantque. Hinc Arist. Delphicum oraculum philosophiæ, à primis causis motus in libris physicorum mysteria naturæ demonstrādo procedit, & vt in illis causas mutationis: ita in his rationes vnionis & conseruationis in prima causa sapientissime declarat. Huc enim in excellenti illo opere metaphysicorum tendit, vt probet abstractas & separatas esse essentias rerum omniū, præter naturales istas vestes quas eminus existentes in rerum natura habent. Abstractas & separatas dico essentias rerum, quibus veluti aureæ catenæ vinculis ad primam causam à qua pendent, vniuntur. Non illic ideas Platonicas, aut vmbras vanas intelligit, sed verissimas essentias; non vt sunt actus corporum in quibus fuerunt, sed vt sunt per se actus purissimi in optimo principio suo & bono conseruati, in quo omnia vnum sunt & perit nihil.

Metaphysicorum finis.

Absurdi hic nihil est, nihil absonū à fide & ratione; quippe omnia æterna creata fuisse credimus, si primū statum naturæ, si fidem spectes. At fides & ratio suadent, quod tametsi casu & peccato hominis mutata sint omnia, in mutatione tamen essentias diuinitus ad æternitatem datas non perdiderunt; perdiderunt quidem quoad actum (qui in existentia & motu naturæ consistit) non quoad habitum internum, qui ad primam causam (fæcibus naturæ corruptæ depositis) reuertit, in qua non vt forma aut accidens in subiecto,

Per peccatū hominis res omnes perdiderunt essentias quoad actū non quoad habitum.

ſed vt res in ſuo principio aut fine conſeruatur.

Abſit hic ita ſim Philoſophus, vt latum vnguem à ſymbolo fidei vnquam reſiliam; credo equidem & firmiſſime teneo mirabilem & terribilem diem illu futurum, in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa ſoluentur, terra & opera in ea exurentur omnia.

D.Petrus ep. 2.cap. 3.

Sed (vt idem Apoſtolus ait) noui cœli & noua terra erunt, tranſibunt inquit cœli, ſoluentur elementa, non dicit corrumpentur. Sic olim patres diuino ſpiritu afflati interpretati ſunt, & ſic ſenſerunt, alteratio erit non corruptio, reditio ad incorruptam naturam non ad interitum eſſentiæ, conuerſio ad primam cauſam, non in nihilum commutatio. Conuerſio (inquam) ad primam cauſam; quam omnia Dei opera ſceleribus & flagitijs noſtris quaſi defatigata impenſe appetunt; iuxta illud apoſtoli, quod expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectet: iterumque, quod creatura vanitati ſit ſubiecta nō volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Ad Rom.c.8.

Anulus philoſophiæ Gēma eiuſdem.

Sed verto nunc anulum philoſophiæ, vt abdita rerum eſſentiæ & æternitas in gemma anuli ſurſum verſa omnibus appareant. Gemma anuli cœlū eſt, diuinū, ſplendidum & glorioſum illud corpus in quo quot orbes, quot ſtellæ ſunt, tot ineffabiles eſſentiæ & æternitatis monumenta lucent. In hoc globo idem ſplendor, idem motus, idem naturæ habitus, idem ordo, idem cōcentus corporum, idem chorus ſiderum iam eſt qui ab initio fuit. In hoc (inquam) non eſt contradictio contrarii, non eſt paſſio, non eſt corruptio ſubiecti; quod enim agens poteſt vincere aut vulnerare cœlum?

Non eſt contradictio, paſſio aut corruptio in cœlo.

cœlum? Nihil hic dico de mirabilibus planetarũ aspectibus, circulis, proprietatibus & influentijs, nihil de intelligentijs quibus vis tota motionis a primo motore (vt docent philosophi) demandatur. Nam vt verum hoc est, solem & hominem generare hominẽ: ita non minus verum est cœlum suo motu gubernare omnia. Quippe vt cœlum incorpoream & materialem hanc molem mundi per influentias agit necessario: ita motor cœli immateriales animi partes (mentem scilicet & voluntatem) per se quando vult & quando placet per intelligentias regit. Sic enim actionis & passionis, agentis & patientis similitudo quadam erit, vt corpus corpori, spiritus spiritui prædominetur & imperet. Ex hoc profundo Oceano philosophiæ certissima prognostica & oracula Astrologiæ fluunt, certissimæ diuinationes & auguria temporum, certissima præsagia futurorum in quibus error (si qui contigerit) hominis est non artis, naturæ deprauatæ ignorantis causas non Astrologiæ, animi carcere sepulti minusq; rectè indicantis. non scientiæ tam diuinæ quã diuina philosophia filiam primò natam agnoscit suam, & inter astra cœli vt omnium antiquissimam collocauit.

Sed quid a cœlo argumenta quintæ essentiæ & æternitatis in rebus peto? cum Salamandra in igne perpetuò viuat, & Phœnix accensus flammis & in cinerem conuersus renouetur: quæ duo exempla liquido & aperte docent esse quidem in rebus mortalibus immortale & diuinũ quiddã, quod exuuiis naturæ corruptæ depositis, liberũ ad æternũ & incõmutabile suũ principium redit. Sed præter hæc duo, infinitæ sunt demonstrationes animantiũ, plantarũ, metallorũ, & lapidum, in quibus adhuc interitui obnoxiis, cœlestis

natura, de qua nunc loquar, expressa eminent & apparent vestigia. Est enim auicula Alcyon siue Regius piscator vocata, cuius mortua caro nunquam putrescit; Aquila (vt experientia docet) senio confecta rostrum aduncum pumice conterit; & (quod est mirabile dictu) ætate reflorescit. Ceruus ter Nestoris annos viuit; inter plantas permulta nunquam deflaccescũt vt laurus, & herbula illa quæ Semper viuum *dicitur. Metallorum purissimum aurum est, in quo splendor solis ignisq; cœlestis radius inest. Quid addam de lapidibus pretiosis? ex quibus propter superexcellentẽ & empyream (vt ita dicam) essentiam altissimi sedẽ veluti confici Propheticus Apostolus & Euangelista dixit? Quis in Carbunculo non videt quasi flammas ardentis ignis? quis in Sapphyro lucidũ non videt cœlum? quis in Topazio multiformem cœli non videt imaginem? Concludam verbo, quis in omnibus & singulis margaritis non videt cœlestem naturam, quam recte quintam essentiam nominet? in quam tandem (omnibus corruptionis reliquiis sepositis) resoluentur.*

Io. Ap. cap. 37.

Si hic percurrerem abditissimas notissimasq; gemmarum vires & proprietates, clausum & mirabile naturæ volumen aperirem, quod in epitomen contrahi & deduci non potest: attamen quis ignorat in Magnete vim esse trahendi ferrum, in Aetite vim esse educendi fœtum, in Hæmatite sistendi sanguinem, in Bezoartico expellendi venenum, in Sapphyro seruãdi castum. O sanctissimam vim, & virtutem Sapphyri, si ætas ista venerea tam pretiosam æstimaret gemmã? Quid opus est verbis? apertus est liber philosophiæ, qui non solum has vires discutit, sed etiam earum causas & rationes quærit, indeq; concludit Deum esse, quem

Diagori-

Diagoristæ nostrorum temporum densissimis fumis suorum scelerum obcæcati negant. Horrendum est quod dicam, folles isti & alimenta gehennæ, si non resipiscant & philosophentur meliùs, sentient, O nimis diu sentient, imo (contremisco dicere) in sempiternum sentient faculas diuinæ iustitiæ ineffabiliter ardentes & non consumentes tamen.

Longior fortasse sum (studiose lector) & perinde etiam molestior, quam par fuit in hac præfatione; sed dabis facilem mihi veniam, quia in ea solum contendo tibi vsum lapidis Philosophici, quem tua causa inueni, pro viribus adumbrâre. Sine vmbris & præstigijs lapidem hunc dabo tibi, cuius primo aut secundo saltem tactu rerum naturalium aurum & gemmæ, hoc est verissima essentia & proprietates, vtcunque probentur, si industriam tuam & studium adhibueris. Ordo quem sequor naturæ est, à causis ad effecta, & iterum ab effectis ad causas; sic verto globum mũdi à pũcto ad punctũ; vt a Deo (centro & circumferẽtia omnium) incepta oratio, in Deum, cuius centrum vbique est & circumferentia nusquam, desinat. Ordo libri.

Marginẽ huius mei suscepti operis contradictionibus & testimonijs multorum philosophorum & interpretum non depinxi; nam hoc esset mea opinione legẽtium & studentium animos plurimum distrahere: sed illud est quod conor, vt ex viginti tribus expositorib. quos in hos libros diligenter legerim, rationes & argumenta (præsidia veritatis) vberius a me adferantur; quibus instructus & armatus adolescens, studiosus veritatis non contradictionis ad viuum directè disputet. Sed pergam: si placet sequere, contemplare in hoc lapide insculptum horologium, cuius gnomon te Vide vltimũ cap. octaui libri.

diriget ad lineas & umbras rerum, quas punctis & figuris à me distinctas facile intelliges. Intus hoc horologium campanam habet, quæ verso gnomone loquetur tibi, quod illi suggeret genius meus. Arist. voce & spiritu instructus; non dogmatica dissidia philosophorum sed obscura solum philosophiæ præcepta loquetur tibi. Si hæc articulatim & distincte loquatur attende; nam ex Tripode philosophia loquitur: sin vero aliquãdo balbutiat, hæsitet aut sileat, humaniter tibi ferendum est: quippe nemo mortalium (sit ille Argos aut princeps philosophorum) omnes naturæ literas & characteres intelligit: multa enim clausa sunt mortalibus, vt mortales agnoscerent Deum solum sapientem esse. *Si ergo in hoc opere abstrusis & obscuris quæstionibus propositis vela detraham, si sigilla naturæ quibus obsignantur hæc arcana, liquido aperiã, si lapide Philosophico veras essentias & causas rerum à fallacibus & fucatis umbris distinguam, satis mihi erit, optatum fero: at hoc (vti spero) effectum dedi. Si nunc ergo humanissime lector applaudas, quinto iam actu vitæ meæ peracto, abunde satisfactum dixi? nõ sane nisi hoc addas, serioq; optes, vt animula quinta essentia mea corpore soluta ad primam suam causam in qua conseruatur, redeat.* Vale. prid. Cal. Nouembris. Anno reparatæ Salutis 1599.

THO.

THO. THORNETONVS S. THEO. D. ACADEMIÆ OXON. Vicecancellarius.

QVem colit Oxonia insignẽ, miratur & vnum,
Vnum proponit Casus Aristotelem.
Sic sobolem enixa est genuinam Academia mater,
Sic matrem soboles ingeniosa beat.
Sis fœcunda parens numerosa prole; diserto
O possis Caso multiplicare pares!
Solum vt Aristotelem schola: solum Ecclesia Christũ,
Hac arte, illa colat relligione ducem.

EDMVNDVS LILLIVS S. THEOL. DOCTOR ET COLLEGII BALIOLENSIS Magister.

LAssa sub extremo natura exorbitat actu,
Quoq; magis teritur segnius vrget opus.
Non sic occiduus Casus, namq; optima profert
Vltima: postremum quodq; priore prius,
Sic propior terris radios sol clarius effert,
Mensq; Deo propior clarius omne videt.
Tendat in occasum licet ergo corpore Casus,
Æthereas properat scandere mente domos.

THOMÆ HOLLANDI IN S. THEOL. PROFESSORIS REGII, IN Lapidem Philoſophicum IO. CASI, Doctoris in Medicina, Hexaſtichon.

QVæ Macedo illuſtris voluit celarier olim,
Pinxerat obſcuro quæ Stagirita ſtylo,
Hæc tua præclaro illuſtrauit lumine Muſa,
Vt proſis noſtris CASE *diſerte ſcholis.*
At Lapis hic liber eſt, liber eſt Lapis, at pretioſus:
Ergo liber gemma eſt, gemmaque CASE *tua eſt.*

T. RAVISII S. THEOL. DOCT. ET ÆDIS CHRISTI Decani.

RImari quicunque cupis primordia rerum,
Et labyrinthæos Naturæ euoluere flexus,
Seu vitrei libeat Cœli conuexa tueri,
Lucentesque videre globos & ſydera verti;
Seu verſari intra maculoſa concaua Lunæ,
Et luſtrare, quibus nonnulla per aera pennis
Recta volant, alia ad Centrum quo numine tendunt;
Siue per Oceani decumanos currere fluctus,
Altaq; in immenſo miracula viſere ponto;
Siue ſuper viridi ſpatioſam attendere molem,
Et varias frugum vires, venasq; liquentes
Scire; vel occultos intra telluris hiatus
Viſcera ſcrutari crudis effœta Metallis:
Huc ades, hoc vnum Caſeium *ſuſcipe filum,*

Intima

Intima quo magni reſeres penetralia Mundi.
Caſus *ineſt ſuperis, ſpirant illa infera* Caſum;
Caſus *in eſt Mediis, ſpirantque hæc infima* Caſum.
Sed ſi longa tui capiant te tædia curſus,
(Quamuis quæ in tali capiant te tædia curſu?)
Quod via per vaſtas acclini tramite terras
Innia ad aſtriferos acceſſum deneget orbes;
En (ne deficias humanæ degener artis)
Indulgens animi miſeretur Caſus *inertis,*
Grata peroptato præbens compendia cœpto.
Præ quibus auriferi Pactoli ſordet arena,
Et quæ tranſcurrunt peregrino littore Scripta;
Scripta licet decies à doctis digna renolui.
Æternum Caſo *celebris ſtet gloria facti.*

Ὅντινα ἄτρεπτον κατὰ θυμὸν ἔρυκεν ἐέλδωρ
Θνητὸν ἐόντα ὅμως ἔμμεναι ἀθάνατον,
Ποσὶ περᾷ γαῖαν, φρεσὶ δὴ (σὺν Κάσῳ) Ὄλυμπον,
Οὕτως, καί περ ἀνὴρ, ἔσσεται ἡμίθεος.

AD LECTOREM CARMEN HENDECASYLLABVM.

QVorſum ΕΥΡΗΚΑ *tuum? quid Archimedes*
Bis ΕΥΡΗΚΑ *ſonas? an hoc triumpho*
Inuentum eſt aliquid iocone dignum?
Nequidquam tibi læta polliceris:
Nos INVENIMVS, *& cuique noſtrum*
Fas ΕΥΡΗΚΑ *ſonare liberumque,*
In quorum liber iſte venit vſum.
Quid librum memoro? Lapis liberque eſt.

Nos INVENIMVS, *& cuique nostrum*
Fas ΕΥΡΗΚΑ *sonare liberumque,*
In quorum Lapis iste venit vsum.
Tam multum Physicis Liber petitus,
Quam multum Chymicis Lapis petitus.

RIC. LATE-WAR. S.Theol.Doct. ex Collegio D.Ioannis Bapt.Oxon.

IN MAGNVM ACADEMIÆ LVMEN I. CASVM GEORGIVS ABBAS S.Theologiæ Doctor.

MVlta tibi Natura dedit doctissime Case;
Plura tamen debet quæ tibi multa dedit:
Illius arcanos sensus moribundus & ager,
Et senior calamo dum premis ipse tuo.
O vtinam multos saltem tibi redderet annos,
Crescat vt in seros gloria tanta dies.

THOM. SINGLETONVS S. THEOL. DOCT. COLLEGII ÆNEI NASI Præpositus.

QVi Logicæ *nodos soluebat, qui labyrinthos,*
Qui vitæ *normas, qui rationis opes*
Tradidit, ac civi *leges & jura reclusit,*
Præstans loricæ, consiliumque togæ:
Nec modus, officium sponsæ sponsique *docebat?*
Et quanta in seruis sæpe locanda fides:

Idem

Idem nunc Physica nobis mysteria profert,
In queis Naturæ mens, caro, sanguis inest.
Nec solum hoc nobis munus pignusue relinquit;
Res probat en vulgo spargit amicus opes.
Hausit inexhaustam priscis de fontibus vndam;
Vnda vndam generat, nectar at ille dabit.
I docte interpres, Naturæ filius almæ es,
Ast iterum per te spirat & ipsa φύσις.
Spirabit melius talem jam nacta patronum;
Artibus is dicit, viuite noster amor.

HENRICVS BVST. IN MEDICIN. DOCTOR.

CORpore Case cadens calamo reuirescis, at iste
Occasum casus non tibi Case dabit.
Vergis in Occasum (senio properante) susurrus
Sed te viuentum docta per ora feret.
Cum venit occasus veniet simul ortus, & extra
Tunc omnem casum est alea Case tua.

IN SERAM OPTIMI ET ERVDITISSIMI VIRI PATRISQVE adeo amantissimi D. D. CASI Physicorum commentariorum editionem, THOMAS DOCHENVS Medicin. Doctor.

ADmirari homines pridem capere queriq;
Nonnihil in lucem tardius ista dari.
Ipsaq; (casta quidem Physice *) sed fœmina cerni*
Se cupit, & sociis cultior ire suis.

Sed vetuere coli Fatum Naturaque: *causas*
Quæ satis has contra est vis valitura duas?
Nil Natura *facit magnum nisi tempore magno;*
Respondent spatiis maxima quæque suis.
Adque Elephantinos venere decennia partus,
Sæcula & ætates quercus adulta videt.
Longa metallares maturant tempora venas,
Mille annos Adamas vt lapidescat habet.
Multipotensque Lapis, *nobis quæsitus Anisque,*
Non vno in Iano perficiendus erat.
Tarda sed hæc, sunt facta tamen: sed vincere Fata,
(Fata *potest si quis vincere*) *maius opus.*
Vicit adimplendo Casus: *nam fata cauebant*
Vinceret inculta vt (de tribus) ista soror.
Contranitenti pœnam statuere, necemve,
Suppliciumve, in quo quid nece maius erat?
Territus his nihil est, nam stat sententia Caso
Vel dare concinnam, vel poliendo mori.
Hoc magis: affinem quod iam Medicina *doleret*
Spretam, eiusque putet dedecus esse suum.
Ergo vbi deductis properaret (vt æquore) velis,
Restaretque operi pars superanda minor:
Effera Nephritis (qua nil crudelius vnquam)
Afflicti exagitat corpora fracta senis.
Ingeminatque malum, semperque ferocius instat,
Perpetuatque suas carnificina vices.
Totus in his abijt (mirum!) cruciatibus annus,
Sufficit in pœnas & tamen ille suas.
Insequitur febrium succensa calore duarum
Et grauis, & vix non exitiosa lues.
Cogimur hic animos Physice *dimittere, nosque:*
Nos, vt amore magis, mæstior illa, metu.

Serius

Serius at tandem vicit Medicina venenum,
Artificique sua venit ab arte salus.
Casus *ab his superest, superestq; vt scribere possit.*
Det longum possit scribere & esse Deus.

M. GVVIN IN MEDICIN. DOCT.

VIdit Aristoteli scripta & non scripta tyrannus,
Inuidit Magnus non magnus; noscere solus
E solo studuit, studeant quæ noscere cuncti.
Scripta è non scriptis, permagni maior alumni
Doctor, non casu, Casus *elicit arte; nec vllum*
Elixit Chymicum tam sanum, diues, abundans,
Inuida turba sumus; liber an recolendus & author?
Inuida turba sumus, nisi & hic recolatur & ille.

Tam fœlix vtinam.

B. VVARNERVS IN MED. DOCT. ET PROFESSOR REGIVS.

CAsus in occasum? natura sicne iubente
Naturæ genium tam cito fata prement?
Aut quia naturæ dum vires explicat orbi,
Naturæ vires perdidit ipse suæ?
Nempe fit inde senex, æger, morbisque grauatus,
Casus in occasum vergit & inde suum.
Sed viuit, viuetque diu, si vota valebunt
Seruare incolumem, quem fera cura necat.

RVDOLPHVS HVTCHENSONVS PRÆSES COLLEGII DIVI IOANnis Præcursoris.

NVper Aristoteles sua scripta abstrusa reuisens,
Cum manifesta videt, vix putat esse sua:
Olim naturæ scrutans (ait) intima claustra
Hæc scripsi, retinens ardua certa mihi.
Vnde fit vt quisquam nostros exponere sensus
Arcanos possit? Dic mihi, num Casus est?
Non lapis, est Genius; premit ille, sed exprimit iste,
Quicquid id est hominis: Spiritus ecce meus.
Spiritus ecce meus, Genius meus est Casus, ecce
Aut Casus vmbra mea est, aut Casus ipse fui.
Est Casus; haud alius secreta recludere possit
Nostra, diu valeas frater & alter ego.
Non mihi nunc primum benefeceris, omnia versans
Scripta, facis nomen viuere in orbe meum.
Casus in occasum vergat. Sic fata requirunt;
Sola Casum virtus sed vetat alma mori.

W. THORNE COLLEGII B. MARIÆ WINTÓN. IN OXON. SOCIVS: Hebr. Linguæ Profess. Regius.

ETbica dum scribis viuendi Case Magister,
Dum Logica mentes imbuis arte rudes,
Et dum Naturæ reseras arcana, tenebris
Quicquid in obscuris clausit Aristoteles;
Vita abiit: Sedes I nunc meditare Quietas,
Quas tibi in Excelsis Cœlica fata parant.

IN IO-

IN IOHANNIS CASI LAPIDEM PHILOSOPHICVM EDVARDI Herberti Armigeri ἐξάστιχον.

EN lapis immensum terræ diffusa per orbem,
En lapis æquorei gurgitis alta, sonans:
En lapis ætherei cœlestia numina mundi,
En lapis haud magnus maxima quæque docens,
Si docet idcirco Casus sic saxa docere,
Saxeus est Casum qui sine laude legit.

IACOBVS HVSSEVS ARTIVM MAGISTER.

ÆGeo quod stilla mari, quod gressus ad Indos
Vnus, & in solis lumine stella quod est,
Hoc est in meritis vestris encomion istud,
Hoc est ad laudes nostra Thalia tuas,
Case, tuis tantum qui non es notus Athenis;
At cum Cæsareo nomine nomen habes.
Non igitur coner te dignas soluere grates,
In cuius laudes Area tanta patet:
Sed rogo terrarum dominos hominesque deosque
Vt tibi dent meritis præmia digna tuis.

RICHARDVS HAYDOCVS MEDICINÆ STVDIOSVS NOVI Collegii socius.

DVm generat Corpus lapidem tibi Case sedendo,
Infirmum cruciat qui terebrando latus:

Mens tua diuina sophiæ de rupe mouendo
Exscidit Lapidem, Palladis arte nouum.

THOM. IAMES IN ARTIBVS MAGISTER NOVI COLLEGII socius.

Est lapis obscurum per quem dignoscitur aurum;
Hic animi dotes ingeniique probat.
Sed lapis est alius per quem tua fama probatur,
Quoque probante hominem iure probatus erit.
Hic lapis immensum per quem tua gloria crescit,
Hic intra renes crescit vbique tuos.
Natus vt inde dolor, tua sic patientia nata est;
Fortior vt dubitem, doctior anne sies.
Quem dolor & Musæ sic vincunt esse probatum,
Non satis illustris? nonne probatus eris?

QVÆSTI-

QVÆSTIONES ET DVBIA QVÆ IN OCTO LIBRIS PHYSICORVM CONTINENTVR.

In libro primo. *Pagina*

In libro secundo.

In libro tertio.

In libro quarto.

In libro quinto.

In sexto libro.

An

In septimo libro.

An

In octauo libro.

PRO-

PROLEGOMENA.

An vna sit prima causa omnium rerum naturalium secundum Philosophum?
Sitne eiusdem causæ cognitio naturali Philosopho necessaria?



PERMVLTAS hic quęstiones de nomine, definitione, diuisione, subiecto, ordine, & dignitate philosophiæ à me vberiùs tractatas lubens omitto. ab aliis enim docte & accurate discutiuntur: clausum nunc librum & in eo veluti Sibyllæ folia, hoc est recta & inuoluta philosophiæ mysteria, arte qua possum solum aperire contendo; & quoniam primum altare in templo Mineruę, primæ omnium causæ consecratur, primitias philosophiæ eidem causæ offerendas puto. Athenienses, vt est in Actis Apostolorum, vnum altare *ignoto Deo* erexerunt, vnde beatissimus Apostolus occasionem sumpsit, de Christo Deo authore salutis nostræ disserendi. Multa quidem altaria olim extruxerunt philosophi *Deo igncto* (quem tamen omnes, Epicurum ipsum non excipio, nomine Deum, natura spiritum, ordine causam primam, perfectione ens diuinissimum esse affirmarunt) eorum autē nemo ausus est dicere, non esse Deum. Hinc opportunè ansam arripio de primâ causâ, de Deo, ex oraculis philosophiæ disputandi, vt surdæ aspides nostræ corruptissimæ ætatis audiant tubam naturæ, vocemque philosophiæ, quarum Echo nihil magis ingeminat, quàm Deum esse: tubam dico naturæ, vocemque philosophiæ, vt illius clarissimo sono, & apertissimo huius sensu, à somno & sopore mortis æternæ, ad lucem vitæ excitentur; & ne in immensum pelagus calamum immergam, cum de re infinita, immensa & sempiterna loquar, sphæram naturalis solum philosophiæ mihi

Quæstiones quædam cur hic prætermittat.

Philosophiæ primitias primæ causæ offert.

Act. 17. 23.

Philosophi omnes Deum agnoscunt.

Cur de Deo hic agat.

De Deo secundum philosophiam solum agit. proponam, extra cuius circumferentiam in demonstrationib. huius causæ non ferar; sic quod est huius scientię, quam tracto, proprium & firmum fundamētum struam, & (quod est peculiare philosopho) ordinem naturæ sequutus, a primis causis incipiam. Omissis ergo sacris litteris, in quibus quot puncta, tot argumēta Dei sunt, omissis etiam aliarum scientiarum testimoniis amplissimis, naturam & eius interpretem physiologiam solum in theatrū duco, & argumentis ab illis petitis libenter acquiesco; argumentis (inquam) non omnibus (quis enim potest omnia attingere, cum numero atomos solis superent? quippe ab atomo ad cœlum in omnib. & singulis naturæ effectis Deus est & loquitur) sed illis tantum, in quibus vis maxima inest persuadendi, eosque demum permouendi, qui cum talpis semper defodiunt terram, suosque oculos ad cœlum, vnde philosophia loquitur, non attollunt. Sed quid hoc loco agam? cum, vt philosophum decet, à definitione causæ, de qua nunc ago, non possim exordium probationis sumere. Causa prima est, motor cœli est, author omnium est, naturæ vita est, mens infinita est, ens entium est, summum bonum est, principium, & finis est, ipse Deus est, & cum Deū dico, omnia dico, nihil tamen dignum tanta maiestate dico. Omnia ergo cum dixerim, definio nihil. hæc tamen ex Aristotele solo dixi (nomina enim hæc ab illo passim & frequēter sunt attributa Deo) vt intelligas & philosophum credere, & philosophiam docere, Deum primamque causam esse, ad quam referuntur omnia. Si demonstrationes desideres, sit hæc prima, quam habes à nomine, quod nomen numen est, & idcirco definiri non potest, quippe priorem causam per quam definiatur non habet; est enim ipsa prima, cuius posteriora, id est, effecta & opera, ab hominibus multorum desideriorum, id est, à philosophis videri possunt, ipsa autem essentia videri non potest. In posterioribus & effectis huius diuinæ causæ, spectari possunt essentia, motus, ordo, decus, multitudo, in quibus vis propria & communis conseruatur, & finis: à quibus distincte argumenta sumam, & primum ab essentia. Considerandum hoc loco est, quattuor esse gradus rerum, quarum aliis esse solum, vt lapidibus: aliis esse & viuere, vt plantis: aliis esse, viuere, & sentire, vt belluis: aliis denique

Argumenta ad probandum Deum infinita.

Dei adiuncta.

Cur Deus definiri non possit.

In effectis diuinæ causæ quæ spectanda.

Quattuor rerum gradus.

niqueesse, viuere, sentire, & intelligere, vt hominibus, hæc prima causa dedit: sic constat omnia in hoc mundo suum esse habere, maxime autem hominem, in quem hæc omnia entium principia, potentiæ & ornamenta cadunt. Quæro igitur à te (ò homo rationis particeps,) quomodo nosti te ipsum esse? certe tempus fuit in quo non eras; cum vero non esses, peto an à teipso, vel aliunde fueris? si non à teipso (cum nihil sit causa sui) aliunde profecto eras. Age ergo, cum non esses, nec teipsum scire, nec teipsum creare & cõstituere potuisti; sequitur ergo quod hoc ipsum esse tuum aliunde sum pseris; esse tuum dixerim? & quid (quæso) est hoc esse tuum? diuina mens certe tua, vnde nomen & esse habes. Nam nihil aliud est res quælibet quam forma sua. Quid? an mens tua aliam causam habet? quam quæso nisi primam, cum à traduce aut potentia materiæ (secundum Aristotelem) oriri non possit, imo secundum eundem philosophum mens incorporea substantia sit, per se inorganica, separabilis & æterna, ab omni passione vi sua aliena? Ratio suadet hoc esse verum, cum mentis tuæ ea sit vis & natura, vt nullo tempore mensurari, nullo loco circumscribi, nullo mortali subiecto contineri, obiecto nullo aut fine satiari possit (dum est in hoc carcere) donec solutis quasi vinculis, & expansis alis, ad primam, æternam & infinitam causam, proprium suum obiectum & finem transuolet. Esto igitur: quoniam tu (qui es omnium in rerum natura subsistentium facile princeps) tuiipsius causa esse non potes, sed aliam eandemq; primam ratione coactus agnoscis causam, erige mentem, intuere cœlum, aliasque res omnes sub cœlo considera, dic mihi an (cum non essent) à seipsis fierent? si non fierent, ostende mihi quomodo fierent, si diuina non sit causa quæ faceret. At dices, naturam fecisse. Quam naturam intelligis? materiam primam? otiose certe: nam materia prima patiendi principium est, non agendi, vt docent philosophi. Potentiam vitalem & actiuam materiæ fortasse vrges; nescis, nescis certe quid dicas; potius quam Deum diceres, potentiam vitalem & actiuam in re simpliciter passiua fingis. Vis cum Aristotele hanc potentiam definire? dicas ergo naturam (vt aiunt) naturantem, quæ nihil aliud est quam Deus, primaque om-

Homo maxime omnium suum esse habet.

Non a seipso suum esse habet.

Lib. 3. de anima cap. 5.

Mens nũquam quiescit priusquam ad primam causam transuolet.

Natura non fecit omnia.

nium causa, de qua iam disputamus; hæc causa, hæc (inquam) prima causa rebus (non subsistentibus & proinde non potentibus vi sua essentiam sibi dare) omnibus primam subsistentiam dedit: concludo ergo ex essentia rerum, vnam & primam causam esse, eiusdemque cognitionẽ philosopho esse in primis necessariam; Quippe ignota hac causa, vnde res primo & per se sunt, & subsistunt, prorsus non intelligit: qui enim intelligat, cum Deus sit solum principium subsistendi? Nam si definias hoc verbum, nihil aliud est subsistere, quam per se simpliciter & absolute esse, nulliusque alterius rei indigere, vt sit. hoc autẽ proprie Deo conuenit, aliis vero substantiis respectu solum accidẽtium, quæ suum esse in subiectis habent. Ratio altera quæ à motu petitur Atheos mouere potest, vtinam dicam permouere; sed vtcunque moueat, sic se habet In confesso est apud philosophos, ratioque & experientia etiam idipsum probant, quod nihil moueatur nisi ab alio; agamus exemplis, globumque mundi ante oculos proponamus, in quo corpora subalternatim posita rationẽ huius motus liquido & manifeste docent. Terra centrum est & quiescit, elementum aquæ aspectum & motum lunæ sequitur, multas in aerem mutationes & alterationes imprimit cœlum, ignis omnesque orbes planetarum raptu primi mobilis incitantur: hoc autem primum mobile celerrimo etiam cietur motu. At vnde (quæso) hic motus nascitur? quo motore voluitur hoc magnum, hoc spatiosum, hoc gloriosum corpus? à se si dicas, non es philosophus: ab alio corpore si dicas, quomodo hoc fiet, cum aliud vltra non sit corpus? ab anima mundi si dicas, est aliquid quod dicis, sed quid obsecro est hæc anima mundi, nisi hæc prima causa, de qua nunc agimus, ipsæque præpotens & infinitus Deus? Hic verus, hic primus, hic vnus motor omnium; alii enim motores ab illo solo pendent. Pulchre ergo Arist. & sapienter hunc motorem præcentori in choro cantantium comparat; nam vt præcentor primum incipit canere, aliique musici statim illius vocis monitu dulcissime canunt: ita quamprimum hic motor primum mobile tangit, aut vertit cœlum, alii motores omnes (sint, si placet, boni spiritus & intelligentiæ) hunc primum veluti motus ictum aut pulsum sentientes, mirabili & distincto ordine

Essentia rerum vnam primam causam probat.

Subsistere proprie soli Deo conuenit.

Motu probatur, esse Deum.

Lib. de mundo.

ordine suas sphæras in sempiternum voluunt. Doctissime Pythagora, nec te, nec tuam cœlestem musicam cōdemno, cum talis sit rector chori, talesq; musici & instrumenta harmoniæ, beatus certe est qui in hoc templo canit. Sed pergam. Et ab ordine rerum in hoc vniuerso existentium idipsum probabo. Ordo definiri hoc loco potest, mirabilis dispositio rerum naturalium, quæ & situm in quo sunt, & manum, id est, potentiam disponentis spectat. Si locum aut situm consideres, obstupesce, & agnosce in ordine & dispositione primam causam: agnosce Deum. Nam (vt à terra, infimo elemento & centro mundi, incipiam,) dic mihi quomodo æquis quasi lancibus librata in aere pendeat. Defatigata fuerunt semper in hoc puncto mundi philosophorum ingenia, adhuc autem veri definierunt in hac re nihil, nisi hoc vnum, quod Deus sic disposuerit. Ascende mecum ad elementum aquæ, & immerge teipsum in Oceanum philosophiæ, & cum emergas, ostende mihi quis contra naturam mare furiosum in terræ vtero, veluti in carcere, cōclusit, littoribusque tanquam mœnibus circumcinxit suis. Si prouidam naturam causam esse huius ordinis & dispositionis dicas, hoc solum à te quæro, quid per prouidam naturam intelligas; nam propria natura aquæ est, vt intumescat, & magna proportione superet terram. Per prouidam ergo naturam, naturam, vt antea, naturantem & vniuersalem intelligis? tecum libenter consentio, & agnosco Deum. Infinitus essem si in hoc ordine scalam cœli ascenderem; omitto ergo situm & ordinem reliquorum inferiorū omnium. primum solum huius scalæ gradum attingam, in quo mihi videtur sedere rector mundi, prima causa, Deus. Quid? an natura illa, quæ est principium motus & quietis, hoc nobilissimum corpus sic collocauit, vt lumine, motu & influentia hæc inferiora regeret? sic collocasse fortasse dices; quod si dicas, hoc quæro, an in loco, vel sine loco? si in loco dicas, contra philosophiam dicis, quæ nullum locum vlteriorem ponit; si sine loco, miraculum ostendis, aliamque causam ordinis insinuas, quæ sua infinita manu & potentia id possit agere, quod natura non potest. At potius quam hanc causam confiteri velis, conuolas ad commune & vulgare illud profugium, quod cœlum aut in suis partibus, aut in centro collo-

Ab ordine rerum probatur Deum esse

Ordo quid sit.

A cœlo confirmatur Deum esse.

Athei potiùs quam Deum agnoscerent, monstra fingunt.

cetur. O densam cæcitatē Atheorum, qui potius quā Deum rectorem naturæ agnoscere velitis, omni naturæ & rationis lumine extincto, monstra confingitis! nam monstrum est vt pars sit capacior toto, monstrum est vt centrum terræ sit proprius locus cœlo. Si ergo in hoc ordine & mirabili dispositione cœli, ratione victus, aliam eandemq; infinitam non admittas causam, quæ sic cœlum disposuit; rationem certe nō video, qua tibi surdo & cœco tādem persuadeam. Age, si nō vis ratione trahi & moueri, relinquo te immobili cētro, cuius puluerē tātopere admiraris; ego cū philosopho agnoscā Deū, eiusq; manū disponentem omnia. Decus, à quo sequēs ratio petitur, est ornatus & perfectio rerū omniū ordine suisque locis dispositarum. hoc decus, hæc perfectio in omnibus effectis naturæ est (vt docent philosophi) per participationem alterius perfectioris. Si ergo sint gradus perfectionis in rebus, ratione constat, quod aliquid si absolute & simpliciter perfectum, quod sua pulchritudine & decore adornet omnia; & quid hoc aliud est quàm Deus? Si vis vt hoc probem, dico omnibus naturæ effectis (tametsi sint gradu quodam pulchra & perfecta) addi tamen posse aliquid perfectionis & pulchritudinis; quia sunt ipsa quidem natura finita, & per participationem solum perfecta. Est ergo aliquod principium huius participationis, & perfectionis, in quo cætera omnia, vt sydera in sole, lucent. Nam, vt comparatione facta, sydera ornatæ partes cœli, de solis luce omnis splendoris quasi fonte participant: ita sol, sydera, cœlum, & omnia sub cælo naturæ opera, suis formis ornata & vestita sunt: ab essentiali ornatu tamen & incommutabili perfectione primæ causæ pendent, & nunquam quiescunt, donec omnibus imperfectionis maculis deletis in eadem causa luceant. Festino: vt decus & pulchritudo, ita multitudo, successio, & distinctio rerum naturalium hoc ipsum probat. Multitudo enim primam suam vnitatem, perpetua successio primum suum principium, varia & multiplex distinctio infinitam suam causam & authorem arguit. Percurre mecum pauca exempla, si placet, & disces quod sicut omnes motus inferiorum cœlestium corporum ad motum primi mobilis, quod sicut omnes radii syderum ad lucem solis, quod sicut omnes riui ad caput fontis referuntur: ita etiam omnes omnium

Ratio à decoro.
Deus quid sit.

Ratio à multitudine, successione & distinctione.

omnium essentiæ & multitudo rerum (sint illæ successione, varietate, distinctione infinitæ) ad primam, essentialem & indiuisibilem suam vnitatem reducuntur: ad primam, essentialem & indiuisibilem vnitatem dico, quæ est Deus, Deus (inquam) vnus, non multiplex: nam simplicissima est hæc vnitas, & diuidi non potest: in qua Melissus & Parmenides dixerunt omnia esse vnum. Hoc vnum tecum (sapientissime Socrates) adoro, immo potius tecum moriar hausta cicuta quam hoc vnum negem. Si adhuc neges, impie Apostata, microcosmum tuum, hoc est, corpus tuum considera, vide infinitam multitudinem neruorum ab vno cerebro, infinitam multitudinem arteriarum ab vno corde, infinitam multitudinem venarum ab vno hepate: hinc tecum perpende infinitas potentias, actiones, & officia, vitæ, sensus, motus, rationis, quæ exercentur in hoc tuo corpore, vt generare, nutriri, augere, augmentari: vt iterum, videre, audire, olfacere, gustare, tangere: vt denique velle, nolle, intelligere, memorare, aliaque multitudine innumerabilia, quæ non possum recensere: hæc omnia, hæc (inquam) omnia & singula ad vnam simplicem & indiuisibilem animam reducuntur. Parum ergo profecto sapis, si hoc in tuo ipsius corpore, minore quasi mundo existente, cernas esse verum, & tamen in vniuerso (in quo tot myriades multitudinum & vnitatum sunt) contendas esse falsum. Redeas quæso ad teipsum, & vt infinitas multitudines atque vnitates in teipso vides tandem ad vnam causam, nempe ad animam quæ est imago Dei, reuocari: ita diutius contumaciter ne nega hoc posse fieri in aliis, quod tam aperte fieri in teipso cernis: imo potius confitere, esse vnam primam & vniuersalē (vt ita dicam) vnitatem, quæ omni multitudini & vnitati particulari suum esse & bene esse dedit: sic recte concludes, quod sicut quæuis singularis multitudo ab vnitate incipiat, & ad eādem referatur: ita vniuersalis multitudo rerum omnium in eandem vnitatem, vnde orta est, reuerti tādem & redire debeat. Rationem a multitudine, argumentum à mole & magnitudine rerum sequitur. Magnitudo in terra est, maior in aqua, ampliorem locum occupat aer, inter elementa supremum ignis, orbis orbi locus est, capacissimum tandem cœlum sequitur. Hinc philosophi sapientissime collegerunt

Ratio à corpore humano.

Ratio à magnitudine & mole rerum.

esse corpori oppositam spiritualem essentiam, vnde diuiserunt substantiam in corporeã & in incorpoream; & vt est vna corporea substantia maxima, nempe cœlũ: ita inter spirituales & incorporeas substantias vna (inquiunt) necesse omnibus supereminet, nempe Deus. Viderunt enim summi isti philosophi, vt apertius agam, nullum corpus aut magnitudinem Deum esse, & ideo diuinæ mentis ope transcenderunt omnia corpora; præterea, viderunt nihil mutabile esse primum principium omnium, & ob eandem causam ipsam animam humanam, intelligentias, dæmones etiam, vt finitas & commutabiles essentias transierunt. Postremo viderunt, commutabile quod est omnino esse non posse, nisi ab alio infinito, immenso & incommutabili principio fieret. Sic præclari & sapientes viri, ab ipsa magnitudine corporis ad cognitionem spiritus, à cognitione finiti spiritus ad scientiam spiritus infiniti & optimi peruenerunt. Hic spiritus Deus est, hic spiritus prima causa est, quæ facit, quæ regit omnia. Cogita tecum quomodo anima tua incorporea substantia, præsit corpori, & mecum sic breuiter hoc argumentum conclude. Animus meus, qui est natura spiritus, idemque indiuisibilis, nullo loco aut tempore definitus, in arce vitæ sedens, & tamen totus in toto, & totus in qualibet parte sine diuisione essentiæ, tam corpori quam omnibus in eo partibus, potẽtiis, actionibus & passionibus, natura, numero, ordine distinctis, infinitis & mirabiliter dispositis præest; multo ergo magis conuenit, vt sit vnus, simplex, infinitus, immensus, indiuisibilis & incommutabilis spiritus in cœlo cœlorum sedens, & tamen totus in toto, & totus in qualibet parte mundi, sine vlla diuisione essentiæ: nullo loco circumscriptus, & tamen vbique: nullo tempore definitus, & tamen semper manens, qui cœlis, elementis, mixtis & omnibus naturæ effectis præsit. Si micam in te salis, si vllum pulsum conscientiæ & pietatis relictum habeas, agnosce, cole, admirare Deum, qui ex perpetuitate rerum intelligitur æternus, ex magnitudine omnipotẽs, ex ordine & dispositione sapiens, ex gubernatione bonus, ex conseruatione maximus (quid addam?) Deus. Succedit alia ratio à viribus occultis, communibusque rerum, sed in hoc spaciosissimo campo modum quæro; illa igitur solum hic tangam, quæ

Ratio à viribus occultis & communib. rerum.

quæ maxime ad hanc primam causam probandum vrgent: incipiam ab anima, forma hominis, in qua video potētiam occultam intelligendi rem actu infinitam, rem actu (dico) infinitam, quia illius appetitus infinitus est, vt docet philosophus, & finitis mortalibusque obiectis nullis rerum clauditur. Quo enim plura capit, eo plura potest capere; numquam est otiosa, numquam quiescit, discit cētrum punctum esse, sursum volat & globum cœli discit, hoc parum est, vltra cœlum vehitur, spiritusque & intelligentias considerat; adhuc discendi & sciendi eiusdem non sedatur sitis: pergit ergo, & ex finitis rebus infinitam causam elicit, & esse in rebus cernit, quiescit tum aliquo modo, sed adhuc nō satiatur, donec libera & soluta corpore, factaque immortalis, eadem causa perfruatur. O vim animæ occultissimam & plane diuinissimam! quid alias hic potentias animæ recenserem? voluntas infinita, mens infinita, memoria infinita est, harum nulla finitis rebus terminatur. Appetit voluntas bonum, appetit mens verum, memoria capit vtrumq;. Quid? an voluntas bono finito? an vero finito intellectus appetendo satiatur? ratio & experientia contrarium probant. Nunquam enim finitis hæ duæ potentiæ in hoc vitæ curriculo acquiescunt. Est ergo aliquod infinitum bonum, proprium obiectum voluntatis, est aliquod infinitum verum, solum & summum obiectum mētis, cuius imagine impressa memoria humana in sempiternum delectetur. Peruerse & impie Machiavelle, tu ipse nosti hoc verum esse quod dico; Prouoco enim ad conscientiæ tuæ anguem, & morsum quem sentis, cum furiis agitatus contra hoc infinitum bonum & verum disputes aut scribas. Anceps animi, vel potius attonitus hic sum; nam quocumque oculos meos conuerto, occultissimas proprietates rerum vocales in hac re, & quasi linguaces audio; sed ero breuis. Vnde sol (quæso) in vno loco gemmam, in alio aurum generandi vim habet? cui luna suam occultam proprietatem, mare post se trahendi, acceptam feret? quam causam reddes, cur magnes ferrum proprietate ad se alliceret? rationem nullam inuenerūt philosophi, cur sanguis hircinus adamantem frangeret. Socrates obstupuit cum Salamandram in igne perpetuo viuētem videret; fabulam non dico, ambitiosus sum exemplis. Apem,

Ab anima hominis.

hirundinem, araneam propono, in illis fauum mellitum, nidum,& telam conficiendi vires, quę omnem artem superent:& quorsum (quæso) nisi vt intelligas, in minutis abiectissimis relucere infiniti artificis sapientiam? Res nulla naturalis viribus occultis caret, quæ cum ab intellectu humano, qui est aliquo modo infinitus, non percipiantur, necessario causam aliquam infinitiorem ipso intellectu arguunt: quæ causa Deus est. Medicus sum, Galene, da veniam tamē si te acrius accusem, quod in libris De naturalibus facultatibus omnia naturæ ascribas, & in libris De vsu partium, in quibus profiteris Atheismum, coactus sis tamen confiteri Deum. Nam cum admirabile artificium pedis, omniumque in eo compaginum attonitus inspexeris, mutato animo statim in hæc verba prorumpis: *Compono hic profecto canticum in creatoris laudem, quod vltra res suas ornare voluit melius, quam vlla arte possint.* Sic recte tandem ex opere excellenti ad sapientissimum artificem peruenisti. Sed cur (quæso) in naturalibus facultatibus eandem causam vltra vires communis naturæ agentem non agnoscis? Cum demonstrare nō possis causam certam cur rhabarbarum bilem, cur agaricus pituitam, cur sena melancholiam traheret, imo sæpe coactus abditissimas proprietates rerum fatearis esse, quarum intellectus humanus non capit rationem, vt illam in struthiocamelo deuorandi & decoquendi ferrum, & illam in hæmatite sistendi sanguinem? Quid hic vrgeo exemplis? certissimum est nullam esse vim propriam & formalem, in qua (vt ita dicam) cœleste numen nō lateat: oculus in ictu non videt sine mysterio, auris in instanti non audit sine miraculo, mysteriis & miraculis plena sunt omnia, si vel intimam essentiam, vel vltimam formam, vel germanam vim & proprietatem consideres: nam in hisce singulis aliquid summum & diuinum inest, quod summam & diuinam causam loquatur. Omitto nunc proprias vires, ad communes venio, attingam solum duas, quarum vna in motu, altera in quiete rerum omnium cernitur. loquar hic quod superius insinuaui, nempe in rerum motu gyrum, fatum, diuinam prouidentiam esse: gyrum, quia stadium naturæ semper res omnes circulariter quasi percurrunt: fatum, quia mediis causis connexis sic mouentur necessario: proui-

Lib. 3. de vsu partium. c. 10.

Ratio à communibus facultatibus.

prouidentiam,quia in hoc motu & Olympo naturæ, antequam attingant finem,non defatigantur, imo conseruantur in eo. Si hic quæram à subtilissimo philosopho quomodo rebus natura disiunctissimis, numero infinitis, hæc vna proprietas naturaliter conueniat,vt in motu concordent optime,& tamen in motu non quiescant, donec infinito aliquo bono perfruantur: certe aut primam causam in omnibus communem hanc vim concedet, aut nescio sane quod dogma & phātasma aliter defendet. Postremo cum omnes philosophi in hoc vno consentiant, vim non solum appetendi, sed etiam (vt ita loquar) diligendi vltimum finem, rebus omnibus & singulis communiter à natura datam esse: non video quomodo tanta quies, tantus concentus & conspiratio rerum fieret,si non esset numen quod efficeret: quippe cum res singulæ natura differant, nec non sint infinita in rerum natura, quæ non aliter quam ignis & aqua inter se repugnent,intemperiem hanc nihil nisi diuina causa remouere potest, vt naturæ vulnera sanentur, omniaque vnum in prima causa (in qua non est contradictio) fiant. Nihil hic dico de communi vi rebus omnibus etiam innata, vt cedant & obediant homini: quorsum tamen quæso hæc vis data est, nisi vt homo diuinam agnoscat in rebus causam,cui ipse inseruiret? Attexitur huic rationi alia à conseruatione rerum, quæ magnum pondus & momentum rationis habet. Intelligendū hoc loco est,quod conseruatio rerum sit vel vniuersalis,vel singularis; illa interna est,& essentiam in principiis:hæc externa est,&existentiam in accidentibus & effectis respicit:siue hanc,siue illā intelligas,diuinā caussam effectricem & conseruatricem videas. Nam si res nulla (vt ante probauimus) sibi, cum non fuerit, essentiam dare aut assumere potuisset:pari ratione vel potius fortiore concludas,rem nullam posse, cum sit, seipsam conseruare: nam hoc ipsum conseruare, est bene esse, quod nihil à se,sed aliunde petit. At vnde hæc tota mundi fabrica sui cōseruationē peteret,nisi ab anima mūdi,quę singulas partes mundi cernit? Præterea,cum ad conseruationem mundi omniūq; in eo requirātur infinita potentia,sapientia maxima prouidentia diuina:necessario seqtur,vt ipse cōseruator omnium possit,videat,operetur omnia. At quæ alia tandem

A conseruatione rerum.

causa tam potens, sapiens, & oculata est, nisi prima? Illa igitur sola est, quæ prouidentia sua non solum vniuersa sed etiam singularia dirigit & conseruat. Nam quamuis sit quædam conseruatio in proximis principiis finibusque rerum (vt in materia, forma, ex quibus res quælibet constituitur, & in bono ad quod destinatur) hæc tamen conseruatio analogica est, non vniuoca, non perfecta, cum non obstantibus principiis propriis, res naturales suum occasum, senectam, interitumque sentiant. Non leuis quidem opinio est optimorum philosophorum, & haud scio an ab Aristotelis ipsius iudicio penitus aliena, mundum iam aliquantulum consenescere, defluere & declinare. Sol enim nunc terræ multo propior, est quam olim Ptolemæi & Hipparchi ætate fuit, aer corruptior est, aqua impurior est, terra languet, vita humana breuior, statura minor, vt effossa monumenta post aliquot secula manifeste docent. Opus ergo est infinita causa vt conseruetur. Nam siue in contrariis fluctibus iactetur, & per vicissitudines ortus interitusque perpetuus fiat, siue dissolutione facta ad suam causam redeat, opus tamen est diuina causa, sine qua nec in successione existentiã, nec in perfectione, (vt ita dicam) quintam essentiam tutam habere potest. Nam omnia & singula in rerum natura, præter ipsam primam causam, à qua dependent omnia (sint illa perfectissima) mutabilem secundum philosophos naturam habent; imo ipsi spiritus, dæmones & incorporeæ substantiæ, quæ mori non possunt; mutari tamẽ & alterari possunt. Incommutabilitas ergo, vt ita loquar cum philosophis, soli Deo, qui sapientia, prouidentia, bonitate facit, disponit, conseruat omnia, simpliciter, per se, & absolute conuenit, vt ille per se solus sapiens, solus videns omnia, solus bonus conseruator, & custos omnium habeatur. Vltima ratio qua scopus huius disputationis claudendus est (ne de infinito agens in infinitum excurram) à fine vltimo bonoque perfecto trahitur. Hic mecum considera, ô princeps animantium, quod omnia sint in hoc theatro mundi ad tuum vsum facta; indoctus es, si hoc ignores; ingratus es, si non agnoscas. Nam sol tibi lucem, cœlum influentiam, calorem ignis, aer anhelitum, aqua refrigerium, terra vestem, alimẽtum, medicinam tribuit. Quid opus est multis? te omnia effecta operaq; naturæ,

Solus Deus incommutabilis.

Ratio à fine.

Omnia in mũdo hominis causa facta sunt.

turæ, te (inquam) omnia veluti ducem & imperatorem agnoſcunt ſuum. Sed audi; imperator es, at non ſummus: finis es, ſed non vltimus: eſt enim potentior imperator, & excellentior finis, qui cum non eſſes omnino, tibi eſſe & bene eſſe dedit, quique te ex cinere nouum Phœnicem excitabit, & in ſe conſeruabit ſemper. Neque hoc loco mireris quicquam quod Deus aliquando cauſa, aliquando primus motor, nonnunquam finis vltimus dicatur omnium: nam vt efficit, cauſa, vt dirigit, motor: vt conſeruat recte finis dicitur. Huc adde, id ſolum perfectum finem recte definiri, in quo eſt perfecta perpetuaque quies; quodque expetitur diligiturque propter ſe. at nec in forma propria rerum, quæ diſſoluitur; nec in accidente aliquo, quod corrupto ſubiecto extinguitur, tanta quies tantaque ſecuritas eſſe poteſt. Relinquitur ergo, vt hic finis ſit ſolus Deus, in quo eſt ſumma quies ſine motu, perpetua ſecuritas ſine metu, ſolida delectatio ſine luctu, dilectio ſempiterna ſine odio interituque rerum, quæ in hoc fine vt in bono ſuo vltimo conſeruantur. Si plura de hoc argumento, à fine, ſcire deſideres, legas Philonem Iudæum in libro De opificio mundi, in quo de hac re eloquenter & copioſe agit. Legas etiam noſtrum Ariſt. qui tametſi adoleſcens, paradoxum illud defendit pertinaciter, nimirum hunc mundum eſſe ſempiternum: ſenex tamen, in libro De mundo ad Alexandrum conſcripto, ſapienter mutauit conſilium, rationeque vehementiſſime illic contẽdit, Deum vnum eſſe, eundemque primam cauſam, authorem & effectorem omnium: quam ſententiam illius fuiſſe conſtat, cum in libro etiam primo Politicorum, mundum hunc habuiſſe initium diſertis verbis inſinuet. Non addam quæ ex Metaphyſicis adduci poſſunt de hac re argumenta, ſolum hoc vnum vrgeo, Metaphyſice & ſupra naturam eſſe naturæ cauſam, id eſt (vt vtar verbo, & ſingulari numero quo vtitur Ariſt.) ipſum Deum, in quo, vt in vltimo & incommutabili ſuo bono, res omnes, ipſaque natura conſeruatur. Et ſane hoc ipſum ratione conſtat. Nam ſi ſit finis medius, idemque finitus à quo, finis quoque vltimus & infinitus erit, ad quem res omnes tendãt: & vt in illo fine, nempe medio, eſt aliqua perfectio, ſed mutabilis, aliqua quies, ſed mobilis & per accidens, vt aiunt: ita in hoc fine (nimirum vltimo) perfecta

Homo non eſt ſummus imperator, neq; finis vltimus.

Deus cauſa, primus motor vltimus finis omnium.

Solus Deus vltimus finis.

Lib. 8. phyſi. & lib. de generat. Ariſtoteles Deum vnum agnouit.

Lib. 1. cap. 1.

Ratione probatur finis vltimus & infinitus.

quies

quies,& quieta perfectio,vtraq; perennis,incommutabilis, & sempiterna erit:nam si vim rationi, & pondus argumento addere discupias,hic finis nec æuo,vt finitus spiritus,nec tempore,vt mortale corpus, sed ipsa æternitate, vt Deus mensuratur:si ergo sit res aliqua quę incipit sed non desinit, vt omnis corporeus effectus,& opus naturæ: si etiam sit res aliqua quæ incipit sed non desinit, vt animus, necessario sequetur, quod sit res aliqua summa, vel rerum omnium potius causa, quæ nec incipit, nec desinit, & hic est Deus qui tempus,æuum,& æternitatem fecit: hic (inquam) est Deus qui exercitum huius mundi regit, ad bellum disponit, ad pacem dirigit, ad victoriam ducit, ad gloriam & triumphum trahit. O terque quaterque beatos milites, qui sub hoc duce pugnent! nescio profecto quo me impetus huius causæ à portu iterum in altum rapit: non possum, vt velim, paucis concludere:non possum finem, de infinito fine iam agens, inuenire:addam hoc vnum,&non dicam plura.Simplicium gradus multi sunt. nam terra simplex est, aqua vero simplicior, aer & ignis inter elementa simplicissima dicuntur. Si altius ascenderis, adhuc simpliciorem naturam in cœlo quam in his omnibus inuenies:hic vero si animam humanam consideres,nullam fere omnino compositionem reperies: atcum nunc docta, nunc indocta,nunc bona, nunc mala, natura sua mutabilis sit, & non absolute simplex: erit certe in superlatiuo gradu (vt ita dicam) aliquid absolute & incomparabiliter simplex, in quo nullum accidens inesse possit,nulla imperfectio, commutatio nulla, nulla alterationis species: & hoc est Deus, cui soli vera simplicitas naturæ,vera immortalitas, immensitas vera, & incommutabilitas conueniunt. Hunc verum Deum, simplicem,immortalem,immensum & incõmutabilem, nunc spiritu quo possũ simplici & immortali oro, vt in hoc opere illius solũ nomine suscepto,tenebras à me remoueat, erroris scilicet & ignorantiæ, ne de abditis & occultis naturæ causis scribens, ab authore naturæ vnquam dissiliam. O Deus qui es verissimus fons luminis & æternæ sapientiæ,da mihi intelligendi acumen, retinendi thesaurum,recteque philosophandi scientiam, vt dum librum hunc reconditæ naturæ aperiam, omnia in eo conscripta ad tuam gloriam,

Probatio Dei à tempore.

Deus absolute & incomparabiliter simplex.

Oratio authoris ad hunc Deum.

vsumque

vsumque Ecclesiæ tuæ referam & exponam. Habes (studiose lector) fundamentum philosophiæ, sine quo iacto philosophus verus aut sapiens esse non potest. Frustra enim & incassum studiis inuigilas, otiose laboras, si in primo limine philosophiæ hanc primam causam non discas. Nam quomodo recte & sapienter de principiis, de essentiis & proprietatibus rerum naturalium dispures, si causam ignores illam, à qua sunt, cum non essent, & ad quam cum sint, motu, ordine, perfectione tendunt? Vis ergo esse philosophus, hoc est, studiosus veræ sapientiæ? hoc primum principium, hunc vltimum finem in ipso fundamento philosophiæ pone, disce adolescens, doce vir factus, senex agnosce hanc supremam & diuinam causam effectricem, motricem, conseruatricem omnium. Si adolescens aspidis cauda & aculeo ictus, id est, voluptatum esca & illecebris fascinatus, hoc primum principium neges: vir tamen, id ipsum esse, ratione & philosophia demum persuasus crede: aliter senex Atheus fulmine conscientiæ perculsus, vt omnes Athei de quibus vnquam legerim, nimis sero credes. Zeno philosophus ille fortiore argumento Deum esse non probat, quam miserrima morte & exitu Atheorum, qui ferrum, flammam, aliaque exquisita mortis tormenta sentientes, incipiunt Deum nominare. Stulte Caligula, vis esse Deus? cur antrum & angulum quæris cum intonet cœlum? An Deus fulmen aut strepitum nubis times? Magnus Deus Alexander veneno sublatus est. Iulianus Apostata negans Deum, confossus miser periit: & certo certius peribunt omnes, qui voce aut vita, clam aut aperte negant: ratio est, quia lōgissime à maximo & incommutabili bono diffugiunt & distant: at priuari hoc bono, est æterno malo cruciari. Si hic me moneas, vt tandem velum orationis contraham, libēter audio: nam vereor ne nimis longus & prolixus fuerim. Sed facile dabis mihi veniam (studiose lector) si decrepitam ætatem, vel potius delirium huius mundi consideres, in quo hoc opus scripsi. Horrendum est dictu quidem (& tamen dicendū) multi sunt hodie incredibiliter stulti, qui audeant: cętera quis nescit? totus horreo verba repetere, qui (inquā) audeant dicere (O tēpora!) non esse Deū. Istos si oraculis diuinæ philosophiæ vrgeas, fanatico quodā spiritu & furore perciti, hæc

Frustra philosophatur qui primam causam non discit.

Miserrima mors Atheorū Deum probat.

Senec. li. de ira.

Sueto. in Calig.

Plutarch in vita Alexand.

Stulti negant Deum.
Psal 13.1.

ipſa negant, & certe non mirum, cum ipſum Deum eorum authorem negent. Si non vidiſſem, ſi nō audiſſem hęc monſtra, (Hacketum blaſphemum illum Atheum, alioſque ab inferis furenter excitatos ſcorpiones & locuſtas intelligo) certe tam multus, vehemens & copioſus in hac cauſa non fuiſſem. Sed quoniam vidi nō ſolum iſtos, ſed iſtorum aliorumque furias, ſatyraſque volātes in Deum, in Dei verbum, in fidem, in Eccleſiam & Academias, optimarū litterarum aſyla, operæpretium eſſe putaui, bellum illis palam indicere, & rationis telis illorum inſaniam, furorē, blaſphemiam pro viribus configere, Deumque in primis docere, ſine cuius cognitione totum humanarum artium & ſcientiarum ædificium ruit. Philoſophia enim non eſt philoſophia, ſi Deum non ſapiat. Grauiſſimis patribus, doctoribus & columnis eccleſiæ, ſacra ſua æternæ veritatis oracula relinquo, ex quibus in prophanos Machiavellanos, & gygantes furioſos iſtius ferreæ ætatis fulmina loquantur. Solum hunc vſum philoſophiæ nunc quæro, vt in tractandis myſteriis naturæ, vi tantum rationis & impetu iſti terræ & gehennæ filii coacti, & cœlum eſſe, & cœli eſſe motorem agnoſcant Deum. Neque eſt quidem hoc ipſum à ſtudio philoſophiæ, aut officio ipſius Philoſophi alienum, cum & philoſophia ſit à Deo, & philoſophus ſit veluti canalis, per quem a Deo ad mortales hæc pars ſapientiæ fluit. Philoſophiæ ergo eſt & etiam philoſophi, definire & docere cauſas rerum. at fruſtra definiunt docentque cauſſas, ſi ignorent cauſam omnium cauſarum primam. Nam vt ſagittarii, quamuis lectiſſimi ſint, nullo ſcopo propoſito recte ſua tela non poſſunt dirigere: & vt gubernatores nauis, licet ſint quidem expertiſſimi, polari ſtella incognita, ſæpiſſime in nauigando errant; ita philoſophi hunc ſcopum, hanc polarem ſtellam, id eſt, hoc primum principium & finem rerum omnium ignorantes, ſapientiæ nomē aut philoſophiæ ſtudium iniuſtiſſime vendicant, turpiſſimeque quidem in reſerandis naturæ myſteriis errant & hallucinantur. In circulo igitur & relatione ad hanc cauſam & finem, totius diſputationis philoſophicæ axis & cardines volui debent. Vt enim ſidera iuxta polum fixa, mouentur illa quidem ad motum orbis in quo ſunt, ſed non cadunt, quia polum intuentur ſuum: ita præcepta philoſophorum

Philoſophia & philoſophi eſt docere Deum.

losophorum & sapientum prope stellam, vt ita dicam, diuinæ sapientiæ posita, manebunt illa quidem firma, densisque nubibus ignorantiæ & errorum dispersis, lucebunt magis, quia lumen suum à stella sapientiæ quam sequuntur, petũt. Si hic à me postules, vt, bello iam Atheis indicto, illorum tela retundam, & argumenta in Deum blasphema tollam; respondeo, me videre omnino nulla: ratio est, quia Athei omnes penitus insaniunt, & ideo ratione carent: monstra sunt, & ideo lumine communis naturæ carent: imo longe deteriores belluis & monstris sunt, quia rationis & naturæ luminibus extinctis, Deum negent, quem ipsæ belluæ & monstra instinctu naturæ colunt. Si hic vrgeas Diagoram, Protagoram, Epicurum, & nostrę ętatis Machiauellum, doctos fuisse, eosq; non negasse Deum sine aliquo prætextu rationis: respondeo iterũ atq; iterum, eos non fuisse doctos, sed vel malis dæmonibus obsessos, vel idolis istius mundi fascinatos, vel deniq; omni ratione & sensu priuatos, pręter malitiã, blasphemiã, sapuisse nihil. Neq; est quod mirũ hoc videatur tibi. Nã vt phrenitide aut mania laborantes, quãuis sint natura rationis cõpotes, oẽm vsum rationis perdũt, eaq; loquũtur quæ à ratione & sensu sunt aliena: ita isti phanatici & furiosi homines, si homines dicendi sint, desperãtes de salute sua, aut furiis suorũ scelerũ vulnerati, aut fascinati illecebris istius mundi, aut malorũ dęmonũ (quorũ mancipia sunt) suggestione impulsi, eructant ea, quæ ab omni religione abhorrent, & non sunt inter mortales nominanda. Hæc n. vis est vel potius virus regnantis peccati, vt tenebris plusquã Cymmeriis lumina mẽtis perstringat, oẽmq; aditũ pietati, rationi, cõi sensui, ipsiusq; naturæ mõitis motibusq; occludat, ratio est, quia malus dęmõ in arcẽ mentis irrepsit, in qua ratio & consilium imperarent. Quamobrẽ etsi recte aliquando & docte isti Diagoristæ de reb. humanis, aut loqui, aut scriptis aliquid mandare videantur, caue: nam non illi, sed ex illis dæmon, magnus sophista & impostor loquitur, qui arte fraudulenta escam proponit, vt hamo capiat & occidat: hoc quod ita sit, vt dico, hinc (mea opinione) certe intelligas, quia de politicis & humanis sæpe non male, at de Deo, de religione, pietate, rebusque diuinis nunquam nisi flagitiose loquuntur Machiauellani isti, quod certe

Atheorum argumentis non respondet, quia nulla sunt.

Athei omnes insani sunt, monstra sunt, peiores belluis sunt.

Athei non fuerunt docti, sed dæmonibus obsessi.

Dæmon ex ore Atheorum loquitur.

non semper fieret, si impurus spiritus, qui est Deo in malicia sua sempiternus hostis, ex illis non loqueretur. Vt ergo olim ex idolis gentium & falsis oraculis: ita nunc ex istis hominum spectris & vmbris loquuntur dæmones, iisdemque tanquam organis & instrumentis vtuntur, vt omni de Deo & religione sensu sublato, omnique vtriusque metu exstincto, ipsi solum vt Dii colantur. Sed istos magos mundi magicis carminibus & incantamentis suis relinquo, nisi naturam, rationem, & philosophiam audiant, vt Deum (quem negant) auditis naturæ, rationis, & philosophiæ præceptis, causam omnium primam, & vltimum finem esse fateantur.

Quod vna sit prima causa rerũ omnium naturaliũ, secundum Philosophum probatur. Metaphysice per

1 Abstractionem mentis, quę infinitis fere rerum naturalium ideis, in thesaurum suum veluti receptis, non acquiescat, donec vnam primã causam, vi sua subsistentem inueperit, qua satietur

2 Distinctionem multitudinis, quæ, cum sit illa quidem in rebus naturalibus infinitior, necessario ad vnam primam vnitatem reducitur, vnde incipiat & in quam desinat.

3 Comparationem, seu proportionẽ, minoris causæ: nam si vna forma minorem mundum, id est, si anima humana corpus humanum regat, necesse est vt sit anima vniuersalis, id est Deus, qui mundum vniuersalem regat.

4 Participationem perfectionis in rebus naturalibus, quarum perfectioni aliquid semper àddi potest, & proinde erit aliquid necesse simpliciter, infinite & incommutabiliter perfectũ, à quo omnia vltimam perfectionem habeant.

5 Admirabilem subordinationem rerum, quarũ vna alteri ordine & virtute subiicitur, & quasi subseruit, vt cœlum terræ, terra homini &c. Est ergo vna causa infinita omnium, cui vniuersa & singula sub iici & inseruire debent.

6 Considerationem rerum minimarum & vilissimarum in rerũ natura, vt in musca attente à nobis cõsiderari non possunt multitudo membrorum, colorum varietas, distinctio officiorum, organorum aptitudo

ptitudo, dispositio partium, omniumque mirabilis ordo, preter vitam, animam & essentiam, nisi coacti fateamur, esse primam causam quę fecit: primã sapientiã quę dispo suit diuinã prouidẽtiã quę conseruat omnia nam hęc temere aut casu fieri non possunt.

7 Vnionem & concentum, qui concentus aut vnio (cum res omnes & singulę in vniuerso, natura, loco, proprietate sint distinctę, & earum permultę plane contrarię) esse non potest, si non sit prima & infinita causa, in qua vniantur.

8 Conseruationem perpetuam rerum, quę manifeste causam infinitam esse conuincat, cum tanta moles, tanta multitudo, decus & ordo rerum, sine infinita causa & prouidentia plane conseruari non possint.

Physice, vt patet supra satis distincte & aperte, in discursu ab essentia, motu, ordine, decore, seu figura, multitudine, mole seu magnitudine, vi propria & cõi, cõseruatione & fine: quibus adiecta sunt argumenta ab ęternitate, simplicitate, incommutabilitate, & absoluta necessitate istius modi cau ę subsistentis, cum refutatione Atheorum, qui flagitiose contrarium sentiant.

Ethice per cõsiderationem.

- Subiecti, nempe animi humani, cuius potentię aut partes pręcipue duę sunt.
  - Voluntas, quę cum sit natura sua immortalis, nõ desinit bonum appetere, donec ad bonum infinitum peruenerit, cuius fruitione & intuitu delectatur.
  - Intellectus, qui nunquã otiosus est in disquirendo vero, donec infinitum verum & incommutabile apprehenderit, cuius ęterna cõtẽplatione gaudeat.
- Obiecti, quod est virtus, eadẽque aut
  - Moris, vt vitę bonitas,
  - Mẽtis, vt rei veritas.
  - Quę media & instrumẽta sunt in hac vita, quibus animus ad contẽplationẽ ęternę bonitatis & veritatis vtitur: vtitur (inquã) nõ fruitur: nam his ornatus nõ quiescit, dõec iisdẽ in ęternitate per fruatur.

Finis, qui est fœlicitatis, & hæc est vel

Actiua, quæ in vita politica & ciuili perfecta actio virtutis moralis dicitur. Cæterum cum sit alia vita mentis, alia vita totius hominis (secundum Aristotelem) illa immortalis, hæc mortalis: vnam fœlicitatem actiuam finitam, alteram contemplatiuam æternam statuit: vt subiecti æterni (nempe animi) æternus finis, nempe Deus, habeatur.

Plato in Phædro.
Plotinus li. 4. cap 1.
Arist. lib. 10. Ethic.

Contemplatiua, quæ est (diuino Platone attestante) vt coniugamur Deo, qui omnis beatitudinis fastigium, meta & finis est. Nam (vt Plotinus illius discipulus & interpres ait) supremus hominis finis, supremum bonum est. Et Aristotel. etiam idipsum innuit cum definiat fœlicitatem contemplatiuam æternam esse, quia mens, eiusdem subiectum, immortalis & æterna dicitur.

Exhortatio ad diuina testimonia amplectenda.

Habes (benigne lector) arma & neruos philosophiæ in hac causa, quibus contra Atheos istorum temporum, ex castris naturæ, disputes. Adhortor tamen, quoniam Christianus sum, vt diuinis testimoniis, verboq; Dei solum subscribas: quippe hoc verbum vox & legatio est Dei, quæ æterna (vt ita dicam) antiquitate, styli & sermonis maiestate, sinceritate scriptorum, consensu temporum, obiectorũ (quę sunt res gestæ & monumenta Dei) incõcussa veritate, oraculorũ certitudine, profunditate mysteriorũ, præceptorũ & consiliorũ sanctitate, diuinitate finis (qui est Deus) omnia scripta, acta & monumẽta philosophię superat. O sacrã maiestatem Bibliorũ! ô ineffabilẽ diuinitatẽ verbi! vnius versus in te lectio plus mouet quã legio Oratorũ. Simplex est oratio tua, & tamẽ diserta, humilis & tamẽ alta, facilis & tamẽ profunda, tẽpore scripta & tamẽ æterna, à mortalib. edita & tamẽ diuina: lux cœli, lex Dei, vox veritatis, dux, via, & salus hominis. Quid addã plura? Si addã omnia q̃ possim, addere nõ possũ satis: nihil ergo àddã, sed attonitus admirabor, & conabor suadere Atheis, vt credant huic verbo, quod tot seculis,

contra tot & tãtos hostes è flammis ereptum, in sinu Ecclesię conseruatum fuit: si humanum fuisset, periisset certe. at diuinum est, & perire non potest.

Opp. *Hoc fundamentum rerum naturalium non ponit Aristo. ergo, ut illius interpres, non recte procedis. Antecedens probatur: quia is solum materiam primam, primam causam rerum naturalium posuit, ut liquido constat in primo Physicorum.*


Resp. *Causa prima duplex est, aut interna, sic materia: aut externa, eademq́; efficiens vel finis & sic Deus (secundum Philosophum) prima causa rerum naturalium dicitur, ut in sexcentis locis apud illum manifeste patet.* 7. & 8. lib. Physic. & lib. de Cælo & mũdo.

Opp. *Si Deus ponatur prima causa omnium, tum erat tempus, in quo non erat mundus sed hoc est plane contra Aristotelem, qui mundum sempiternum esse pertinaciter defendit: ergo secundum Aristotelem, hoc omnino non ponitur fundamentum. Sequela maioris constat, quia res naturales, essentia sua finita cum sint, tempus suam mensuram habent, in quo primum suum esse acceptum prima causa ferant.*

Resp. *Prima unitas causa in constitutione rerum, non semper mensuram temporis, sed aliquando rationem ordinis spectat. Quamuis ergo Aristo. in his libris Physicorum mundum sempiternum esse pertinaciter (ut ais) defendat, sic tamen defendit, ut aternitas simpliciter Deo, mundo vero tempus proprie conueniat. Nam etsi doceat, mundum & Deum, mobile & motorem tempore simul esse: nemo, ut opinor, est tam absurdus, ut putet philosophum existimare tempus in Deum cadere, aut tempore mensurari: quod quidem fieret, si crassa Minerua axioma illud intelligatur. Sed proculdubio doctus Philosophus intelligit, simul esse quoad posse: quia hoc ipsum posse & esse idem sunt in Deo, in quem nullum accidens, nulla affectio, nulla mutatio cadunt, & cui omnia futura aut praterita semper prasentia sunt. Sic ergo mundum aternum esse defendit, quia, etsi illius esse tempore inceperit: in Deo tamen, cui futurum prasens est ab aterno fuit: verum hoc esse quod dico, loca infinita apud Philosophũ docent ut in primis ille in 8. Physicorum, ubi confirmat mũdum esse sempiternum. Illic enim Deum ens actu infinitum, immensum, ab omni materia separatum, Agens*

Quomodo Arist. mundum sempiternum esse dixit.

Lib. 3. Phys. ca. 4.



liberrimum, nullis omnino causis, effectis, aut mediis alligatum concludit: at qui potest esse actu infinitus, actu immensus, actu separatus ab omni materia, actu liberrimum Agens, si in relatione ad opera & effecta, cælo, mundo, tempori & motui alligetur? In libro de Mundo apertissime loquitur, Deumq; authorem & effectorem omnium appellat. Non minus diserte in libro primo Politicorum affirmat, mũdum hominesque initium & incrementum habuisse. Nemo sapiens negabit, quin in multis libris & locis Metaphysicorum demonstret philosophus, esse vnam primam, & infinitam causam, a qua res omnes suum esse sumant, nihilq; simpliciter & absolute esse, præter Deum, qui solus incõmutabiliter manens, sine tempore & accidente, mutare possit omnia, ipse vero mutari nõ possit. In tertio de Anima idipsum insinuat, cum constantissime affirmet, animam hominis non oriri ex traduce, aut materia aliqua, aut vlla potẽtia materia, sed incorpoream & immortalẽ esse substantiã, quo, nõ tẽpore, mensuratã, hoc est, ex parte ante (vt aiunt) incepisse, definiteq; suũ esse æternum ex parte post aliunde deriuasse. At vnde quæso (cum neq; à materia neq; à potentia materia) nisi à Deo, à Deo (inquam) secundum Aristotelem, qui alibi non dubitat affirmare, eandem diuinitus ad corpus accedere? Quid? an homo, minor mũdus, incepit, tempore factus à Deo, & maior ille ab æterno fuit? certe non fuit, nisi intelligas, vt supra, esse & posse idem esse in Deo, cui futurum iam præsens est, cum futuri & præteriti ratio & mensura solum in res caducas & mortales cadat. Alia hic plura ex Arist. adduci possunt in hunc sensum loca, sed hæc nunc prælibata sufficiũt ad insinuandam opinionem meam in ea tractanda quæstione, De æternitate mundi, quam postea vberius demonstrabo. Neq; est quod hoc loco quis existimet, me fiducia ingenii, aut arrogantia, paradoxum nouum in defensionem Aristotelis inuexisse (quamuis, causam intuitus, existimauerim satis me valentem esse, qui docerem hoc verissimum esse quod dixerim) sed animum in hac re mihi dedit consensus quorundam doctissimorum, qui mecum idipsum ex Arist. verbis colligant, & idipsum mecum omnino sentiant. Si vero hic communis me opinio recepta erroris arguat, ratione victus libẽter cedam, meumq; fælicem errorem, si error sit, reuocabo: fæli-

Anima à Deo secundum Aristotelem.

fœlicem errorem dico, respectu istius ætatis in qua viuimus, cum mortales fallacibus & fucatis argumentorum vmbris decepti, longe aliter quam Arist. mundum hunc actu iam existentem, credant esse æternum, indeq́ occasionem & licentiam sumentes inaniter & flagitiose viuendi, nihil sæpius in ore habeant, quam illud, vbi est promissio? vbi aduentus eius? *Epist. 2. cap. 3. diui Petri.*

Opp. *Si esse mundi ab æterno fuit in prima causa, vt ais, tum vel quo ad rem, vel intentionem fuit: nam medium non datur: quoad rem dicere non potes, quia reale principium tempore (vt ais) habuit. Quoad intentionem dicere non debes. nam si dicas, Platonis ideas infers, quas ipse Aristoteles vehementer negat.*

Resp. *Cum esse & posse idem esse in Deo ex Arist. modo docuerim: intellexi hoc ipsum quoad incommutabilem essentiam diuinam, cui omnia futura præsentia sunt, idq́ ineffabili modo: cui (inquam) omnia futura præsentia sunt, non quoad realem existentiam, vt sol in cœlo, aut quoad intentionẽ & abstractam ideam, vt forma domus in mente artificis, sed vt certissima effecta in prima causa & principio suo idq́ antequã actu effecta sint. Nã vt intentio rei futuræ ens actu est in animo, tanquam in causa & principio suo, quamuis res ipsa, cui propriè inest hæc intentio, nõ existat: ita (si liceat magna cũ paruis, diuina cũ humanis cõparare) mũdus ab æterno ens actu in prima causa fuisse dicitur: de futuris hic necessariis, non contingentibus loquor. Si dicas, me hoc loco per intentiones rerum futurarum in mente diuina, nihil aliud quam ideas Platonicas posse intelligere, Deumque hoc modo exemplaribus formis in creatione mundi alligare, quod Arist. negat: Respõdeo, te male verba interpretari mea, Nam mundum, nõ speciem aut ideam mundi, ab æterno (respectu Dei) fuisse dixi similitudine tamen (quæ non est semper eadem per omnia) hoc ipsum docui, vnde hoc argumentum peto. Si intentio rei futuræ ens rationis actu sit, diu antequam res ipsa constituatur, si (inquam) sit ens actu, in principio finito, nempe animo hominis, multo magis in Deo principio rerum omnium infinito, mundus ab æterno ens rei esse potuit: non ens rei existens, sed subsistens modo.*

Opp. *Hoc posito, Deum esse causam omnium, si dicas*

illum omnia finxisse ex nihilo, negas Aristotelem, si vero ex alio principio, negas fidem: sic lupum auribus (vt aiunt) tenes, quocunq; te verteris.

Resp. *Liceat mihi (quaso) iterum parua cum magnis, docendi causa, conferre. Vt ergo intellectus humanus in se cõuersus, sæpissime proprio suo lumine aliquid, quod non est, concipit, & tamen hoc ipsum conceptum ens re vera est in eodem intellectu, quod ab alio principio nisi a solo intellectu nõ oritur; ita multo magis omnia in hoc vniuerso à solo Deo, sine ope alterius principii, per infinitam in eo potẽtiam (quam non negat Philosophus) fiunt. Cum ergo dicat philosophus* ex nihilo nihil fieri, *intelligit, quoad causas physicas, non quoad Deum, quem nullis mediis aut causis adstrictum & obligatum vult: vt constat in forma hominis; intelligentiis, omnibusq; incorporeis substantiis, quas immediate à Deo, sine vlla alia subiecta materia esse manifeste confitetur.*

An posita prima causa, animæ humanæ cognitio sit naturali etiam philosopho necessaria? &, An eadem sit naturalis, docente Philosopho?

MAgnum volumen naturæ totus mundus est, paruum compẽdium homo. In titulo voluminis, Deus author & causa omnium, maiusculis literis, id est, elemẽtis, sphæris cœli, & syderibus pingitur. In compendio, matutina quasi stella eiusdem causæ, id est, anima humana cõtinetur. Vt.n. prima causa, quæ est diuina & infinita, efficit omnia: ita anima humana, quæ est diuinitus data, percipit omnia. Cognita ergo vtcunq; prima causa, eiusdẽq; cognitione tãquã fundamẽto posita, & probata philosopho necessaria, in progressu operis vt ædificiũ perfectius fiat, scientia ẽt animæ, quærenda & habẽda est: nã aliter philosophus nõ facile intelliget, quæ materia, quæ forma, quæ instrumẽta & ornamẽta sint ad hoc op⁹ iã astruendũ necessaria. Quomodo.n. intelliget, si animã, cui⁹ vi & lumine hæc omnia intelligit, penitus ignoret? sed, vt rẽ ipsã aggrediar, duo in hac q̃stiõe cõsiderãda sũt: necessitas cognitiõis, & cognoscẽdi modus: An (scilicet) sit naturalis. De necessitate cognoscẽdi animã dubium hoc esse põt, An ea sit simplex vel respectiua, vt aiũt: simplicem &

Duo consideranda, necessitas cognitionis, & cognoscendi modus.

cē & absolutā necessitatem esse permulti negāt, quia nō cognito quid sit anima, intelligi tamen possunt mysteria philosophiæ. Nam vt recte aliquis possit distinguere colores, & de illis iudicare, tametsi solem definire non possit, cuius radiis illustratus colores cernat, & distinguat: ita potest quidem philosophus præclare & sapienter demonstrare mysteria philosophiæ, licet animæ essentiam ignoret, cuius lumine viribusque adiutus hæc ipsa percipit. Non ergo opus est hanc animæ essentiam ignoret, cuius lumine viribusq; adiutus hæc ipsa percipit. Non ergo opus est hanc animæ scientiam in ipso limine & ingressu prælibare; satis est philosopho intellectum docilem secum adferre, vt aperto libro philosophiæ, naturæ arcana demōstrata apte & intelligenter percipiat. Sed parum attendunt isti, quicunque sint: nam dispar & admodum dissimilis est modus percipiendi colores per sensum, & res naturales per intellectum, primam potentiam animæ: colorum enim iudex est oculus, vt sunt res numero actuque singulares: rerum autem naturalium iudex est animus, vt sunt notiones vniuersales mentis, quæ (vt in hoc procemio Physicorum docet philosophus) nobis magis nota sunt quam naturæ. Necessitatem ergo pono, eandemque absolutam præcognoscendi animi, quo intelliguntur omnia: quia aliter nec modum cognoscendi, nec in qua parte animi cognoscentis ponenda sit philosophia (horum omnium scientia) intelliges. Non modum, qui à philosopho multiplex distinguitur, & quoad nos, & quoad naturā. quoad nos iterū, aut ab externa potētia animi, vt à sensu, aut ab interna, vt à phantasia, ratione, mente, eadēq; simplici vel cōposita, agēte vel patiēte, practica vel contēplatiua. Hisce iā omnib. ignoratis de modo, ostēde (si possis) partē animi, in qua inest physica hęc cognitio, ars, aut sciētia; imo hoc addo q; his incognitis, planę etiā nescias an sit ars vel scientia: & si sit scientia, an sit ea rerum vel intentionum, an sit practica vel speculatiua; hæc inquam omnia ignorare necesse est, si animam ipsam ignores, cui hæc omnia insunt. Percurram hic breuiter prolegomena huius scientiæ, & tamen ab instituto meo non dissiliam. Primum ergo quæro, quid sit philosophia? si dicas generatim, esse studium sapientiæ, aut scientiam rerum tam diuinarum quam humanarum; vel si spe-

Necessitas cognoscendi animum simplex & absoluta.

Ratio a philosophia definitione.

ciatim definias, esse scientiam rerum naturalium motui subiectarum, demonstra mihi (cum hic mentio facta sit sapientiæ & scientiæ) vtrum hi duo habitus, nempe sapiētia & scientia, sint virtutes mentis aut moris: si habitus mentis esse respondeas, dic mihi quomodo id scias, si quid sit anima humana, cuius pars hæc est, omnino non intelligas. Iterum quæro, quomodo diuidatur philosophia; si generatim dicas diuidi in naturalem, moralem, & rationalem, vt omnes sub se artes comprehendit; vel si speciatim respondeas, distribui in physicam, mathematicam, & metaphysicam, quæ triplici abstractione mentis inter se distinguuntur, peto qua ratione intelligas moralem illam partem philosophiæ in voluntate, naturalem & rationalem in mente, tanquam in distinctis & propriis suis subiectis collocari, si ignores penitus has partes animi in quibus hærent & collocantur. Præterea, cū abstractiones oēs, siue re, vt physicæ, siue ratione, vt mathematicæ, siue re & ratione, vt mathematicę, sint solū operationes mētis: nō video quin sis in his reb. Hypsea (vt aiūt) cęcior, si animū ipsum definire & diuidere nō possis, cuius solius vi hæ oēs abstractiones fiāt. Postremo, si sciscitetur aliquis, an physiologia sit sciētia practica, cuius finis est op⁹ vel actio aut speculatiua, cui⁹ finis est sola cognitio rerū quas tractat, ignoranter quidem respondebis, si practicū & speculatiuum intellectum distinguere & definire non possis, vnde istud scientiarum discrimen nascatur. Exempli causa, dic philosophiam naturalem esse speculatiuam scientiam, vt est, peto tamen quomodo hoc fiat, cum in rebus sensibilibus, vt in elementis versetur? respondes fortasse, per abstractiones vi mentis à rebus sic existentibus factas; recte quidem; nam sic est reuera scientia. Sed otiose de abstractionibus loqueris, si nec modum abstrahendi, nec principium, id est, animū (cuius prima facultate, id est mente, abstractiones fiunt) recte non intelligas. Huc addo illud primo intuitu paradoxum, quod habet philosophūs in præfatione huius primi libri; nimirum, vniuersalia esse nobis prius nota quàm singularia, cum in Primo Analyticorum videatur planissime huic contrarium defendere. Pugnantia hæc loca reconcilia (si potes) natura animæ incognita; at illa cognita & perspecta facillime potes, docendo, aliquid à nobis primum confusę sub

A diuisione philosophia.

Ab operationibus mentis.

A fine.

ſub ratione vniuerſalis, deinde diſtinctè ſub ratione ſingula
ris percipi. Concludo ergo, ſimpliciter neceſſariam eſſe phi-
loſopho naturali cognitionem animi, in cuius prima & pal-
mari (vt ita loquar) facultatula, nempe intellectu, vt in pro-
prio ſuo ſubiecto ponitur, & cuius vi ſola ab aliis ſcientiis o-
ptime diſtinguitur: & deniq; huius lumine omnia obiecta
illa per abſtractiones mẽtis à cauſis demonſtrãtur. Tempus *Cap. 13.*
me deficeret annumerantẽ omnia, quæ poſſum ex Ariſtote
le, de hac re argumenta, pauca, præter hæc quæ attuli, nunc
ſufficiẽt. In vltimo cap. Primi libri Ethicorũ, quorſum quæſo
Ariſt. tam ſępe, tam neceſſario requirit animi cognitionẽ, vt
neceſſariã ad moralem philoſophũ, niſi vt intelligeret, virtu
tes mẽtis in intellectu, virtutes moris in volũtate, ipſos affe-
ctus in appetitu ſenſitiuo, eodẽq; iraſcibili aut cõcupiſcibili
collocari? nã (vt illic ait) nõ eſt virtus in ea animæ parte, quæ
vegetatrix dicitur. Etenim illa maxime in ſomno per calorẽ
& nutritionẽ viuit, at bonus à malo per ſomnũ nõ diſtingui
tur: ſic, vt vides, illic diuidit animã in ſuas potẽtias & partes,
eiuſdemq; notitiã morali philoſopho aliqua ex parte neceſ-
ſariã eſſe cõfirmat: naurali ergo philoſopho eiuſdẽ cognitio
nẽ multo magis neceſſariã exiſtimamus eſſe, nõ ſolũ ob cau
ſas quas diximus, ſed etiã quia eandẽ, vt formã hominis phy
ſicã & naturalẽ tractat. Phyſicã & naturalẽ dico, vt in Libris
de Anima aperte conſtat. Sed hic male ne interpreteris hæc
verba mea, cum animã humanã phyſicam & naturalẽ homi
nis formã dixerim. Nã diſtinguo de anima, ꝙ duplicẽ natu-
rã habeat, cõparatã vt eſt actus, abſolutã vt eſt ſpiritus: prio-
ri modo forma phyſica, poſteriore vero modo forma meta-
phyſica vel abſoluta ſubſtãtia, & incorporea, per ſe ſubſiſtẽs
dicitur. Hinc ſecunda pars quæſtionis eminet diſcutienda,
nimirum, vtrũ animæ humanæ doctrina ſit naturalis? Eſt ea
quidem naturalis, vt anima pro actu & forma corporis orga
nici, vitã habentis in potentia ſumitur: verũ enim vero ſi pro
ſeparata ſubſtãtia corporis experte ſumatur, illius ſciẽtia me
taphyſica eſt, in qua inter intelligentias, alioſq; ſpiritus, diui
næ eſſentiæ quaſi radios, recte annumeratur: hoc dico, nõ ꝙ
nõ ſit res plane diuina dũ ſit in corpore, in quo minoris mũ-
di veluti globos vertat; ſed quia hoc carcere incluſa minus lu *Anima in cor-*
ceat, quã cum ad libertatem ſuã vinculis liberata euolet, re- *pore exiſtens diuina, ſed*

multo magis cum à corpore sit liberata.

deatque ad primam causam, a qua proxime & immediate suum esse spirituale sumpsit. Si plura argumenta ad confirmationem huius opinionis postules, verbo sic accipe. Anima, vt est actus corporis, est vera forma hominis: scientia autem hominis est naturalis: ergo etiam & animæ scientia est naturalis. Præterea, Aristot. distinguit, definit, diuidit animam in hac parte philosophiæ, eandemque fixo & definito tempore ad docilem & præparatam materiam, non aliter quam alias formas physicas, docet accedere; illius ergo doctrina est naturalis. Cum hic dico, non aliter animam rationalem ad corpus humanũ præparatum accedere, quam alias formas naturales; intelligo animam in comparata & respectiua natura sua, qua, vt actus, informat corpus; non in simplici & absoluta essentia, qua vt spiritus per se subsistit. Postremo, animæ scientia est physica, quia ipsa anima generationis humanæ naturalis finis est, finis (inquam) non ꝙ per præcedentes dispositiones educatur ex potentia materiæ, sed quia in instanti, in quo disposita est materia, producatur à Deo, & corpori humano copuletur. Hic finis, hæc vnio res naturales sunt, & non sine motu naturæ fiunt: scientia ergo animæ naturalis est, in quam hic finis vnioque cadunt. Quid opus est verbis? huc tendunt omnia quæ diximus, nempe vt constet, scientiam animæ humanæ philosopho esse simpliciter necessariam: Nam vt architectus, non solum scientiam operis quod facit, recte tenere debet, sed etiam & vsum instrumẽti, quo omnes partes ædificii pulchre concinnentur, suisque coaptentur locis: ita philosopho non solum est necessaria confusa cognitio suorũ principiorum, sed etiam certa scientia animæ, quæ est & subiectum, in quo illius scientia ponitur, & instrumentum, quo omnes in Philosophia demonstrationes & rite fiunt, & disponuntur. Ab hac enim scientia animæ, & vis sciendi, & ordo procedendi, & demonstrandi ratio, & methodus disponendi omnia in philosophia pendent. Vis sciendi, per abstractionem rerum vi sola mentis factam, procedendi ordo, per cognitionem causarum solum animæ propriam, demonstrandi ratio, per conclusionem à causis solum intellectui notam, ad effecta: methodus disponendi omnia per comparationem ipsius intellectus, qui nunc ordine naturæ, à causis ad effecta, nunc ordi-

Philosopho non solum confusa cognitio suorũ principiorum necessaria, sed etiã certa scientia animæ.

ordine disciplinæ, ab affectis ad causas, in præceptis Philosophiæ vtitur. Crassa ergo erit ignorantia omnium in philosophia, s. scientia mentis humanæ desit, quæ aliquando ab externis sensibus rerum obiectarum species assumptas percipit, aliquando vero ab internis sensibus, (phantasiam, cogitationem, memoriam intelligo) easdem species, veluti in se reflexas, accuratius discurrit & definit, aliquando proprii luminis radiis illustrata, verissimas demonstrationes rerum diuinarum facit. At quomodo istæ sciendi rationes & formæ intelligi possunt scientia animi ignota, in quo tam varia & multiplex potentia sciendi inest? Vsus huius quæstionis discussæ duplex est: cognitio Dei, cognitio animi, in quo Dei expressa imago inest; vtraque philosopho naturali (vt iam docuimus) simpliciter necessaria: quippe sine Dei cognitione turpiter errabit philosophus, ignorans primam causam, à qua sint & ad quam referantur omnia: sine cognitione autem animi ignoranter procedit philosophus, ignorans sciendi ipsum subiectum, modumque percipiendi obiectum & finem suum. Imo sine hac cognitione nomen sapientis vendicare non potest philosophus, nam qui potest esse sapiens ille, qui seipsum nesciat? at nescit seipsum si suum ignoret animum, cuius scientia vera humana sapientia dicitur. Quippe si res quælibet sit nihil aliud quam forma sua, & si anima compos rationis & philosophiæ sit forma hominis; sequitur, quod sine cognitione animæ, homo seipsum penitus ignoret. Philosophus ergo non est habendus sapiens aut doctus, qui in ipso primo vestigio & ingressu ad philosophiam hæc duo non discat; Nosce teipsum, Agnosce Deũ: nosce autem teipsum, si animæ scientiã teneas; & agnosces Deum, si omnes subalternas causas in rerum philosophia tractatas, ad primam causam naturæ sapienter referas. Intuere fabricam naturæ & portã philosophiæ, aureis certe litteris, nempe stellis in cœlo, & punctulis distinctis, in cẽtro mundi, hæc duo scripta & insculpta videris: Nosce teipsum, Agnosce Deum. At dices ex Aristotele, scientiã animæ esse difficillimam. Agnosco sententiam Aristot. sed addit, esse diuinissimã pulcherrimamque omnium. Si dicas ex eodem philosopho, cognitionem Dei acquiri non posse, quia illius essentia infinita est, quæ finito animi circulo, aut potius centro, cõpre-

Vsus quæstionis huius secunda, cognitio Dei, cognitio animi.

Philosophus nõ est sapiens, aut doctus, qui non didicit Deum & seipsum cognoscere.

Quomodo seipsum noscat, quomodo Deũ agnoscat quispiam.

Cap. 1. de Anima.

hendi non potest: respondeo, vt supra, per posteriora, id est, per effecta cognosci posse. Cum ergo hoc loco cognitionem Dei animique humani, in primis necessariam philosopho esse defendam, respectiuam (vt aiunt) non absolutam scientiam requiro. Respectiuam (dico) quam homo animo in effectis concipiens Deum, per gradus veluti ascendat & descendat, donec occultiora naturæ oracula & mysteria viderit. Quamuis attonitus ergo, nemo deterreri, aut resilire debet à studio philosophię, quia res cognitu difficillimas aliquando tractet; sed eo magis incitari ad amplexum eiusdem, quia in ipsa difficultate & obscuritate rerum, splendorem quasi solis intuitu mentis videat. Concludam verbo: sol philosophiæ Deus est, radius huius solis anima; sol lucet, splendet radius; ad solem referuntur omnia sydera, id est, omnia præcepta philosophiæ; radio solis, id est, anima sapientis concipiuntur hæc præcepta & illustrantur; perge modo & aperto volumine philosophiæ attente quæ sequuntur lege.

Tria in hac quæstione sunt consideranda.

- 1 Doctrina animæ, an sit philosopho naturali necessaria? hæc necessitas cognoscendi animam probatur,
  - 1 A communi ratione subiecti, quia philosophia (scientia cum sit) in animo vt in subiecto, collocatur.
  - 2 A distinctione animæ in potentias suas, quibus ignotis, incertũ esset philosopho, in qua parte animæ, vt in proprio subiecto, ponatur philosophia.
  - 3 A distributione philosophiæ in moralem, quæ in voluntate, rationalẽ, naturalem, metaphysicam quæ in intellectu variis modis ponitur.
  - 4 Ab expositione seu interpretatione nominis, nempe practicæ & contẽplatiuæ scientiæ, quæ nominis interpretatio recte à philosopho intelligi non potest, si intellectus practici & contemplatiui, simplicis & compositi, agentis & patientis, philosopho non innotescat distinctio.
  - 5 A modo percipiẽdi obiecta, per multiplicem abstractionem phãtasmatum à rebus, à sensibus, ab vtrisque: qui modus penitus ignoratur philosopho, si varia & multiplex operatio animi abstrahentis & percipientis formas non intelligatur.

2 Na-

6 Ab ordine procedendi in philosophia naturali, à causis (scilicet) ad effecta à simplicibus ad composita, ab vniuersalibus ad singularia, à confusis ad certa, à rebus intellectui obiectis ad sensibilia. at quomodo potest philosophus docere causas, simplicia, vniuersalia, confusa & intelligibilia esse magis nota nobis, si animę notitiam penitus ignoret?

7 A comparatione minoris, quia si animæ cognitio sit necessaria morali philosopho (vt in 1. lib. Ethic. docet Arist.) multo magis erit necessaria naturali philosopho, qui eandē formam hominis esse definit, eiusdemque partes, vires & potentias ex officio discutit.

8 A duplici vsu animæ, quem philosophus in duplici virtute animæ ponit, nempe in intelligētia habitu principiorū qua docet, accedentes ad philosophiam principiis credere sine cōtradicendi studio: & in sciētia qua per ipsa principia omnia naturæ effecta optime firmissimeque demonstrat.

2 Natura animæ, An (scilicet) anima ipsa sit forma naturalis? hic intelligendum est, duplicē esse naturam animæ.

- Comparatam vt est actus corporis, & sic est forma physica, naturalis: quod probatur.
  - A definitione formę naturalis, quæ rei quam informat, dat nomen & esse, & sic anima homini.
  - Ab ordine generationis, quia ad præparatā materiam nempe corpus humanum, fixo & præfinito tempore accedit.
  - A potentia naturali, quia vires homini generandi, vigendi, sentiendi tribuit, & tamen est vna in homine sola anima.
  - A fine, quia in dissolutione corporis desinit hæc respectiua natura, vt est actus, quamuis in absoluta natura maneat.
- Absolutam vt est spiritus, & sic nō est physica, sed metaphysica forma, vel potius simplex & absoluta substantia, per se subsistens, incorruptibilis & æterna.

3 Vsus huius discussæ quæstionis consistit in relatione, vel

Interna & metaphysica, vt homo, suæ ipsius animæ cognitione ornatus, & seipsum noscat & agnoscat Deũ, à quo (secundũ philosophos) immediate formam tam excellentem & diuinam sumpsit.

Externa & physica, vt philosophus à cognitione animæ exorsus, melius in demonstrandis abditis rerum causis, & oraculis naturę procedat, totamque philosophiam tandem absoluat, quæ in solo animo humano, vt virtus in subiecto, regina in solio hęreat luceatque.

Opp. *Aristoteles in præfatione Physicorum nulla omnino verba de animæ cognitione, aut de illius cognoscendæ necessitate facit: ergo superflua & otiosa videtur esse hæc tota de anima disceptatio.*

Resp. *Et antecedens & argumentum nego: antecedens, quia etsi mentio non sit facta explicata (vt aiunt) implicita tamen mentio facta est, cum aperte doceat philosophus, vniuersalia esse magis nobis nota, quam naturæ; quasi diceret, duplicem esse notitiam animæ, confusam & distinctam: priori modo vniuersalia esse magis nota nobis quam naturæ, posteriore vero non esse. Et iterum hoc ipsum insinuat, cum doceat, sequendum esse ordinem naturæ, non disciplinæ in hac scientia: quasi diceret. Animus philosophi per intellectum incipere debet à causis rerum, quod quidem sapienter agere non potest, si animi partes philosophus nõ intelligat, quarum virtutibus, id est, intelligentia in principiis, & scientia in effectis exponendis vtitur. Verum si concedatur esse verum, argumentum tamen non sequitur; quia, licet Aristot. hoc loco nulla omnino verba de animis, aut de cognitione animæ, aut de ordine procedendi in philosophia fecisset; alibi tamen de hisce omnib facere potuisset, vt quidem fecit in Libris illis Analyticis, in quibus, ex proposito & apparatis, sapienter & copiose de multiplici motione animæ, de multiplici abstractione formæ, de multiplici ordine procedendi in scientia, de multiplici denique vsu huius cognitionis differit. Huc addi etiam possunt permulta ex Libris illis præclaris de Anima conscriptis, quæ omnia in eundem sensum tendunt. Superfluum ergo fuisset, si hic idem iterum voluisset saxum, cum*

illic

illic satis dixerit præsertim in libris Demonstrationum: Vnde Vnusquisque satis abunde præceptorum possit colligere, quæ arti (cuius est studiosus) accommodet, Vt hoc loco equidem nunc feci in philosophia.

Opp. *Absolute & simpliciter id necessarium dicitur, sine quo aliquid esse non possit: sed philosophus esse potest sine cognitione animæ: ergo cognitio animæ non est philosopho absolute & simpliciter necessaria. Maior propositio est a definitione necessarii: Minor probatur, quia Vt artifex potest opus suum perficere sine cognitione instrumenti: ita philosophus potest artem suam discere sine cognitione animi, qui philosophi instrumentum est, quo Vsus, mysteria, & præcepta naturæ percipit.*

Resp. *Animus non recte philosophi instrumentum dicitur: est enim potius sciendi principium, & philosophiæ subiectum sine cuius cognitione, nec philosophus, nec philosophia esse possunt. Nam hoc dempto lumine (notitiam animi intelligo) philosophus in densas tenebras ignorantiæ incidit, Vt diutius philosophus non dicatur. Hic autem philosophum, non simpliciter Vt hominem accipio, cui nullum accidens absolute & simpliciter insit necessario: (nam si tollatur hæc animæ cognitio, hominis tamen substantia manet:) sed hic per philosophum, Virum sapientem aut sapientiæ studiosum intelligo, qui ista cognitione animi sublata, tollitur. Nam, Vt recte Aristot. & Agricola docent, quamuis sapientia non sit de natura hominis, est tamen de natura sapientis: & sic licet scientia animæ non sit necessaria Viro, est tamen simpliciter necessaria philosopho, qui sine ea indoctus, nõ sapiens dicitur &, Vt retorqueam gladium, quem acuis, in tuum ipsius iugulum, dico quod sicut medicus non est dicendus medicus, qui scientiam morbi, quem curat, & notitiam etiam medicinæ, qua curat ad Vnguem non teneat: ita philosophus non est dicendus philosophus, qui scientiam rerum quas tractet, & notitiam animæ, quæ res subiectas doceat, non apprehendat.*

Opp. *Scientia animæ est metaphysica: ergo naturali philosopho non est necessaria. Antecedens probatur, quia ipsa anima est res metaphysica, cum sit substantia incorporea, per se & Vi sua subsistens, spirituúq; in recta linea sub-*

stantia subalternatim supposita. Ratio tenet, quia illarum rerum cognitio solum est necessaria naturali philosopho, quæ naturæ & motui sunt subiecta, aut saltem quæ ad subiectum attributionis in philosophia sunt reducta: at anima humana, cum sit spiritus, nec naturæ, nec motui subiicitur, nec ad subiectum attributionis, nempe corpus mobile, circa quod versatur philosophia, omnino reducitur: (res enim non mobilis sed mouens est anima) ergo illius cognitio non est necessaria.

Lib. 1. de anima cap. 3.

Natura animæ duplex.

Resp. *Distinctio superius allata, de respectiua & absoluta natura animæ, vim istius obiectionis tollit. Concedo enim, animam in absoluta & simplici sua essentia consideratam, esse substantiam metaphysicam, eiusdemque scientiam eidem diuinæ parti philosophiæ esse subiiciendam: at si in cōparata natura consideretur, vt præparata materia & definito tempore ad corpus accedat, idemque informet, definiat, & essentialiter distinguat: omnino physica est, nec non illius sciētia est naturalis, naturali philosopho cognitu necessaria.*

Lib. 1. de anima text. 1.

Opp. *Replicatio in hoc responsum esse potest disceptatio Philosophi in tertio De anima, vbi de separatione, de immortalitate, de proprio lumine, de incorporea & spirituali essentia animæ frequenter agit.*

Text. 18. 19. & 20.

Resp. *Dicendum est, propositum esse Philosopho in illo libello de physica cognitione agere, obiter tamen, vt excellētia illius formæ magis elucereт, metaphysicam & diuinam habere essentiam, sæpe appositeque insinuat.*

Opp. *Aristoteles ipse fatetur, animæ scientiam esse rem cognitu difficillimam: ne ergo illius difficultate à studio philosophiæ quispiam deterreatur, probabile non est, eum putasse eiusdem cognitionem imprimis philosopho necessariam.*

Lib. 1. de anima text 4.

Resp. *Vt spes inueniendi thesaurum, labores leues altius effodientibus, nullos effosso perfruentibus efficit: ita animæ scientia (sit illa difficillima) propter reconditum in ea thesaurum sapientiæ, omne tædium & difficultatem tollit, hominemque philosophum incredibili desiderio & ardore nouas (quasi) gemmas inueniendi accendit.*

LIBRI

LIBRI PRIMI CAPVT I.

Vtrum vniuersalia nobis sint notiora quam natura?



AGGRESSVRVS prouinciam, quam suscepi, occultiora naturæ & philosophię mysteria demonstrandi, rescindo equidem permulta, quæ in commentariis meis olim inserui. Nomen (scilicet) Authoris, subiectum operis, analysin textus tritas fere omnes quæstiones, variaque plurimorum interpretum testimonia & opiniones: quæ ideo omnia rescindo, quoniam à primariis & palmariis philosophis, quos supra honoris causa nominaui, vberius quam à me possint, demonstrantur. Ceterũ vt medicus recte præstat officium, qui aliquando externa cute, figura, partibus, & lineamẽtis corporis humani intactis, neruos, venas, arterias, aliasq; secretiores partes corporis arte sua disquirit: ita labor hic meus in abditis & arcanis naturæ recessibus aperiendis (aliis magis notis cõtrouersiis relictis) nõ erit (vti spero) ingratus, nõ erit inutilis. Pergã igitur, & passim ex textu Arist. tanquã ex fonte, puriores aquas promere & haurire contendã. Et quãuis hæc prima dubitatio, quã ex textu moueo, videatur cõis (nempe an vniuersalia sint nobis notiora quã naturæ) quoniã tamen in ea abstrusum quiddã, & quasi labyrinthũ video, filum ingredientib. conabor porrigere, quo directi certius vestigia moueant, & veritatis inueniant centrũ. In hoc ergo dubio considerandа præcipue tria sunt: primũ quotuplicia sint vniuersalia, tũ quænam sint illa quæ philosophus eo loco intelligat, postremo quomodo nobis dicantur notiora. Vniuersalia sunt quadruplicia, dialectica, mathem. physica, & metaphysica. Dialectica sunt cõceptus, vel primæ intẽtionis, vt *animal, homo*, vel secũdę intẽtionis, vt *genus* & *species*. Mathem sunt formæ vi mẽtis, vel cõceptę per se, vel à præexistentibus rebus ita elicitæ, vt in vsu artis

Causa tractanda huius quæstionis.

Quæstio.

Vniuersale quotuplex.

rebus ipsis accommodentur. Metaphysica sunt vel res ipsæ per se diuinæ; vel earum rerum ideæ in sola mente positæ, vt Deus, omnesque essentiæ simplices & absolutæ, quæ vltimę sunt abstractionis, vt aiunt. Physica postremo vniuersalia, sunt res ipsæ naturales, rerumq; principia, causę, & elemẽta; vt *materia, forma, compositum*, omniaq; entia rei vniuersim sumpta, quæ vi motus actu aut potentia fiant. In dialecticis vniuersalibus rẽ & signum rei, in mathematicis abstractam formã & vsum rei, in metaphysicis quintã (vt ita loquar) essentiam rei, in physicis deniq; motũ & existentiam rei considerare oportet. Quippe in dialecticis vniuersalibus est intentio prima, quæ res: & intentio secunda, quæ signũ rei dicitur. In mathematicis est abstractio, & finis abstractionis; in quo artis vsus ponitur. In metaphysicis est reflexio animi in seipsum, per quã absolutæ & diuinæ essentiæ rerum percipiuntur. In phycis denique est cõstitutio, qua omnia principia & effecta naturæ à priore vel posteriore demonstrantur. Aliam hic multi distinctionem vniuersalium ponunt, à causando (vt aiunt) & à prædicando. Illa sunt verbi gratia cœlestis & diuinæ naturæ, ab omni materia & sensu separatæ: hæc autem sunt, quorum termini prædicentur de aliis. vt superiora, vel communiora omnia in 10. prædicamentis. Hac iam posita distinctione vniuersalium, facile constabit, quænã vniuersalia hoc loco à philosopho intelligantur. Inhærendũ verbis non est, vniuersalia hoc loco proprie & per se physica intelligenda sunt, quæ triplici nomine in textu appellantur, *principia, causæ & elementa*. Hic obiter à multis mouetur quæstio, An hæc tria nomina sint synonyma, an ad diuersas significationes & conceptus destinata? In vtrãq; partem vltro citroq; hæc quæstio à multis acerrime disceptatur. Qui synonyma negant esse, vrgent Arist. esse breuitatis magistrũ, verbosum non esse nugatorem, non voces otiose, sed res ipsas loqui. Qui verba hæc tria idẽ sonare velint, respõdent, Philosophũ interpretationis causa frequẽter vti synonymis, pŕsertim cũ ipsa Interpretatio sit vnius nominis obscurioris per aliud magis notũ & familiare explicatio.

Principia, causæ & elementa, nũ sint synonyma.

Interpretatio quid.

Principiũ quid sit secundum eos, qui hæc nomina distinguant.

Properabo: qui discriminatim hæc verba considerãt, affirmãt illi hæc inter se differre, secũdũ sub & supra, vt aiunt: non aliter quam ista, *Corpus, animal, homo*. Nã principium (in-

(inquiunt) significat rem quamlibet, à qua res alia emanet, siue procedat, nulla ratione habita, an res promanãs essentialiter dependeat, sitne distincta à principio vnde promanet, necne. Causa vero superaddit, rẽ ortã depẽdere, & essẽtialiter distingui à principio. Elementũ deniq; vlterius aliquid adiicit, nimirũ principiũ esse de essentia rei, quæ ab illo originẽ suam traxit. Hinc concludunt omne elementũ esse causam, & omnem causam principium dici, sed non contra: nam punctũ principium lineæ, vnitas principium numeri, neutrum aũt causa dicitur, & (si liceat quid addere) pater in diuinis principium filii, non tamen causa dicitur. Præterea, efficiens & finis rectè causæ compositi dicuntur, nemo verò recte eadem elementa vocabit. Sed res hæc magni momenti non est, relinquo igitur lectorem libertati suæ, vtrum interpretationis causa existimet Aristotelem hæc tria verba tanquam synonyma: vel distinctionis gratia tanquam diuersa adhibuisse: probabilis est in vtramque partem ratio, subtilior tamen est (mea quidem opinione) eorum interpretatio, qui diuersa esse sentiant. Sed redeo ad institutum meum & probo vniuersalia physica, proprie hoc loco intelligi à Philosopho. Prima ratio à re ipsa, altera à contrario sensu, tertia à comparatione, postrema à fine ducitur. A re ipsa, quia alia non est intentio Philosophi in his libris, quam de principiis, causis, elementis & proprietatibus rerum naturalium agere. A cõtrario sensu, quia si de aliis aliarũ artium principiis aut subiectis ageret, confuse ageret. A cõparatione vniuersalium, quorum alia primum & simpliciter nota naturæ sunt, vt metaphysica, alia magis nota naturæ quam nobis, vt mathematica, alia & nobis & naturę, vt dialectica, alia deniq; magis nota nobis quã naturæ, vt physica. A fine, quia finis naturalis philosophiæ est sola scientia rerũ naturaliũ, quæ primũ ab vniuersali & confusa cognitione principiorũ & causarum eminet, emanatq;. Huc addo rationem à natura vniuersalium physicorũ, quæ prius & fortius vi sua intellectũ humanũ feriunt, quã alia aliarũ artiũ vniuersalia, quippe philosophi naturalis intellectus, immediatius obiecta & species à sensibilibus rebus plerunq; trahit, quę obiecta & species magis feriunt intellectum, quam intentiones dialecticæ, quam formæ abstractæ mathematicæ, quam

Causa quid sit. *Elementum quid sit.*

Vniuersalia physica hic intelligi probatur.

A re ipsa.

A contrario sensu.

A comparatione vniuersalium.

A fine.

Possunt singula vniuersa:iũ genera intelligi, si diuersæ cognitionis species, ordines,& modi intelligãtur.

Arist.3. de Anima, text 14. Lib 1.Phys. text.4.

metaphysicæ & omnino separatæ substantiæ rerum, quæ magis ab ente rationis, quam ab ente rei pendent. Hæc ergo vniuersalia, proprio nomine physica appellata sunt illa, de quibus hoc loco à Philosopho disputetur. Non tamẽ hic nego, quin ingeniose defendi possit hæc quæstio, de singulis generibus vniuersalium, si diuersæ cognitionis species, ordines, & modi (de quibus statim pluribus dicam) considerẽtur. Prima enim & quasi abcedaria nostra cognitio in omni arte est confusa, si vniuersales primosque conceptus rerum in ea tecum perpendas: quippe mens nostra est instar rasæ tabulæ, in qua, ante distinctam & elaboratam cognitionem rerum, lineæ quædam confusæ trahuntur, quæ quidem lineæ confusæ recte vniuersalia principia dici possunt, in omni scientia intellectui primum & confuse obiecta. Prima enim idola & phantasmata abstracta rerum minus distincte feriunt mentem, nullumque fere vestigium, imaginem, aut impressionem primo intuitu faciunt, nisi confusam.

Modus sciendi Anal. poster. cap.3.

Modus sciendi resolutiuus.

Modus doctrinæ compositiuus.

Modus definitiuus.

Modus diuisiuus.

Restat nunc demum vt explicemus, quomodo physica vniuersalia sint nobis notiora quam naturæ. Et quoniã hic de modo sciendi agimus, operæpretium erit sciẽdi modum distinguere, & definire. Modus sciendi distinguitur à Philosopho in Analyticis, vt sit vel à priore per causas, qui ordo naturæ: vel à posteriore per effecta, qui ordo doctrinæ dicitur: huc ẽt spectat illa distinctio de sciendi modo, per resolutionem à fine, per compositionẽ à causa, per definitionem ab essentia, per diuisionem à multiplici potentia & existentia rei. Modus ille primus, per resolutionẽ à fine, ordo doctrinæ, vulgo resolutiuus dicitur, per quem progredimur à fine confuse apprehenso, eundem resoluendo in sua principia, tandem accuratius cognita. modus per compositionem à causa, vulgo ordo doctrinæ compositiuus dictus, ex aduerso alteri respondet, quippe incipit à principiis (sed attende) confuse etiam cognitis, & pergit componendo, donec ad finem distincte cognitum peruenerit. Modus definitiuus, est sciendi ordo à definito, sed (vt hic docet Aristoteles) confuse cognito, ad eiusdem essentiam melius per materiam & formam intelligendam. Modus deniq; diuisiuus est ordo doctrinæ, qui diuisum confuse cognitum, certum & indubitatum reddit, aut distinguendo in sua significata, si sit æquiuocum:

cum:aut distribuendo in sua membra opposita, si sit obscurum.

Animaduersione hoc loco dignum est, quod in omni ordine & methodo cognoscendi, primum obiectum intellectui (sit illud finis, causa, definitum aut diuisum) vniuersale, & confusum existat: vniuersale, & confusum (dico) nõ quod semper sit vniuersale aut confusum reipsa, quod primũ obiicitur intellectui, sed quia sub modo vniuersalis & confusi à nobis primum cognoscitur (vt Arist. probat in textu) signo rerũ à nobis longissime distantium, quæ licet sint quidẽ per se distinctæ & singulares, modo tamen primæ apprehẽsionis in mente: vt res confusæ & vniuersales concipiuntur. Vt ergo hanc primã demonstrationẽ causæ concludam, quotquot sunt modi sciendi, tot sunt rationes & argumenta quibus probes, vniuersalia esse primum nobis cõfuse nota. Argumenta in textu tria sunt, primum à toto quod sub sensus notionem cadit, secundum à toto cuius natura definitione explicatur, postremum à progressu puerorum in cognoscẽdis præceptis artium. A toto quod sub sensus notionem cadit, sic argumentatur philosophus. Vt sensus se habet ad totum sensibile: ita intellectus ad totum intelligibile: totum autem sensibile notius est sensui quam partes, (vt constat de humano corpore toto, confuse à quouis cognito, cuius tamen partes solum à medico doctoq; philosopho intelligũtur) ergo totum intelligibile, quod est vniuersale, notius est intellectui quam singulare. A toto, cuius natura definitione explicatur, sic disputat. Vt intellectus se habet ad rem definitam confuse propositam & ad partes definitionis, quę distincte eiusdem rei definitę essentiam explicant: ita se habet ad totum vniuersale, & ad singulas partes eidem subiectas: sed id quod definitur notius est quam sint partes subiectæ. A progressu puerorum in rebus cognoscendis, sic arguit. Sic ut pueri vaga & cõfusa notitia rerum, primum omnes viros patres, omnesq; fœminas matres appellitant, antequam distinctam cognitionem suorum parentum consequantur & teneãt: ita noster intellectus quasi infantulus, primis artium præceptis imbuendus, vniuersalia artis principia nõ distincte, sed vniuersaliter & confuse percipit. Etenim mens humana fenestris naturæ, id est, sensibus, apertis, obie-

In omni ordine, primum obiectũ intellectui est vniuersale, & confusum.

Text 4. & 5.

Argumenta tria in textu.

A toto quod sub sensus notionem cadit.

A toto definito.

A progressu puerorum in rebus cognoscendis.

Arist. Metap. lib. 2. text 1.

ctisque rerum ab illis sibi oblatis, est quasi noctua in sole, cæcisque oculis intuetur lumen & species rerum, donec (nubeculis quasi dispersis) clarius & distinctius illas & videre & considerare didicerit.

A ratione practici intellectus.

Hoc ipsũ ẽt probari põt à ratione practici intellectus, qui Socr. lõgo interuallo separatũ, primũ sub rõe entis aut substãtiæ, tũ sub rõe corporis, deinde sub rõe corporis animati, animalis, aut hominis intelligit, antequam distincte Socratem, aut rem indiuiduam esse sciat. Non parũ hic ea, quæ superius diximus de præcognitione primæ causæ, & animæ humanæ, necessaria naturali philosopho, hoc nostrũ institutũ probãt: nã etsi ab effectis vtrũq; cognoscere docuerimus, prima tamen notitia vtriusq; vniuersalis est, quæ, cognitis præceptis philosophiæ, certior tãdẽ & illustrior fiet. Siue ergo ordinẽ naturæ, siue ordinẽ disciplinæ: imo siue ordinem definitiuũ, diuisiuũ, cõpositiuum, aut resolutiuum spectes, omnes omnium primi cõceptus rerũ confusi & vniuersales sunt, donec animus, aut distinctis formis imbutus, aut proprio suo lumine illustratus, res ipsas, vt sunt, definire & demõstrare possit. Si quis hoc loco dubitet, an hæc notitia vniuersaliũ, de qua iã agitur, sit intuitiua an discussiua: respondeo discussiuam esse, quæ vulgo abstractiua dicitur. Est aũt discussiua cognitio duplex: aut perfecta per demõstrationẽ, aut imperfecta per abstractionẽ, vnde primus animi in rebus cõceptus nascitur: hæc quidẽ, non illa, intelligi debet. Nã postquam animus in tabulas omnium internorũ sensuũ cõuersus, imagines in illis impressas distincte viderit, illius notitia discussiua perfecta & absoluta est; solum enim tam diu imperfecta & confusa dicitur, quam à fallacibus externis sensibus & vmbris rerum indiscussis pendeat.

Notitia vniuersalium confusa discussiua est, non intuitiua. Discussiua cognitio duplex.

Nihil hic de intuitiuo intellectu (quo spiritus ab homine separatur) dico. solũ hoc addo, considerari ẽt sic posse animũ humanum, dum est in corpore, vt illius cognitio intuitiua aliqua ex parte rectissime dicatur: vel cũ seipsum intelligat, vel cum in seipsum versus, diuinas & separatas essentias rerum sine phantasmatibus aliunde sumptis cõtempletur. At non in ista notitia (licet sit diuina) est tanta perfectio, quanta in animæ separatæ cognitione inest: intellectus enim, dum est in corpore, suos gradus perfectionis habet. Nam

Metaphys. lib. 12. tex. 39.

Nam si sit discussiuus, mille modis nonnunquam fallitur, & quasi in oppositione solis (vnde lumen habet) per multos gradus obscuratur. Intellectus etiam intuitiuus, dum hisce mortalis corporis vinculis alligatur, tardius in altum volat, resque diuinas & seipsum non semper in aprico cernit. Hoc certum est, vtrumque principia & vniuersalia, primo intuitu confuse apprehendere. Vnde recte concludo vniuersalia nobis esse in omni ordine, & modo cognitionis, magis nota quam naturæ: cum dico in omni ordine & modo, excipio nullum: sed illud semper memineris, cum dico magis nota, intelligo magis confuse, non distincte: magis enim distincte notum nobis nihil est quam naturæ, cui omnia accurate nota sunt & explorata. Agnosce ergo teipsum in primis elementis cuiusque artis quodammodo cæcutire (& certe est quod facile agnoscas) cum confuse non distincte illa intelligas: hoc si tandem agnoscas, vsum disputatæ iam quæstionis tenes, qui est (mea quidem opinione) vt cum Socrate hoc vnum scias, te nihil scire: aut saltem vt illud discas, non esse gloriandum de scientia, cum nemo mortalium in hac vita sit perfecte sapiens: potes esse philosophus si velis, id est, studiosus sapientiæ, at non potes esse perfecte sapiens, donec ad primam naturam, quæ est æterna sapientia, redeas. Stude tamen in via, & stude in hac vita philosophiæ; nam illa est quidem speculum, in quo imagines infinitas diuinæ sapientiæ videas.

Laert. in vita Socratis.

Philosophia speculum est diuinæ sapientiæ.

Distinctio quæstionis. An Vniuersalia sint nobis notiora quam naturæ?

- Distinctio vniuersalium in
  - 1 Dialectica quæ sunt, vel
    - 1 Primæ intentionis, vulgo entia naturæ dicta, vt, *homo, animal, substantia*.
    - 2 Secundæ intentionis, vulgo entia rationis appellata, vt *genus, species, differentia*.
  - 2 Mathematica, quæ sunt vel
    - 1 Per intentionem animi, vt *figura, numeri*, & conceptus animo solum concepti, qui rebus tamen accommodari possint.
    - 2 Per abstractionem, vt cum res ipsæ existant, formæ tamé, motus, figuræ, numerus earundem existentium animo concipiantur, vt in Astrologia.

Vniuersale quatuplex.

3 Metaphysica, quæ sunt res vltimæ (vt ita loquar) abstractionis, vt essentiæ simpliciter subsistentes, sine consideratione accidentium.

4 Physica, quæ sunt res ipsæ, rerumq; naturalium principia, confuse sub ratione vniuersalis cō cepta: & hæc proprie hoc loco intelliguntur. Reliqua vero per accidens, vt in discursu probauimus, à reipsa, à contrario sensu, à comparatione, à fine.

Ordo cognoscēdi quotuplex.

Modus, seu ordo cognoscēdi vniuersalia, & hic est vel

1 Resolutiuus, qui procedit à fine, eūdem resoluendo in principia.

2 Compositiuus, qui procedit à principiis, causis, & elementis rerum progrediendo ad finem.

3 Definitiuus, qui est à definito confuse proposito & concepto, ad partes definitionis, quibus eiusdem definiti, confuse iam cogniti, essentia accurate demonstretur.

4 Diuisiuus, qui est, vel per

- Distinctionem æquiuoci in significata.
- Distributionē vniuoci, cōfuse adhuc cogniti, in mēbra opposita.

Ad dilucidā huius quæstionis interpretationē conferunt.

Nota vtilis.

Hæc diuisio ordinis ad bimembrem reducitur, vt omnis ordo sit vel

- Naturæ, à causis ad effecta.
- Disciplinæ, ab effectis ad causas.

Obseruatio necessaria.

Obseruatio de hisce omnibus modis cognitionis hęc est necessaria, quod omnia à quibus incipiamus scire, sint illa quidē primo intuitu confusa, & sub modo vniuersalis à nobis concepta, sint illa fines, causæ, definita, vel diuisa, quæ resolutione, compositione, definitione & diuisione fiant tandem certiora.

Vertex 5.

Confirmatio quæstionis, quæ est quintuplex: à

1 Proportione inter totum sensibile & totum intelligibile, quoad primum conceptum vtriusque, qui est confusus & vniuersalis.

2 Comparatione totius definiti & totius vniuersalis: quorum illud adhuc confusum per partes definientes: hoc vero per partes sibi subiectas manifestū redditur.

3 Simi-

3 Similitudine & signo puerorum, appellantium omnes viros patres, omnesque fœminas matres, confuse & vniuersaliter, donec distinctam cognitionem suorum parentum habeant.

Intellectus duplex.

4 Consideratione obiecti singularis, longo interuallo loci remoti, quod confuse sub ratione vniuersalis primum apprehenditur.

5 Distinctione intellectus intuitiui & discussiui, qui prima apprehensione rerum confuse scire dicitur, donec vel ad proprium lumen, vel ad libertatē suam venerit.

Vsus, vt nemo inflatus scientia glorietur.

Vsus. Quæstiones quis.

Opp.

Omnis humana doctrina, omnisque disciplina ex antecedenti cognitione oritur, vt docet Philosophus in primo c. primi libri Demonstrationum: sed omnis antecedens cognitio intellectus est à sensu, cum secundum philosophum nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu: ergo recte sequitur, vniuersalia non esse prius aut magis nota nobis quam singularia, quæ primum à sensibus recepta, intellectus tandem obiecta fiant.

Lib. 3. de Anima tex. 39.

Resp. *Omnis humana doctrina, omnisque disciplina, ex antecedenti cognitione, id est, aliquo modo ex sensu oritur: non tamen distincte sub ratione singularis, sed cōfuse sub ratione vniuersalis, primo animi intuitu apprehensi; & cum Aristoteles doceat, nihil esse in intellectu, quod nō prius fuerit in sensu, nihil autem esse in sensu quod non sit distincte singulare; dico hoc verū esse de discussiuo intellectu, qui res corporeas & sensibiles directè à sensu per species obiectas percipiat; non autem de intellectu intuitiuo, qui proprio lumine illustratus, non solum seipsum, sed alia etiam permulta sine ope externorum sensuum intelligat, vt in metaphysicis formis, & essentiis rerum animo solo conceptis constat.*

Physic. li. 1. tex. 49 & Demonstrat li. 1. c. 24. & lib. 2. c. 18. Nihil in intellectu discussiuo quin prius fuerit in sensu, de intuitiuo non item dicitur.

Opp. *Primo intuitu suo nonnunquam intellectus rem, vt est, distincte percipit: ergo nō semper sub modo vniuersalis & confusi, vt ais. Antecedens probatur ab exemplis: quia primo intuitu ignem ab aqua, hominem à lapide discernit intellectus; quod facere non posset nisi distincte cognosceret.*

Resp. *Duplex est notitia rei, sensitiua & intellectiua,*

Notitia rei duplex.

illa ab ipso sensu, hæc à mente iudicium petit. Non hic de sensitiua notitia, aut re subiecta sensus, sed de intellectiua cognitione, & re subiecta intellectui agitur, hoc non dico quod existimem, rem omnino sub censum non cadere antequam intellectum feriat, sed quoniam & in sensitiua & in intellectiua notitia rerum, modum cognoscēdi impense & diligenter obseruari velim: hic enim modus vniuersalis est. Nam etsi res ipsa quæ aut sensum aut intellectum moueat origine & natura sit singularis, obiicitur tamen & sensui & intellectui sub modo vniuersalis. Hoc verum esse quod dico hinc facile intelliges, si attente mecum perpēderis, non rem ipsam (puta lapidem) esse in oculo aut animo, sed eiusdem speciem multiplicatam in medio, quæ species hic multiplicata, cum non sit vna numero sed multiplex, sub modo vniuersalis primum animo præsentatur, idque confuse, si infantiam (vt ita loquar) nostræ cognitionis in limine cuiusque scientia consideres.

Lib. 3. de Anima tex. 38.

Opp. *Naturæ nota sunt omnia, idque perfecte: ergo vniuersalia non sunt nobis magis nota quam naturæ: imo videntur esse multo minus nota nobis quam naturæ, quippe nobis confuse, naturæ distincte vniuersalia nota sunt: Confusa enim cognitio imperfectionem, distincta vero perfectionem cognitionis arguit. Si ergo distincte vniuersalia nota sint naturæ, confuse nobis, rationem non video quin concludam, vniuersalia magis nota esse naturæ, quæ distincte percipit: quam nobis, qui per cancellos (quasi) & rimulas, species & lumē rerum cernimus. Huc addo ex Aristotele (vt probetur antecedens primæ rationis) quod natura sit sapiens in omnibus, vt constat in minutissimis animalculis, quæ admirabilem velutiartem & prouidentiam habeant. Considera apem & fauum, formicam & illius laborem, araneam & telam, hirundinem & nidum: si non agnoscas tū hisce sapiētem naturam, te minus sapientem & doctum iudicabo. At hoc ponere, quod Arist. hoc loco ponit, (nimirum vniuersalia esse magis nota nobis & minus naturæ) est plane naturam ignorātia arguere: ergo minus commode & ingeniose discutitur defenditurque hæc quæstio.*

Lib. 1. Metap. cap. 1.
Vide Pli. Hist. nat. lib. 11 cap. 5. & 24. lib. 10. cap. 24.
Plutarch. de Solert animal.
Virg Georg 1.
Arist. de Hist. animal lib. 5. c. 22. li. 9. c. 38. & 39.

Resp. *Ex communi errore multorum vmbras petis. Nam si attentius textum Arist. legeris, non inuenies hæc verba quæ tantope-*

tantopere vrges, nimirum vniuersalia esse magis nota nobis quam natura, sed esse magis nota nobis, sine adiūcto hoc nomine natura, eo in casu & sensu quo argumentum colligis. Natura enim nomen, non in dandi, sed in auferendi casu (qui apud Græcos deficit) adhibetur. Quasi diceret Philosophus, vniuersalia sunt notiora nobis quam natura: id est, sunt prius, confuse obiecta nostro intellectui, quam distincte eidem in sua propria natura cognita. Hāc expositionem corroborat illud aduerbium additum in textu. Naturaliter est „ *(inquit Arist.)* procedendum, ab iis quæ natura sunt minus „ manifesta, *id est, ab vniuersalibus, ad ea quæ naturaliter sunt notiora, id est, singularia. nam addit statim:* Quocirca ex vniuersis ad singula progredi oportet. *Si ergo recte Aristotelem interpreteris, sensus hic est, quod via auscultationis (vt aiunt) vniuersalia sint notiora nobis quam singularia, via autem generationis singularia sint notiora quam vniuersalia: quippe intellectus in philosophiæ præceptis, primum ordinem auscultationis quoad doctrinam, & tum generationis quoad naturam sequitur. Sed esto, communis admittatur opinio, quod vniuersalia sint magis nota nobis quā natura, (licet Arist. primo Demonstrationis libro idipsum neget) si inde inferas, naturam ignorātem esse male rem totam accipis: nam inde potius contrarius sensus elicitur, si modū cognoscendi vniuersalia diligenter consideres. Si (inquam) modum consideres, qui est confusus in primo intuitu intellectus, qui adhuc discussis & distinctis formis non instructus, confuse solum sua obiecta percipiat. Cum ergo dicat philosophus vniuersalia nobis esse magis nota confuse, non concludit (meo iudicio) quod sint minus nota naturæ, sed potius quod distincte sint magis nota natura, quam multa quæ vmbris & velis tecta aut obscurata lateant.*

Via auscultationis vniuersalia sunt notiora nobis quā singularia: via generationis singularia quam vniuersalia.

Lib. Demonstr. 1. cap. 2.

Opp. *Si intellectus rem quamlibet sub modo vniuersalis perciperet, sequeretur rem singularem nunquam in sua propria natura ab intellectu percipi: sed hoc est valde absurdum: ergo intellectus rem quamlibet non semper sub modo vniuersalis & confusi percipit. Maioris sequela constat, quia res singularis in sua propria natura indiuidua est, & conceptum vniuersalem sui non patitur. Assumptio probatur, quia est plane contra experientiam, quæ manifeste docet, res sin-*

Phys. 1. tex. 49 & Posteriorū. lib. 1. cap. 14.

gulares in sua propria natura ab intellectu percipi, vt constat de indiuiduis tum substantiarum incorporearum, tum accidentium formalium, quæ sola mente percipiuntur.

Resp.

Lib. 3. de An. tex 14.

Intellectus bifariam sumitur.

Intellectus consideratur bifariam: vel vt est simplex & quasi rasa tabula, vel vt est formatus, & quasi multis imaginibus tabula depicta. primo modo acceptus rem quamlibet sub modo vniuersalis percipit: altero vero modo acceptus discutit & distinguit, rerumque singularium differentias, proprietates, & accidentia facile discernit. Vt enim rudis & inexpertus gēmarius, cum in multos lapides pretiosos eiusdem splendoris, coloris & similitudinis oculos coniiciat, non ex illis statim optimum eligit & discernit, qui tamen arte tandem instructus & exercitatus, hoc ipsum facile præstat: ita simplex intellectus primo intuitu res singulares, sub modo vniuersalium confuse per multiplicatas species conceptas, in suæ ipsarum natura statim non discernit, at postea, differentiis, proprietatibus & accidentibus discussis, easdem facillime in indiuidua sua natura percipit. Quod in argumento addis de indiuiduis substantiarum incorporearum & accidentium formalium, quæ primum & per se (vt ais) sine multiplicatis speciebus animo concipiuntur, dico illas (incorporeas substantias intelligo) immediate ab intellectu, in hoc statu posito, sine speciebus omnino non concipi: at cum dico ab intellectu non concipi sine speciebus, species incorporearum substantiarum non nomino, sed species corporis, quibus spiritus & incorporea substantia (quæ per se vmbras aut species reflexas non habeant) intelliguntur. At (dices) quomodo per species corporis intelligatur spiritus? Respondeo, per discursum intellectus, qui consideratis speciebus corporis, spiritum id esse definit, quod omni materia & forma careat, quodque per se & vi sua subsistat: sic Deus vniuersalis caussa omnium, sic intelligentia, sic anima humana, omnesque spirituales essentia intelliguntur. Sic etiam formalia mentis accidentia (vt alteri exemplo obiectionis respondeā) intelliguntur: nam & hæc quoque separationem a materiali subiecto postulant, vt eorum essentia in animo solo consistere intelligatur.

Opp. *Sunt quædam vniuersalia, entia rationis, primū & per se ab intellectu fabricata, eidemque imprimis distincte*

cogni-

cognita, vt genus, species, omniaque nomina secundæ intentionis: ergo generatim de omni ente non instituenda est hæc quæstio. Antecedens constat, quia istiusmodi vniuersalia ideo entia rationis dicuntur, quia ab intellectu fabricantur: at fabricari ab intellectu non possunt, nisi distincte ab eodem cognoscantur. ergo sunt quædam vniuersalia primum & per se, distincte ab intellectu cognita.

Resp. Consideratur hæc quæstio bifariam, proprie, & sic præcipue vniuersalia physica; communiter, & sic omnia intellectus obiecta, modosque intelligendi respicit. Vt ergo campus & scopus disputandi in vtrãque partem sit amplior, large, non stricte defendo hãc quæstionem, & ad probationẽ dico, ista vniuersalia, de quibus loqueris, nẽpe entia rationis, primum non distincte ab intellectu percipi sine mediis: nã primum (istis adhuc confuse cognitis) entia rei, modo quo diximus, percipiantur necesse est, quippe eorum subiecta sunt, & ad ea solũ referuntur. Tametsi ergo fabricentur illa quidem ab intellectu, rebusque accommodentur, non tamen sequitur illa imprimis distincte, simpliciter, & absolute ab intellectu percipi, cum ipsa rei entia à quibus pendeant, adhuc confusam & indistinctam in intellectu notitiam habeant.

Vniuersalia, physica proprie in hac quæstione intelliguntur.

Opp. Si generatim de omni ente, & de omni cognitionis modo intelligatur hæc quæstio: destruitur illud axioma Ari. quod intellectus in se versus, aut proprio lumine illustratus plurima distincta sapiat: ergo strictius tenenda est quæstio. Antecedens probatur, quia si omne ens primo sub modo vniuersalis & confusi cognoscatur, non erit intuitiuus intellectus omnino, nec intuitiua cognitio mentis: ratio est, quia intuitiuus intellectus vi sua percipit, sine phantasmate & sine discursu rerum: talis est notitia Angelorum, & talem etiam tu antea in intellectu (adhuc corpore clauso) posuisti, at quomodo defendas nescio.

Metaph lib 12. tex 39. lib. 3 de Anima. tex. 8.

Resp. Generatim de omni ente, & etiam de omni cognitionis modo quæstionem intelligo: neque destruo illud præclare dictum philosophi, quod intellectus aut in se versus, aut suo lumine circumfusus, seipsum & multa mysteria sapiat. Dico igitur intellectus notitiam duplicem esse, discussiuam & intuitiuã. illa phantasmatib. semper eget, vt perficiatur, hæc vero nõ eget. Sed attẽde: hæc intuitiua (scil.) notitia est etiam

Intellectus notitia duplex.

Intuitiua notitia duplex. *duplex, diuina, & humana. illa est vel actu infinita, vt in Deo, vel finita vt in Angelo: hac autem vel inchoata, vt in anima coniuncta corpori, vel perfecta, in anima separata, qua tum, non aliter quam spiritus, omnia sine discursu & reminiscentia percipit. Caterum dũ est in claustro corporis, quam suis proprium lumen essentia habeat, tam perfecte tamen, ac si esset liber & immunis, nec seipsum, nec alia diuina perspicit. Nam vt qui solem per rimulam videt, non alium solem videt quam qui in aprico cernit, quamuis minus perfecte ille quidem quam hic cernere dicatur: ita intellectus corpore inclusus, illius lumine obscurato, non penitus exstincto, eosdem radios diuinarum rerum (aptissime vt sua (sine phantasmatibus aliunde assumptis) percipit, licet non tam clare ac tum possit, cum à tenebris & vinculis corporis, ad lucem & libertatem aduolet.*

Lib. Post. 2. c. 15. Opp. *Minus vniuersale prius cognoscitur ab intellectu quã magis vniuersale: ergo non recte defenditur quastio. Antecedẽs probatur, quia species infima est minus vniuersale quam genus: sed species infima prius cognoscitur quam genus: quod sic probo: quia quod fortius mouet intellectum est nobis prius notum: sed species infima (cuius prasertim singulare est sensibile) fortius mouet intellectum quam genus, aut aliud superius quodcunq;: ergo species infima prius cognoscitur quam genus, aut aliud superius quodcunque. Rationi huic attexi potest & alia, quod intellectus à sua potentia in actum, prius per conceptum speciei, quam per conceptum generis, aut alterius superioris perducatur.*

Resp.

Intellectus est vel mera potentia, vel potentia agens in passibilẽ sui partem. *Intellectus consideratur bifariam, vel confuse, vt est mera potentia, & quasi cara ad omnem imaginem recipiendam apta: & sic primum illius obiectum ens est: vel distincte seu contracte, vt est potentia animi, agens in passibilem sui partem, & sic minus vniuersale, vt species infima, qua fortius illius neruos quasi pulsat, eidem prius notum est quam magis commune. Veruntamẽ hic solum agitur de modo cognoscendi secundum ordinem natura. Quare vt natura semper ab imperfectioribus ad perfectiora procedit: (vt in generatione hominis ab anima vegetatrice ad sensitricem, à sensitrice ad ratiocinatricem:) ita intellectiua cognitio, natura amula, primum*

primum à cognitione entis incipit, progrediturque ad ea, quæ natura sua sint minus vniuersalia, & certiora.

Opp. *Philosophus docet in textu, quod sicut sensus se habet ad totum sensibile, ita se habeat intellectus ad totum intelligibile: sed sensus, si non sit impeditus, distincte percipit suum obiectum sensibile, vt est in lib. de Anima. ergo intellectus, qui impediri non potest, distincte percipit suum quoque obiectum intelligibile.* Text. 4. Lib. 3. text. 39

Resp. *Si nullum esset impedimentum intellectus, nullus error, nulla rerũ ignorantia esset. at cum constet esse, falsum erit fundamentum quod ponis: nam vt sensus fallitur circa proprium obiectũ, si organum, medium, obiectum non bene disponãtur: ita intellectus facile errat, rebus vel rerũ speciebus non recte ordinatis, quibus illius cognitio informetur.* Intellect⁹ quomodo errare potest.

Opp. *Definitum non est vniuersalius partibus definientibus: ergo minus aptum illud in textu positum est exemplũ. Antecedens constat. quia partes definientes sunt vniuersaliores & priores definito.*

Resp. *Partes definientes considerantur vel confuse, & sic sunt vniuersaliores definito: vel contracte, & sic conuertuntur cum illo. Cum vero dicat philosophus definitum esse confusius, intelligit respectu cognitionis indefinita, cum primũ proponatur definiendum, vel respectu cõparationis seu proportionis, quæ est inter totum sensibile, & totum intellectuale, quorum illud sensu, hoc mente percipitur: vtrumq; autem confuse, priusquam partes cognoscantur.* Partes definiẽtes contracte accepta, conuertuntur cum definito.

Opp. *Tertia ratio Aristot. in textu, de pueris indistincte omnes viros patres, omnesq; fœminas matres appellantibus, non probat vniuersale esse primum notum intellectui: ergo infirma est probatio quæstionis. Antecedens constat, quia sic agni recens nati, vniuersalia sensu cognoscerent, qui omnem ouem loco matris sequantur.*

Resp. *Caue, ne dum agnum & ouem nomines: teipsum agno & oue simpliciorem probes. Nam primum dubium est, an agnus recens natus ignoret matrem, quam scire instinctus naturæ lactantis dedit, tum si ignoret, non est par ratio, quia non est omnino in belluis sciendi aut propria distinguendi ratio. Postremo, bellua rem singularem vt singularẽ non percipit, quia differentiam, aut proprietatem rei singularis non* Plin. li. 8. c. 40.

mouit. Quod vero rem singularem aliquando discernat (vt canis suum dominum ab aliis) hoc aut instinctu naturæ, aut vsu, non intellectu aut ratione facit.

CAPVT II.

An contra negantes principia liceat philosopho disputare?

An sit vnum aliquod primum naturale principium à materia, forma & priuatione distinctum?

Principia & causæ in philosophia quæ sint.

ORdine procedendi in philosophia (qui est à principiis & causis ad effecta) luculenter ab Aristot. iam demonstrato, sequitur, vt quænam sint ista principia & causæ nunc accuratius ostendat. quod quidem in hoc capite docte & sapienter facit Philosophus, primum refellendo Parmenidis, Melissi & aliorum veterum philosophorum errata, quibus non inspectis & refutatis, hoc sequeretur incommodi, nimirum Aristotelis ipsius de principiis positionem lõge obscuriorem & difficiliorem futuram. Nam quemadmodum in Olympico certamine & stadio, non habetur victoria, nisi prius pugnetur, & deuincatur hostis: ita in palæstra, & studio philosophię, scopus recte non attingitur priusquam aduersarii veritatis & sapientiæ refutentur. Sed equidem omitto hæc omnia: omitto (inquam) hoc loco philosophorum, contra quos disserit Arist. nomina, opera, sectas, ætates, honores? opiniones, & argumẽta, quæ à Pererio distincte, copiose & diserte suo cuiusq; ordine tractantur: solũ illas partes textus decerpo, in quibus abdita & occulta mysteria philosophiæ lateãt. Et quamuis in hoc primo dubio inesse non videatur oraculum, necessario tamen mouendum & discutiẽdum putaui, quia insolens & superba est hæc ætas, in qua viuimus: cũ vbiq; reperiantur homuli nullius fere ingenii, nullius artis, qui principia cuiusq; artis negẽt, imo qui ipsas artes, totumq; vsum artium & philosophiæ negẽt. Quid superbe, impudens & contentiose homo, artium principia negas? Philosophus esse cupio, & contra te disputare nolo: silẽtio enim potius contẽnenda, & supprimenda est ista tua temeritas, quã argumẽtis (ne insolentior fias) refutanda. Non sunt principia philosophiæ, inquis, aut si sint, non sunt vera, aut si sint vera, non sunt illa quæ Arist. somniet. Alia certe sunt,

Cur alia prius refellat.

Vide Arist. lib. 6. Ethic. cap. vlt. & 1 de cælo text 101. & de Anima l. 1. text 19.

Lib. 4. cap. 6.

Cur hanc quæstionẽ moueat.

ſunt,aut nulla ſunt. Parmenides & Meliſſus melius dixerũt vnum eſſe,quam Ariſt tria. Subtilius Pythagoras, Democ. Leucip.Heraclit.aliiq;(quos hic ſuperciliose cõtemnit philoſophus) multo ſubtilius de principiorum numero & natura diſputarunt. Quorſum(quæſo)ſchiomachia?quorſum auras & vmbras tanto verborum ſtrepitu & conatu verberas?Dico tibi neganti principia, nolo tecum diſputare: dubitanti autem reſpondere volo:ſed ambagibus relictis rem aggredior.

Vt dilucidior hæc quæſtio fiat, diſtinguẽdũ eſt de principiis,quod alia ſint ſimplicia ſeu incõplexa: quæ rerum: alia compoſita,ſeu complexa: quæ proprie ſcientiarũ cauſæ dicuntur: illa ſunt (verbi gratia) vt *materia,forma,priuatio*, hęc vt axiomata prima & indubitata in omni ſcientia,à quibus demonſtrationes certæ & neceſſariæ fiunt. Hæc autem principia (cõplexa intelligo) iterũ diſtinguuntur in cõia & minus communia:illa ſunt vniuerſalia enunciata,& propoſitiones quas vulgo Maximas appellamus: Vt, *de quolibet eſt affirmatio vel negatio,de nullo autem vtraq; ſimul*: Hæc (ſcilicet minus communia)ſunt ſpeciatim aſſignatę propoſitiones, quæ ad hanc vel illam ſcientiam proprie ſpectant, vnde demonſtrationes ordine naturæ aut diſciplinæ fabricantur:tales ſunt hæ propoſitiones in philoſophia naturali: *Natura eſt: motus eſt: omne genitum corruptionẽ habet*. Vt de principiis,ita de negantib. principia hoc loco diſtinguẽdũ eſt:nẽpe quod alii ſimpliciter negent,non ſolũ ipſa principia,ſed omnia in ſcientia, quibus tandem probentur: alii vero cõparate negent, concedant autem permulta quibus demonſtrentur:contra illos diſputare non licet,quia impudenter negãt omnia:contra hos vero licebit diſputare,quia relinquunt media,quibus philoſophus vſus,poſſit recte aduerſam partẽ concludere. Hæc quidẽ eſt expoſitio nonnullorũ,ſed(mea certe opinione)nimis ſtricta & anguſta.Nam etſi Ariſt.hoc loco dicat,non eſſe contra negantes principia diſputãdũ intelligit,proculdubio nõ eſſe diſputandũ à mediis & locis eiuſdẽ ſcientiæ,cuius principia & media iſti pertinaciter negãt: contra illos tamẽ diſputare nõ prohibet,ex mediis & locis aliarũ ſcientiarũ cõium cæteris, (quales ſunt Dialectica & Metaphyſica) quæ oẽ ens tractãt,& vniuerſali-

Principia ſunt ſimplicia vel compoſita.

Compoſita vel ſunt comunia, vel minus communia.

Ariſt.de interpret.ca.6 & li. 1.dem.cap.2.

Negantes principia vel ſimpliciter negant, vel comparate.

Contra negantes principia, non eſt diſputãdum à mediis eiuſdem ſcientia.

ter omnium ſcientiarum ſubiecta & principia probant.

Licet ergo philoſopho contra negantes principia diſputare, licet (inquam) idq; ex propria ſcientia, ſi ſimpliciter & peruerſe non negent omnia: at ſi negent, licet tamen ex aliis communioribus ſcientiis argumenta petere. Nam vt multi exiccatis ſuis fontibus ex aliis ad tempus aquas haurire ſolent, quæ paulo minus recte vſibus inſeruiunt, quam ſi ex propriis hauriantur: ita philoſophi doctique in omni ſcientia, negatis principiis & mediis ſuis, debent aliunde, id eſt, ex communibus, vires & arma petere, quibus non multo minus commode vti poſſint ad debellãdum hoſtem, quam ſi à propriis caſtris peterentur. Quid? an in nullo ſenſu putas hanc propoſitionem tam celebrem, & in omni ore frequentem, veram eſſe? inaniter & otioſe quęris, nam ſenſum dedi, in quo vera ſit: nempe non eſſe diſputandum contra negantes principia, ſi ſimpliciter & omnino negent, verum ſi ex parte, vel ſi hæſitanter, vel ſi diſputandi aut diſcendi ſolum cauſa negent, omni modo & arte conandum eſt, vt tollatur error, reformetur opinio. Si rationem quæras, cur in eadem ſcientia non ſit contra eos qui negant principia diſputandum: reſpondeo hanc præcipuam eſſe: quia pronunciata cuiuſque artis innitantur principiis, quæ negata, probari non poſſunt vllo modo in eadẽ ſcientia: quã rem manifeſtam ſic reddo. Nam ſi probarentur, probari deberent vel per aliã principia, quæ eadem ſcientia non habet, vel per effectã: at qui ita eſt alicui ſcientiæ infenſus, vt illius principia neget, ne dubites quin, grauiter impudẽs, ipſa effecta, & ab iiſdem omnia deducta, argumẽta neget. Quid igitur? num negatis principiis omnis diſputatio ſilebit, & aduerſariorum peruicacia impune euadet? minime. Sed, vt ſuperius diximus, ſi ea ſcientia, cuius negantur principia, ſubalternata ſit alteri, à ſubalternante (vt ita loquar) opem requiret; ſi vero non ſit alteri ſubiecta, ad commune aſylum omnium, nimirum ad primam philoſophiam & ad dialecticam prouocabit: & ſic armata proſternet aduerſarium, ſuaq; principia à calumnia & ignorantia vindicabit.

Cur contra negantes principia non ſit diſputandum.

Principia probari non poſſunt in eadem ſcientia.

Cæterum ſi adhuc temere in ignorantia vel potius hæreſi, (quę eſt contumax & obfirmatus error,) perſiſtant aduerſarii, tibimet altum ſilentium impera: nã cũ hæreticis & cõtuma-

tumacibus non est omnino, disputãdum. Rationes cur hoc dicã, has paucas accipe. Si cum impudente & obfirmato in errore, disputes, ex male sano insanum facies, quippe sic folles faculis illius superbiæ superciliosæ addis, & quid ni flammas & incendia demum expectes? Præterea, disputare contra eos, qui sic negent principia, est quasi lumen soli, & laudẽ authoritati sapientissimorũ hominũ (qui ea sic posuerũt) detrahere. Huc addo, quod cũ talibus disputare sit oleum & operam (vt aiunt) perdere: nã aut ignorãt quæ loqueris, aut peruerse negabunt quæ probas. Impudentes sunt, non silebunt: obfirmati sunt, victi non cedent: postremo (vt rẽ paucis concludã) cum istis gigantibus & monstris disputare, est (mea quidẽ sententia) ipsa tẽpla consecrata Mineruæ diruere, omnesq; Musas & scientias extinguere: nã hoc exemplo permulti præcoci sapientia adolescentes, hoc vnũ præceptũ facile discẽt, *Negamus principia, Negamus Aristotelem*. Rami potius authoritatẽ sequimur: non audeo dicere quæ velim, dicã tamen quod Arist. in hoc textu dicit: *Vno* (scilicet) *absurdo dato, sequuntur mille*. Da veniã vt ad propositum & institutũ accõmodem. Si hæc fenestra aperiatur, vt in dialectica, aut philosophia, aut quacunq; alia humana scientia liceat quiduis defendere aut negare, summopere verendũ est, ne qui sint in humanis artib. peruersi, in ipsa diuina philosophia nimis præcoces, impii & scelerati, ne dicã, hæretici fiãt. Nã (vt est in prouerbio) Cui plus licet quam par est, plus vult quã licet: & vt recte hoc argumentũ sequitur: sæpe mẽtitur, ergo peierabit: ita illud non est semper falsum, iste principia philosophiæ peruerse negare audet, ergo non est mirũ si errore & peruersitate delectatus, diuina tãdẽ principia neget. Superbia enim & Philautia nullos modestiæ limites & cancellos habet: disrumpãtur ergo isti suo ipsorum tumore & inflata scientia, nemo cum illis disputet: nam philosopho & sapienti cum illis disputare penitus non licebit. Ratio est, si sapientem consulas: *quia non est respondendum stulto iuxta stultitiam suam*. At isti stulti sunt qui negant principia: imo si negãdo pergant, periculosi stulti sunt, qui principiũ principiorũ negant, *& dicunt in cordibus, non est Deus*. Sed hactenus de istis: nunc sequitur altera dubitatio, an sit vnũ naturale principium à materia, forma, & priuatione distinctũ.

Cum contumacibus nõ omnino est disputandum.
Ratio 1.
Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.
Text. 10.
Qui in humanis artibus sunt peruersi, in sacris sunt nimis impii.
Prou. 26. v. 4.
Psal. 14. v. 1.
Quæstio 2.

Incudem philoſophiæ nunc ſæpe malleolis ingenii pertundere oportet, vt quintis rerũ veluti eſſentiis elicitis, ſecretióra naturæ myſteria inde emergant: inter quæ quidem myſteria hoc minimũ non eſt, quod iã propono: nimirum, vtrũ ſit vnũ aliquod naturale principium, à materia, forma, & priuatione diſtinctũ? Expectas fortaſſe, vt hic (cũ Ariſt.) Parmenidem & Meliſſum refellam, qui vnum idemq; immobile, ingenitum, infinitum, & æternum principium poſuerunt: certe non refellam: partim quia Ariſt. in refellẽdis aliis, vmbras plerumq; fingit, in quas incurrit: partim, quia promiſſi memor, reſectis & reciſis ſuperfluis, altius ſolum recondita & neceſſaria ſequor. Occaſione ergo arrepta ex textu, in quo dicitur Parmenides vnũ poſuiſſe principium opportune hanc moueo quæſtionẽ, in qua vnum idemque diſtinctum à materia, forma & priuatione eſſe defendo. Si vero alicui prima frõte hic videar defendere paradoxũ, paulìſper det veniam, & donec crebris ictibus ingeminatis ex lapide philoſophico ſcintillas rationis euolantes viderit, ſuſpẽdat iudicium. Dico igitur aperte, aliud eſſe naturale principium primũ à materia, forma, priuatione diſtinctũ, & per hoc principiũ naturã ipſam intelligo, & per naturã, non naturã naturantẽ (vt aiunt) de qua antea, ſed naturã naturatã, quæ principiũ motus & quietis definitur, intelligo. Et vt illã primã naturã ſiue cauſam philoſopho cognoſcendã neceſſario duxerim: ita huius naturæ cognitionẽ tã neceſſariam eſſe doceo, vt abſq; ea nemo philoſophus, doctus, aut ſapiẽs eſſe, aut dici poſſit. Verumenimuero ne anceps, vaga, & incerta ſit hæc noſtra de natura contentio, hoc nomen naturę diſtinguendũ eſt. Primũ ergo nomẽ naturæ pro prima cauſa ſumitur, vt in lib. de Mundo, & ẽt lib. 12. Metaphyſic. cap. 7. vbi aperte dicit Ariſt. naturam ipſam à principio pendere. 2. ſumitur hoc nomen pro cuiuſq; rei quidditate & eſſentia, ſic definitio natura, ſic eſſentia natura dicitur. Verũ ſi proprie hæc nomina diſtinguere velis, dicendum eſt, quod eſſentia ordinem ad eſſe rei cuius eſt, quidditas ordinẽ ad definitionem, qua quid res ſit explicatur, natura ordinẽ ad motum & operationem rerum ſignif. 3. pro innato accidente capitur, vt apud Gal. *Natura* (inquit) id eſt, *calor natiuus eſt artifex, medicus autem miniſter naturæ*. 4. deniq; ſumitur, (vt

Text 18.

Naturale principium à materia, forma, & priuatione diſtinctum, eſt natura naturata.

Natura multiplex.

Lib. 2. de Cœlo cap. 5.

Lib. de Iuuentute & ſenectute cap. 2.

Lib. artis med. cap. 77.

(vt alia omittam significata ad institutum minus necessaria) pro interno principio essendi (vt aiunt) vnde primo & per se res vnaquæq; naturalis habet, vt moueatur. Hanc significationem maxime hoc loco amplectimur, alias vero non negligimus.

Phys. lib. 2. cap. 1.

Quid expectas? nouum fortasse & mirum tibi videatur quod dico, dico tamen hanc naturã esse primũ principium internum rerum naturalium, à materia, forma & priuatione reipsa distinctum: quod probo à definitione, diuisione, proprietate, cõparatione, similitudine, toto & fine. A definitione, in qua natura dicitur primum principium motus & quietis in re naturali, per se, & non per accidens. Si hæc sit definitio (vt omnes philosophi & scholæ fatẽtur esse) aut est definitio rei, aut definitio nominis: definitionẽ nominis esse, vt opinor, non dices, quia natura est principium rei, nẽpe motus, qui ex ente reali non nominali aut intentionali nascitur: nomina n. & intentiones non sunt causæ rerum, sed res nominum & intentionũ. Age ergo, est definitio rei: cõcludo igitur rem definitam, nempe naturam, vi eiusdem definitionis, ab aliis omnibus realiter distingui & separari: quippe hæ leges perpetuæ sunt veræ definitionis, vt totã essentiam definiti explicet, & vt idem essentialiter ab omnibus distinguat. Cum ergo natura definiatur non vt nomen, non vt intentio, sed vt res ipsa: cum (inquam) definiatur esse principium, quod communius materia & forma per se subsistit, (attende quid dixerim) quod communius materia& forma per se subsistit, nec vere materia, nec vere forma dicitur, quippe, quænã est hæc prædicatio? Natura est materia: aut quænam est illa, Natura est forma? certe nulla: superius enim de inferiore directe enunciatur, at inferioris de superiore non est omnino prædicatio. Quorsum hæc omnia? eo certe, vt intelligas naturam esse principium, idq; internũ, quod nec materia, nec forma, nec priuatio dicitur. Altera ratio à diuisione naturæ in vniuersalem & particularem ducitur. Natura vniuersalis est duplex, actu infinita, vt Deus, quẽ sæpe philosophi naturam appellant, vel potẽtia infinita per vim generationis in suis effectis, vt hoc principium motus & quietis est, quod in materiam & formam, tanquam magis vniuersale aut analogum genus in suas species distribuitur.

Naturam esse primum principium internum rerum naturalium distinctum, probatur.

A definitione.

A diuisione.

Natura vniuersalis est duplex.

Hoc posito, quærendum est, an membra huius diuisionis alias definitiones à definitione diuisi sortiātur. Si sortiantur quod certe inficias ire non potes, nec debes, sequitur necessario, naturam esse aliud principium ab vtroque: nimirum à materia & forma distinctum. Nam quæ definitione differunt, realiter differunt, quod vero hæc definitione differant, postea patebit, cum particulatim eorū definitiones tradam. Tertia ratio à multiplici proprietate naturæ petitur, & formatur hoc modo. Quæcunq; proprietate differunt, ea realiter differunt: sed natura, materia, & forma proprietate differunt: ergo natura, materia & forma, realiter differunt. Maior propositio huius syllogismi est Topica, & eiusdē ratio hæc redditur, quia diuersa proprietas diuersam differētiā arguit. Assumptio probatur, quia naturæ proprium est, propensionē dare materiæ ad appetendam formam, materiæ proprium est esse primum subiectū omnium: formæ denique proprium est essentialiter rem naturalem distinguere, perficere & definire. Alias ēt hic possem proprietates naturæ recensere: vt nihil moliri frustra, nunquam otiosam esse, finem optimum semper intendere, iustitiam in omni opere & actione sua exercere, quæ proprietates simpliciter naturę conueniunt, & ratione naturæ aliis principiis minus communibus per accidens, vt generica propria speciebus. Hinc sequitur 4. ratio à comparatione, seu analogia inter genus dialecticū & physicum: vt ergo genus dialecticum se habet ad suas species: ita se habet genus physicū ad res sibi subiectas; sed genus dialecticum distinctum est principium à suis speciebus: ergo genus physicum est distinctum principium à subiectis sibi. Maior constat in exemplo *animalis* dialectice comparati ad *hominem* & *belluam*: & in exemplo *natura* de qua nunc agitur, physice comparatæ ad *materiam* & *formā*. Minor ēt constat, nam siue genus dialecticū intētionaliter, pro prædicabili, siue realiter pro re subiecta, puta pro animali sumatur, distinctū principium est. Intētionaliter. n. sumptum est distinctum prædicabile, realiter ēt sumptum re quiddā communius est, quod dat esse aliis minus cōibus: à quibus solū existentiam habet. Attentius hic animaduertendum est, dare essentiam esse proprium naturæ, quod materiæ & formæ acceptum non refert, quippe nullum esse

à ma-

A proprietate natura.

Lib. v. de Cœlo. text. 32. lib. de Anima 3 text. 48. De partib. animal. lib. 2. cap. 13. lib. 4. cap. 11. & cap. 13. lib. 2. cap. 14.

A comparatione.

Vt se habet genus dialecticū ad suas species: ita genus physicum ad sibi subiecta.

Genus Dialecticum, quomodo sumptum, realiter distinguitur à minus ç ommunibus. à simili.

à materia & forma natura recipit: est ergo natura principium realiter distinctum ab vtroque. Ratio à simili suum pondus habet. nam vt imago, quæ ex impressione sigilli in ceram fit, nihil præter ceram & sigillum videatur esse, cum solum ex iisdem constet, si tamen per se & vi sua consideretur, aliud ab vtroque re ipsa disiunctum & separatum existit; quippe nec cera nec sigillum dicitur: ita quamuis natura ita in materiam & formam diuidatur, vt præter materiã & formam nihil omnino dici posse videatur: impensius tamen re, vt est, considerata, emerget magnum discrimen, vt natura, nec materia nec forma nisi indirecte & inordinate, (vt aiunt) dicatur. Sexta ratio à toto ad partes hoc ipsum probat, quia vt hic docet Philosophus, totum à suis partib. differt: Sed natura est quiddam totum respectu materiæ & formæ: ergo natura à materia & forma differt. Maioris probatio in textu multiplex est, quia si totum & partes sint idem, tum partes ipsę inter se realiter non differrẽt, ratio est, quoniam quæ vni & eidem sunt eadem, inter se quoque sunt eadem. Præterea, totius & partium distincta sunt munera, proprietates, actiones & fines, vt diligenter contemplantibus constat. *A toto ad partes. c. 3. tex. 6. 17*

Postremò (vt multa alia argumenta prætermittam (cum totum sit ens vnum, partes rerum entia plura, cumq; vnum & plura natura differant, totum etiam & partes different. Minoris confirmatio hinc patet, quia natura in has partes subiectiuas diuiditur, & quia aperte Aristoteles ipse materiam & formam partes naturæ sæpissime in libris Physicorum nominet. Si vrgeas Aristotelis sententiam hoc loco de toto composito, non de toto confuso & vniuersali intelligi, quia partes constituunt huiusmodi totum, totum autẽ non ex aduerso constituit partes: & proinde concludis totum compositum & partes non esse idem. Respondeo de vtroque hunc locum recte posse intelligi, & si rationem assignes quod totum compositum non sit idem cum partibus, quia illius est componi, harum componere (quæ ratio quidẽ vera est) non video causam, cur totum vniuersale ab hac distinctione, & ratione excludas: quandoquidem hæc etiam se inuicem, non constituãt. Nam quis dicet partes subiectas superius aliquod constituere? & tamen quodlibet vniuersalius *Vt lib. 3. Phys. tex. 65.*

in eo-

in eodem genere secũdum Aristotelem totum vniuersale & confusum dicitur. Cum ergo natura, quæ est *principiũ motus & quietis*, vniuersalius quiddã sit materia & forma (tũ quia illa duo principia continet, tum etiam quia ad cõposita perfecta & imperfecta ex illis se diffundit) recte horũ omnium respectu totum vniuersale & confusum dicitur distinctum tamen, quia nec materia, nec forma, nec mixtũ ex materia & forma nominari potest, quãuis hæc tria aliquo modo naturæ nomine insigniãtur. Vltima ratio à fine talis est. Quæ proprio fine differunt, eadem re ipsa differunt: sed natura materia, forma proprio fine differunt: ergo natura, materia, forma re ipsa differunt. Propositio est Arist. 3. Topicorum, & eiusdem ratio est, quia proprius finis cuiusq; rei propriam formam sequitur, quippe inter formam & finem est tãta proportio, & similitudo, vt sæpe ab Aristotele forma & finis conuertantur. Assumptio prioris ratiocinationis constat, quia naturę finis est semper agere propter finem, materiæ finis est vel ipsa forma, vel perfici à forma, formæ deniq; est materiam confusam actu signare, & ad certum aliquod ens contrahere. Sic in generatione hominis natura primum mouet, mouetur materia, ad pręparatam materiam, accedit forma: hinc homo perfectus nascitur, qui à natura motum, à materia potentiam, à forma actũ & perfectionem habet. Est enim natura principium motus, est materia principium potentiæ (quæ vi sua passiua, instinctu, tamen naturæ actiua redditur) est denique forma principium actus & perfectionis, vel potius ipse actus ipsaque perfectio: differunt ergo hæc tria principia rerum, eorum tamen vnio in effectis naturæ amica est, vt videre licet in homine, in quo hæc discors (vt ita loquar) harmonia inest.

Phys. li. 2. tex 3. Meta. li. 5. tex. 5

A fine.

Lib 2. Phy c. 2. tex 74. De Generatione animal. lib. 1. c. 10. Homo generatus à natura habet motum, à materia potentiam, à forma actum & perfectionem li. de Anima 2. tex. 2

Possem huc adducere aliud argumentum in suppetias, ad corroborandam hanc opinionem, nimirum à testimoniis plurimorum philosophorum tum veterum tum neotericorum, qui idem mecum de hac re sentiant: sed quoniam mihi in hoc opere decretum est argumentis potius quam testimoniis, contextis rationib. potius quam philosophorũ nominib. & authoritatib. textum, & marginẽ decorare: dabis mihi veniã si huic prouinciæ supersedeam, præsertim cũ minus sit necessariũ; at vbi necessariũ est, ibi vel paucis recitatis

Tererius & Conimbricẽses

tibi

tibi satisfaciam, vel te ad Pererium & Conimbricenses, aliosque mittam, qui in erratis sincere refutandis, non solũ firma ratione, sed authorum multorum agmine delectantur. Quid multis? quãuis labor meus sit Ætna futurus grauior, contendam vt volumen senile hoc meum nõ verbis sed reb. non vmbris, sed signatis rationum tabulis perornetur. Si in hac re desideres hoc genus probationis, leg. Arist. in 2. Phy. vbi, vt antea demõstratum est, definit naturam principiũ & causam motus; lege Albertum Venetum Scholam Coloniensem, Auicennam, Auerroem, Bricottũ, Diuum Thomam, quib. addo, si vis ab Oxonia (vt loquar cũ Cardano & Scaligero disputare, Scotum, Occhamum, Burlæum, Baconẽ admirabilis ingenii (vt ita dicam) oracula, vnius honorifici collegii magna lumina, lege (inquam) hos omnes in cõmentariis suis secundi libri Physicorum, & omnium in hoc vno consensum inuenies, naturam scilicet non esse materiã, non esse formam, sed principium per se motus & quietis distinctum ab vtroq; Hac causa, hoc principio, tãquam medio & instrumẽto vtitur Deus prima causa omnium, nõ quod non possit sine mediis & instrumentis quicquam agere, (est.n. vt docet Philosophus actu infinitum liberrimumque Agens,) sed vt discant mortales, causas naturales non esse primas, si Deum sectentur, (primæ enim causæ & principia dicuntur, quia primum illis Deus in rebus naturalibus efficiendis vtitur) at quoniã Deus est & author, & motor naturæ, eiusdem globos nonnunquam pro arbitrio contra communem cursum & stadium causarum vertit: vt cum generentur mõstra appareant cometæ, sereno cœlo audiantur tonitrua, tota (vt nuper) tremat & moueatur terra. Quot hodie in cœlo? quot in terra? quot in aere cernuntur portenta & prodigia? & tamen nos (miseri homunciones (causam causarum nõ agnoscimus, non timemus, non veneramur. Ignis de cælo sæpissime deuolãs cõsumit ciuitates: est cõtra naturã: terra vniuersa in eodẽ momento tremuit: res mira, res formidolosa, res cõtra naturã: arma & armati apparẽt in cœlo, terribiles gemit⁹ & voces audiũtur: quis negat hæc cõtra naturã? loquũtur nõnunquã recẽs nati & infãtuli, ominãtur mala, hoc non docet philosophia, est cõtra naturã: homines, homines philosophi, imo (quod magis est) homines Christiani Christum

Tex. 1.
Albertus.
Venetus.
Schola Colon.
Auicenna.
Auerroes.
Bricottus.
D. Tho.
Physic. lib. 7. & lib de Mundo.
Moral. ad Eudem. li. 7 ca 15.
Deus potest sine mediis operari.
Vide Garsaeum de Meteorolog. & Lycost de Prodigiis.
Registrũ temporum. fol 151.
Iosephus de bello Iudaico.
Quemadmodũ de infantulo quodã Permerina (Hollãdia oppiduli) nato in chartulis vulgatum est: & a mercatoribus fide dignu nuper proditum.

& Deum negant: est contra rationem, est contra philosophiam, est contra naturam. Hæc si videris, disce naturam, & naturæ authorem admirari.

Distinctio prima quæstionis. An contra negantes principia sit disputandum?

Principia duplicia.

Vt illustrior hæc quæstio fiat, consideräda sūt.

- 1 Distinct. principiorum, quorum alia dicuntur
  - 1 Incomplexa, quæ sunt rerum, vt *materia forma, priuatio* in philosophia.
  - 2 Cōplexa, quę sunt vel
    - 1 Vniuersalia axiomata, & aphorismi omniū scientiarum, à quibus demonstrationes suas certas, veras, & indubitatas petunt.
    - 2 Minus communia, vt enunciata illa necessaria in omni arte, quæ rem hanc vel illam in arte, nō totam artem, demonstrent.
- 2 Distinct. negātium principia, quorū alii negant
  - 1 Simpliciter, idque vel ex
    - 1 Simplici ignorātia omnium, qui sunt accuratius instruendi.
    - 2 Petulantia & proteruitate, qui sunt argumentis ex cōmunibus scientiis petitis (si fieri possit) palam conuincendi.
    - 3 Malitia & contumacia, qui sunt à scholis & spaciis philosophorum exsibilandi.
  - 2 Comparate, idque vel ex
    - 1 Contraria opinione, & horū sententia demonstrationibus est refellenda.
    - 2 Dubitatione non inutili, & illorum scrupuli sunt remouendi.
- 3 Distinctio scien-
  - 1 Proprie, in quibus negata principia cōtinentur, & ex iisdem non licet probare principia: quoniam qui alicuius scientiæ principia negant, media etiam eiusdem scientiæ, quibus probentur, negabunt.

1 Dia-

tiarũ probantium principia, quæ sunt vel
- 2 Communes, & hæ duæ sunt
  - 1 Dialectica, communis ministra omnium, quæ de omni quæstione probabiliter ex locis disserit.
  - 2 Metaphysica cõmunis domina omniũ, quę absolutas demonstrationes omnium scientiarum comprehendit, & ex hisce duabus scientiis licebit contra omnes negantes principia disputare, præterquam contra eos, qui malitiose, impudenter, & cõtumaciter negent.

Ratio cur cõntra malitiose & contumaciter negãtes principia non sit disputandum, est
- 1 Quia sunt istiusmodi gnauiter impudẽtes, de quibus est desperandum.
- 2 Quia inde ex male sanis dementiores fiunt.
- 3 Quia offensio inde nascitur, & periculũ ceuię, ne audientes & non intelligentes, fraude potius quam ratione capiantur.
- 4 Quia antiquitas, successio, consensus (in quibus à magnis & spectatæ sapientię philosophis posita rataque sunt hæc artium principia) magnum inde detrimentum sentiunt.

Argumenta in primam quæstionem capitis, An contra negantes principia sit disputandum?

Opp. *Duplex est via probandi in omni scientia, alia à priori per causas, vt demonstrentur effecta, alia à posteriore per effecta, vt negata probentur principia: inanis ergo est ista dubitatio, cũ in qualibet scientia via assignetur probandi principia. Antecedens est Aristot. primo libro Analyticorum, & approbatur ab omnibus, præterquam à Ramo, qui sine ratione vnam solam methodum (nimirum illam priorem per causas) pertinaciter defendit.*

Resp. *Contra negantes principia ex simplici ignorãtia, vel ex contraria opinione, vel dubitatione, licet per proprietates & effecta eiusdem scientiæ disputare, & disputando demonstrare principia; quia istiusmodi sic negantes, dociles sunt, & ex petulantia aut malitia non negant. At contra negantes*

simpliciter, vel non est omnino disputãdum, si sint contumaces aut malitiosi: vel disputandum est, si sint solummodo petulantes & proterui sine malitia: veruntamen obseruãdum est, demonstrationes non esse petendas ex mediis eiusdem scientiæ: quia negantes principia, facile negabunt media.

Opp.

Contra malitiosum & contumacem hostem in iusta causa pugnandum est: ergo contra malitiosum & contumacem aduersarium in omni scientia est decertandum. Comparatio in hoc argumento sequitur. Nam vt magnum damnum & dispendium iustitia patitur, si cuilibet malitioso & cõtumaci iura negare (idque impune) liceat: ita magna iniuria illata est scientiæ, & eiusdem authori, si negantes principia, sine vulnere in theatro philosophorum viuant.

Resp.

Pulchre docet hæc comparatio, sed omni ex parte non probat: quippe in altera parte similitudinis ratio iubet pugnare, quia spes magna est vindicandi iustitiam: at in altera parte ratio disputare contra contumaces prohibet: quia nulla spes est obtinendi victoriam. Vt ergo medici tã diu accommodãt medicinam, quam infirmus viuat, mortuo vero nõ propinãt: ita sapiens philosophus tam diu docere debet, quam aduersariũ docilem auditorem videat: at desperatæ spei homines (quales sunt malitiosi & contumaces) omnino non docet, nec meo iudicio, docere debet: quippe instar adamantis sunt, qui nullam imaginem aut impressionem scientiæ facile admittant.

Opp. *Facillime vulgus iactantium classicum audiet, viamque peruersam sequetur: ne ergo vanitate aut malitia istorum negantium principia seducatur, operæpretiũ erit contra eos disputare. Taceo hic labem, quæ recusanti pugnam, quæque scientiæ (in opinione versatilis vulgi & multitudinis) inuritur.*

Cic. off. 1. Resp. Ex duobus malis minus eligendum est: *at minus malum & damnum est nõ omnino cum istis hæreticis disputare, quam, disputatione habita cum insanis & furiosis, causam & famam prodere: neque labes tanta silentium, quanta prælium & certamen sequitur. Nam Philosophia silere iubet, nisi cum docili, modesto, aut sapientia agas.*

Opp.

Opp. *Sunt quædam principia non simpliciter vera aut necessaria: ergo non est tam odiosum semper principia negare. Antecedens constat in minus vniuersalibus illis principiis artium, qualia sunt axiomata topica Aristot. & aphorismi Hippocratis, quorũ illa multiplicem instantiam, hi vero multiplicem interpretationem ad corroborandam veritatem habent.*

Resp. *Religiosus sum in tenendis principiis omnibus cuiusq; artis, & periculosum existimo, vel in minimis approbatis, negandi potestatem dare. Agnosco axiomata apud Arist. & aphorismos apud Hippocratem semper non tenere. Quid tũ? an ratio statim iubet, vt negentur? minime certe, sed potius iubet, vt quo sensu doctissimi viri eadem scripserunt perpendamus: an (scilicet) absolute, an respectiue.* Modesta potius dubitatio de re incerta, quam inconsiderata negatio prodest.

Opp. *Frustra traduntur communes scientiæ, nimirũ Dialectica & Metaphysica, vt aliis scientiis subseruiant aut dominentur, si in maxima eclipsi (qualis est negatio principiorum) ab iisdem lumen & subsidium non petant: ergo videtur esse absurdũ, vt hoc commune philosophis tollatur subsidium probandi (scilicet) sua principia ex illis, cum ex suis propriis scientiis non possint.*

Resp. *Non negamus, quin ex fontib. dialecticis & metaphysicis hauriãtur sæpissime aquæ, quibus suffocentur aliarũ scientiarum aduersarii. Cæterum tum solum petendum subsidium ab his putamus, cum spes sit (vt ita loquar) salutis, hoc est, veritatis; at cum capitales & contumaces sint hostes, Dialecticam vt garrulam, Metaphysicam vt vanam scientiæ vmbram negabunt.* *Dialecticis & Metaphysicis scientiis quãdo vtendum ad debellandos alterius scientiæ oppugnatores.*

Opp. *Periculosa est hæc tua opinio, si vires in omnibus sciẽtiis obtineat. Nam hoc posito, non esse disputandum contra contumaciter & malitiose negantes principia: sequetur non esse disputandum cum hæreticis, Atheis, Epicureis, quo (meo iudicio) nihil absurdius esse potest: nam gladio verbi si non confodiantur isti, facile Dei nomen, religio, fides, quæ sunt sacræ philosophiæ principia cadent.*

Resp. *Par non est comparatio inter ista. Nam aliud est veritas humana, aliud veritas diuina philosophia: in illa obliquitas, solum error esse dicitur, in hac hæresis: in illa si* *Obliquitas in scientiis hu-*

erretur, lapsus hominis est, in hac autem discrimen salutis. Præterea, potentius est verbum Dei, quam vox philosophi in prosternendis hostibus veritatis: nam humiliter disputantibus datur in illa hora, vt in aduersarios veritatis fulmina loquantur, eosque simplici sermone vincant, quos philosophia aut eloquentia ne flectere quidem possunt. Magna enim est veritas & præualebit. *Cæterum, si meum in hac re iudicium requiras, dico aut non omnino disputandum esse cum hæreticis, Atheis, & peruersis: aut (si propter allatas iam rationes disputare placeat) magnopere cauendum esse, vt non in omni loco, sed solum in cœtu Academico, non coram populo iudice, sed coram sapientibus moderatoribus (qui affectibus vacāt) disputetur. Hanc pugnam incipiant humilitas & deuotio, suadeat zelus & pugnet acriter, configat hostem gladius veritatis, vincat Ecclesia, triumphet Christus.*

manis, error tantum: in sacris, hæresis dicenda.
Mat.c.10.v.19.
Esd.li 1. c.4.v. 40. 41.
Cum hæreticis, Atheis, & peruersis. quo modo & quo loco disputandum.

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum natura sit principium realiter distinctum à materia forma, & priuatione.

In explicatione huius quæstionis tria necessario consideranda sunt.

- 1 Occasio mouendi eam, quę fuit varia & multiplex opinio veterum philosophorum. quorum alii vnum solum principium, vt Parmenides & Melissus, alii duo, alii plura posuerunt.
- 2 Ratio refutandi, quā vt in hoc loco: ita in aliis plerunque omitto.
  - Propter iniuriam, quam sępe Philosophus illis offert, quos refellit: primum in mutandis eorum sententiis, deinde in refutandis ad placitum. Nam vt cum Platone de prima idea, ita cum Parmenide de prima causa, vnoque immobili principio egit: vterque proculdubio per ideam & causam intellexerunt Deum: at ille eorū sententiam ad ens nouum, nescio quod, pertrahit & refellit.
  - 2 Propter iacturam temporis, quod minus vtiliter consumeretur, quia hęc sunt minus necessaria, nisi essent & certa.

3 Vat a

3 Propter excellentiam interpretum. qui hæc cum Aristot. tractârunt.
4 Propter prouinciam à me susceptã, vt (scilicet) multis resectis, sola mysteria tractem.

3 Varia significatio naturæ, quæ accipitur aliquãdo pro
1 Primâ causâ, quæ ab Aristot. efficiens causa omnium, motor omnium, prima essentia, ens entium, natura naturans dicitur.
2 Essentiâ seu substantiâ cuiusque rei, sic definitio sæpe natura appellatur.
3 Innato accidente, sic calor à Galeno natura; aut pro acquisito in naturæ habitum reducto, sic consuetudo altera natura nominatur.
4 Interno principio motus & quietis, & sic hoc loco tractatur.

4 Confirmatio q̃stionis, q̃ est a
1 Definitione, quia principium per se internum definitur.
2 Diuisione naturæ in vniuersalem & particularem; nam vniuersalis natura est diuisum, particularis natura, nempe materia & forma, sunt membra diuidẽtia: at vniuersale & particulare differũt: ergo natura à materia & forma differt.
3 Proprieta e multiplici naturæ, quæ materiæ & formę non conuenit: at conuenirent si non differrent.
4 Comparatione inter genus dialecticum & genũs physicum, quæ à formis subiectis vt entia distincta differũt.
5 Similitudine imaginis, quæ differt à cera & sigillo, ex quibus constat: sic natura à materiâ & formâ, ex quibus quodammodo coalescit.
6 Toto, quod à partib. realiter distinguitur; & sic natura à materiâ & formâ.
7 Fine naturæ, qui etiam differt a finibus materiæ & formæ.
8 Testimonijs multorũ, & ex opinione D Thomæ, & ex opinione Scoti. qui idem in hac re senserunt, naturam (scilicet) esse ens distinctum.

Argumenta in secundam quæstionem. Vtrum natura sit principium realiter distinctum à materia & forma?

Lib. 1. Topic.

Opp. *Nulla pars definiens realiter differt à definito, sed natura est pars definiens materiam & formam: ergo natura non differt à materia & forma. Maior propositio est Aristotelis, quia partes definientes sunt interna, respectu definiti, quod definiunt. Assumptio probatur, quia natura est genus proximum in definitione materiæ & formæ, remotum autem genus principium dicitur.*

Differentia realis, duplex.

Resp. *Aliquid realiter differt ab alio bifariam; aut simpliciter & ex toto (vt aiunt,) aut inchoate & ex parte. Simpliciter & ex toto differre dicuntur opposita, vt* bonum & malum *in Aduersis*; duplum & simplum *in Relatis*; vita & mors *in Priuantibus*; *in Contradicentibus* ens & non ens; homo & bellua *in Disparatis: hoc autem modo partes definientes à definito realiter non differunt omnino; inchoate vero, & ex parte differunt: sic* animal (*exempli causa*) *est ens distinctum ab* homine, *non quod simpliciter & absolute ab* homine *differat, sed quod realiter & essentialiter, vt principium pluribus quam* homini *sit communicabile. Pari etiam modo* natura à materia & forma *differt, quia est principium realiter communius vtroque, Nemo enim dicet naturam nihil aliud esse quam materiam, nemo dicet nihil aliud esse quam formam, nemo denique dicet nihil aliud esse quam vtrumque, cum in multis accidentibus viuat natura, vt* in calore ignis, splendore solis. *Quid moror? multi breuiter huic rationi respondent, partes definientes contracte sumptas, non differre a definito; separatim vero sumptas, realiter inter se distingui.*

Opp. *Natura prædicatur in quid de materia & forma: ergo ab illis realiter non differt. Ratio tenet, quia (vt docet Philosophus) quicquid in abstracto de re aliqua in quid dicitur, ab eadem realiter omnino non distinguitur.*

Resp. *Idem est hoc argumentum cum superiore, verbis solum mutatis; idem igitur adhibetur responsum, nimirum non differre simpliciter & absolute, sed inchoate & ex parte; cum per se in genere entis distincti consideretur.*

Opp. a

Opp. *Natura pars est in definitionibus materia & forma: ergo male hic defendis, naturam idcirco differre ab illis, quia est respectu vtriusq; totum. Antecedens probatur, quia natura est genus in definitione proxima vtriusque, (vt antea docuisti) at genus pars est: ergo natura quoque pars est.*

Porphyr. cap. de differentia Arist. Top. l. 6. cap. 3.

Resp. *Natura consideratur vel confuse, & sic est quiddam totum vniuersale, respectu materia & forma, vel contracte in definitione, & sic est pars in definitionibus vtriusque.*

Natura qui totum, qui pars.

Opp. *Totum à partibus realiter non distinguitur: ergo natura vt totum à materia & forma non differt. Antecedens probatur ab auctoritate Aristotelis, vbi docet, totum nihil aliud esse quam suas partes; & sane hoc ipsum ratio probat; quia nec totum sine partibus, nec partes sine toto subsistunt. Hinc illud D. Augustini,* Homo nihil aliud est quam corpus & anima. *Hinc illud Athanasii.* sicut anima & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus Christus.

Vid. Aristot. Phys. lib. 1. text. 7 lib. 4. Phys.

Lib 7. de Trin. cap. 4. Athanasius in symbolo.

Resp. *Totum & partes realiter sunt entia diuersa: ergo differunt. Antecedens probatur, quia totum est ens vnum numero, partes vero siue collectim siue diuisim sumptae sunt entia plura. Praeterea, si partes ens idem omnino sint cum toto, totum inerit sibi, nam partes insunt toti. Adhuc, partes ordine generationis totum antecedunt: totum autem non antecedit partes. Postremo (vt in pauca rem conferam) partes destinantur ad totum, vt ab eodem perficiantur: at si partes & totum ens vnum idemque sint, sequetur totum ad seipsum destinari & à seipso etiam perfici. Hac omnia adduxi, vt intelligas quomodo totum & partes differant, Ad argumentum nunc ergo respondeo, Aristotelem in loco citato intelligere, totum & partes idem esse, non quoad essentiam, sed quoad continentiam (vt aiunt) quia totũ non continet aliud quicquã nisi suas partes, licet sit aliud à suis partibus. Quod vrges non esse totum sine partibus, nec partes sine toto: Respondeo, esse inter totum & partes necessariam dependentiam, hinc tamen non licet concludere, totum aliam essentiam non habere à suis partibus, in quibus istum respectum habeat; cum manifeste constet, terminum ad quem in generatione cuiuslibet rei esse totum, non partes, vt habetur 7. Metaphysicorum. Eodem prorsus modo licet interpretari loca sanctissimorum Doctorum qua vrges, quoad dependen-*

Disputatur hic quaestio, obiter. An totum à partibus differat.

Totum & partes quomodo idem.

Inter totum & partes necessaria dependẽtia.

tiam, non quoad essentiam simplicem & absolutam. Quid plura addam? cum ante satis constet, naturam esse totum quiddam respectu materiæ & formæ (totum vniuersale intelligo) non erit obscurum ex accumulatis rationibus docere, esse ens distinctum ab vtroque.

Natura quale totum.

Opp. *Materia & forma, vt membra diuisionis vera, conuertuntur cum natura, ergo realiter non differunt hæc inter se: Argumentum tenet, docente Philosopho, ea quæ intrinsecus conuertuntur natura non differre, sicut partes definitionis cum definito, membra essentialis diuisionis cum diuiso, qualis hæc est natura in materiam & formam.*

Res. *Quamuis membra essentialis diuisionis cum diuiso cōuertantur, non tamen sequitur vel esse inter se essentia eadem (cum requiratur vt sint opposita,) vel eadem simpliciter cum diuiso, quod entitatem (vt ita loquar) tertiam & distinctam habet. Respondeo igitur, necessariam dependentiam, non confusam essentiam esse causam conuersionis. Vt ergo Aristoteles ipse, diuisa substantia in materiam, formā, & compositum, asserit hæc tria, nempe materiam, formam, & compositum esse tres distinctas substantias; ita hoc loco naturam, materiam, & formam entia realiter distincta defendo.*

Diuisum entitatem tertiam habet a membris distinctam. Lib. 2. de anima. t. x. 2 lib. 7. Metap. c. 3.

Opp. *Si noua hæc tua admittatur philosophia, plura erunt principia rerum naturalium quam tria. Sed hoc est absurdum: ergo non est admittenda. Propositio probatur, quia additur à te natura tamquam principium nouum & distinctum à materia, forma & priuatione, quæ tria solum enumerantur à Philosopho.*

Resp. *Principia sunt duplicia, remota & proxima: remota rerum naturalium multa alia insinuantur ab Aristotele principia, præter ea quæ hic enumerat; vt prima causa omnium, ens reale, substantia prima, & hoc loco natura: proxima vero solum sunt tria, materia, forma, priuatio, quæ ideo prima dicuntur, quia res tum primum dicuntur fieri, cum ab illis immediate fiant; nam in remotis principiis est confusio, in proximis perfectio & distinctio.*

Principia duplicia.

Cur tria principia dicantur prima.

Opp. *Videtur mihi claudicare hæc tua disceptatio de distinctione principiorum, cum nullam omnino mentionem*

priuationis in ea feceris, quæ etiam non minus principium est quàm materia & forma.

Resp. *Non opus fuit omnino distinctionem illam adhibere, cum minus sit obuia, quia priuatio quædam negatio est, hæc vero principia, de quibus agitur, sunt positiua.* *Metaph. lib. 5. tex. 27.*

Opp. *Cerea imago cera est: ergo inanis est illa tua similitudo, qua probas, naturam esse tamquam impressam effigiem in cera, distinctam à cera, vt imaginaris naturam esse à materia aut composito, in quo veluti infixa manet.*

Resp. *Aliud est ceream imaginem, aliud imaginem considerare. Agnosco ceream imaginem esse ceram. at imago proprie cera non dicitur, sed figura rei quam repræsentat. Et vt hæc figura est res alia à cera: ita natura est res alia à materia & forma, cum quibus ad rem aliam generãdam confluit.*

CAP. III. ET IV.

An ex nihilo, nihil fiat secundum philosophiam?
An natura in omnibus rebus, magnitudinis & paruitatis præfiniat terminum seu periodum?
An materia prima sit diuisibilis seclusa quantitate?
An toto quiescente moueantur partes?
An ex vno absurdo concesso necessario sequantur multa?

ACrius in hoc tertio capite Parmenidem & Melissum persequitur Philosophus, eorumque castra, ex quibus vnum principium probant, verborum fulminibus concutit & deuastat. In quarto similiter alios inuadit & vulnerat, sed multo lenius. Vix equidem me contineo, ab horum & illorum argumentis hoc loco exponendis. & certe non continerem, nisi promissi memor magis necessaria agerem; recitabo igitur, non refutabo. Argumentum Melissi & Parmenidis hoc est: Omne factum habet principium: sed ens primum (primam caussam haud dubie intelligunt) non est factum, ergo ens primum non habet principium. Prosequuntur hanc rationem ad hunc modum. Ens primum omnia continet, & non habet principiũ: ergo est actu infinitum: est actu infinitũ ergo vnum: est vnum infinitum primum, ergo immobile, nulloque tempore, loco, aut accidente mensura- *Argumentum Melissi & Parmenidis.*

tum. Aſſumptionem ſyllogiſmi confirmant ex hypotheſi; quia ſi ens primum fieret, aut ex ente, aut ex non ente fieret: non autem ex ente, quia primo nihil prius; non ex non ente, quia (omnium philoſophorum conſenſu) ex nihilo nihil fit: non eſt ergo hoc primum principium factum. De variis opinionibus & argumentis eorum philoſophorum, qui plura poſuerunt principia nihil dico, ne immerſus ex Oceano facile non emergam. Solum hoc dico, Ariſtotelem demonſtrantem audiendum vt ducem, ſequendum vt principem philoſophorum, alios vero refutantem non tam impenſe & ſerio legendum, niſi eorum opera & monumenta viuant, aut ex aliorum voluminibus colligantur ea quæ refellit. Annus me deficeret, ſi turmam philoſophorum in theatrum adducerem, quos in 4 cap. (De multitudine principiorum) configit Ariſt. Platonem, Anaximandrum, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, alioſque ab illo nominatos intelligo, qui ex chao & confuſione (vt hic agit Philoſophus) varia & multiplicia traxerunt principia. Da veniam, vt diuinum Platonem ex hoc catalogo & numero vindicem, qui contra illud, quod hic docet Philoſophus, creationem rerum aliquo modo ſapientiſſime defendit.

Ariſtoteles demonſtrans audiendus, refutans non tam ſerio legendus.

Plato in Timæo tres cauſas mũdi poſuit, efficientem, quæ eſt Deus exẽplarem quæ eſt idea, finalem. quæ eſt bonitas Dei.

Sed quoniam in tribus iſtis primis capitibus à præfatione, tam ſæpe hoc vrget, philoſophorum omnium (vt ait) calculis approbatum, nimirum *ex nihilo nihil fieri*, eundem textum imprimis elegi, vt (ſigillo quaſi aperto) quæ ſunt in ſinu philoſophiæ de hac re ſepulta, melius perſpiciantur. Et hic à te veniam peto, (doctiſſime Pereri) ſi quod libenter nollent, parum à te reſiliam, eoſque non minus prudentes eſſe exiſtimem, qui doceant creationem fuiſſe Ariſtoteli ipſi (quantumuis inuito) cognitam, quam qui tecum, non ſine probabilitate, aſſerant huic contrarium. Et certe ſi hoc probetur, facile conſtabit, aliquid ex nihilo fieri poſſe ſecundum philoſophiam: ſecundum philoſophiam dico, non ſecundum naturam. Nam etſi philoſophia ſit interpres & ſcientia naturæ, aliquid tamen ſapit vltra aleas & ſortes naturæ, vt monſtra poſſe fieri, terram poſſe moueri, animam hominis immortalem eſſe. Quid? animam hominis eſſe æternam credit philoſophia? credit. ais? hic ergo primum veſtigium figo, & hinc ſic arguo. Anima rationalis, ſecundum

Pererius lib. 5. cap. 7. & 8.

Aliquid ex nihilo fit ſecũdũ philoſophiam non ſecundum naturam.

Philoſophia aliquid ſapit vltra naturam.

Ar...to

Aristotelem, est immortalis & forma hominis, vt in libro de Anima liquido & aperte constat: sed nulla forma potest esse ante id, cuius est forma, vt idem Aristoteles scribit in 12 Metaph. c. 16. ergo anima rationalis incipit esse de nouo, nō per generationem, quoniam sic non esset immortalis; ergo per creationem: quare creatio est admittenda secūdum philosophiam. Si vero hic respondeas, quod Alexander philosophus ille existimet animam secundū Arist. esse mortalem, & propterea maiorem prioris syllogismi neges, dico hanc opinionem Alexandri, tuo & optimorum philosophorum chirographo, esse condemnandam: præsertim cum mille fere loca apud Aristotelem illum vanitatis conuincant. Si autem vrgeas, quod Theophrastus ex Aristotele probet animam immortalem esse, sed assistentem, & quod Diuus Thomas (quem magis sequor) ex eodem probet, immortalem esse & informantem, parum tuæ causæ prodest. Nam hæc interpretum altercatio de modo, vim argumenti de re non minuit: quippe re ipsa anima substantia est corporis expers, ergo nec ex materia, nec ex potentia materiæ secundū Arist. educitur: creatur ergo; nam alia via non constat; qua efficiatur. Ratio cognata huic à locis permultis Aristotelis petitur, in quibus de intelligentiis & spiritualibus substantiis, obiter aut ex instituto egit Philosophus vt in 8. Physicorum 2. de cœlo tertio de Anima. 11. & 12. Metaphys. concedit in hisce omnibus & singulis locis spiritus esse, quos fieri disertis verbis fatetur. At si fiant, modum essendi quæro. Si generationem nomines, repugnas Aristoteli, qui incorporeas substantias posse generari negat, quid restat nisi vt dicas mecum, ab Aristotele (coacte) creationem subinsinuari? Locus ille celebris est in 7. & 8. Physicorum, quod Deus sit actu infinitum, per se sufficiens, liberrimumque Agens: ergo, secundum Aristotelem, opus non habuit præexistenti aliqua materia ad res procreandas. Nam si opus præexistenti materia habuisset, actu infinitus, immensus, & per se sufficiens non fuisset; sed materiæ, aut medio alicui astrictus & alligatus fecisset omnia: at essentiam Dei (in qua nullum est accidens, nulla mutatio) mediis alligare, est secundum Aristotelem ipsum in permultis locis perabsurdum: sequitur ergo notam esse creationem secundum Philosophiam. Præterea talis est actio cuiusque rei secundum Ari-

De generatione An. lib. 4. c. 3. Phys. lib. 3. text 52. lib. 1. de An. tex. 53. metteor. l 4. c. 3.

Anima rationalis secundum Aristotelem immortalis

Lib. 7. Phys. Lib. de Mundo.

ſtotelem, qualis eſt eſſentia, (nam modus agendi modum eſſendi ſequitur) ſed eſſentia Dei vt ipſe in Metaphyſicis docet, ab ente nullo pendet: ergo in agendo nulla materia pręexiſtenti eget: Quare per ſe, ex nihilo, propter nobilitatem, excellentiam, & diuinitatem eſſentiæ, Deum poſſe res creare, coactus eſt diſcipulus cum præceptore, id eſt, Ariſtoteles cum Platone confiteri. Et certe vt Plato in Timęo hoc ipſum agnoſcit: ita Ariſtoteles in libro de Mundo aperte confitetur, Deumque authorem & effectorem omnium nominat. Huc accedit illud, quod tria ſolum agentia generatim ponantur ab Ariſtotele, Ars, Natura, Deus. Ars (inquit) non agit ſine corpore ſubiecto. Natura non agit ſine materia ſubiecta, Deus vero neutro egens, infinitum, immenſum, per ſe ſufficiens, liberrimumque Agens ab illo dicitur; & quorſum (quæſo) hoc dixiſſet, ſi illum ordini naturali in generatione rerum alligaſſet? Addo quod Deus per ſe ſolum æternus, per ſe ſolum ens vi ſua proprie ſubſiſtens ab Ariſt. dicatur, res vero aliæ non tam proprie & eodem modo. Trifariam enim res per ſe eſſe & ſubſiſtere dicuntur: vel per ſe reſpectu accidentium, ſic corporeæ ſubſtantiæ; vel per ſe reſpectu corporum, ſic incorporeæ ſubſtantiæ: vel per ſe abſolute & ſimpliciter, & ſic ſolus Deus per ſe eſt & ſubſiſtit. Hinc eſt quod doceat Ariſtoteles, eſſentias omnium dependere à prima cauſa, id eſt, à Deo. Hoc ergo modo cōſiderata eſſentia & ſubſiſtentia rerum, neceſſe eſt vt agnoſcat Ariſt. materia prima non eguiſſe Deum; imo potius neceſſe eſt, vt lumine naturæ & rationis intelligat, materiam primam, vt ſit & ſubſiſtat, eguiſſe Deo. Concludo igitur, quod aliter eſſe non potuerit, quin Ariſtot intellexerit, materiā primam cœlos, & intelligentias habere ſuum eſſe à Deo; non autem per motum ex aliquo ſubiecto, aut idea exemplari, quam in Platonis poſitione repellit, ergo per creationem ex nihilo: quamobrem creatio nota eſt ſecundum Philoſophum. Nihil hic dico de productione formæ, quæ in materia prima nec partem, nec motum, nec actum ante perfectam generationem habuit, imo certe nihil prorſus fuit, quia neq; ſe totam, neque ſecundum aliquam ſui partem alicubi præextiterit: quid ergo obſtat, quo minus dicatur à Deo ex nihilo creari? neque enim id obſtat, quod præfuerit in virtute agētis

Lib. 2. Phyſ.
lib. 8. Phyſ.

Res per ſe biſariam eſſe dicuntur.

De hac re vide plura apud Philip. Morn.

tis,aut recipiatur in materia, siquidem hoc etiam reperitur in productione animæ rationalis, quam productionẽ quodammodo creationem disertis verbis esse concludit, cum nesciens, aut nescire dissimulans modum productionis, aperte dicat eandem diuinitus ad corpus humanum accedere. Breue est hoc argumentum quod sequitur, sed efficax, quod formæ,cuiusq; naturalis corruptio sit,& (vt ita loquar) annihilatio: ergo eiusdem constitutio recte creatio dicitur. si antecedens neges, dic quid sit, aut vbi sit forma aeris cum in ignem commutetur. Si dicas esse in igne, tum duæ formæ sunt in eodem subiecto, si dicas in potentia materiæ, tum redire potest eadem forma, quod est plane contra Philosophum. Si authoritatem Auicennæ hic adducerem, non dubitarem omnino cum illo dicere, Aristotelem non negasse creationem ab æterno, sed creationem duntaxat quæ sit de nouo illi displicuisse, & huius sententiæ aliqua ex parte subscribere videtur Pererius dicens vtcunque illud manifestum sit argumentum Auicennæ, hoc nihil sententiæ nostræ officere, quippe qui, eam tantum creationem (quæ de nouo fiat) Aristoteli cognitam esse negemus. Hactenus Pererius lib. 5. cap. 8. at (tanti viri pace) quæro, quid obstet, quo minus concedat creationem de nouo cognitam esse Philosopho; cum id quod magis difficile sit cognitu, vniuersalem ab æterno creationem cognitam fuisse subinsinuet, aut saltem non neget. Infinitus & nimis molestus essem, si omnia argumenta hoc loco, quæ possem, ad huius rei probationem accumularem; hæc ergo sunt satis, vt omnes intelligant, philosophiam agnoscere Deum, quem Athei negant, & eundem Deum posse ex nihilo aliquid creare, de quo multa istius miseræ ætatis flagitiose & scelerate dubitant. Si errauerim in istis argumentis concinandis (quod libenter nollem, nam certe ex animo præmeditatus hæc omnia scripsi) fœlix tamen vti spero error futurus est, si vsum probationis spectes, qui est, vt Athei ratione id ex philosophia probatum videant, quod fide adduci non possunt vt firmiter & indubitanter credant. Hoc addo etiam, quod hinc intelligant viri prudentes & docti, lumen naturæ non esse ita infestum lumini cœlesti, quin in maximis mysteriis huic illud optime inseruiat: creauit enim Deus vtrumque lumen.

Lib. 6. Metaph.

Vsus huius quæstionis.

Natura lumen lumini diuino non contrariatur.

Altera quæstio quæ mouetur, est, An natura in omnibus, *Quæstio 2.*

magnitudinis & paruitatis præfiniat terminum seu periodum? A multis sic proponitur quæstio; An res omnes naturales ad maximum & minimum definitæ sint, necne? Quãuis permulti in hoc nodo resoluendo plurimum defatigent ingenia sua, tyronesque in labyrinthos trahant ex quibus facile non possint se expedire; quoniam tamen in eo plus subtilitatis quam necessarii vsus inuenio, rem paucis attingam, solaque veritate contentus ad vtiliora veniam. Vt status huius quæstionis perspiciatur, quærendum est quid sibi Arist. voluerit per *res naturales*, quid per *maximum* & *minimum* (ad quæ duo affirmat res illas terminari) quid denique per hoc verbum *terminari aut definiri*. Per *res naturales* (vt verbo perstringam singula) intelligit non solum stricte substantias illas in quibus sit principium motus & quietis, sed etiam quantitates & qualitates, quæ materiam & formam sequantur; nam de illis etiam dubitatur, An ad maximum & minimum determinentur. Per *maximum* & *minimum* naturales gradus magnitudinis & paruitatis, per se in quantitate, per accidens in qualitate innuit Philosophus; quos gradus, vt philosophia docet, natura semper in omni specie tamquam limites præfinit, & obseruat, ne in infinitum aut immensum res factæ diffluant. Per hoc verbum *terminari* insinuat nihil aliud, quam certa periodo (vt ita loquar) tum magnitudinis, tum paruitatis rem quamlibet sub distincta sua specie concludi & definiri; extra quam si forte discurrat, monstrum non res naturalis fiet. Ero breuis. Cum dicam per *res naturales* intelligi præter substantias accidentia, accidentia quædam dico; proprie tamen res naturales solum intelligi, easdemque aut animatas, quales sunt *planta, leo homo*; vel animæ expertes, quarum aliæ homogeneæ seu similares, aliæ heterogeneæ seu dissimilares à Philosopho dicuntur. Addam vnam distinctionem maximi & minimi, & sic (adhibita breui expositione) concludam quæstionem. Maximum ergo & minimum sumuntur quadrifariam; secundum multitudinem in numero, secundum extensionem in magnitudine, secundum intentionem in qualitate vt in *calore*, secundum actionem & perfectionem internam, vt in *forma naturali*, quæ qualitas essentialis & interna dicitur. Istis iam positis, hic status quæstionis est, quod

Res naturales quæ sint.

Maximum & minimũ quid sint.

Terminari quid sit.

Maximum & minimũ quadrifariam dicuntur.

Status quæstionis.

quod in omni re naturali animata & inanimata, eademque similari aut dissimilari, sit certa magnitudinis & paruitatis (secundum Philosophum) periodus seu mensura, ad quam operante forma interna, destinetur: hanc si excedat monstrum est. Quid multis? duæ sunt periodi, magnitudinis, maxima & minima; duæ etiam paruitatis, iisdem nominibus appellatæ. Maxima est periodus magnitudinis, sub qua res esse potest, & sub maiore naturaliter esse non potest. Minima est, quæ ex aduerso huic respondet. Maxima periodus paruitatis, est illa quidem exilis rei naturalis mensura, sub qua res subsistere non valet, valet autem sub quauis maiore. Minima deniq; period⁹ paruitatis ea definitur sub qua res esse potest, at si exilior aut minutior fiat, statim eodem motu labefactata concidit. Horum terminorum sunt alii interni, sub quib. res sunt, alii externi sub quibus res naturaliter esse & conseruari non possunt: huc demum tendunt hæc omnia, vt certus & definitus gradus detur magnitudinis & paruitatis in quauis specie, à quo, si defecerit natura, prorsus contabescit. Agam exemplis. Si vniuersum theatrum mundi ante oculos ponas, in illo magnitudinis moles augeri, aut corpus cœlo capacius reperiri non poterit; si hominem, plantam, leonē (id est sub triplici anima, videlicet rationali, vegetabili, sensibili res omnes animatas) consideres, certum magnitudinis gradum videbis, quo non poterit esse maior, certam paruitatis staturam qua non poterit esse minor; & sub maiore gradu res non est, ita sub minore (minimo sic à natura definito) res si sit, monstrum & portentum erit, imo esse quidem non poterit. Sic (exempli causa,) si *homo* aut *gigas* vltra maximum, aut *Pygmæus* vltra minimum à natura præscriptum & definitum fiat, inter prodigia habetur naturæ, quæ istos gradus magnitudinis aut paruitatis non exigit. De rebus inanimatis tam homogeneis quam heterogeneis similiter dico in iis etiam reperiri iustitiam naturæ, quæ cuique suum gradum proportionis tribuat: sic igne elementari non potest esse maior, sic inter elementa, magnitudo terra non potest dari minor; omnis additio aut defectio in istis, leges naturæ violat. Addo quod vlterius in illis spectetur periodus multitudinis, quippe heterogenea di-

Magnitudinis periodus maxima.

Minima.

Paruitatis periodus maxima.

Minima.

Periodus multitudinis habet maximum & minimum.



cuntur, quorum numerosæ sint partes, quæ eandem appellationem non sortiantur cum totis. Vt ergo in magnitudine, ita in multitudine partium maximum & minimum dantur, si naturam, si speciem, si existentiam & actum spectes, si vero potentiam naturæ, aut diuisionem continui, aut successionẽ rerum, aut arithmeticam scientiam spectes, concedo numerum infinitum posse succrescere. Sed hic numerum numeratum, non numerum numerantem, non numerum quo numeramus, à Philosopho intelligi docemus, qui numerus numeratus & in rebus actu subsistentibus, & in partibus rerum suis totis inhærentibus certam periodum & vltimam vnitatem, qua definitur, habet. Quod de multitudine dixi, id ipsum de intentione & qualitate dico, in illa etiam certum esse scopum & gradum, vt maxima aut minima pro ratione subiecti dicatur; sic *candor maximus niuis*, sic *splendor maximus solis* recte dicatur. Concludam, sed hic labor, hoc opus est, vt demonstrentur causa & ratio istius periodi in re qualibet naturali. Causa (vt pluribus non non vtar) cuiuslibet rei forma est, ratio intentio naturæ est. Forma (vt omnes eam definiunt philosophi) actiuum principium est, quod agit propter finem, & frustra numquam agit, est enim ipsa forma finis. Attende, hæc forma perfectio rei finitæ est, non infinitæ, nam infinitum non habet formã. Rem ergo quãlibet sub finitis gradibus naturæ, magnitudinis & paruitatis comprehẽdit. Præterea, propria vis formæ est, certam essentiam, distinctionem, & nomen materiæ dare, at quæ certa essentia, quæ distinctio, quod nomen dari potest, si sub infinitis gradibus quantitatis confuse delitescat materia? Signata enim materia dicitur, cum certis ac finitis accidentibus vestiatur. Pergam. Hoc proprium formæ est, ornare subiectum, (est enim ipsa forma, (vt ita loquar) decus) certus ergo scopus est, quem præfigit per actionem formæ natura: at certus esse non potest, si incerta sit existentia & dimensio rerum, qua solum in claustris & septis naturæ cernitur, quibus res omnes terminantur. Vt ergo catena disruptis vinculis nullis fere vsibus inseruit, & diutius catena recte non dicitur: ita natura his gradibus violatis,

Causa huius periodi forma.
Forma quid sit.
Ratio 1.
Ratio 2.

vires

vires amittit suas, & iustius iniusta nouerca rerum, quam mater est apellanda. Si enim vltra citraque numerum, pondus, mensuram agat, res sine numero, pondere & mensura factas conseruare non potest: at si non sit maximum, quo non detur maius, si non sit minimum, quo non detur minus, numerus, pondus, mensura exulant: quippe quæ solum in certa non confusa; finita, non infinita cadunt.

Quæstio 3.

Tertia dubitatio est, An substantia materialis sit diuisibilis seclusa quantitate? subtile & philosophicum ingenium sapit hæc quæstio, nam in ea reconditum est naturæ mysterium: ambagibus non vtar, rem totam absoluam paucis.

Substantia materialis duplex.

Substantia materialis sumitur duobus modis, aut pro toto composito, aut pro simplici materia, quæ veluti cera liquefacta docilis est ad omnem formam recipiendam: primo modo non est diuisibilis, seclusa quantitate, altero vero modo accepta est diuisibilis, at non in partes quantas, sed in partes entis, vt aiunt. Hinc illa habetur distinctio de diuisibili seu potentia diuidendi, quod sit duplex, vel in partes extensas, & sic est propria passio quantitatis, quæ rebus nullis conuenit, nisi sint aut per se aut per accidens quantæ: vel in partes substantiales, quarum quælibet ens est, & sic est affectio seu passio entis, eiusdemq; aut actu aut potentia habentis partes: hac ratione materia, exclusa omni quantitate, diuidi quidem potest.

Diuisibile duplex. in partes extensas, quod solis quantis, & in partes substantiales quod omni enti conuenit.

Ratio 1.

Primum quia materia, est per se substantia, quæ vi sua sine quantitate aut vllo alio accidente in partibus subsistit: secundo quia est subiectum quantitatis, quod partes præexistentes habere debet, easdemque ordine naturæ diuisibiles, antequam actu magnæ aut paruæ dicantur. Ordines naturæ dico, non quod præcedant tempore, sed quod natura priores substantiæ sint, quæ vt sint, neutiquam accidentibus, vel absolutis vel respectiuis egent. Si vrgeas falsum intellectum esse, qui sic materiam, seclusa quantitate, diuisibilem esse in partes concipit, quia coæua est quantitas cum materia, & quia Aristot. in textu dicit, diuidi non posse sine quantitate: Respondeo, non esse falsum, si intellectum

Ratio 2.

Obiectio


Solutio.



ſimplicem in conſilium adhibeas, qui ſubſtantiam ab accidente diuidit: non compoſitum, qui accidentia cum ſubſtantiis ſemper coniungit. Vt ergo homo in ſimplici ſua eſſentia veriſſime conſiderari poteſt eſſe animal rationale per ſimplicem intellectum, ſecluſo riſibili, licet hæc propria paſſio hominis ſit coæterna cum homine: ita materia veriſſime intelligi quidem poteſt diuiſibilis in partes ſuas ſubſtantiales, remota omni quantitate, tameſi quantitas ſemper inhæreat materiæ, & cum ea quo ad actum & exiſtentiam perpetuo copuletur.

4. quæſtio.

Totum multiplex.

Sed omitto hoc dubium, & ad quartam quæſtionem venio, quæ eſt, *Vtrum toto quieſcente, eiuſdem omnino moueantur partes?* Tripartita diſtinctio in hac quæſtione neceſſaria eſt, totius, motus, & quietis. Totum eſt multiplex, eſſentiale, integrale; integrale iterum eſt vel internum, cuius partes ſunt in ſubſtantia; vel externum, cuius partes ſunt in quantitate. Poſtremo totum hoc integrale eſt vel homogeneum, cuius partes idem ſortiuntur nomen cum ſuo toto, vt quælibet pars aeris eſt aer: vel heterogeneum, cuius partes nomine, officio, & facultate à ſuo toto differũt, vt *caput, cor, pedes,* in homine. Diſtinctio motus facilis & omnibus nota eſt, nempe quod alius ſit internus in ſubſtantia, vt *generatio* & *corruptio*; alius externus, idemque aut in quantitate; vt *augmentatio, diminutio*; aut in qualitate, vt *alteratio*; aut in vbi, vt *loci mutatio*, quæ eſt aut ſimplex aut compoſita; illa eſt vel recta vt in *elementis*, vel circularis vt in *cæleſtibus ſphæris*; hæc ſola in *amantibus*, quæ ſecundum omnes differentias loci mouentur. Quies ſumitur aut priuatiue aut poſitiue; poſitiue vel interne in forma, vel externe in fine: priuatiue, & ſic eſt negatio motus; eademque vel abſoluta, vt in priuatione ſecundum actum & potentiam; vel ſecundum quid & ex parte, vt in priuatione ſecundum actum: prioris exemplum *mors* eſt, alterius *ſomnus.* Quamuis ſtrictiſſime quidam interpretes hanc quæſtionem ad totum ſolum heterogeneum, motum localem, & quietem priuatiuam referant, ne tamen amplius certandi ſcopus tollatur, eandem latius defendo: nam quæ lis? quæ controuerſia eſſe poteſt, ſi ſic moueas quæſtionem, Vtrum corpore humano quieſcente in ſomno, illius

Mot⁹ internus & externus.

Lib. 2. de Cælo c. 2. tex 7.

Quies poſitiue aut priuatiue ſumitur.

lius cor, arteriæ, ſpiritus, & pulſus moueantur? certum eſt hominem, qui eſt totum, in ſomno (priuatione motus) quieſcere, & tamen non minus certum eſt has primarias partes agitari: quieſcente ergo toto partes mouentur, imo frequens & vſitatū eſt, quod defeſſus ſæpe vigilans decūbat homo, vt à labore & inceſſu totus quieſcat; at in vigili hac quiete, ſi oculis, ſi digitis, ſi aliis partibus heterogeneis motum localem neges, nimia ratione inſanire videaris. Vt ergo amplior ſit campus diſſerendi, cum natura concedat motum generationis quieſcenti embryoni in vtero matris, cū concedat motum augmentationis plantis quieſcentibus in terra, cum deniq; concedat motum alterationis omnibus elementis, in ſuis propriis locis quieſcentibus, non ſemper ſecundum totum, ſed ſecundum partes; ſequitur in omni genere motionis & quietis poſitiuæ, & in omni genere totius integralis proponi hanc quæſtionem. Quis enim negabit internas partes integrales moueri in ſubſtantia cum quieſcat totum, cum dormiente homine moueantur arteriæ, nutriantur partes, alteretur calor, augeantur ſpiritus, renouentur ſenſus? Sic (vt vnum exemplum adhibeam in toto aliquo homogeneo) conſenſu omnium philoſophorum quieſcunt omnia elementa in ſuis propriis locis; at quis eſt tam cæcus qui non videat, tam inſulſus qui non fateatur partes elementorum variis generibus motus alterari? Quieſcit ignis in concauo lunæ, & tamen ad motum cœli rapitur: quieſcit aer in concauo ignis, & tamen vna illius pars in orbem vertitur, alia cietur in rectum; iterum vna eſt temperata, alia valde frigida, ſuprema ſemper incenſa. Non addam plura, res aperta eſt, quieſcente toto non ſolum ſecundum aliquas differentias loci, ſed etiam ſecundum alias ſpecies mutationis moueri poſſe partes. De quiete totius in fine & forma poſita nihil hic dico, tametſi in illa etiam vis magna quæſtionis inſit; quieſcunt enim tota in forma, quieſcunt in fine, & tamen tam maxime mouentur partes, vt perpetuo hac forma & fine perfruantur.

In omni genere motionis & quietis totius integralis, toto quieſcente partes moueri poſſunt.

Sequitur nunc tandem poſtrema dubitatio, quæ eſt, Vtrum ex vno abſurdo conceſſo, neceſſario ſequantur mul- *5 Quæſtio.*

Ex text. 22. *Arist. medico assimilatur.*

ta? Ludam in hac quæstione, serio tamen quæ sunt vtilia dicam. Aristoteles (vt doctus medicus) obstat principiis: errata admitti, aut absurda concedi in scientiis facile non permittit. Nam vt serpens per rimulam inserto capite facillime secum corpus totum trahit, spargitque venenum vbicunque serpit: ita absurditas vna (quæ est caput erroris) semel admissa, errata mille secum adducit, quæ veluti toxica venena scientiam inficiunt & corrumpunt. Quare ne hoc incommodum in vlla scientia, maxime vero in philosophia (quæ est veritatis filia) sequatur, prudenter nos monet, vt scintillas errorum in cineribus (quasi) sepultas fluentis philosophiæ extinguamus, ne in flammas erumpentes incendium faciant. Sed definiendus est hic error, definiendum absurdum. Error est lapsus humanæ opinionis, non probe cognita aut examinata veritate, cuius causa est ignorantia eademque vel simplex, quæ meretur veniam, vel crassa, quæ meretur pœnam, si homo erroribus sponte deuotus ad veritatis studium non reuocetur. Absurdum est quiddam à ratione & veritate absonum & alienum, idemque aut ignoranter, aut negligenter, aut contumaciter susceptum & defensum. Quod hoc nō sit omnino permittendum a contrario, à proprio, à simili, ab euentu & experientia temporum sic probo.

Error quid. *Lib. Eth. 3. c. 1.* *Absurdum quid.*

A contrario. *1. Lib. poster. cap 4. & 6.* *A proprio.*

A contrario, quia absurdum est erratum, erratum est infestum veritati, infestum veritati est infestum scientiæ omnique demonstrationi, quæ ex veris, primis, & necessariis constat. A proprio, quia proprium erroris absurditatis est, specie quadam veritatis indoctos & incautos ad odium ipsius veritatis pertrahere. Nam mens humana rasa quędam existens tabula, est auidior nouitatis, & præcipitantior ad erroris præcipitia, quam ad amplexum & osculum veritatis: causa est, quia error frontem meretriciam & pictam, veritas frontem simplicem & naturalem habet. A simili, quia vt malum granatum, licet sit vnum numero & natura, mille tamen grana in se sub testa sua occulte comprehendit: ita erratum aut absurdum vnum mille contradictionis quasi oua sub alis tegit, in quibus scorpiones aliorū errorum periculose latent, & certe si ouis confectis euolent,

Causa cur simus ad errores procliuiores. *A simili.*

lumen

lumen scientiarum tollent. Ab euentu, quia est est interitus & quasi occasus sapientiæ: quippe si permittantur absurda, sequentur falsa, sequentur cæcitas & crassa ignorantia, quæ hostes omnium scientiarum alunt. Ab experientia temporum, quia vt Auerroes in prologo libri tertii Physicorũ ait, *si homo assuescat absurdis & falsis credere in adolescentia, palam negare veritatem tandem non verebitur: ista enim assuefactio credendi falsis, consuetudo aperte & contumaciter oppugnandi veritatem fiet.* Exempla infinita non desunt, si verbis, & exemplis inhærerem.

Ab euentu.

Ab experient. temporum.

Distinctio prima quæstionis, Vtrum ex nihilo nihil fiat secundum philosophiam?

Ex nihilo nihil fieri, consideratur secum philosophiã, vel.

- Naturaliter, idque duob. modis, aut vt hoc verbum *nihil* significet.
  - 1 Ens nullum omnino præexistere, & sic ordine naturæ res fieri non possunt ex nihilo, aut sine causa, si philosophiam spectes.
  - 2 Non ens tale, & sic ex nihilo, id est (vt loquar cum Aristotele) ex non ente tal. [illegible] ãis generatio fit. *Lib. 2. de Gene. animal. ca 3.*
- 1 Ab exemplo animæ rationalis, quam Arist. ipse concedit diuinitus accedere.
- 2 Ab instantia dæmonum, qui præexistentem causam non habent secundum Aristot. nisi primam.
- 3 Ab infinita, immẽsa & incomparabili potentia Dei, qui (secundũ Aristotelẽ) non esset nobilissimum agens, si materia aliqua subiecta indigeret, aut si mediis aliquibus esset astrictus.
- 4 Ab autoritate Platonis, qui creationem posuit: & ex confessione Aristo. in lib. de Mundo, qui Deum conditorem mundi appellauit. Ad- *In Timæo.*

do etiam rationem ex Arist. quod talis sit actio cuiusque rei, qualis est essentia: sed essentia Dei secundum Aristotelem à nullo ente pendet: ergo illius actio à nullo ente pendet.

Metaph. libr. 8. cap. 2.

5 Ab enumeratione omnium agentium, naturæ (scilicet) artis, & Dei, quorum duo priora egent materia subiecta, vt ipse docet, at nusquam reperiri potest, vbi dicat Deum egere medio, contrarium vero vbique.

Metaphysice, & supra naturaliter, & sic concedit philosophia rem fieri simpliciter ex nihilo, vt probatur.

6 A consideratione sui sistendi & essendi in Deo, qui ideo ab Arist. prima omnium causarum causa dicitur, quia ipsæ secundæ causæ ab illo suam essentiam & subsistentiam habent, in quib. nulla præexistens materia inesse potest.

7 A modo producendi formas à prima materia: quæ formæ, cum nihil suæ essentiæ, aut secundum totum, aut secundum partem in materia habeant, relinquitur probabile quod ex nihilo illæ formæ fiant.

8 A corruptione formæ, quæ videtur esse annihilatio, cum neque in subiecto de nouo facto, nec in potentia materiæ delitescat: non in subiecto, quia tum duæ essent formæ in vno, non in potentia materiæ, quæ non potest redire semel extincta.

9 Ab authoritate & testimoniis multorum, qui Aristotelem sic sunt interpretati.

Argumenta in primam quæstionem, An ex nihilo nihil fiat secundum Philosophum?

Opp. *Sapientis carmen hoc fuit*, Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. *Huius sane dicti haud memor fuisse videris, cum tam acriter & vehemēter redarguas errores & absurditates in aliis, & tamen eodem spiritu in eandem foueam incidas. Nam hoc contra synodum & consensum omnium philosophorum, interpretum, & sapiētum defendis, lumine philosophiæ creationem fieri posse notam, cum tamen*

tuum Arist. *Stentoria voce hic clamet*, Ex nihilo nihil fieri. *Paucos fortasse Scotistas, Apostatas à vera philosophia, habes istius tecum patronos novitatis, sed antiquiores, graviores, sapientiores non habes. Videris ergo auribus ab inferis Cerberum extrahere, & fumos venari, hoc est, laboriose agendo nihil agere, dum hoc ex philosophia probare conaris, quod nec Philosophus nec philosophia doceat. Praeterea temere & inconsiderate admodũ facis, cum sacra mysteria fidei ex philosophia humana vrgeas: nam hoc est cælum cum terra, divina cum caducis, æterna cum fluxis, certa cum incertis cõfundere. Quare vt stulti habentur illi milites, qui armis ferreis abiectis assumant plumbea: ita minus prudens (vt graviore verbo non vtar) habendus certe is, qui relictis divinis testimoniis & argumentis, ad tela philosophiæ fugias. Age ergo, revoca errorem tuum, erroris confessio absolutio erit.*

Senec. in Her. furente.

Resp. *Nego argumentum, quia caret forma, imo etiã nego, quia caret materia: nam neque formã neque sensum habet. Sed concinnabo hanc rationem vt eiusdem vires melius intelligam, singulisque partibus ordine respondeam*: Turpe (*inquis*) est doctori, cũ culpa redarguit ipsum: *agnosco, quid infers? sed tu reprehendis errata in aliis, in quorũ voraginem cadis. nego minorem: qui illam probas? quia contra Aristotelem omniumque philosophorum consensum creationem notum esse in philosophia doces. Si hoc sit erratum, ostende rationem: quia Arist. & omnes fere illius interpretes ex nihilo nihil fieri asseruerunt. Non vocem Arist. sed sensum requiro, qui probatur alius à tuo, vt argumenta in discursu & expositione quæstionis docent. Omitto hic flosculos Satyricæ orationis tuæ, nam Cynice perorando, non demonstrando procedis: illud tamen quod adfers in conclusione, omittere nõ possum, nimirum, vbi me stultitiæ & temeritatis arguas, quod mysteria divina philosophia ex humana probem. Imprudens essem, si quicquã sacris oraculis detraherẽ, impius si omnia nõ concederem: sed hoc dico non esse indecorũ, non iniustũ, non esse omnino absurdum, vt ancilla dominæ, humana philosophia divinæ inserviat, viresque rationis præstet: si hæretici, si Epicuri, si Athei fidẽ divinitus infusam negent. Neque hoc loco arma firmiora reiicio (vt ais) aut relinquo, sed cum gemma verbi pretiosa, Ægyptiorum aurum, id est, philosophiã coniungo.*

Humana philosophia divinæ inservire potest.

Hanc copulam & connubium vtriusque tempora ista flagitiosa efflagitant, in quibus perniciosi ratione fidem, philosophia religionem conantur subuertere, non confirmare. Si ergo illa paradoxa & axiomata philosophica, quæ videntur esse contra fidem & religionem, (*vt* Ex nihilo nihil fieri, *aut* Mundum sempiternum esse) *vi rationis flecti possint ad meliorem sensum, sperandum est, citius adduci posse peruersos suis nunc armis spoliatos, quam si persuasi crederent sub alis philosophiæ se tutos & armatos esse, indeque somniarent, se contra Deum, contra fidem, contra religionem & cœlũ posse fortiter decertare.*

Opp. *A luminib. maximis philosophiæ in hoc discedis, Diuo Thoma, Lamberto, aliisque fere infinitis, quos olim coluisti: videris ergo hallucinari. Antecedens constat, quia illi hoc fundamentum posuisse Aristotelem firmiter crediderunt.*

Resp.

Ab illis omnino non dissilio, quia non crediderunt Aristotelem sic delirasse, vt omnino non crederet, ex nihilo nihil fieri secundum potentiam Dei, (quem Agens infinitum, immensum, liberrimumque esse, nullis mediis aut causis astrictum, tam confidenter, tam sæpe defendit) sed secũdum ordinem & potentiam naturæ, quæ non aliter quam ars mechanica subiecta semper materia caret. Quod vero sic delirasse non crediderint Aristotelem, hinc suadeo, quia ipse Diuus Thomas in Summa sua contra gentes (opere, ingenio & philosophia pleno) ex ipso Aristotele, ratione creationem & alia mysteria religionis contendit probare. Idem etiam & alii eiusdem farina & opinionis multis in locis suorum operum & monumentorum agunt. Si vrgeas nusquàm hoc nomen creationis *eminere, indeque concludas notam ei non fuisse: respondeo: notitiã esse duplicẽ, implicitã & explicitã: agnosco hoc ipsum verbũ* creationis *quidem non reperiri apud Philosophũ; implicita tamen rei cognitio ex aliis verbis & argumentis elicitur, vt cum dicat animam rationalem diuinitus accedere, Deum esse effectorem omniũ, omnium esse dependere à Deo, Deum non carere subiecta materia, non alligari causis in sua essentia, non vti mediis, spiritus ab illo immediate fieri, hæc (inquam) omnia, quamuis non nominatim & expresse, implicite tamen creationem probant.*

Lib. 2. de Gen. animal. cap. 3.

Opp.

Opp.

Videris non omnino legisse Aristotelem, aut saltem nõ intellexisse, quia omnes hæ quæstiones quas moues ex istis duobus capitibus, non continentur in eis: sunt enim earum tres in 2. cap. in quo contra Melissum & Parmenidem agit Philosophus, Vt An materia sit diuisibilis seclusa quantitate? An ex nihilo fiat? nihil An ex vno absurdo sequantur plura? *ergo sine ordine & sine ratione confundis singula.*

Resp. *Absit gloria dictis: mallem equidẽ confiteri veram ignorantiam, quam profiteri vanam scientiam. Triginta fere annos, coactus necessitate, philosophiam professus fui, decies interim cum Interpretibus volumina Aristotelis peruolui, & sane vt aliquid concedam tibi, quo sæpius legi, eo profundiorem esse Oceanum philosophiæ animaduerti. Altissime enim immersa & defossa est gemma sapientiæ, & nõ cuiquam sine indefessis studiis excubiisque acquisita. Hæc ad illud tuum* (videris omnino non legisse Aristotelem, aut saltem non intellexisse) *dixi; in qua parte obiectionis, aliorum, non tua me censuræ & iudicio submitto. Ad alteram partem obiectionis respondeo, tres illas quæstiones à te repetitas moueri quidem (vt ais) in 2. cap. resolui autem in 3. & 4. Liberum ergo mihi fuit, vel ex illo, vel ex his decerpere: magisque consentaneũ rationi visum fuit, hic mouere vbi tractẽtur, quam illic vbi proponantur solum. Sed hactenus de vmbris disputasti, & de circumstantiis solum, nunc (si quid possis) contra rem ipsam videamus.*

Opp. *Expresse decretum hoc philosophorum vehementer laudat Arist.* ex nihilo nihil fieri. *lib. 1. Phys. tex. 33. & 34. In eodem etiam lib. textu 75. ait*, impossibile esse ex simpliciter non ente aliquid omnino fieri. *Iterum in eodem lib. textu 43. inquit*, non quodlibet ex quolibet fieri, sed ex contrario *nempe priuatione. Idem denique in 7. Metaph. textu 22. asserit*, omne quod fit ex aliquo fieri. *Ergo somnium est, si expressis verbis credamus existimare contrarium.* Idem tex. 611

Resp.

Hæc omnia loca & alia permulta istis similia physice secundum ordinem naturæ, non metaphysice secundũ ordinem potentiæ & prouidentiæ diuinæ intelliguntur: si enim ordinẽ naturæ spectes, hæc omnia verissima sunt, at si essentiã infi-

Ex nihilo nihil fit physice, sed metaphysice.

nitam & omnis sufficientem cōsideres, quam ipse philosophus Deo ex philosophia concedit, vera non sunt.

Opp. *Æternitas materiæ primæ in 1. Physic. & æternitas mundi, motus, & temporis in 8. probantur: quia, vt inquit philosophus, si hæc non essent æterna, fuisset alia prior caussa efficiens, quæ motu & tempore materiam & mundum procreassent: sed hoc fieri non potest, vt illic docet, quia omnis efficiens causa est principium externum motus.*

Tex. 32. 1 de Cœlo c. 10. Phys. lib. 8 c 1 tex. 4. & tex 10.

Resp.

Æternitas materiæ non antiquitatem & ordinem essentiæ negat: sed quis non videt Arist. hic solū physice loqui, cum illic dicat omnem causam efficientem esse principium motus, at alibi de immensa & infinita essentia locutus constanter asserat, sine omni motu & accidente esse.

Opp. *Lib. 7. Metaphysices & priore parte libri, tex. 12. formam non posse produci per se, nec immediate à substantiis abstractis affirmat philosophus: sed admissa creatione labascit hæc opinio: ergo de creatione nunquam somniauit.*

Resp. *Semper idem voluis & reuoluis saxum, idem ergo respondeo: formam scilicet naturaliter non posse produci per se, nec immediate à substantiis abstractis, metaphysice posse: quod vero illic naturaliter intellexerit, loci circumstantia euidenter docent.*

Forma potest produci per se Metaphysice, no naturaliter. Lib. 3. Phys.

Opp. *Creatio est actio secundum philosophiam: ergo non est ex nihilo. Argumentum probo, quia actio & passio idem motus sunt, qui aliquod semper subiectum postulat.*


Resp. *Creatio est metaphysica, non naturalis actio. Ille vero locus solum de actionibus & passionibus rerum naturalium intelligitur, vt illic manifeste constat.*

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum natura in omnibus, magnitudinis & paruitatis præfiniat terminum aut periodum? vel, Vtrum res omnes naturales ad maximum & minimum sint definitæ?

In expositione huius quæstionis intelligēdū est quid sibi velit Aristotel. per	1 Res naturales: res naturales hoc loco intelliguntur vel	Proprie & per se, & sic substātiæ corporeæ, eademq; vel	Animatæ quoad	Generationē. Conseruationē.
			Inanimatæ, quoad cōseruationē solū.	

Per accidens, & sic à Philosopho intelliguntur vel
- Quātitates per se, quæ terminos magnitudinis & paruitatis habēt.
- Qualitates aliaque accidentia, quæ per accidens quanta dici possunt, vt *extensus color, latus calor.*

a Hos terminos, scilicet maximū & minimū, qui sunt gradus rerū in quantitate secundum intētionem, ordinem, & actionem naturæ: hi vero gradus sunt
- Magnitudinis, quorum alius rectè dicitur
  - 1 Internus, quem vsus maximum appellat, & hic est terminus ille rei in quantitate, sub quo res esse potest, & sub maiore esse nō potest: vt homo sub statura 5. cubitorum, at sub maiore esse nequeat.
  - Externus, quē minimum magnitudinis nominauit vsus, & definitur ille, sub quo res esse non potest, sub minore autem potest: vt si detur, hominem non posse viuere sub gradu sex cubitorum, sed sub quouis minore: gradus 6. cubitorum erit terminus externus humanæ magnitudinis.
- Paruitatis quorum alius etiā dicitur
  - Internus, sub quo res secundum quātitatem esse potest, at sub minore non potest, vt si detur quod homo conseruetur sub quantitate vnius cubiti, terminus hic vocabitur periodus humanæ paruitatis.
  - Externus, qui est sub quo res esse nequit, at sub maiore esse potest, vt si homo vnius cubiti esse non possit propter paruitatem, sub maiore esse quidem potest, vsque ad sex cubitorum mensuram, qui est definitus terminus magnitudinis.


Hoc verbum (definiri aut terminari ad maximum & minimum) quod significat nihil aliud, quã certis magnitudinis & paruitatis terminis naturaliter concludi, idque vel

- In rebus singulis, aut secundum
  - Substantiam, in periodo generationis.
  - Mẽsuram, in termino nutritionis, aut augmẽtationis.
  - Existentiam, in termĩno alterationis per qualitates sensibiles.
- In specie quoad
  - Generationem, in qua sunt termini limitesque naturæ, quos definit philosophia.
  - Conseruationẽ, quę maxime cernitur in Forma & Fine rerũ.

Vtilis consideratio & applicatio quæstionis.

Vsus quæstionis

Vsus varius & multiplex est huius quæstionis, maxime in naturali philosophia & medicina: in illa, vt gradus generationis & conseruationis definiantur: in hac, vt gradibus primarum & secundarum qualitatum cognitis, certior habeatur ratio & mensura sanitatis. Omitto exempla philosophia, exemplis medicinæ rem breuiter exponam. Sunt (vt docent sapiẽtiores medici) quatuor gradus cuiusque primarum qualitatum, duo magnitudinis, paruitatis etiam duo: vt exempli gratia, calor in sanguine piscis, calor in aere, calor in homine, calor in igne. *Si calor in sanguine piscis intentior aut remissior sit, ægrotat animal, & nisi hic intemperatus calor ad specificam temperiem redeat, necessario concidit. Est ergo periodus, vt vides, caloris in illa specie. Similiter si calor in aere remissior fiat, facile in aquam: si intentior, facile in ignem vertitur: est ergo terminus caloris in aere internus, sub quo conseruatur, quo tandem extincto contabescit. Est calor in homine, qui diu retusus hydropem aut frigidã aliquam intemperiem: diu intensus febrem generet. Et certe si non vi artis aut natura ad propriũ habitũ & gradũ reducatur, mors ipsa sequetur. Est ergo, vt vides, in homine terminus caloris secundũ magnitudinẽ sub quo viuit, & quo deficiente cadit.*

Quid

Quid multis? Vt sunt in calore gradus, ita sunt in aliis qualitatibus, si in subiectis suis considerentur, Vt in cicuta frigoris *in* terra siccitatis, humoris *in* aqua, *in* sole lucis, *in* homine sanitatis: *in* omni specie motus *&* magnitudinis. *Vt ergo homo sanus est, cum elementa & qualitates suos terminos & limites à natura præscriptos & definitos teneant, cum autem violentur, Vel in magnitudine excessus, Vel in defectionis paruitate, corrumpitur: ita res omnes naturales numero & specie, seruato ordine & gradu magnitudinis & paruitate, conseruantur, concusso autem necessario concidunt.*

Opp.

Dari non potest minima caro: ergo (Vt ab Arist. exemplo in textu incipiam) res qualibet naturalis ad maximum & minimum non terminatur. Antecedens constat, quia caro Vel minima potest diuidi in alias partes, quia est corpus. *Cap. 4. tex. 38.*

Resp.

Minimum hoc loco consideratur, quoad formam specificam, Vel respectu generationis, Vel conseruationis: & sic ad minimum terminatur caro: nam si in minores partes diuideretur, conseruari non posset sub specifica ratione carnis.

Opp.

Potentia nutriendi intrinsecus nō definitur ad maximum ergo nec ipsa Viuentia intrinseco magnitudinis termino definiuntur. Antecedens constat, quia potentia sæpe rem animatam extra statum & staturam naturæ congruentem producit, Vt patet in plantis, gigantibus & crocodilis, qui (Vt ait Plinius) semper crescunt. *Et Arist. lib. 5. de Hist. Anim. ca. 33.*

Resp.

Facultas nutriendi & augendi consideratur duobus modis, vel definite in naturali specie, & sic certam magnitudinis periodum habet in quolibet indiuiduo eiusdem speciei: Vel indefinite & per accidens, cum superflua aliqua materia adiiciatur, & sic sæpe extra statum naturæ in eadem specie aliquid producit: sed hoc à philosophis mōstrum dicitur: quia iustitiam naturæ & proportionē debitam materiæ & quantitatis excedit. Vt ergo ex defectu, Vel excessu, Vel in ordine, particularis natura errans aliquando producit monstrū: ita hæc potētia augēdi & nutriendi sæpe in indiuiduis errāt, si sit aut nimia abundantia, Vel defectio, Vel mala dispositio ma-

teria subiecta, in quam suas vires exerunt. Sed vt hic vel ille error saltem legem naturæ non tollit: ita nec defectio in nanis aut Pygmæis, nec excessus in gigantibus, nec deformitas in monstris, hanc rationem & proportionem speciei negant.

Opp.

Physſ.li 3.tex 1. lib.6 tex 4. & 1. de Cœlo tex. 3

Dari non potest maximus ignis: ergo res omnes naturales non terminantur ad maximum. Antecedens probatur, quia ignis est totum homogeneum & continuum, quod est diuisibile in partes semper diuisibiles. Præterea adiecta materia quæ conuerti possit in ignem, semper augetur ignis, nisi naturale agens, re sibi subiecta in quam agat, agendo deficere hoc loco neges.

Homogeneum non semper actu diuiditur, sed est diuisibile.

Resp. *Homogeneum est semper diuisibile in partes: hoc est non semper actu diuiditur, sed semper diuisibile dicitur in partes eiusdem nominis & speciei. Præterea est maximus ignis elementaris ille in concauo lunæ & augeri non potest vt conseruetur.*

Physſ lib 3. text. 61.

Opp. *Numerus semper augeri potest, motus est perpetuus (vt docet philosophus) tempus nec incipit nec desinit: ergo omnia non terminantur ad maximum terminum conseruationis suæ.*

Numerus, motus & tempus dupliciter considerantur.

Resp. *Hæc tria considerari possunt bifariam, vel physice in subiectis suis, & sic definiuntur ad maximum & minimum: vel mathematice in animo, & sic hoc loco intelligi non debent: neq; sunt propriè res naturales quæ per se in hac quæstione intelliguntur.*

Opp. *Perfectus gradus maxime attingi non potest: ergo frustra hoc loco definitur. Antecedens probatur, in sanitate*

Gal. in 1. lib. de Temperamẽtis.

& temperie elementorum, quæ nunquam ad pondus est in homine: nullum enim est, teste Galeno, ἴσυκρατον corpus & perfecte mixtum. Ratio est, quia in quolibet corpore vnum vel alterum elementum prædominatur, vnde pernicies potius quam salus, destructio quam conseruatio nascitur.

Resp.

In quolibet corpore elementum prædominans est.

Terminus sanitatis & mixtionis in corpore est duplex, iustitiæ & ponderis: iustitiæ, vt res qualibet sic temperata elementa habeat: prout illius natura ferat. Ponderis autem terminus rarissime aut numquam contingit, neque in tanta varietate rerum natura hoc postulat,

quippe

quippe tum eadem esset temperies omnium. Quod addis prædominium vnius aut alterius elementi esse caussam corruptionis, verum hoc est, si in excessum prorumpat, non si in specificis terminis maximi & minimi contineatur. *Prædominium elementi causa corruptionis.*

Distinctio tertiæ quæstionis.

Vtrum materia prima sit diuisibilis seclusa quantitate?

Materia est diuisibilis duobus modis vel in,

- Partes extensas, & sic non diuiditur in partes seclusa quãtitate: quod probatur ab
  - 1 Authoritate Aristotelis, qui in 2. cap. huius libri textu 18. docet, materiam solius quantitatis ratione extendi.
  - 2 Ab Absurdo, quia si materia esset extensa per se, plures extensiones in vno composito reperirẽtur, vna materiæ, altera quantitatis.
  - 3 A superfluo, quia talis extensio materiæ videatur superflua, cũ hæc dimensio quantitatis sufficiat.
- Partes ẽtis seu sub substantiales, & sic seclusa quantitate diuidi potest materia, quod probatur,
  - 1 A proportione, quia aliter diuersæ partes materiæ non responderent diuersis partibus quantitatis, sed consensu omnium philosophorum respondent.
  - 2 Ab essentia materiæ, quæ est substantia & *subiectum quod*, vt aiũt, & proinde ordine naturæ præcedit quantitatem, quæ *subiectum quo* appellatur: partes ergo non solum materia, sed etiam materialis quæuis substantia habet, antequam quantitas accedat. aliter enim quantitas conferret substantiæ vt haberet partes: at hoc est absurdum, cum substantia corporea sit totum integrale partibus absolutum in se, ordine naturæ, priusquam quantitatem & dimẽsionem à quantitate habeat.

3 A causa, quia materia est principium quantitatis, & ex consequenti est causa vt sit diuisibilis. Ratio est, quia quicquid existit causa causæ, existit etiam causa effectus.

Cap. 6. 4 A necessario, quia materia est per se diuisibilis seclusa quantitate, aut non: si sit diuisibilis, habetur propositum: si vero sit indiuisibilis, à natura sua fieri non potest, vt fiat diuisibilis: cum quod insitum est à natura, mutari non possit, vt habetur 2. Ethicorum.

Obseruatio vtilis.

Constat in omni materia & corporea substãtia esse quandam diuisionem in partes entis, præter diuisionem in partes quantitatis: quippe si ita non esset, nulla haberetur inter substantiam & mensuram proportio, nulla partiũ quantarum internis partibus coaptatio, cohærentia nulla, addo etiam & illud, quod sæpe quãtitas sine subiecto maneret, quo nihil absurdius esse potest: ratio hæc est, quia nonnunquam rarescũt copora, Vt in ebullitione lactis, *in* extenuatione aeris: *si in ista rarefactione non sint partes substãtiales materiæ, Vel materialis substantiæ, quæ respondeant partibus extensæ quantitatis, sequetur necessario illas partes quantitatis esse sine subiectis: concedendum ergo est subesse in materia partes entis. Similiter etiam continget, si ex pugillo terræ fiant 10. aquæ, si ex Vna guttula aquæ fiant centuplo maiores quantitates aeris, absurdum erit si in istis commutationib. substantia aucta non respondeat auctæ mensuræ, si partes partibus non adæquentur: rarescunt ergo partes quãtitatis, rarescunt partes etiam materiæ, magisque à se inuicem motu, situ, loco distant: quæ antea in Vno pugillo aut guttula compactæ magis fuerunt.*

Opp.

Cap. 5. tex 35. *Aristoteles tertio Physicorum ait, quod si infinitum esset extra magnitudinem, non esset diuisibile: ergo quicquid est diuisibile, diuidetur per magnitudinem, & ex consequenti materia non erit diuisibilis seclusa quantitate, quia seclusa quantitate magnitudinem non habet.*

Resp. *Resoluitur hoc argumẽtum facile, si partes entis & partes quantitatis distinguas.*

Opp.

Opp.

Potentia diuisibilis, seu (Vt loquuntur Veteres) diuisibilitas est propria passio quantitatis: ergo non conuenit substantia. *Materiæ partes duplices.*

Resp. *Potentia diuisibilis in partes dimensionis est propria passio quantitatis, non omnis potẽtia diuisibilis in partes entis: nam sic genus in suas species & differentias non diuideretur, nec totum in sua membra.*

Opp. *Si Materia sit diuidua citra quantitatem per se, sequeretur in quolibet composito naturali plures simul extensiones reperiri, Vnam quantitatis, alteram materiæ: imo plures dimensiones, nempe corporis quanti & corporis substantialis: at hoc admitti est perabsurdum, quia tum nihil impediret quo minus plura corpora (substãtiale scilicet & quantum) simul in eodem loco existerent, seque inuicem penetrarent.*

Resp. *Non sic ponimus materiam esse diuiduam per se in partes, quasi haberet plures dimensiones quam in quantitate: sed hoc dicimus quod in omni materia, sit ea diuisibilis potentia secũdum partes entis, Vt singula illius partes partibus dimensionis respondeant, & hac distinctione recte adhibita non sequentur illa absurda, quæ aliter non absurde infers.*

Opp. *Materia sine accessu quantitatis non habet partes: ergo recte non dicitur diuidi. Antecedens probatur, quia si haberet partes aut illas haberet intra se Vel extra se: sed neutro modo habet: quia, Vt habetur primo de Cælo & mundo, extra & intra sunt passiones quantitatis, id est loci & situs.*

Resp.

Extra & intra sunt passiones communes quantitatis non proprie & 4. modo: præterea, hoc concesso quod sint propria passiones, non tamen inde sequitur absurdum, quia hoc loco de partibus entis in principio agimus, non de partib. dimensionis in subiecto.

Opp. *Materia nec substantia est, nec quantitas, nec qualitas: ergo non est per se diuisibilis: non est substantia, quia tum esset corporea Vel incorporea. An Vero sit quantitas Vel qualitas nemo philosophorum dubitat.*

Resp. *Materia est substantia inchoate non absolute sumpta* *Lib. 7 Metaph. tex. 8.*

cui soli illa diuisio in corpoream & in incorporeã cõuenit. Vel respondetur, quod sit substantia physica non dialectica, vel quod sit substantia principium, quod sufficit, vel quod sumatur pro corporea substantia, quod nonnunquam fieri solet.

Opp. *Materiæ partes in rarefactione lactis aut aeris (vt ais) respondent partibus quantitatis: ergo extenduntur vt partes quantitatis, & per consequens, vt sunt dimensiones quantæ, ita sunt extensiones internæ ipsius materiæ, ne quãtitatis partes rarefactæ destituantur subiectis. Verumenimuero hoc ponere videtur valde alienũ à philosophia, quæ plures dimensiones non admittit.*

Resp. *Omnis extensio partis internæ non arguit aliam dimensionem à quantitate, sed solum necessitatem amplificandi partes internas, vt mẽsuræ partibus iam auctis æqualiter respondeant. Cum ergo in rarefactione totius alicuius partes extendantur, vel intendantur potius, non secundum magis & minus aliam dimensionem habent à quãtitate diuersam, sed eandem, natura vi intrinsecus rarefactã & amplificatam, quæ recte in essentia diuersa, in mensura tamen vna eademque dicitur. Nam vt elementa virtute solũ sunt in mixto, vnamque numero substantiam efficiunt: ita partes materiæ in corpore quanto potentia & facultate sunt, vnamque solum numero mensuram habent: si vero vel separentur, vel simplici intellectu & diuidente per se diuisim cõsiderentur, tam diuersæ partes quam partium extensiones rectissime nominari possunt.*

Phys. lib. 8.

Opp. *Materia nunquam separatur à quantitate: ergo de illius diuisione (seclusa quantitate) inanis videtur quæstio. Antecedens est Arist. qui docet mundum æternum esse, & per consequens etiam docet materiam semper esse sub aliqua forma, maxime sub quantitate.*

Materia considerari potest sine omni quantitate, licet actu nunquam existat.

Resp. *Quæstio non est, an vnquã separata fuerit materia à quantitate, sed an sit suapte natura diuisibilis sine mensura quantitatis, siue illa diuisio sit actu, vel potẽtia reipsa distincta, vel animo solum concepta non refert, modo sit vera. Nam vt facultas ridendi nũquam actu separatur ab homine, homo tamen verissime intelligi potest in sua propria essentia sine illa facultate: ita cõsiderari quidẽ potest materia, aut materialis substãtia aliqua, esse quidẽ natura sua diuisibilis*

in partes entis sine omni quantitate, licet actu à quantitate nunquam separetur.

Distinctio quartæ quæstionis, Vtrum toto quiescente moueantur partes?

In hac quęstione traditur distinctio
- *Totius*, quod est vel
  - Confusum & vniuersale, sic *animal est totum respectu suarum specierum*: sed de hoc toto non agitur.
  - Distinctũ, completũ, seu integrale, q̃ est vel
    - Homogeneũ, cuius partes insigniuntur eodem nomine, cum suo toto, vt *ignis*, *aer*.
    - Heterogeneum, cuius partes non insigniuntur eodẽ nomine, vt *homo*, *planta*: & de hoc duplici toto mouetur quæstio.
- Motus, qui est vel
  - Internus, idemque vel à
    - Non ente tali ad ens tale, vt *generatio in substantia*.
    - Perfectiore ente ad non ens, vt *corruptio*.
  - Externus, idéque vel
    - Secundum mensuram, vt *augmentatio & diminutio* in Quantitate.
    - Secundum formam accidentalem, vt *alteratio* in Qualitate.

Secũdum locũ, ordinem aut situm, vt *loci mutatio*, quæ est
- Circularis in sphæris.
- Recta in elementis.
- Mixta in animalibus.

Quietis, quæ sumitur aut
- Positiue, vt res quiescat in
  - Loco.
  - Forma.
  - Fine.
- Negatiue. vt quies sit priuatio omnis motus: & sic non sumitur hoc loco.

Obseruatio vtilis.

De toto hoc loco solum integrali actu existẽte, de motu proprie & per se locali, de quiete positiua maxime in hac quæstione agitur. Vt vero vberior habeatur disputandi seges, defendi potest hac sententia in omni genere motus & quietis, comparatione facta totius ad suas partes: vt superius constat.

Opp. *Cælum nec locũ habet in quo quiescat, nec partes vnquam quietas in loco: est ergo aliquod totũ quod sub hac quæstione comprehendi nõ potest. Idem de Oceano, aliisque corporibus semper in motu positis dici potest.*

Resp. *Quamuis cælum & mare perpetuo mouvantur secundum partes, secundum totum tamen in suis locis quiescere dicuntur, iuxta illud.* Res quælibet quiescit in loco suo. *Quod vrges cælum non habere locum: si per cælum primum mobile intelligas, agnosco locum circumscriptiue ambientem non habere, sed partem vnam alteram locare dicimus. Est ergo natura principium motus & quietis in cælo, motus in parte, quietis in toto: motus in materia, quietis in forma, loco, & fine. Mouetur ergo cælum, quiescit cælum: mouetur secundum partes, quia vna pars aliam aliamque locat, quiescit autem secundum totum, quia neque locat neque locatur. Sic de mari dicendum est, quod totum quiescat in suo loco, pars tamen vna mota alteram moueat, & vnda vndam, fluctus fluctum pellat.*

Natura principium motus & quietis in cælo quomodo.

Opp.

Singulis partibus motis mouetur & totum: sed sensu indice, sim-

ce, singulæ partes cæli & maris mouentur: ergo totum in illis mouetur.

Resp. *Singulis partibus simul motis mouetur totum, successiue autem motis non semper mouetur totum. Præterea cum dicam quiescere cælum & mare, non quietem penitus priuatiuam omnis motus, sed positiuam respectu loci & conseruationis intelligo. Alij hic etiam respondent, cælum primum mobile in cælo Empyreo contineri & quiescere vt in proprio loco, quippe excelsum & diuinum illud corpus, Beatissimæ Trinitatis gloriosa sedes, comprehendit omnia: & quamuis sit ipsum immobile, inferioribus tamen sphæris, tanquam totum suis partibus motum tribuit, & in hoc sensu recte dici potest, quiescente toto, id est cælo maximo, moueri partes, id est inferiores cælos, qui sub illo collocentur.*

Opp. *Contraria in eodem instanti fieri non possunt: ergo quiescere totũ & moueri partes nõ possunt in omni genere motus, vt hic defendis. Argumentum probo, quia generatio & corruptio sunt species motus, quæ in instanti fiunt, vt in tertio Physicorum docet Philosophus.*

Resp. *Generatio & corruptio considerantur perfectiue, & sic sunt in instanti, vel progressiue, & sic non sunt in instãti: & hoc modo generatis, motis, & mutatis partibus quiescat totum, totoq; quiescente moueantur partes.* *Generatio quomodo in instanti, quomodo nõ.*

Opp.

Partes nihil aliud sunt quam totum, vt antea docuit Philosophus: ergo illis motis mouetur & totum.

Resp. *Cum dicimus quiescente toto partes moueri, non omnes partes intelligimus simul sumptas, quæ nihil aliud sunt quam totum, sed partes aliquas posse moueri docemus, licet totum quiescat, vt* homine dormiente mouentur cor, arteriæ, spiritus & pulsus cordis.

Opp. *Quiescente toto partes non mouentur loco: ergo male defenditur quæstio. Antecedens probatur, quia moueri loco est mutare locum: sed partes quiescente toto non mutant locum, vt patet in* corde, arteriis, spiritibus *dormientis, quæ mota non mutant locum.*

Resp. *Moueri loco non est semper mutare locum, vt in circulari motu cæli constat, proprie tamen & plerunq; sic esse agnosco, vt in* partibus maris, *cuius pars vna alteram à*

loco in locum pellit. Ad instantiam dico, quod secundum opinionem doctissimorum & philosophorum & medicorum, cor, pulmones, arteria, spiritus in suo motu locum mutent. Cor enim huc & illuc agitatur, contrahuntur & dilatantur pulmones & arteriæ, spiritus saltant & discurrunt per arterias in omnes partes & regiones corporis. Localiter etiam moueri cælum nonnulli acute probant, si partem locantem & impellentem consideres. Mouetur enim ad locare *(vt aiunt) non ad* locari, *id est, ad locātem partem, non ad locum circumscribentē: quippe cælum in loco sic nō collocatur secundum Aristot. at secundum sapientissimos quosdam tum Astrologos, tum Theologos, sub Empyreo cælo collocatur.*

Opp.

Exigui aut nullius vsus est hæc quæstio: otiose ergo mouetur. Antecedens probatur, quia demonstrationes necessarias non habet.

Resp.

Vsus magnus est, si diligenter attendas, non solum in distinctionibus motus & quietis, vt supra, sed etiam in conseruatione rerum, quæ vi natura fiant. Pulchrum enim est scire quomodo totum in loco, in forma, in principio & fine conquiescat: cum tamen partes veluti serua ad salutem & conseruationem totius laborent: vt in corpore humano constat, quod magis somno, quiescente toto, per motum cordis reficitur, quam per vigiliam. Quiescente enim toto intus pellitur calor, augentur spiritus, internus motus excitatur, restaurantur partes, reficiuntur omnia. Vt ergo toto horologio quiescente & loco suo affixo, rota in circulum mouentur & optime designant horam: ita toto homine quiescente, cor quod est veluti horologium vita, pulmones & spiritus qui sunt veluti rota, agitantur, & agitatione sanitatem firmiorem reddunt. Nihil dicam de quiete in forma, principio, & fine, ex qua rerum omnium naturalium salus & conseruatio pendet: nihil hic de cælo Empyreo, ab Astrologis & Theologis (vt superius ostendi) posito, quo tanquam toto quiescente, reliqui cæli vt partes, suas rotas & gyros faciunt. Sic vel in minimis dubiis (vt vides) philosophia, quæ prima fronte nullius vsus esse videntur, inueniri à studioso veritatis potest vsus amplissimus, vt omni curiositate

Cor velut horologium vita.

& su-

& superstitione relicta, Deum in operibus suis minimis & maximis admireris.

Distinctio quinta quæstionis, An ex vno absurdo concesso sequantur multa?

In hac quæstione cõsideranda sunt
- Distinctio
  - Erroris, qui est *lapsus opinionis, non recte discussa veritate:* hic autem contingit: vel ex
    - Ignorantia simplici, quæ meretur veniam.
    - Ignorantia crassa quæ meretur pœnam.
  - Absurditatis, quæ est *errantis sententia edita contra veritatem*, & hæc cõtingit, vel ex
    - Negligentia, si incauti
    - Ignorantia, si indocti
    - Malitia, si cõtentiosi
    - } simul.
- Ratio negãdi, aut non permittendi absurditatẽ, quæ est, vt antea appa ret:
  1. A contrario, quia absurditas est infesta veritati.
  2. A proprio, quia proprium eiusdẽ est, specie veritatis incautos & indoctos in odium veritatis trahere.
  3. A simili, quia vt vna scintilla alias gignit: ita vna admissa absurditas alias necessario infert.
  4. Ab euentis, quia absurditate permissa, cæcitas & ignorantia facile in omni scientia triumphabunt.
  5. Ab experientia, quæ docet quotidie absurdos asinos in omni scientia dicere & docere omnia: quod certe non contingeret, si veritas sola (quæ est materia veluti prima cuiusq; scientiæ) coleretur.

Argumenta contra quintam quæstionem.

Opp.

Aristoteles falsigraphos elenchos & fallacias sophistarum definit: ergo videtur absurditates admittere: nam in istis omnibus absurditates insunt. *In lib. de Reprehens. Sophistarum.*

Resp. *Non ideo definit istas sophistarum technas vt amplectaris, sed vt easdem cognitas facilius euitare possis, iuxta illud:* Mala cognita facilius euitantur.

Opp. *Probabilia admittuntur in omni scientia secundum Aristotelem: sed sæpe probabilia absurda sunt: ergo sæpe absurda ab eodem permittuntur. Minorem probo, quia sæpe speciem solam veritatis habent, cum tamen à veritate sint aliena. Hinc illud.* Omne verum est probabile: sed omne probabile non est verum: *vt opiniones de quadratura mūdi, aut de illius æternitate, sunt quidem probabiles, sed non sunt vera: si ergo absurditas sit error vel opinio à veritate aliena (quæ absurditatis definitio aliquando in probabile cadit) rationem non video, quin admisso probabili, etiam absurdum permittatur.*

Lib 1. Topi. c. 1. Probabile quid, vide Ari. lib. 1. Rhet. ca. 2.

Resp. *Probabile* est quod videtur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, iisdemque aut omnibus, aut plurimis, aut illis solum qui sunt spectatæ & insignis sapientiæ: *hæc quidem definitio probabilis nunquam in absurdum cadit. Nam quamuis omne probabile non sit verum: non est tamen à veritate alienum, sed videtur esse verum: neque est in probabili solum species veritatis, sed ipsa plerunque veritas, quæ in absurdo nunquam apparet si probe examinetur. Postremo probabilitas nec fallax est, nec falsa. non fallax, quia in ea non est intentio fallendi. non falsa, quia medium est probandi veritatem. At absurditas semper mendax est, & omni veritate caret. Quamuis ergo paradoxa aliquando hominum spectata sapientia sint re ipsa falsa, rationes tamen quibus in demonstratione suarum opinionum vtuntur, non sunt falsa sed probabiles, eademque permittenda, donec probentur esse falsa. Nam probabilitas comes est opinionis, quæ inter habitus mentis annumeratur, in disquisitione & indagine veritatis: absurditas vero est comes semper falsitatis.*

Probabilitas comes est opinionis: absurditas vero falsitatis.

Oppo.

Si absurda non sint permittenda in scientia, tum non sunt admittenda argumenta in veritatem: sed argumenta in veritatem sunt admittenda: ergo etiam absurda. Sequela maioris ex eo constat, quia argumenta in veritatem sunt à veritate aliena, & idcirco absurda, vt ex definitione absurdi patet.

Resp.

Resp. *Aliud est proponere argumenta in dubiam veritatem, vt illustrior fiat: aliud est absurda sine intentione discutiendæ veritatis effundere & effutire. Neq; sunt argumēta in veritatem contexta sic à veritate aliena, vt absurda: quia illa simpliciter inter probabilia, hæc vero inter falsa habentur*

Opp. *Tyrones in omni scientia infinita errata & absurda effundunt. in quibus tamen est conniuendum, ne penitus a studio philosophiæ deterreantur: sunt ergo aliquando permittenda absurda. Præterea, Aristo. docet tentandi causa aliquando falsa proponi. Vt ergo venena suum vsum in medicina habent: ita absurda in philosophia. Imo vt bonus artifex ex malo corio bonum calceum aliquando fingit: ita ab absurdo & impoßibili. quod est plane falsum, nonnunquam philosophus pulcherrima argumenta petit.* Elench. lib. 1 c. 2.

Resp.

Tyrones quidem ignari rerum sæpißime absurde errant, sed nemo prudens illos errare docet, aut permittit. Quod vero conniueat aliquando, hinc est, vt tenerrima ingenia excitet ad studia, non vt commendet errata. Licet ergo tentare illorum ingenia fallacibus & etiam falsis aliquando, sed non imbuere, probare aciem, non obtundere. Postremo vt definiuntur venena in medicina: ita ab Absurdo & Impoßibili ducuntur argumenta in philosophia: non vt hæc vel illa recipiantur, sed vt euitentur ab omnibus. Nam hic est vsus locorum ab Absurdo & Impossibili, vt vanitas eorum, qui contradicendi studio delectantur, magis elucescat: vtq; absurdum & impossibile, monstra veritatis, ab omni scientia exulent, & exterminentur.

Oppo.

Licet philosopho aliquando de iure suo discedere, quando cum ignorante disputat: ergo licet absurdum concedere. Argumentum tenet, quia de iure discedere est falsum: & rationi minus consentaneum est, dare aduersario, vt quid possit in falso efficere probetur, cum nihil concludere ex veris possit.

Resp.

Licet aliquando hoc vel illud concedere quod est falsum vut minus consentaneum rationi si aduersarius sit ignarus, & digreßiones inutiles & otiosas faciat. Sed attende, ita li-

cet concedere, vt moneatur aduersarius ignorantia sua, vtque intelligat se nugas agere, & causam de qua disputet non vulnerare.

Opp. *Vt temperatura corporis nulla tam pura est, qua omni labe & humorum intemperie careat: ita nulla est scientia tam vera, tam firma & absoluta, qua nullam absurditatem, nullum erroris naeuum & lapsum habeat. Quare vt in optima temperatura corporis non est incommodum labeculam videre: ita in scientia non est alienum à ratione nubeculam aliquando erroris & absurditatis admittere.*

Ad temperaturam enim proxime accedit homo vt hēt Galen. in lib. de Temperamentis.

Lib. 1. Poster. cap. 22.

Resp.

Hac similia docent, sed non concludunt firmiter: est enim temperatura varia: at scientia constans, firma & perpetua; *leuis in temperatura labecula non nocet, sed error in scientia est vulnus, materiamq; scientia, nempe veritatem, plurimum eneruat. Ratio ergo à simili non sequitur, quia non est par vtriusq; in simili comparatio.*

CAPVT V.

1 *Vtrum principia recte definiantur? & An vt propria vel aliena ad effecta moueantur?*

2 *Vtrum contrarietas seu discordia in principiis sit magis causa rerum, quam eorum vnio seu concordia?*

Quæstio prima.

QVanquam communis & trita sit hæc prima huius capitis tractanda thesis, *Vtrum principia recte ab Aristotele definiantur?* quoniam tamē in ea quiddam abditum & abstrusum delitescit, eandem paucis explicandam puto. Principia ergo sunt *entia prima rerum, qua nec ex sese, nec ex aliis sunt, sed omnia ex ipsis fiunt.* Vt huius definitionis interpretatio illustrior sit, sciendum est nomen *principii* latius patere quam nomen *causa*: quippe ad rationem principii satis est, si ex eo tanquam ex primo res aliqua sit, fiat, aut cognoscatur: ad rationem autem causæ, hoc non satis est, nisi res ab illa esse, essentiam, aut existentiam habeat, & ab eadem dependeat. Rem exemplis aperiam. Locus à quo proficisceris, principium viæ, non causa viæ: priuatio principium

Definitio principii.

Huius lib. tex. 42.

Principii nomen latius quā causa nomen.

Principii & causa distinctio.

principium generationis, non causa generationis dicitur. Procedam: *principia sunt entia prima rei*, hinc entia rationis excluduntur. Addit Philosophus *quæ non sunt ex aliis*, ratio est, quia sunt ipsa omnium prima: prima intelligo in eodem genere, id est, prima physica, non metaphysica: nam sic Deus & Intelligentiæ priora principia esse superius ex Aristot. à nobis demonstrantur. Pergit, *quæ non sunt ex sese* quia sunt contraria prima, vt postea declarabitur. Concludit *ex quibus omnia fiunt*, id est, omnia effecta naturæ, quæ cũ ex se fieri non possint, necessario à principiis ortum petunt. Quid multis? hęc prępositio, *ex*, toties in textu ingeminata, discrimen ponit inter principia interna & causas externas rerum: quæ sunt *finis, efficiens*, & *exemplar*: quippe ex his (si proprie & philosophice loquamur) res nulla naturalis constat. Est enim efficiens causa, à qua, non ex qua: est finis ad quem, vel propter quem: est exemplar ad cuius imaginem vel imitationem res fiant. Iterum percurram breuiter. Per primam partem definitionis, non solum excluduntur entia rationis, sed etiam entia per accidens, primæq; intentiones dialecticæ, quæ entia rei dicũtur, nõ quod ita sint, sed quod rem proxime & immediate significent. Per secundã partem excluduntur quatuor elementa, aliaq; composita quæ ex se inuicem fieri soleant. Per tertiam excluduntur cœlestia corpora, quæ licet ex se mutuo non fiant, conficiuntur tamẽ ex aliis vt ex materia & forma. Per quartã deniq; partẽ excludũtur oẽs incorporeæ substantiæ, omniaq; accidentia, & vniuersim ea, ex quibus nullum cõpositum naturale oritur.

Principii definitio explicatur.

Efficiens, finalis, & exemplaris causa quæ.

Secretũ in hac definitione est, vt intelligas, quomodo ferantur principia ad effecta producenda, & quomodo vniantur in illis, An scilicet ex se, vel ex potentia insita? non dices ex se, quia nihil à seipso mouetur: nec ex potentia insita, quia potentia accidens est, at nullum accidens inest principiis antequam effecta fiant. Quem ergo sensum habeat hæc definitio principiorum ab Arist. tradita? nempe quod sint entia rei prima, ex quibus inter se vnitis vniuersa fiant. Si nõ moueantur principia, nec ipsa vniri, nec ex ipsis res fieri possũt: at quomodo vniũtur aut mouẽtur, cũ neq; ex se, neq; vi aut facultate aliqua insita moueantur? Sed dices insita virtute & facultate vniri ad se inuicem & moueri. Recte: est ergo illa

Secretũ in definitione principiorum, quomodo feratur ad effecta producenda.

Lib. 3. Phys. cap. 1.

insita facultas, aut eadem cum principiis, aut nō est eadem: si eandem dicas, idem saxum voluis: nam sic idem à seipso mouebitur, quod est absurdum: si sit diuersa tum accidens erit in primis principiis antequam effecta fiant, quod est à ratione & philosophia alienum, quę principia causas esse omnium substantiarum naturalium & accidentium definit. Quid sequitur? vt agnoscas vsum huius quæstionis, qui ponitur in confessione æterni Numinis, vnde hic motus, hæc vnio principiorū fluit. Nā certū est vi sua non posse moueri, non posse vniri principia ista naturalia in effectis, nisi sit vis q̃dā diuina, eadēq; occulta nō sensu sed solo intellectu percepta, quę principiis per se immotis hunc motū, hāc legem, hanc vnionem tribuat. Concludam ergo, vt semina mandata terræ per se non possunt fructum omnino producere, nisi sol, qui est causa omnium in generatione rerum, lumine & influentia sua vim vitę in illis excitet: ita certe hæc principia rerum naturalium nullum effectum possunt producere, antequam prima causa, sedens veluti ad puppim, vim quādam dederit vt moueantur. Quid frontē corrugas? nihil hic doceo contra Aristotelem. Nam is docet, Deum causarum causam esse, primumq; motorem omnium. Si omnium, principiorum ergo: nam aliter omnium non esset motor.

Vsus huius quæstionis.

Deus causarū causa secundū Aristotelem.

Quæstio 2.

Sequitur altera quęstio, *Vtrum contrarietas seu discordia principiorum sit magis causa rerū quam eorum vnio seu concordia?* Primum in hac quæstione docebo, principia physica esse contraria, tum contrarietatem eorum non esse magis causam rerum quam vnionem & concordiam demonstrabo. Vt contrarietas principiorum accuratius intelligatur, contrariorum distinctio tradenda est. Cōtrarietas ergo sumitur duobus modis, proprie & communiter. proprie pro repugnantia formarum agentium & patientium, mutuoq; se expellentium ex eodem subiecto capaci vtriusque, nisi earum vna insit à natura: sic *calidum* & *frigidum*, *humidum* & *siccum* contrariantur: communiter trifariam, aut pro repugnantia differentiarum diuidētium genera in qualibet categoria: & sic est prima contrarietas in quolibet genere: aut pro repugnantia duorum terminorum simul non cohabitantium in eodem subiecto, à quo vel propria vi, vel aliena expelluntur: aut deniq; pro repugnantia priuationis & habitus,

Contrarietas duplex

bitus,& sic hoc loco principia dicuntur cõtraria. Sed attende modũ: materia non opponitur formæ, nec forma materiæ: quid ergo? certe priuatio opponitur formæ: sed distinguenda est forma distinguenda etiam priuatio. Forma est actu habita, vel habenda. Priuatio est vel simplex negatio entis, vel mixta, quæ partim ens negat, partim ponit: hæc priuatio, non illa principium dicitur: & hæc, non illa, nunc formæ habendæ, nunc formæ habitæ contrariatur: formæ habendæ, vt si catulus non videat ad præscriptum & definitũ videndi tempus à natura: formæ habitæ, vt in mutatione elementorum constat. Sed de hac re posthac pluribus dicemus, cũ de priuatione, cæterisq; principiis speciatim agetur.

Principia quomodo contraria.

Forma quotuplex.

Priuatio duplex.

Nunc adhibẽda sunt argumẽta quibus Arist. probat principia esse prima contraria. Probat hoc ipsum in textu tribus argumentis: ab Authoritate, à Definitione, à Necessario. ab authoritate omnium philosophorũ, vt ait: qui vnanimi cõsensu posuerũt, principia esse contraria. Nam etsi Parmenides, Melissus, Democritus vnũ posuerint principium: vi tamen veritatis coacti, tandẽ inuenerunt plura, eademq; inter se contraria statuerunt. sed lapsi ẽt sunt in hoc (vt ait philosophus) quod vnus ignẽ & aquam, alter rarum & densum, tertius solidum & vacuum principia rerum esse somniarit. A definitione cõtraria esse probat hoc modo: Principia definiũtur *entia prima, quæ nec ex sese mutuo, nec ex aliis sunt, sed ex ipsis omnia:* prima autẽ contraria ita se habent: ergo principia sunt prima contraria. Assumptionẽ confirmat ratione & exemplis: ratione, quia si prima contraria aliunde fierent, ipsa non essent prima: si a se inuicem, non essent cõtraria: si ex illis non fierent omnia, sequeretur quælibet ex quibuslibet generari: at nihil nisi à cõtrariis consensu omniũ philosophorum oritur. Exemplis hoc ipsum docet, quia *album* non fit ex *musico*, nisi per accidens, cum contingat *musicum* esse *nigrum*, sed *album* fit ex *non albo* per se, id est ex *nigro*, vel ex *medio* in potentia vt fiat album. Tertia ratio à Necessario sic est. Omnia fiunt ab iisdem aut à contrariis: sed non fiunt ab iisdẽ: ergo fiunt à cõtrariis: sunt ergo principia contraria, à quibus procreantur omnia. Sed de contrarietate principiorum nunc ex textu satis.

Argumenta Aristotelis quibus probat principia esse contraria prima.

1. Ab authoritate.

Cap. 2.

2. A definitione.

Tex. 41.

3. A necessario.

Alteram partem quæstionis paucis attingam, *Vtrum cõ-*

trarietas seu discordia principiorum sit magis causa rerum naturalium, quam eorũ vnio & concordia? Defendo vnionẽ & concordiã esse magis causam, idq; non contra Aristot. Etsi.n.in textu doceat, principia esse contraria, magis tamen materię & formæ vnionẽ & consensum insinuat esse causam in cõstitutione rerũ, quã oppositionẽ priuationis & formæ. Hoc probo à natura contrariorũ, à principiorũ proprietate, à cõparatione horũ ad effecta, à similitudine, à definitione causæ, & à fine. A natura contrariorũ, quæ est, vt vnũ eorum sit infestũ alteri, impetũq; in se inuicẽ faciant, donec alterũ concidat & tollatur: nunquã.n.simul in eodẽ subiecto cohabitare possunt cõtraria: quãuis ergo priuatio sit necessaria, vt excitetur materia ad nouas formas acquirẽdas, fiatq; magna cũ varietate rerũ nouarũ successio, respectu tamen quo formas destruit, minus causa aut generationis aut conseruationis dici debet, quã cõiugalis (vt ita loquar) materiæ & formæ vnio, cõsensus, & copulatio: quippe in hac vnione, est ipsum esse rerũ, est cõstitutio, est cõseruatio, est res ipsa: nã quid aliud est res quã sua forma, quã priuatio tollit? A ꝓprietate principiorũ hoc ipsum cõstat: nã materię primę ꝓpriũ est esse subiectũ omniũ, in quo & sint & conseruentur: formæ aũt propriũ est, rebus nomen & esse dare: at priuationis propriũ, hoc nomẽ & esse tollere: magis ergo in amicitia & cõcordia principiorũ quã in cõtrarietate & discordia causarũ, rerũ naturaliũ cõstitutio eminet & emergit. A cõparatione principiorũ, quia si conferas principia inter se, facile aduertas, naturam eorum duo (nempe materiam & formam) adoptasse vt filias, abdicasse vero alterum (nempe priuationẽ) vt spuriam, vel potius vt viperam, quia in vtero naturæ veluti concepta, illius viscera (cum prodeat) vulnerat & exedit. Quod vero materiam & formam vt filias natura amplexetur, priuationem autẽ solum vt spuriam retineat ad vsum, hinc liquido constat, quia in nobilissimis & augustissimis effectis suis, nempe cœlestibus corporibus, materiã & formam admittat, ab illis aũt longissime priuationẽ arceat & expellat: Imo si probe attendas, eandem ægre admittit in orbes elementorum, in quibus etsi partes lædat, tota tamen suis formis spoliare non põt. Sic semper videas naturam matrem esse per vnionem materiæ & formæ in omnibus tum

efficien-

Vnio & concordia principiorũ magis est causa in constitutione rerum.

A natura contrariorum.

Arist. de lõg. t. & breuit. vitæ c. 2.

Cap. de quantitat. & 2 Topic. cap. 7.

Priuatio materia & forma vnio.

Cicero in Somnio Scipionis.

A proprietate principiorum.

Phys 1. tex. 82. Met. 5. c 1.

A comparatione.

Materia & forma naturæ filiæ, priuatio vero spuria.

Priuatio partes elementorum, non tota elemẽta suis formis spoliare potest.

efficiendis tum conseruandis, priuationem vero nouercam, quæ licet varietatem temere & per accidens inducat, entia tamen absoluta sparso quasi veneno tollit: idq; in singularibus solum operibus naturæ, aut partibus, quę propter infirmitatem & impotentiam resistẽdi, illius tyrannidẽ & furorẽ non possunt retundere. In singularib. dico, quia huius vel illius hominis, leonis, aut arboris formam tollat, hominem aũt, leonem, aut arborem in specie tollere non sinit natura. In partib. ẽt dico, non in totis, vt constat in elementis, quorũ partes aliquando priuationis inuidia pereunt, cum tota elementa firma & inconcussa maneant. Quis ergo non videt, hac cõparatione facta, ex amplexu materiæ & formæ, i. ex vnione & consensu principiorum, magis quam ex diuortio & discordia, res naturales generari, esse, & conseruari? Ratio à simili vim suam & pondus habet: quia vt concordia vocũ in musica, ciuium in repub. humorum in corpore, est magis causa concentus, pacis, & sanitatis, quam discordia: quæ tamen in omnib. est aliquo modo vtilis & necessaria: ita quidem vnio principiorum in constitutione rerũ est quidem magis causa quã contrarietas & dissensio, licet per accidens & ex parte non sit illa inutilis & otiosa. Si hic mireris quod dixerim discordiã esse aliquo modo vtilẽ aut necessariam in musica, ciuitate, corpore humano: intelligas velim, me per discordiã non odium, sed leuẽ vocũ, ciuium, aut humorum contentiunculã insinuare: & sic certe ex contrariis vocibus musica, ex diuersis ciuib. respub. ex repugnantibus humorib. corpus humanum constat. Est.n. in optima cõstitutione dissensio quædã humorũ, quæ dũ lãcibus iustæ naturæ pendeat librata, recte intẽperies dici non poterit, donec aut læsio actionis, aut dissolutio fiat. Hęc vero læsio, hęc dissolutio solum à priuatione formæ aut facultatis nascitur. Quinta ratio à definitione causę est, quippe causa id definitur, cui⁹ vi elicitur effect⁹: sed priuatio nõ est omnino causa: & q igitur fieri põt, vt cõtrarietas aut discordia principiorũ quæ solũ à priuatione fluit, magis causa rerũ quã vnio & cõcordia dicatur? Si de his q̃ iam dico quicquã omnino dubites, memineris materiã & formã verissimas causas rerũ esse, priuationem autem causam neç esse, nec dici posse, vt omnes & singuli philosophi confitentur. Postremo finis naturæ est

4 A Simili.

Contrarietas & dissensio principiorũ per accidens vtilis.

Discordia in vocibus, ciuib. corpore quomodo vtilis.

5. A definitione causæ.

6 A fine.

ipsa forma seu perfectio rei, ad quam vi propria fertur. Finis autem priuationis est ipsa negatio formæ: cum ergo oppositio principiorum in sola priuatione sit, quæ negat formā: sequitur necessario vnionem principiorum esse magis causam rerū, in qua est perfectio: quam eorum oppositionem, in qua formæ negatio inest. Ex hac vnione (si placet) discas, esse vnam causam, in qua rerum omnium essentiæ vniantur: quæ causa materiæ primæ manum dedit, vt apprehendat formam, vim formæ dedit, vt perficiat materiam, vtriq; vim dedit, vt omnia naturæ opera ex illis fiant.

Distinctio prima quæstionis, Vtrum principia physica recte definiantur? & an propria vi ad effecta ferantur sua?

In explicatione principiorum consideranda sunt

- 1 Distinctio nominis, quod principiū sumatur, aut
  - Respectiue, idque vel
    - 1 Intentionaliter, & sic est relatio, quæ conuertitur cum effectu:
    - 2 Realiter, & sic nomen principii latius patet quam nomen causæ: nam priuatio principium rei nō causa dicitur.
  - Absolute, idque vel
    - 1 Communiter pro causa.
      - 1 Metaphysica.
      - 2 Mathematica.
      - 3 Dialectica.
    - 2 Proprie & physice, vt hoc loco definitur.
- 2 Definitio, nempe vt *principia sint sentia prima, quæ neq; ex sese inuicem, nec ex aliis oriantur, omnia vero ex illis fiant.*
- 3 Definitionis expositio in suis partibus: quæ sunt quatuor, quarum
  - 1 Vna est, quod sint *entia prima*: hinc excluduntur entia rationis, artis, & per accidens.
  - 2 Altera, vt *ex se inuicem non sint*: per quam partem excluduntur quatuor elementa, & composita, quæ ex se inuicem fiunt.
  - 3 Tertia, vt ex *aliis non fiant*: per quam

partem cœlestia corpora excluduntur, quæ licet à se inuicem non fiant, ex aliis tamen fiunt.

4 Quarta, vt *ex iisdem conficiãtur omnia*, per quam excluduntur incorporeæ substantiæ & accidentia, ex quibus nullum compositum naturale oritur.

4 Ratio, qua mouentur principia ad effecta, quæ est per

1 Vim influentem à prima causa, quæ est communis & externa.

2 Vim insitam & propriam, nempe appetitum in materia acquirendi formam, & desiderium formæ perficiendi materiam.

3 Motum in vtrisque vnitis, quo veluti vehiculo feruntur ad compositum quodlibet generandum.

4 Priuationem, quæ est negatio formę, vnde materia imperfectior reddita, naturaliter ad appetitum nouæ formæ incitatur.

Argumenta contra primam quæstionem, An principia recte definiantur.

Vnum principium est causa alterius: ergo male definiuntur principia, vt à se inuicem non fiant. *Antecedens probatur, quia forma cuiusq; rei naturalis à potentia materiæ elicitur, vt ipse Philosophus docet. Si ergo causa sit, cuius vi elicitur effectus, & si ex vi & facultate materiæ eliciatur forma, sequetur necessario, materiam esse causam formæ, & per consequens vnum principium esse causam alterius.*

Resp.

Aliud est ex alio fluere, aliud est fieri: forma quidem ex potentia materiæ fluit, non fit, vel (si placuerit) sic responde: Educi formam ex potentia materię *nihil aliud est, quam materiam esse habilem docilemque ad recipiendam formam, qua aut vi propria aut communi mouetur ad perficiendam materiam. Si quæras vbinam sit illa forma antequam ad materiam accedat? dico in potentia naturæ delitescere, non autem vt ens actu, sed vt ens quod fieri possit. Si vlterius quæras, quænam sit illa natura, in cuius sinu delitescat forma?*

Forma fluit ex potentia materia, non fit.
Educi è potentia materia quid.

respondeo, vniuersalem illam naturam, quæ in materiam & formam diuiditur. Si deniq; adhuc non acquiescas, sed quæras an natura hanc ex se potētiam, vel aliūde susceptam habeat? desino replicare, & agnosco Deum, qui hanc vim & legem naturæ primisq; principiis dedit.

Opp.

Cælum non fit ex tribus principiis: sed cælum est res naturalis: ergo omnes res naturales ex tribus principiis non fiunt. Maior constat ex Aristotele lib. 1. de Cælo cap. 3. vbi docet, cæli formam non habere contrarium: id est non habere priuationem.

Resp.

Cælum consideratur quoad essentiam & quoad existentiam.

Cælum consideratur duobus modis: vel ordine naturæ quoad essentiam, vel ordine disciplinæ quoad existentiam suā: priori modo etsi ab Arist. dicatur æternū, materiā tamē in illius constitutione quoad essentiam formæ priorem esse, ex philosophia docemus: priorem dico non tempore, sed natura, non ratione principii, vt constituat formam, sed ratione subiecti vt eandem recipiat. Si hoc (inquam) modo cōsideretur cælum, non est absurdum in eo priuationem ponere, nō quod vnquam in sua existentia caruerit forma, sed quod ordine naturæ & essentia vniuersalis naturæ (quæ est principium motus & quietis in cælo) ab ipsa materia cæli priuata, respectu formæ habendæ, ad materiam signatam, respectu formæ habitæ procedat. Vbi vrges ex Aristotele formam cæli non habere contrarium: Respondeo, non habere quod illius actione opposita tollere possit illius essentiam.

Cælum non habet contrarium quod actione opposita illius formam tollat.

Opp. Natura est principium materiæ & formæ: ergo principia aliunde fiunt. Antecedens probatur, quia materia & forma sunt species naturæ: at species sunt effecta sui generis: sunt ergo materia & forma effecta naturæ.

Resp. Fallax est argumentum à rebus ad voces. Vel, si placet, respondendum est, materiam & formam non fieri à natura vt à termino vnde generatio incipit, quæ solum ratio essendi hoc loco intelligitur Illud quoq; non est negligendum responsum, quod natura sit genus analogicum non verum.

Materia & forma non fiunt à natura, vt à termino generationis.

Natura genus analogicum nō verum.

Opp.

Hæc definitio omnibus physicis principiis non conuenit: ergo male traditur. Antecedens constat, quia non conuenit

Socratis

Socratis principiis. Ratio est, quia ex principiis Socratis non oriuntur omnia.

Resp. *Hæc verba nimirum*, ex ipsis sunt omnia, *priuatiue sumenda sunt, vt intelligamus rem quamlibet naturalem ex tribus suis principiis fieri: non positiue, vt dicamus ex cuiuslibet rei principiis oriri omnia.*

Ex principiis omnia fiunt priuatiue non positiue.

Opp. *Accidentia quædam sunt res naturales vt primæ & secundæ qualitates, motus, & actiones rerum: sed ista non fiunt ex tribus principiis: ergo omnia ex tribus principiis non fiunt. Minor constat, quia accidentia non propriè fiunt, sed fluunt (vt aiunt) à potentia rerum, quibus insunt.*

Resp.

Accidentia naturalia quædam esse & fieri dicuntur, non quod ex materia aut forma constent, sed quod necessario cõsequantur principia, ex quibus res naturales propriè fiant.

Accidentia naturalia quomodo fieri dicantur.

Distinctio secundæ quæstionis, Vtrum contrarietas seu discordia principiorum sit magis causa rerum, quam eorum vnio vel concordia?

Spectanda hic sunt
- 1 Contrarietas principiorum, quæ est hoc loco nec aduersa, nec relatiua, nec contradictoria, sed sola priuatiua: eademq; nõ simpliciter sed ex parte negatiua seu mixta (vt aiunt) respectu formæ habendæ: quæ nondum est in materia, sed est in potentia vt sit in ea.
- 2 Vnio principiorum, quæ est, vel
  - 1 Naturalis, eademque vel
    - 1 Interna à
      - 1 Natura vniuersali cõmunicata materiæ & formæ.
      - 2 Propriis potentia insita vtrique.
    - 2 Externa, per
      - 1 Motum vnius principii ad alterum.
      - 2 Finé causamq; motricé, vt hac vnione facta, res naturales & fiãt & conseruẽtur.
  - 2 Accidentalis, quæ est à priuatione causa sine qua non istius vnionis.

3 Confirmatio quęstionis, q. vnio principiorũ sit magis causa rerum, quam oppositio: & hæc cõfirmatio cõcluditur à

1 Natura contrariorum, quę est vt eorum vno posito, alterum tollatur: magis ergo vnio materiæ & formæ causa rerum est, quam formæ & priuationis oppositio.
2 Proprietate principiorum, quia materiæ proprium est subesse, formæ perficere, priuationis tollere perfectionem.
3 Comparatione principiorum, quorum duo entia positiua, alterum negatiuum dicitur.
4 Similitudine concordiæ & discordiæ in *musica, ciuitate, & corpore humano,* vt supra.
5 Definitione causæ, *cuius vi elicitur effectus:* sed priuatio non est causa rerum.
6 Fine & intentione naturæ, nempe forma & perfectione rerum, quam ipsa priuatio oppositione tollit.

Argumenta contra secundam quæstionem. Vtrum principiorum contrarietas seu discordia magis sit causa rerum, quam eorum vnio vel concordia?

Opp.

Aristoteles negat amicitiam esse principium rerum, probatque hoc loco nihil fieri nisi à contrario: ergo videris esse ingratus Aristoteli qui defendas contrarium: nempe amicitiam esse magis causam rerum quam discordiam.

Resp.

Amicitia non est principium rerum, sed amicitia principiorum, magis est causa, quam eorũ discordia.

Negat quidem Aristoteles amicitiam esse principium rerum: sed non negat amicitiam principiorum esse magis causam quam discordiam: & vbi dicit nihil fieri nisi à contrario, intelligit hoc ipsum per accidens, non per se: quippe vbiq; id habet, quod ex materia & forma res per se, ex priuatione autem res per accidens fiant: magis ergo à concentu & harmonia principiorum, quam à discordia rerum essentia pendet.

Opp.

Opp. *Oppositio est magis causa formæ quam vnio: ergo oppositio est magis causa rei quam vnio. Antecedens probatur, quia non est vnio, si non sit oppositio: si ergo oppositio sit causa vnionis, erit & causa formæ, quæ pars vnionis dicitur. Nam quicquid est causa causæ, est causa effectus.*

Resp. *Concedo oppositionem inter priuationem & formam esse per accidens causam formæ, quia priuatam materiam ad formam acquirendam excitet; nego tamen causam aut formæ aut rerum naturalium esse per se, vt materia & forma dicuntur esse.* *Oppositio inter priuationem & formam est causa per accidens.*

Opp. *Id magis causa dicitur, quod magis efficit vt res fiant: sed oppositio seu discordia principiorum magis efficit vt res naturales sint, quam eorum vnio: ergo oppositio principiorum est magis causa quam eorum vnio. Assumptio probatur, quia non potest esse omnino vnio materiæ & formæ, nisi oppositio naturam ad eandem vnionem moueat: Materia enim à natura est subiectum aptum ad omnem formam, forma in potẽtia materiæ latet, priuatio vero solũ hoc efficit, vt materia feratur ad formam, vnioque & consensus vtriusque fiat.*

Resp. *Idem semper respondeo, nisi vehementius vrgeas; nempe id magis rerum caussam esse quod magis efficit vt res fiant, si id efficiat per se & non per accidens, positiue, vt aiunt, non negatiue, vt priuatio.*

Opp. *Nullum accidens potest esse causa rerum: sed omnis vnio principiorum est accidens: ergo nulla vnio principiorum potest esse causa rerum. Maior constat ex Aristotele, Minor probatur, quia vnio nec est de essentia principiorum, cum principia esse possint sine vnione, nec de essentia rerum, quia per principia vnita, non per vnionem res definiuntur.*

Resp. *Vnio principiorum duplex est; realis quæ est de essentia rerum, intellectualis quæ vi mentis in comparatione principiorum ad res effectas nascitur, & sic non est de essentia rerum: priori modo accepta vnio duplex est; confusa primorum principiorum, & sic generatim contracta in definitione cuiusq; rei naturalis, & sic speciatim est de natura rerum.* *Vnio realis est de essentia rerum confusa generatim, contracta speciatim.*

Opp. *Aristoteles in textu dicit* ex quolibet non fieri *Text. 4.*

quodlibet, nec ex eodem sed *simpliciter* ex contrario. *Nam inquit*, album non fit ex musico, nec ex albo, sed ex nigro aut non albo. *Non ergo vnio, secundum Aristotelem, potest esse causa rerum physicorum, quæ solum & simpliciter à contrariis fiunt.*

Resp. *Hoc verbum* simpliciter, *aut* per se, *non habet Philosophus in textu. argumentũ ergo nego. Si vero vrgeas exemplum albi, quod ex non albo fiat; dico verum hoc esse, ita tamen vt si modum constitutionis consideres, non per se album à non albo, sed per accidens fieri intelligas, fit enim proprie à suis vnitis inter se principiis; vnio ergo est magis causa quam oppositio.*

CAP. VI. ET VII.

An duo principia sufficiant ad essentiam rerum absoluendã?
An ex non substantia oriatur substantia?
An tria sint tantum principia rerum naturalium? & An eorum numerus sit realis?

CONtrarietate principiorũ à Philosopho declarata, accedit iam ad eorum multitudinem demonstrandam, & primum contra veterum opiniones probat, nec vnum esse, nec infinita, nec duo solum, nec plura tribus; sed lites fugio, theses tantum reconditas ex hisce duobus capitibus (nimirum 6. & 7. in quibus de numero principiorum disputatur) eximo & decerpo, quæ limam & aciem ingenii postulant.

Quæstio 1. Quæritur primo, *An duo principia sufficiant ad essentiam rerum absoluendam?* sufficere quidem dico. Sed antequam in arenam prosilio, audio equidem strepitum multorum exclamantium, me nouas voces & opiniones spargere, nouasque philosophiæ quasi merces profundere & nundinari. Silentio facto, data qua patientia ostendam me esse semper Heliotropium, id est sequacem Aristotelis, à quo vel latum vnguem libenter discedere & dissilire nolim. Dico iterum, duo solum principia sufficere ad essentiam rerum absoluendam, & verbo breuissime id dico, quod argumentis statim demonstrabo; duo quidem sufficere per se, aliud autem requiri per accidens. Dum hoc ipsum probem, attentas aures (quæso) accommodes. Et quoniam fulmina minaris ex Aristotele, ab illius authoritate primum incipiam, qui idipsum

De Heliotropio vide Plin. lib. 2. c. 41. lib. 18 cap. 26. lib. 22 cap. 21.

Duo principia ad generationẽ absoluendam per se. per accidens tria conueniunt.

psum loquitur quod hic defendam. Nam in myriade locorum hoc habet, iam auribus tritum, & in scholis frequentissime iactatum, quod *rerum essentia solum ex materia & forma constet.* Dialectica hoc axioma probat; Metaphysica, quæ est communis scientia omnium, non negat, res ipsa plura principia ad completum suum esse non requirit: non est ergo vt inaniter & otiose alia vt necessaria postulemus; sed ad firmiora veniam, & à primis elementis dialecticorum argumenta petam. Primum igitur quæro quid sit definitio? est inquis *definitio oratio qua quid sit res, per genus & differentiam quam breuissime ostendit. Per genus & differentiam* ais? quid per *genus & differentiam* intelligis? materiam & formam, aut ea saltem, quæ materiæ & formæ locum & proportionem tenent. quid? an hæ duæ solum partes essentiam complent? quid ni? nouam ergo opinionem contra Aristot. hoc loco non intriui, cum dicam solum duo principia, nempe materiam & formam sufficere ad essentiam rerum absoluendam. Minus virium non habet ratio quam à diuisione interna deducam: est enim interna diuisio, generis per differentias essentiales in suas formas distributio. Hinc discimus, genus tamquam materiam confusam, ad speciem per differentiam, quasi per formã distinctam contrahi. Vt ergo species totum & completum suum esse à partibus internæ diuisionis habet, aliasque non requirit, ita sane comparatione facta ad rem naturalem essentialiter perficiendã, aliud præter hæc duo non requiritur principium. Quid axiomata & aphorismos Aristot. aliorumque sapientum confertim ad hanc rem probandam accumulem? hoc vnum sufficit, *frustra fieri per plura, quod fieri possit per pauciora:* at in hoc ipso capite iisdem verbis vsus Aristot. idipsum docet, docet (inquam) duo tantum esse principia quoad essentiam rerum, quæ vnione materiæ & formæ, non priuationis oppositione constat, nihil enim priuatio facit. Quid? nihil priuatio facit? opportune quidem id infers. quoniam hic aliud argumẽtũ à natura priuationis nascitur; breuiter (si placet) sic argumentor.

1. Ab authoritate.

2. à definitione.

3. A diuisione.

4. A communi loco.

Priuatio est negatio formæ, negatio autem nihil facit, priuatio ergo nihil facit. non facit, ergo res ab illa non fit: res ab illa non fit, ergo ab aliis fiat necesse est: at ab aliis fieri

5. A natura priuationis.

non potest quam à materia & forma : fit ergo ab illis vt à propriis & vnicis principiis suis. Firmius hoc argumentum efficies, si ex ipso textu obserues hæc duo, scilicet, *nec contrarium ex contrario fieri, nec substantia quicquam contrarium esse*: verba hæc sunt Philosophi, at diligenter attende in quem sensum repeto. Agnosco equidem hinc conari Aristotelem tertium probare principium præter materiam & formam, quia aliter principia non essent contraria, quod antea calculis omnium philosophorum ratum & decretum habuit, quia aliter (inquit) principia non essent contraria, quasi diceret, necessario principia debent esse contraria, sed materia & forma non sunt contraria : ergo aliud ponendum est principium nempe priuatio, qua repugnante formæ, principia existant contraria. Huc tendit tota hæc mea oratio, vt liquido constet secundum Aristotelem materiam & formã sufficere ad essentiã rerũ. Nã aliter nõ addidisset in tex. *nihil ex contrario fieri*. cũ tamẽ ante plane huic oppositũ defenderit, nẽpe *omnia ex contrario fieri*. Si recõciliationem locorum quæras, hic sensus est. *Nihil ex contrario fit*, id est, nihil ex contrario fit per se, omnia tamen ex contrario fiunt, id est, omnia ex priuatione per accidens fiunt. Hinc illud, *priuatio est principium per accidens, non per se:* & illud, *priuatio est principium generationis non rei generatæ*. Priuatio enim est terminus *à quo* generationis, & terminus *ad quem* interitus; incipit enim generatio à priuatione, & in priuationem definit corruptio. Quid addam? proprietates duæ substantiæ hoc ipsum manifeste docent. Vna est quod *substantiæ nihil sit contrarium*, altera quod *ex non substantia non fiat substantia*; vtræque proprietates expressæ sunt in textu: hinc duo argumenta sic colligo. Nihil est contrariũ per se substantiæ : ergo per se solum duo principia, nempe materia & forma, existunt; nam si adderetur priuatio, tum concedendum esset aliquid substantiæ esse ex necessitate contrarium, quod hic hic negat Philosophus. Præterea, si ex non substantia non fiat substantia, sequetur necessario eandem ex priuatione non fieri, quia priuatio non est substantia, & si concedas ex priuatione nullam substantiam fieri, necesse etiam est vt concedas duo solum principia, scilicet materiam & formam ad substantiam cuiusque rei naturalis per-

Text 52.

6. A proprietate contrarii.

Nihil ex contrario fit per se, sed omnia ex contrario id est, priuatione per accidens.

7. & 8. à proprietatibus substantiæ.

perficiendam & absoluendam sufficere. Sed audire mihi videor garrulos illud semper vrgẽtes, *omnia ex contrariis fieri*, vnde & concludunt substantiam ex contrario & non substantia fieri. Echo sum & te verbero hanc vocem, fieri æquiuoce non vere, per accidens non per se, negatiue vt à *causa sine qua non*; non positiue aut à *causa perficiente* aut definiente effectum. Non est quod solem sereno in cœlo lucentem digito demonstrem, addo tamen hanc rationem à simili, quod sicut ars se habet in suis operib. perficiendis, ita se habet natura in suis effectis: sed ars sic se habet in suis operibus perficiendis, vt nihil præter materiam & formam ad eorum essentiam absoluendam requirat: ergo natura plura ad suorum effectuum essentiam absoluendam non requirit. Propositio perspicua est, quia ars imitatur naturam. Minor constat exemplo, quia in statua Cæsaris præter materiam, (puta æs, argentum, aut aurum & figuram Cæsaris) nihil ars statuas conficiendi postulat. Finem non facerem si à fine & intentione naturæ rationem depromerem, at tacere non possum, quod natura à materia vt à termino à quo incipiat, & in forma vt termino ad quem desinat. Hinc motus, hinc quies naturæ, motus à materia, quies in forma, in qua finis & perfectio operis, id est, rei naturalis integra definitio & generatio inest. Quorsum ergo plura venamur principia præter hæc duo, ad absoluendam rerum naturaliũ essentiã? hæc certe sufficiũt. plura igitur nõ sunt requirẽda. Altera quæstio est, *An ex non substantia oriatur substantia?* Oriri quidem aliquo modo affirmo, at nimis seuerus censor es (Cato) opinionis meæ, antequam me aut loquentem aut confitentem reum habeas, quorsum (quæso) contrahis frontem? rationes meas & argumenta audi, teque iudicem non recuso. Scio equidem & libenter confiteor, Aristotelem in textu hãc sententiam habere, nimirum *ex non substantia substantiam oriri non posse*. Vis vno verbo vt exponam? *absolute*. At (ais) quid est hoc ipsum *absolute*? nil aliud certe quam (vt dixi) simpliciter & complete. Eloquere articulatius, vt te videam. Hoc est ergo quod dico. Ex non substantia absoluta, simplici, completa, oriri posse substantiam, & hoc certe non est contra Aristotelem, qui ex materia prima (quæ est ens, vt ait, completum, confusum, indi-

9. A simili.

Phys. lib. 2. c. 1.

10. A fine.

2. Quæstio.

Prima ratio ab authoritate Aristotelis.

ſtinctum, ſola potentia non actu cognitum) omnia fieri, & hic & vbique docet. Sed eſto; licet à materia prima primum argumentum ſumam, veni tamen mecum & audies hoc argumento acutiora. Non diffiteberis (vt opinor) rē naturalem non fieri antequam forma accedat. At vnde hæc forma naturalis rei ſingularis naſcitur? A potentia materiæ dices, ſi ſynodo omnium philoſophorum credas. Quid (quæſo) eſt hæc potentia materiæ? ſi dicas eſſe ſubſtantiam, erras: nam nec materia nec forma eſt; quid ergo eſt? certe non ſubſtantia; ergo ex non ſubſtantia oriri poteſt (vt vides) ipſa ſubſtantia. Res hæc apertior eſt in generatione rei ſimplicis, cuius terminus à quo exiſtit materia priuata habēda forma: ſed quid aliud eſt hæc materia priuata quā rudis, raſa, & indigeſta tabula, quæ nec corporea nec incorporea ſubſtantia dicitur? & certe ex conſequenti nulla: ſequitur ergo ex non ſubſtantia fieri aliquando ſubſtantiam. Zabarella vir quidem doctiſſimus hoc aliiſque ſimilibus argumentis motus, oppido & impenſe quærit quomodo à materia prima ſit ſubſtantia, & cum vltro citroque acute & ingenioſe diſputarit, nodum non aliter reſoluit, quam dicendo materiam eſſe ſubſtantiam, quia ſemper ſub forma corporea oblitescat. Quaſi diceret (omitto iſtud *quaſi*, nam aperte dicit) eſſe indefinitam & indeterminatam corpoream ſubſtantiam. Sed tanti viri pace dicam, hoc non eſſe verum, quia materia prima ſic non eſſet prima ſed ſignata, & quia eſſet tum actu non potentia; non eſt ergo ſimpliciter ſubſtantia, imo non eſt omnino vera ſubſtantia, ſi proprie de ſubſtantia loquaris, ſed ens rude, informe, inchoatum, confuſum, quid addam? incertum, analogia ſolum, vt ipſe Philoſophus ait, non reipſa cognitum. Siue ergo ex illa, ſiue ex potentia illius res ſimplex fiat, recte concludas ex non ſubſtantia ſubſtantiam fieri & generari: ex non ſubſtantia completa, ſi materiam; ex non ſubſtantia ſimpliciter, ſi potentiam ſpectes. Nonnihil etiam hic me mouent ea verba Ariſt. in textu, cum dicat *omnia quæ fiant fieri à contrariis*. Non inhærebo verbis, at hęc verba attentius lege. *Omnia* (inquit) *quæ fiant, à contrariis fiunt*; ſed à contrariis fieri non poſſunt niſi à priuatione, quæ non eſt ſubſtantia: ergo à nō ſubſtantia fieri poteſt ſubſtantia, ſi à cōtrariis fiat.

2. A potentia materiæ.

3. A modo generationis.

In lib. de Materia prima.

4 A comparatione materiæ & priuationis.

Si

Si vrgeas hic à priuatione quidem ſubſtantiam fieri per accidens ſolum, libenter tecum conſentio; at fieri concedis: ergo à non ſubſtantia per accidens fit ſubſtantia; quod quidem ſi concedas, non video quin dicam ſubſtantiam ab efficiente cauſa & fine (quæ inter externas cauſas annumerantur) fieri. Concedo hæc omnia fortaſſe dices; audi ergo, ſi hæc concedas (vt rem paullo ſubtilius proſequar) hoc vnum à te peto, an iudicem in hac re eliges Ariſtotelem? ſcio te illius authoritatē non recuſare. Eſto igitur, is dicit priuationem eſſe eandē numero & natura cum materia prima; concludo igitur, ſi à non ſubſtantia fiat ſubſtantia, cum à priuatione fiat; à materia quoq; tamquam à non ſubſtantia ſubſtantiam fieri; cum priuatio primaque matera vnum numero & natura ſint, vt Philoſophus in textu docet, & poſtea ex eodem demonſtrabitur. Leuiter attingo argumentum à contrariorum natura, vnde ſic poſſis diſputare. *5. A contrariis.* Corruptio deſinit in ſubſtantiam (vt corruptio embryonis in hominem, ſeminis in plantam, oui in pullum) ergo generatio à non ſubſtantia incipit. Ratio tenet, quia contrariorum contraria eſt natura. Poſtremo, ſi libram naturæ iuſta manu teneas, & in vnam lancem materias, in alteram formas rerum velis coniicere, videbis coactus vim quandam occultam, qua hæ ſignatæ materiæ & formæ copulentur, imo qua fiāt ipſæ formæ, ſi diligenter conſideres. Nam procul dubio hæ formæ non ſunt ſepultæ & immerſæ in Chao rudique materia antequam res fiant, non ſunt (inquam) omnino. Vbi enim ſunt? aut vnde fierent? non certe in materia, quia illa eſt ens ſolum in potentia ad formas; non à materia, quia vt eſt illa ens ſolum in potentia, ita eſt principium mere paſſiuum, vt hic docet Philoſophus. *Lib. 2. de Anima cap. 1. tex. 2. Metaph. lib. 9. tex. 16.* At in productione formę requiritur actio aut actiuum aliquid, quod non eſt materia, nec vero poteſt eſſe forma, quia adhuc forma non eſt, & ſi eſſet, ſeipſam non poſſet producere. Quid tandem? ſi hoc actiuum ſit aliquid, idq; nec materia nec forma, ſequitur neceſſario ſubſtantiam quæ ſit, ex non ſubſtantia fieri, ſiue formam quæ adhuc non eſt; ſiue ipſum compoſitum quod à forma (adhuc non ſubſtantia facta) naſcitur, conſideres.

Vsus.

Huc in vtraque quæstione tendit animi conceptus mei, vt intelligas semper esse abditissimam in natura physica effectricem causam, quæ sedens ad clauum vertat nauem trahatque materiam ad formam, formamque producat in materia, vtramque denique coniungat in mixto, totamq; substantiam non ex substantia miraculose (si potentiam) naturaliter (si medium & modum spectes) procreet. Naturaliter dico, si medium spectes, materia enim & forma media sunt quibus vtitur Deus in procreandis rebus. Veruntamen quoniam istorum vnum sit ens solum exile & in potentia (materiam intelligo) alterum adhuc non subsistat (intelligo formam) compositum neque ex illa neque ex hac in primo motu naturæ vt à substantia oritur: ens enim quod est in sola potentia, vt materia, & ens quod ante primum motum & appetitum materiæ non est omnino, intelligo formam, recte non substantia dici possunt. Quare secundum Aristot. cum hæc vera sint, concedendum est ex non substantia substantiam aliquando fieri. Galeni & Hippocratis authoritates hoc loco non vrgeo, qui acutissime defendant primas qualitates esse formas elementorum, vnde potes concludere ex non substantiis aliquas substantias fieri. Si vero ad hoc centrum lineas illas rectas, quas duxi in tabulis creationis, antea ex Aristot. probabiliter à nobis confirmatæ, reducas; frigidam & inanem non esse hanc disputationem inuenies. Concludam omnia: vt ars statuam ex metallo & figura Cæsaris, domum ex lapide, lingno, & forma domus conficit, sed ita vt hæc omnia in animo artificis concepta, antequam res actu fiant sint solũ in potentia ad esse, diciq; vere nõ possint substantiæ, priusquã naturali motu artifex feratur ad opus: ita quidem res omnes naturales primi ordinis, adeoque earum prima principia, in vtero veluti naturæ concepta, eo vsque non sunt substantiæ nisi *in fieri*, vt aiunt, donec natura ipsa vi sua ad effectum actu producendum moueatur. Sic ex non substantiis & in arte & in natura (si primum ordinem & motum spectes) ipsæ substantiæ fiunt. Si dubites hoc loco quid velim per res primi ordinis; Respondeo, me illas intelligere quæ proxime & immediate à primis principiis fiunt. Sunt enim tres ordines & classes rerum naturalium, primus est earum quæ immediate à primis principiis oriantur,

Materia & forma media sunt quibus vtitur Deus in rebus procreandis.

Authoritate Galeni & Hippocratis.

Res primi ordinis.

Tres ordines rerum naturalium.

tur, vt *elementa* & *cælum*; secundus est earum, quæ mediate & remote constituantur, vt *corpora mixta*; tertius deniq; earum quæ solum per accidens fiant, vt sunt *accidentia naturalia*, quæ aut simplicia aut mixta corpora sequuntur.

Hactenus de secretioribus dubiis sex capitis, in quo etsi tria principia esse contendat probare, quoniam tamen ab initio eiusdem capitis ad textum 65. duo tantum ad essentiam rerum naturalium sufficere demonstret, de numero eorum (*An sint solum tria?*) adhuc non disputaui; disputabo nunc tamen paucis, partim quia Aristot. in hoc septimo capite hanc prouinciam suscepit; partim quia de numero eorum *An sit realis vel intentionalis?* fieri potest quæstio, in qua secretum Philosophiæ tegitur. De placitis hoc loco philosophorum nihil dicam. Scio equidem Platonem suis ideis, Pythagoram suis numeris, Democritum suis atomis, Empedoclem suis elementis, omnes & singulos à se inuentis principiis addictos fuisse: suum cuique opus pulcherrimum videbatur. Et certe non mirum, quia olim in incunabulis & fasciis vagiebat philosophia, & magni tum ingenii fuit, de illius principiis vel probabiliter disputare. Omitto (inquam) hæc omnia quæ vberius hoc capite Philosophus discutit, cuius de numero principiorum sententiam, vt oraculum in philosophia sequor. Relinquo igitur tricas & plumas aliorum philosophorum, venioque ad rem ipsam. Sit igitur hæc prima conclusio. *Principia prima sunt contraria*, vt antea demonstratum est, sed materia & forma, quæ rem naturalem definiunt, non sunt contraria: ergo tertium addendum est, nempe priuatio, quæ formæ contrarietur. Multus est Aristoteles in huius syllogismi partibus confirmandis, sed omnia sunt in textu obuia, & non opus habent luce aliena. sufficiet exemplum vnum proponere. Principia quæ ad hominis generationem concurrunt, sunt in primis materia & forma, è quibus illa hanc excipit, hæc illam absolute perficit: illa huius pulchritudinem, vt mas fæminæ speciem & formam, diligit, hæc in illius amplexu & gremio conquiescit; sic inter materiam & formam (vt supra probauimus) est nuptialis & casta quædam (vt ita dicam) societas vnioque: quæ dissolui non potest, nisi vi & impetu priuationis, quæ semper inter materiam & formam

Quæstio ex 7. cap.

Lege Cic. Academ. quæst. lib.

Principia tria sunt.

Ratio 1.

Exemplum.

Materia quoad appetitum fæmina, quoad dilectionem viro assimilatur.

dissidium diuortiumque facit. Est tamen ista priuatio dẽtata, præter materiam & formam necessaria; nã aliter materia prima quasi grauida parturire non poterit, sed semper inanis vacuaque formis laborabit. Exempli causa in vtero materiæ delitescit homo, est ergo apta materia ad recipiendam animam rationis compotem, formam habendam necessario vt fiat homo; at respectu huius formæ habendæ (animæ ratiocinatricis scilicet) materia adhuc in labore & partu priuata manet, actu vero signata est, materque facta, cum forma acquisita priuationem expulit. Priuatio enim in materia præfuit, & accessu formæ aboletur. Pergit Philosophus: *Principia generationis* (inquit) *sunt contraria & non contraria: inter contraria vnum est affirmatio vt forma, alterum negatio vt priuatio* (per *affirmationem* & *negationem* ens & non ens ex parte intelligit.) *Inter non contraria vnum est subiectum vt materia, alterum perfectio eiusdem subiecti, omnisque compositi ex eo vt forma: tria ergo sunt principia, vnum subiectum, alterum perfectum, tertium oppositum, hæc autem sufficiunt: ergo* (vt ait) *non sunt plura.* Tertia ratio in textu sic se habet; *Quicquid generatur progreditur à non esse*, id est, vel à nihilo simpliciter, vel à nihilo secundum quid, vt aiunt, quod caret adhuc perfectione sua: primum dari non potest, quia secundum ordinem naturæ non est creatio, quæ est simpliciter ex nihilo; dabitur ergo alterum, nempe quod proficiscatur à nõ ente secundum quid, id est, ex materia, in qua insidet priuatio rei, quæ gignitur: materia ergo, forma, & priuatio sunt tria; & hæc tria in omni generatione sufficiunt. Sunt ergo tria & non plura. Postremo per hæc tria generatio ab omnibus aliis generibus motus distinguitur: ergo hæc tria sufficiunt. Antecedens probatur, quia per priuationem secernitur a motu, qui ab ente positiuo incipit; per materiam à creatione, quæ nullum subiectum præsupponit; per formam à loci mutatione & alteratione, quæ in accidentibus solum ponuntur. Ex istis constat & emergit diuersa & distincta ratio principiorum, vt materia principium inchoationis, forma principiũ definitionis seu perfectionis, priuatio principium transmutationis dicatur. Hinc etiam & illud, duo esse principia constitutionis solum, nempe materiam

Materia priuata signata. Accessu formæ priuatio aboletur.

Creatio non est secundum ordinem naturæ.

&

& formam: priuationem vero alterationis.

Appendix seu adiunctum huius quæstionis (*An numerus principiorum sit realis?*) facessit magnũ negotiũ multis, sed quoniam in eo plus ingenii quam mysterii cernitur, attingam id solũ & verbis non immorabor. Hic numerus ternarius est sub specie numeri in quantitate. ternarius est, quia est numerus trium & non plurium aut pauciorum principiorum: est sub specie in quantitate, quia est indiuiduum ternarii numeri, idemque distinctum ab aliis, cum sit rerum ab aliis distinctarum; sic vnus ternarius ab alio ternario distinguitur, non quod vnus ternarius ab alio differat vnitatum multitudine ex qua constet, sed rerum quibus inhæreat varietate. Non me hinc conferam in Pythagoræ scholam, ne mihi quinquennii silentium imperet, antequam de hoc impari numero ternario disputem. Certe in hoc numero & denario (si Pythagoricis credas) Numen occultum latet: Binarius numerus principiorum par est, non non sufficit, ternarius vero impar est, at (vt est in prouerbio) *numero Deus impare gaudet*. Quid multis? Numero, mensura, pondere fiunt omnia. In numero binarius materiæ, ternarius vero formæ à Philone Iudæo assimilatur. In materia mutatio inest, in forma autem perfectio. Sed quo vado? reuertor ad institutum. Ternarius hic numerus realis est, vnumque subiectum habet. At (dices) tria principia sunt: ergo vnum subiectum non habet. Respondeo tria principia vnum subiectum aggregationis efficere, quod proprium subiectum multitudinis ab Aristotele definitur. Si dicas iterum ipsa principia animo solum comprehendi, & proinde illorum numerum non esse realem, dico non solum animo illa comprehendi, sed etiam res ipsas; quamuis difficillime à nobis cognoscantur.

Quæstio 2. ex 7 cap.

Numerus principiorũ ternarius sub specie numeri in quãtitate.

Vnus ternarius numerus non differt ab alio vnitatũ multitudine sed rerum varietate.

Laertius in vita Pythagoræ.

Pythagoram de numeris consultatum videre est apud Aristot. 1 Metaph. text 19 & lib. 13 & 14. Metaph.

Virgilius in eclog. 8.

Lib. Allegoriarum.

Numerus principiorum realis est.

Subiectum aggregationis est proprium subiectum multitudinis.

Si denique vrgeas esse prima principia, & solum esse in potentia ad res constituendas, & proinde non posse accidens illis inhærere, quod semper subiectum actu existens postulat, in quo inhæreat, dico considerari principia vel in suo proprio esse, & sic esse actu, vel in relatione ad effecta, & sic esse in motu & potentia ad hunc vel illum effectum producendum, quem natura ex illis fabricare intendit.

Principia dupliciter considerantur.

Et 6. cap.

Distinctio prima quaestionis. Vtrum duo solum principia sufficiant ad essentiam rerum absoluendam?

Porphyr. cap. de differentia.

Principia rerum naturalium considerantur duobus modis, vel

1 In motu & generatione rerũ, quę adhuc nõ fiant, in potẽtia tamẽ sint vt fiãt: & sic requirũtur

1 Materia, vt subiectum, à quo incipiat natura operari.
2 Potentia materiæ, qua excitetur ad appetendam formam.
3 Motus actiuus eiusdem potẽtiæ, quo veluti manu apprehendat formam.
4 Forma, quæ est finis & perfectio motus, id est, inchoatæ generationis.
5 Vnio, quæ est materiæ & formæ naturalis copula & consensio.
6 Priuatio, quæ est negatio formæ, vt in nouitate & varietate successionis natura perpetua fiat.

2 In quiete & perfectione constitutionis, & sic requiruntur ad rei genitæ essentiã absoluendã solũ duo principia, nempe materia & forma, vt probatur.

1 Ab authoritate Aristot. qui in 7. cap. idipsum probat.
2 A definitione dialectica, per genus & differentiam (quæ proportionem materiæ & formę habent) essentiam rerum absoluente.
3 A diuisione, in qua sufficit vt materia ad speciem per differentiã contrahatur.
4 A superfluo, quia frustra fit per plura cum hæc sufficiant.
5 A natura priuationis, quæ non constituit nisi per accidens.
6 A proprietate contrarii, quod tollit contrarium.
7 A proprietate substantiæ, quæ in essentia sua non admittit contrarium per se: ergo à contrario non fit.
8 A generali regula, quod à non substantia, substantia fieri non possit, & proinde non à priuatione.
9 A similitudine artis, quæ præter materiam & formam in suis operibus perficiendis nihil requirit.
10 A fine & intentione naturę, quę est incipere à materia sola, & in formam desinere.

Argumen-

Argumenta contra primam quæstionem, Vtrum duo solum principia sufficiant ad essentiam rerum absoluendam?

Opp. *Tota contentio Philosophi est in hoc primo libro, vt probet tria principia esse, eademque ad essentiam rerum necessaria: errorem ergo disseminas, qui contrarium defendas. Antecedens probatur, quia decies ad minimum ingeminãtur hæc verba in hoc libro,* Materia, forma, & priuatio ad cõstitutionem & generationem omnium sunt necessaria.

Resp. *Concedo hæc tria principia esse quidem necessaria ad generationem cuiusque rei naturalis, sed non ad essentiam rei genitæ. Generatio enim & motus rei requirit priuationem, essentia vero rei genitæ non requirit; quippe hæc tantum ex materia & forma coniunctis constat & absoluitur.* Tria principia sunt necessaria ad generationẽ sed non ad essentiam rei genitæ.

Opp. *Priuatio præest in materia antequam forma accedat ad rei genitæ essentiam perficiendam: ergo duo solum principia non sufficiunt. Antecedens constat ex Aristotele in textu, vbi docet* priuationem esse in materia prima quasi aculeum, quo excitetur materia ad formã habendam. *hinc priuatio negatio formæ habendæ dicitur. Argumentum tenet, quia si priuatio præsit in materia, materiaque non possit formam acquirere sine ea, sequitur necessario eandem vel ad ipsam essentiam rei esse necessariam.*

Resp. *Dico semper priuationem esse necessariam ad consequendam essentiam rerum, sed non ad absoluendam. In consequenda enim essentia modus rei secundum potentiam, absoluenda autem res ipsa secundum actum consideratur. Quamuis ergo priuatio præsit in materia, dum sit in fieri & motu (vt aiunt) euanescit tamen & penitus aboletur cum forma actu subsistat.* Priuatio necessaria ad consequendam essentiam re⁊ũ, nõ ad absoluendam.

Opp. *Praexistens priuatio in materia prima, ante acquisitam formam est eadem numero cum materia prima, aliudque nihil dicitur quam priuata materia: ergo si materia sit necessaria ad essentiam rerum absoluendam, priuatio quoque erit necessaria. Antecedens est in textu. Argumentum ab eodem sequitur.*

Resp. *Aliquid dicitur idem numero variis modis; nomine, definitione, proprietate, accidente; nomine, vt* Lætitia, Idem numero quatuor modis

dicitur, nomine, definitione, proprietate, accidente.

voluptas, delectatio; *definitione, vt* homo, animal rationale; *proprietate*, vt homo & risibile; *accidente*, vt ignis & calor: *Hac omnia libentius repeto, quia sunt alii qui asseverant materiam & priuationem esse eadem nomine, quia materia priuata dicitur; alii definitione, quia natura & à materia & à priuatione, vt ab vno termino generationis, motum incipit. Alii denique eadem accidente, quia priuatio est accidens materia. Ex his dico ad antecedens argumenti, praexistentem priuationem in materia prima esse eandem numero accidente; & ideo argumentum ipsum non tenere. Sed de hac re postea pluribus cum de priuatione fusius sit differendum.*

Lib. 1. Top c. 6. Priuatio eadē numero cum materia accidente.

Opp. *Materia ad essentiam omnium rerum naturalium absoluendam non est necessaria: ergo est inanis ista de omnibus assertio. Antecedens probo, quia inter res naturales accidentia ab Aristotele dicuntur, vt prima qualitates & quantitates, motus & actiones rerum naturalium, qua omnia non habent materiam, essentiam tamen habent, quia* (*vt docet Philosophus*) vnumquodque est qui in suo genere.

Res naturales vel per se vel ex consequenti: illa, nō hæ materiam in sua essentia requirūt.

Resp. *Res naturales sunt vel per se, vel ex consequenti; per se vt simplicia corpora, qua sunt primi ordinis, & vt mixta, eademque vel perfecta vt* animal homo, planta; *vel imperfecta vt* nix, ros & pruinæ, *qua meteora dicuntur: ex consequenti vt accidentia, qua vi motuque natura rebus primi vel secundi ordinis insunt. Res illa naturales, non hæ, materiam in sua essentia requirunt.*

Metaph 7 tex 21. & lib. 1. de Cælo. tex. 136. Lib. 1. de Cælo cap. 3. Materia prima ad cæli essentiam requiritur, non temporis sed natura ordine.

Opp. *Ad essentiam cæli absoluendam non requiritur materia prima: ergo ad essentiam omnium rerum naturalium non requiritur. Antecedens probatur, quia materia est* (*vt docet Philosophus*) *qua res esse & non esse potest: sed cælum has conditiones prima materia non recipit: ergo cælum materiam primam non requirit. Assumptio probatur, quia cælum est aternum & incorruptibile, resque diuina & non naturalis ideo ab Arist. dicitur.*

Cælum nō corrumpitur, quia forma cæli non habet contrarium quod possit vincere. & quia hec forma sic predominetur materia, vt peregrinas impressiones non admittat.

Resp. *Quastio salebrosa & anfractibus plena est*, vtrum cœlum ex eadem materia cum istis inferioribus mundi corpusculis constet? *quam* (*Christo auspice*) *accuratius posthac discutiam, si mihi iam senii languido vitam indul-*

serit;

ferit; interea vero loci dico requiri materiam primam non temporis sed naturæ ordine, ad essentiam cæli absoluendam: imo dico ex eadem materia constare cælū cum istis inferioribus. Si ergo quæras quare tum cælum non corrumpatur, cum materia sit quà res & esse & non esse possit; Respondeo, duplici de causa hoc fieri, & quia forma cæli non habeat contrarium quod possit vincere, & quia hac forma sic prædominetur materiæ vt peregrinas impressiones non admittat. Sic ergo disposuit natura ordine & locis omnia, vt superiora inferiora regant. Ad alteram partem argumenti dico, rem diuinam dici à Philosopho propter excellentiam formæ, quæ per motum, lumen & influentiam, aliarum omnium formarum in inferiore mundo quasi mater & nutrix sit. *Hinc* homo & cœlum dicuntur generare hominem *per* hominem *inferiorem partem mundi per* cœlum *superiorem eiusdem globum liceat intelligere. In illa enim parte materia, in hoc cæli globo efficiens omnium causa inest.*

Cælum res diuina propter excellentiam formæ.

Opp.

Monstrum est res naturalis, quia ex materia & generatione constat, sed caret forma: ergo ad omnem rem naturalem non requiruntur materia & forma, vt hic defendis.

Resp.

Monstrum non proprie res naturalis dicitur, sed error particularis naturæ, & ideo formam secundum ordinem & decorum naturæ non requirit. Vel (si placet) dicere & respondere potes, esse formam naturæ notam, quæ sic disposuit fieri. Et hic est verissimus vsus huius quæstionis, vt intelligas esse semper in operibus naturæ potentiam manum, quæ aliquando ipsam naturam in stadio suo percurrendo attonitam & incertam reddat, flectatque vt rector nauem, quo velit & quando placeat.

In operibus natura est semper potens manus quæ naturam quo velit flectat. Quæst. 2. in cap. 6.

Distinctio secunda quaestionis, Vtrum ex non substantia oriatur substantia?

Non substantia dicitur vel

- Inchoate & secundum potentiā, & sic *ex non substantia fieri potest substantia*, vt probatur à
  - 1 Materia ipsa, quæ est inchoata substantia solum, non actu completa: & ideo sæpe *non substantia* dicitur, tametsi omnia ex ea oriantur & fiant.
  - 2 Potentia materiæ, quę etiam est causa substantiæ per motum materiæ, & tamē hæc potētia proprie substātia nō est.
  - 3 Diuisione substantiæ, qua materia à nomine proprio substantiæ excluditur, cum non sit corporea, vel incorporea.
  - 4 Ab authoritate Aristot. qui dicit sæpissime substātias fieri à priuatione, quæ est *non substantia.*
  - 5 A ratione contrariorum, quia si corruptio desinat in substantiam, necessario generatio fiet à *non substantia.*
  - 6 Ab agente aliquo principio, vel efficiente causa, quæ in productione formæ est necessaria, at hæc causa efficiens, respectu rerum quæ fiunt, externa & *non substantia* dicitur.
- *Absolutè*, & sic *non substantia* sumitur, aut pro
  - 1 Non ente simpliciter, id est, pro nihilo, aut negatione in contradictoriis.
  - 2 Non ente ex parte, idque vel
    - Intentionaliter, pro ente rationis, quod est aut
      - Simplex, vt *genus et species.*
      - Cōplexū, vt *propositio.*
    - Realiter, idq; vel
      - Negatiue, vt est *priuatio.*
      - Positiue, vt *omne accidens naturale.*

Animad-

Animaduersio vtilis.

Notandum est quod ex non substantia non fiat omnino substantia, *si* non substantia *sumatur vt in secunda parte vniuersalis distinctionis exponitur. Quippe non ens, intentio, priuatio, affectio seu accidens, simpliciter & absolute* non substantiæ *dicuntur, & proinde ex illis substantia non fiunt.*

Argumenta contra secundam quæstionem. Vtrum ex non substantia oriatur substantia?

Opp. *Defendebas antea secundum philosophiam creationem: ergo inepte hoc loco defendis ex non ente simpliciter, id est, ex nihilo non posse fieri substantiam.*

Creatio est secundum philosophiam, non secundum naturam.

Resp. *Defendebam equidem antea esse secundum Philosophum & philosophiam creationem, non tamen secundum naturam. Sapit enim (vt tum dixi) philosophus multa vltra vires sortesque natura, rationeque id probat, quod natura non potest efficere.*

Opp. *Aristoteles docet in textu*, ex priuatione fieri substantiam: *ergo male ponis in secunda parte distinctionis, ex priuatione fieri non posse.*

Resp. *Fit substantia à priuatione & non fit. fit per accidens, & non fit per se.*

Substantia fit à priuatione per accidens non per se.

Opp. *Fit substantia à potentia materia (vt defendis in prima parte distinctionis) sed potentia materia est accidens: ergo ab accidente fit substantia, quod in 2. parte distin. negas.*

Resp. *Ægre & ferociter persequeris interpretationem meam; sed respondeo, potentiam materia duplicem esse; primam, qua appetit formam, & hac actiua; secundam qua recipit formam, & hac passiua dicitur: illa quidem est inchoate substantia, & eadem ex parte cum materia prima, vt prima potentia anima cum anima: hac vero secunda potentia est accidens. Cum ergo in prima parte distinctionis probem oriri substantiam à potentia materia; potentiã illam actiuã, non passiuã intelligo, & illa quidem substantia dicitur si inchoatiue, non substantia si perfectiue nomẽ* substãtiæ *sumas.*

Potentia materia duplex, actiua qua formam appetit, passiua qua recipit: ex prima qua inchoate est substantia oritur sustãtia, non ex secunda, que accidens est.

Opp. *Ex non substantia non fit substantia omnino: ergo falleris in opinione. Antecedens probatur, quia qualis est causa talis est effectus; si ergo causa non sit substantia, effectus non poterit esse substantia.*

Resp. *Opinio mea non est, ex non substantia simpliciter*

secundum naturæ ordinē (de quo solum hic loquar) fieri substantiam: sed ex non substantia secundum quid, & ex parte, ut antea in tabula demonstraui.

Opp. *Materia est simpliciter non substantia: ergo ex non substantia simpliciter fieri potest substantia. Antecedēs probatur, quia si materia sit substantia omnino, aut est absoluta aut inchoata: non absoluta, quia nec corporea, nec incorporea est: non inchoata, quia tum ens in motu esset. at materia illa prima, quam fingit Philosophus est ens simpliciter passiuum, (ut ait,) & semper in potentia. Præterea cum sit (ut ait Arist.) ens confusum & indigestum, ostende quomodo ex ea infinitæ partes veluti ex massa ceræ eximantur in quas temperatas imprimantur formæ. Certe videtur hoc fictum ab Aristotele principiū, & non simpliciter substantia unde res naturales fiant.*

Lib. 2. de Anima.

Resp. *Est aliquid quod urges. sed laruam depone, velum tolle, & apparebit veritas. Dico igitur materiam non esse absolutam substantiam, sed inchoatam: ergo est in motu, ais. Concedo, at est principium simpliciter passiuum, ut addis, id quoq; concedo esse verissimum ex se, sed ui potentiæ in se actiua monetur, ut supra in distinctione apparet. Et ut concludam, omnia huius potentia motu partes illius variis formis rerum coaptantur.*

Materia est substantia inchoata, & in motu vi potentiæ actiuæ.

Opp. *Generatio est non substantia simpliciter, sed per generationem fit substantia: ergo ex simpliciter non substantia fit substantia. Maior constat, quia generatio est accidens. Assumptio probatur à definitione generationis, quæ est* progressus à non ente ad ens.

Lib. 5. Phys. text. 7.

Resp. *Generatio est motus, & quasi vehiculum materiæ. quo ad formam vehitur non autem propriè rei causa dicitur: est mediū per quod, non principium ex quo oritur substantia.*

Generatio est medium per quod, non principium ex quo oritur substantia.

Opp. *Qualitates primæ sunt simpliciter non substantia, & tamen ex illis oriuntur elementa, ut Galenus docet: ergo ex simpliciter non substantia oritur substantia.*

In lib. de Elementis.

Resp. *Galenus primas qualitates inter formas substantiales annumerat, non quod sint substantiæ, sed quod aliæ elemētorum formæ non sint notæ nobis. Cum ergo dicit ex illis elementa fieri, intelligit illas sub ratione formarum, quarum in substantia vices gerunt, non sub ratione accidentium, ut sunt in Qualitate.* *Distin-*

Qualitates primæ formæ substantiales dicūtur, non quod sint substantiæ, sed quod veræ formæ non sint notæ.

Distinctio tertiæ quæstionis, Vtrum tria sint principia? & An eorum numerus sit realis.

Ex cap. 7. textu toto.

In rerum naturaliū generatione considerantur

- 1 Constitutio, ad quam requiruntur
  - 1 Materia, quæ vt subiectū recipit formas rerum, hinc materia assimilatur ceræ, rasæ tabulæ, luto figuli: quia in ea signari potest cuiuslibet rei imago, & ex ea res variæ pro arbitrio primæ causę mouentis fiunt.
  - 2 Forma, quæ essentialem perfectionem & distinctionē rerū efficit, & hæc duo principia constitutionem absoluunt intrinsecus, vt aiunt, sufficiuntq; ad essentiam rerum.
- 2 Transmutatio, & sic priuatio etiam requiritur, quia alias materia segnis & otiosa in perpetuum esset: hinc priuatio principium transmutationis, & stimulus materiæ dicitur, quippe acuit eandem ad nouas formas appetendas, quas appetitas consequitur per innatam potentiam & motum, vt postea demonstrabitur. Ex his colligitur, tria solum esse principia rerum naturalium; duo interna, quæ constitutionē; externum alterum, quod transmutationem respicit.
- 3 Ordo transmutationis, in quo spectantur
  - 1 Dispositio materiæ ad formam, seu aptitudo.
  - 2 Potentia mouens eandem dispositionem.
  - 3 Motus, quo ad formam hæc potentia & materia tendunt.
  - 4 Priuatio à qua, vt à termino à quo, hæc tria incipiunt.
  - 5 Finis seu conseruatio rerum, in qua intentio naturæ primum cernitur.

Argumenta contra tertiam quæstionem. Vtrum tria sint principia? & an eorum numerus sit realis?

Opp. *Forma est finis generationis, ergo non sunt tria principia generationis. Antecedens probatur, quia forma est causa propter quam existit generatio. Exempli gratia, in generatione cæli, natura quiescit, cum forma cæli acquiritur. Quid multis? in formis rerum est distinctio, quies, perfectio, & consummatio operis, quæ per se sunt proprietates finis. Argumentum sequitur, quia finis & principium distinguuntur. Si ergo forma probetur esse finis, principium non erit, & per consequens non erunt tria.*

Forma est perfectio compositi, nõ finis principii.

Perfectio interna formæ conuenit, externa fini.

Resp. *Forma finis & perfectio compositi est, sed non finis principii; quippe materia ad formam tendit, non vt ad finem suum, sed vt ad finem compositi. Præterea omnis perfectio non est propria passio finis; est enim alia perfectio interna, quæ est affectio formæ; est alia perfectio externa, quæ propriè fini conuenit. Quamuis ergo sit in forma cuiuslibet rei naturalis quies & perfectio, non tamen ea est, quæ per se finis dicatur.*

Opp. *Forma sequitur materiam: ergo non est principium primum, & ex consequenti non sunt tria principia prima. Antecedens constat. quia primum secundum Aristotelem, oportet esse subiectum formæ, quod aculeis ipsius priuationis motum appetat & acquirat formam. Præterea, forma omnis naturalis educitur ex potentia materiæ, vt ex Arist. constat: est ergo forma posterior materia. Exemplis infinitis hæc res probari potest, sed vnum omnium instar sufficiet. In hominis generatione primum oportet praexistere materiam, eandemq; fieri aptam ad recipiendum, ad quam sic praexistentem & præparatam anima rationalis accedit.*

Forma quoad essentiam propriam simul est cum materia, quoad existentiam in re, quam perficit, posterior est materia hac vel illa in constitutione rerũ singularium.

Resp. *Fallax est hoc argumentum à multiplici conceptu principii. Sed vt verbo respondeam, dico formam considerari posse bifariam, vel quoad essentiam propriã, vel quoad existentiam suam in re quam perficit; primo modo accepta forma simul est cum materia, vtraque principia prima in potentia naturæ, quæ in materiam & formam diuiditur; secundo autem modo sumpta, posterior quidem est materia hac vel illa in constitutione rerum singularium. quæ semper requirunt actu præparatam materiam, antequam inducatur*

tur forma. Quod addis ex potentia materiæ formam omnem naturalem educi, hoc non arguit formam à materia fieri, sed ab illius potentia fluere & emanare; neque concludit posteriorem esse ipsa materia, quia potentia materiæ coæterna est cum materia in qua delitescit forma: si ergo potentiam vtriusque species & essentiam, simul sunt prima principia; at quoad actum & existentiam in hac vel illa re constituta si consideres, materia prior, posteriorque esse potest: prior, quia requiritur vt sit præparata actu, aptaque ad formam, antequam actu forma fiat: posterior, quia post corruptionem formæ eadem materia ad tempus manet, vt in cadauere & planta *suis formis vitalibus spoliatis constat.*

Opp. *Ratio Aristot. in textu, qua probat priuationem esse principium, est nulla: ergo videtur quod priuatio non sit principium, & ex consequenti non sint tria. Antecedens probatur, quia si ideo priuatio sit principium quod ab illa tanquam a termino à quo incipiat generatio; rationem non video quo minus dispositio seu aptitudo & potentia materiæ sint quoque principia, à quibus non minus quam à priuatione generatio incipit. Similis ratio à forma languida & fere extincta rei alicuius deduci potest à qua forma rei iam iam quasi moritura non minus incipit generatio quam à priuatione: si ergo hæc priuatio sit principium rei iam sequentis, forma quoque illa peritura ob eandem causam principium erit, & sic erunt multo plura principia, pluresque termini à quibus iter naturæ in rebus generandis inchoatur.*

Resp. *Collegium Conimbricense docte respondet huic argumento, formam scilicet languentem aut abeuntem rei cadentis nec cōcludi per se in conceptu definitiuo generationis, nec requiri ad rei cōstitutionē omnino. nam si diuina virtute non esset rei præexistentis forma (vt fieri potest) rei tamen futuræ perfecta esset generatio sine ea; at sine priuatione esse nō potest. Est enim in omni generatione transmutatio necessaria. His positis ex Collegio addo idem respondēdum esse de appetitu, de potentia, de dispositione, motu, & aptitudine materiæ; quia hæc quidem in definitiuo & interno conceptu generationis per se non sunt, vt ab illis tanquam à principiis natura suum opus auspicari dicatur.*

Articulo 6. in cap. 7 Phys. Arist.

Forma abiens rei cadentis nec cōcluditur per se in conceptu definitiuo generationis, nec ad rei constitutionem requiritur.

Lib. 1. de Gen. & Corrup. text. 55.

Opp. *Causa efficiens definitur principium motus, quia ab illa mouere incipit natura in rei cuiuslibet generatione: plura ergo sunt principia quam tria; nam causa efficiens inter hæc tria non annumeratur. Huc adde quod absolutæ generationis notio aut notitia haberi non possit sine efficientis, finalis, & exemplaris causæ cognitione: si ergo priuatio dicatur principium, quia est in definitiuo conceptu generationis; causa non est cur hæc excludantur, cum generatio perfecte sine iisdem cognosci non possit.*

Causa efficiens est principium externum priuatio internũ principium generationis, sed rei genitæ principium per accidens.

Resp. *Causa efficiens est principium generationis externum non internum, vt antea ostendi, at priuatio est principium generationis internum, licet sit rei genitæ principium per accidens. Est ergo duplex notitia generationis; vel interna per tria principia, vel externa per efficientem finalem, & exemplarem causam, vnde demonstratio rerum ab effectis nascitur.*

Opp. *Priuatio est non ens; ergo non est principium: & proinde non sunt tria. Antecedens probatur, quia est negatio entis. Argumentum tenet, quia esse rei à principio pendet: ergo non ens non potest esse principium.*

Priuatio non est principium rei quoad esse sed quoad fieri.

Resp. *Priuatio non potest esse principium rei genitæ quoad esse, sed quoad fieri vt aiunt, recteque inter prima annumeratur in ratione principii, sed non in ratione causæ. Rei enim nullius causa est nisi per accidens, principium autem generationis est per se & vi sua, quia semper natura à priuatione incipit.*

Opp. *Infinitæ sunt partes materiæ, & earum quælibet est principium rei, quæ ex illa constat: ergo sunt infinita principia. Antecedens probatur, quia materia prima est diuisibilis in infinitas partes, vt ante probatum fuit seclusa quantitate.*

Principium particulare.

Resp. *Quælibet pars materiæ est principium particulare seu singulare, non vniuersale, de quo hoc loco agitur.*

Opp. *In quolibet corpore animato sunt duæ formæ diuersæ rationis, vna scilicet corporis, altera animati corporis: ergo videntur esse plura principia quam tria vnius & eiusdem rei, quod à Philosopho negatur.*

Resp. *Insidiosum & sophisticum est argumentum, à bene coniunctis ad male diuisa, quare non sequitur.*

Præterea

Præterea hic (vt modo dicebam) de forma in genere, non de forma ſingulari agitur: hoc dico, non quod ſit aliqua forma vniuerſalis quaſi omnium formarum mater, ſed quod in definitiuo conceptu (vt ita loquar) generationis formale principium, vniuerſaliter ſub intellectum cadat.

Vniuerſale principium quomodo.

Adiunctæ quæſtionis diſtinctio, Vtrum numerus principiorum ſit realis?

Numerus eſt vel
- Intentionalis, qui eſt, aut
  - 1 Infinitus animo ſolum conceptus, nullisq; rebus accommodatus.
  - 2 Finitus, quo nomina ſecundæ intentionis entiaq; rationis numerantur.
- Realis, qui eſt aut
  - 1 Numerans vt *animus*, qui ideo numerus dicitur, vel quia numero omnia cõprehendit, vel quia numerandi principium eſt, vel quia in eo eſt perfectiſſimus ternarius, cuius tres vnitates inter ſe diſtinctæ vnus animus eſſentialis fiunt, cui alia vnitas addi non poteſt. Numeratus, qui res numeroſa eſt multitudine diſtincta, vt *Socrates, Plato.*
  - 2 Quo numeramus, & hic numerus eſt principiorũ, qui probatur realis
    - 1 Quia eſt quantitas realis.
    - 2 Quia rebus ipſis, nimirũ principiis ineſt.
    - 3 Quia ceſſante intellectu manet.
    - 4 Quia definitionem entis realis ſuſcipit.

Argumenta contra adiunctam quæſtionem, Vtrum numerus principiorum ſit realis?

Opp. *Nullus eſt vſus intentionalis numeri: ergo diſtinctio inutilis eſt. Antecedens probatur, quia infinitus numerus non eſt omnino, ſed fictus animo, numerusq; finitus ille intentionum multiplex, æquiuocus & incertus, qui ab omni ſcientia exterminatur.*

Resp. *Vereor certe ne sim infinitus, si vsum numeri infiniti hoc loco docerem. Nam (vt Pythagorica mysteria numerorum omittam, in quibus nonnihil vsus inest) dic mihi quis numerus annorum, mensium, dierum, horarum, minutorum ab aeterno fuit? Tacentem audio, at si agnoscas infinitum actu numerū numerantem per se subsistere, in quem oēs rerū temporumq; vnitates cadunt, necesse est vt subintelligas esse aliquem vsum infiniti & transcendentis numeri, qui cū ente & bono in vnum principiū & causam omnium desinit. Taceo hic mathematicum huius numeri vsum, vt in Arithmetica* multiplicationum & fractionum; *in Musica* vocum & clauium; *in Astrologia,* motuum & aspectuum: *in Geometria,* magnitudinum & proportionum; *quae omnia numeris varia & infinita sunt, eoque tendunt vt infinitus numerus numerans in minore mundo, id est, animus in homine, infinitum numerum numerantem in maiore mundo, id est Deū esse, & omnibus praeesse intelligat. Quid addam dialecticum vsum huius numeri in numerandis & distinguendis intentionibus rerum, in quas alius numerus realis non cadit? intentiones enim res non sunt, & ideo reali numero non mensurantur. Postremo quemadmodum infinitum apud Philosophum definitur, partim vt illius oppositum, scilicet finitum intelligas, quod solum in effectis naturae mota cernitur; partim vt altius tandem assurgas animo, veramque potentiam infinitae naturae mouentis perspicias; ita cum Aristot. & Pythagora definimus numerum innumerabilem, partim vt cum finito numero rerum physicarū compares; partim vt ad primam & infinitam vnitatem omnium veluti per scalam naturae ascendas, in qua oēs rerū omniū essentia & numeri vniuntur, imo in qua omnia & singula dicuntur vnum.*

Infiniti numeri vsus.

Vsus numeri intentionum.

Opp. *Principia sunt vniuersalia: ergo eorum numerus non est realis. Argumentum tenet, quia vniuersalium numerus solum animo concipitur, vt ipsa vniuersalia, quae solius intellectus obiecta sunt, vt ante docuit Arist.*

Principia sunt vniuersalia realia non intentionalia, in intellectu obiectiue, in rebus singulis subiectiue.

Resp. *Principia sunt vniuersalia realia non intentionalia: eorum ergo numerus realis est. At vbi doces vniuersalia esse obiecta intellectus, libenter concedo quoad conceptum, non quoad subiectum vt aiunt. Sunt enim vniuersalia obiectiue in intellectu: subiectiue in rebus singulis quae iisdem*

substant; ut homo, animal, substantia *in hoc* homine, *in illo* animali, *in hac* substantia, *& sic* materia, forma, priuatio, *in* Socratis *aut* Platonis materia, forma, priuatione.

Opp. *Est solum realis binarius numerus principiorum: ergo non est ternarius, ut ais. Antecedens probatur, quia duo sunt tantum principia realia, nempe materia & forma: nā priuatio est non ens ut Arist. docet, & proinde realem huic numero unitatem non potest addere.* Lib. 1. Phys. tex 57.

Resp. *Aliquid dicitur non ens vel simpliciter, ut negatio in contradicentibus; vel ex parte ut in priuantibus. Priuatio ergo non est simpliciter non ens, sed partim non ens, ut negat & tollit formam; partim vero ens, ut materia appetitum excitat, aliamque formam introducit.* Priuatio partim ens, partim non ens.

Opp. *Arist. in principio huius capitis tribus argumentis probat priuationem & materiam idem esse principium numero, differre autem specie; Sed si materia & priuatio sint unum principium numero, ternarius principiorum numerus esse non potest: ergo perperam affirmas ternario numero mensurari.* Tex 79. & 67. Top. lib. 1. c. 6.

Resp. *Materia & priuatio sunt unum numero, non nomine, non definitione, non proprietate, sed accidente, ut materia priuata sua forma habenda dicitur. Sunt ergo materia & priuatio reipsa duo, quamuis ratione aliqua unum numero dici possint. Opportune quidem hoc loco moueri potest hac quaestio.* An priuatio sit ens distinctum à materia necne? *Et certe eandem non penitus omitto, si subsequentia argumenta diligenter legeris.* Materia & priuatio unum numero, id est accidente. An priuatio sit ens distinctum à materia.

Opp. replic. *Materia & priuatio specie differunt: ergo etiam numero differunt. Antecedens in tex. huius 7. c. quatuor argumentis à Philosopho probatur, 1. quia definitione distinguuntur. 2 quia unū eorū manet, alterū non manet. 3. quia unum ens, alterum non ens dicitur. 4. quia unum forma perficitur, alterum aboletur. Argumentum tenet, quoniam quae differunt specie, sunt aut ipsa diuersae species, aut indiuidua diuersarum specierum: sed & diuersae species & etiam distincta indiuidua diuersarum specierū numero differunt: ergo si priuatio & materia specie differant quod est magis, numero quoq; different, quod est minus. Quid addā? perspicua certe est ista contradictio in textu Aristot. uno fere spiritu edita.*

Materia & priuatio specie differunt, & numero, id est, definitione, non accidente.

Resp. *Vrges sine ratione, accusas sine causa; cõcedo equidem quod dicis, nempe materiam & priuationem differre specie. Sed quid hinc concludis? Ergo etiam numero differũt; concedo id quoque: sed attende, quod numero differant definitione, vt probat Philosophus, non accidente; quia priuatio & materia natura differunt, accidente autem conueniunt; non tamen sic accidente conueniunt, quasi vnum idemque accidens numero vtrique insit, sed quod priuatio praeexistens in materia sit accidens materia, quia adesse & abesse potest sine materia interitu, hinc cum adsit materia priuata, cum absit materia formata dicitur. Si ex his iam datis raptim concludas, materiam actu existere antequam acquiratur forma, quia priuatio vt accidens ei insideat; dico te aut parum intelligere quæ dico, aut peruerse interpretari. Nec enim hoc dico, quasi priuatio sit accidens aliquod positiuum in materia, sed negatiuum. Dicit enim negationem formæ, licet ex connotato (vt aiunt veteres) etiam subiectum aptum ad formam recipiendam præter negationem significet.*

Materia non existit actu ante formam. Priuatio nõ est accidens positiuum in materia, sed priuatiuum.

1. Opp. *Priuatio non est ens omnino distinctum à materia; ergo non videtur numero ab ea differre. Antecedens probo primum, quia priuatio est non ens: ergo vt ens ab illa*
2. *distingui non potest. Præterea si sit ens, aut erit æternum aut generabile (vt aiunt,) non illud, quia accessu formæ tollitur; non hoc, quia est principium generationis. Deinceps, si*
3. *sit distinctum aliquid in materia, sequeretur necessario tot esse priuationes quot sunt formæ (nam qualibet forma vnam priuationem praeexistentem habet,) sed formæ singulares sunt multitudine & successione infinitæ: ergo infinitæ etiam sunt priuationes, quod est absurdum. Hæc confertim in vnum cumulum & aceruum congero, vt multa paucis comprehendam, & illud vrgeam quod est instituti mei, nimirum reali numero ternario principia mensurari, cui contrarium hæc argumenta probare videntur. Nam si priuatio sit nihil, aut si non sit distinctum à materia omnino, numerus à nobis positus non erit.*

Priuatio est non ens priuatiuum non cõtradictorium.

Resp. *Istis obiectionibus antea satisfactum est; nam priuatio est non ens priuatiuum, nõ contradictorium, vt aiunt. Ad secundam & tertiam partem probationis dico, quod priuatio in specie sit coæua cum materia, in singulari autem generatione*

neratione ortuq; rerũ mutabilis, & hoc nõ est absurdum, (vt concludis) ponere. Distinctus ergo est principiorum numerus, distinctus ordo, distincta natura, vt in proximo capite ex definitionibus singulorum euidenter patebit. *Priuatio in specie coaeua cum materia in singulari generatione mutabilis.*

Quæstiones ex VIII. & IX. Cap.

Vtrum

1. *Materia prima creata sit?*
2. *Materia sit in omnibus rebus naturalibus?*
3. *Vlla sit vera & realis definitio materiæ primæ? & An sub intelligentiam cadat?*
4. *Materia & prima potentia re differant?*
5. *Materia prima sit inanis omni forma? & An formam vt propria appetat?*
6. *Forma ab æterno sit coæua cum materia?*
7. *Forma sit in re qualibet naturali?*
8. *Vlla sit vera formæ definitio?*
9. *Vnum ens numero ex materia & forma fiat?*
10. *Omnis forma educatur ex potentia materiæ?*
11. *Priuatio sit ens an non? &, An sit forma habenda vel habita.*
12. *Priuatio sit principium intrinsecum generationis, non rei genitæ?*

ETsi expositionem textus propter causas à me superius allatas lubens omittam; contendam tamen, a quis veluti ex fonte haustis, id est, argumentis ab ipso textu petitis, in dissoluẽdis nodis & quæstionib. inde emergẽtibus sitim studiosi lectoris extinguere. Nã vt illi qui ex riuis aquã bibunt, eãdẽ bibunt quæ ex fonte dimanauit: ita qui Arist. in quæstionibus recte discussis accurate percipiunt, eundem in textu ad viuum multo melius intelligent; quippe vt velis remotis & apertis fenestris fugantur tenebræ, & sole intromisso spectantur omnia: ita abditis & obscuris quæstionib. explicatis dẽsę quasi nubes & tenebræ remouẽtur, mentisq; lumine clariore facto singula textus pespiciuntur mysteria. Quo plura ergo dubia mouẽtur, eo minor erit de textu aut sensu Philosophi dubitatio. Hinc est quod in vnũ quasi aceruũ multas hoc loco quæstiones de materia, forma, priuatio- *Argumentis ab ipso textu petitis vtitur.*

ne accumulem, vt ea quæ confusius Aristot. in refutatione aliorum philosophorum libro hoc primo scripsit, distincta & manifesta fiant.

1. *Quæstio.* Prima quæstio est, *An materia prima sit creata necne?* Plato Atticus ille Moyses (vt Numenius philosophus illum appellauit) aliquid diuinitus præ aliis philosophis sapiens, materiam creatam ab æterno fuisse putat: & quid est (quæso Aristoteles) quod in hac opinione iuste reprehendas? iniquis calcibus præceptorem tuum diuerberas, cum idipsum alibi confitearis quod ipse sapienter posuit. Dic mihi, estne *Ratio 1.* materia prima? est certe. Ergo aut est ex se & vi sua, aut aliunde initium habet: priori modo non est, quia secundum tuá ipsius doctrinam, vt *nihil est ex nihilo*, ita *nihil à seipso nascitur*. Si ergo sit materia, aliunde suum esse habet. At vnde (quæso) nisi à Deo, qui infinitum essendi principium omni-*Ratio 2.* bus esse & bene esse dedit? Præterea quorsum in 8. Physicorum Deum actum infinitum, & in lib. de Mundo, causam, authorem & effectorem omnium appellas, si non vltra sortes & vires naturæ quicquam egerit? Egisse dices. Quid obsecro, si materiam primam coæternam cum ipso Deo tam *Ratio 3.* pertinaciter defendas? Deinceps nihil æternum absolute & simpliciter esse defendis præter Deum, imo nihil esse aut subsistere posse vi propria præter Deum. Quid addam? il-*13. Metaphys.* lud certe quod ipse doces, *omnes rerum omnium essentias ab infinitá causa esse & referri ad Deum*. Da veniam vt concludá: ergo materia prima nõ est æterna per se, nõ est ꝑ se, nõ subsistit per se, sed vt infima potentia ad infinitũ actũ, vt res ex nihilo creata ad primam causam, vnde essentiam & sub-*Ratio 4.* sistentiam habet, refertur. Da iterum veniam (Philosophorum princeps) si vehementius te argumentis premam. Defendis hoc loco materiam primam esse æternam, & fuisse semper omni forma vacuam: defendis etiam mundum æternum esse. At quomodo hæc cohærent? nihil (inquis) æternum simpliciter est præter Deum, & tamen materia & mundus sunt ęterna. Iterum mundus semper vestitus fuit forma, & tamen materia semper fuit omni forma vacua. Age, doce quod agnoscis, & hæc facile reconciliantur omnia. Imo doce aperte quod subobscure doces, nimirum *ex nihilo aliquid posse fieri*, vt *animam, spiritum, omnemq; incorpoream substantiam*,

stantiam, adde (si placet) ***materiam primam***: nam aliter certe modum inuenire nõ potes quo per se fiat aut subsistat. Vrgeo scientiam tuam qua ingeniose sapis, & demonstras *Deũ posse creare omnia, omniaque in Deo vnum esse*. Sed accuso peruicaciam ingenii tui, quod synodo philosophorum (cuius Præses ipse Plato fuit) condemnatus, aculeos in veritatem non deponas. Discipulus tuus fui quadraginta iam fere annos, & si quid ex te didicerim, hoc vnum ex te didici *Deum vnum esse* (agnosco præterea fide, quem tu ignoras, *Christum*) Ex te etiam didici hunc Deum esse causam primam, motorem primum, actum primum, ens primum, naturam primam, quam ipse *Naturam naturantem* nominas. Mihi ergo videor ex te sic posse argumentari. Est causa prima: ergo materiam fecit. Est motor primus: ergo materiam, quæ est natura sua segnis & immota, ad formam trahit. Est actus primus, ergo materiam primam potentiam finxit. Est ens primum: ergo materiæ primæ suum esse dedit. Est *natura* (vt loquar tecum) *naturans prima*: ergo materiam creauit primam, in qua (veluti in cera temperata) infinitas rerum formas & distinctas imprimit. Si non recte concludam, doce me quid discriminis esse velis inter physicum agens & Metaphysicum, cui infinitam essentiam, sapientiam, potentiam & prouidentiam tribuis. Infinitam essentiam (vt opinor) tribuis, quia dat essentiam omnibus, & est ipse vbique. Infinitam sapientiam tribuis, quia omnia præterita & futura, vt præsentia cernit. Infinitam potentiam tribuis, ni fallor, quia (vt ipse loqueris in lib. de Mundo & in Metaphysicis tecum non pugnas) effecit omnia, nullumque in agendo medium naturale postulat. Infinitam denique prouidentiam tribuis, quia disponit, regit, conseruat, numero, ordine, & mensura omnia, omnia (inquam) quæ ipse vel vt metaphysicum Agens in primordio mundi ex nihilo fecit, vel nunc physice secundum ordinem naturæ fieri & generari iubet. Verbo sic ex his arguo: est Agens (vt tu doces) metaphysicum, est Agens physicum & naturale: illud Agens sine medio (vt ais) aliquid efficere potest, hoc non potest; exemplis rem priorem illustras in incorporeis substantiis, quæ immediate ã Deo fiunt. Cur quæso (docte Philosophe) materiam non addis primam? Noui certe causam, quia Plato con-

Ratio 5.

Infinitã essentiam, sapientiã, potentiam, & prouidentiam Deo ascribit Aristoteles, & quomodo.

trarium dixit: scio tamen te idem cum Platone sentire, & ab illo verbis solum dissentire. Concludam ergo tuum in hac re sensum, nō verba, nimirum materiam primam non fieri, nō creari secundum ordinē naturę, quę nihil potest sine medio: fieri autem & creari secūdum potentiam diuinam, quā infinitā, immēsam, omniumq; effectricē tu ipse ponis. Sed esto: sequar ordinem naturæ quē nunc sequeris, & metaphysica mysteria tum loquar cum occasionē mihi loquendi dederis.

Materia prima non creatur secundum ordinem naturæ, creatur vero secundum potentiam diuinam.

Quæstio 2. Accedo nunc ad secundam quæstionem, quæ est, *An materia prima omnibus rebus naturalibus insit?* *Ratio 1.* Res omnes naturales ordine naturæ fiunt: ergo ex materia & forma constant: hinc primam materiam omnes philosophi vt fundamentum naturalis ædificii ponunt: eam si tollas ruunt omnia. Nam fundamento effosso quæ pars ædificii manet? *Ratio 2. Phys. 1. tex. 34.* Prętereа lex perpetua & inuiolata est, si ordinem naturę spectes, ꝙ nihil ex nihilo fiat; omnia ergo naturæ effecta ex aliquo gignūturꝙ prius extitit: hoc aūt aliquid est aut materia aut forma: at non est forma, (quia illa denuo in materiam inducitur,) ergo est materia, quæ recte *rerum omnium naturalium primum subiectum* definitur: *Ratio 3.* Præter hæc quæ à me dicta sunt, si conceptionem formarum naturalium consideres, inuenies materiam primam quasi matrem grauidam, vterumq; gerentem plenum, in quo ad definitum tempus rerum formæ conceptæ & inchoatæ sunt, quippe secundū Aristotelem formæ omnes physicæ emanant à materia, & ex illius potentia educuntur: sequitur ergo necessario materiā esse vnde res omnes naturales generētur. *Ratio 4.* Pulchre hocipsum probari potest à comparatis; nā vt in summo rerum gradu est vnus actus purissimus, nullius alterius indigens, efficiēsque omnium formarum, & tamē omnis mutationis expers, in quem series efficientium causarum vltimo definit: ita in infimo gradu aliquid esse oportet, quod sit mera potentia, omnium egena, formarum capax, & tamen per se informis & vacua, vi nulla effectrice prædita, & tamen ad omnes corporeas mutationes idonea, in quam patiėntium causarum ordo cadat & terminetur. Et quid hoc aliud est quam prima materia, quæ rebus omnibus physicis inest necessario? Lege Alcinoum de hoc argumento in lib. de Doctrina Platonis cap. 11. & Ficinum lib. 5. de Immortalitate animæ cap. 4.

Alcinous lib. de Doctrina Platonis c. 11. Ficinus lib. 5. de Immortalitate animæ. cap. 4.

Ratio 5. Postremo,

Postremo, cum res nulla naturalis in nihilum commutetur, nisi potentia diuina (quam potentiam sæpe vltra vires naturæ agere posse, in 8. Physicorum & Metaphysicorum 12. concedit Philosophus) cum inquam res nulla naturalis naturali ordine in nihilum commutetur, necesse est, vt sit aliquid in cuius veluti vterum & abyssum reuertantur omnia. Hoc autem aliquid non est forma, quæ in commutationibus rerum semper extinguitur: relinquitur ergo vt sit materia, quæ, vt est subiectum primum in constitutione, ita in resolutione vltimum definitur esse.

Sed hæc satis de ista quæstione. Ad tertiam nunc venio, quæ est, *Vtrum sit vlla realis & vera definitio materiæ? & An sub intelligentiam cadat?* Duo in hac vna quæstione complicata sunt dubia, alterum de essentia, alterum de intelligentia materiæ primæ. In essentia consideranda sunt etiam duo, nominis distinctio, & definitio. In distinctione nominis, quot homines tot sententiæ. Nam alii eam appellarunt *primam potentiam entis*, alii *vallem primæ caussæ*, alii *vmbram primæ essentiæ*, alii *sinum, gremium*, aut *receptaculum formarum*, alii *speculum naturæ*, alii denique *subiectũ primũ, elementũ primũ, matrẽ primã* rerũ cunctarũ quæ vi naturæ fiunt. Molestus essem si omnia nomina huius principii percenserem. huc solum tendit hæc tota nominũ varietas, vt intelligas materiam primam ens illud esse, in cuius veluti vtero omnia naturæ effecta concipiantur. Omitto hic infinitas fere definitiones materiæ ab interpretibus assignatas, duas solum proponam, alteram negatiuã, affirmatiuam alteram; vtramque ex Aristotele. Negatiue definitur hoc modo. *Materia est quæ per seipsam neque quid, neque quantum, neque quale, nec aliquid aliud eorum quibus ens determinatur, neq; etiã simpliciter negatio.* Tota metaphysica & abstracta hoc loco materiæ consideratio est, vt *neque quid*, id est substantia; *neque quantum*, id est mensura; *neque quale*, id est forma; *neque aliud quicquam*, id est ens reale proprie dicatur, sed principium animo solo conceptum, quod aliquid definire non est, & tamen non omnino nihil. Relinquo hanc definitionem metaphysicis, ad alteram physicam & realem venio. In vltimo capitulo huius libri definitur materia *primum subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum*

Quæstio 3.

Mirandula lib. 6. de Ente & vno.

Plotinus cap 6 lib. 6. Ennead.

Lib. 7. Met. tex. 8.

Definitio materiæ Metaphysica.

Definitio materiæ physica.

accidens: & si corrumpatur aliquid, in hoc abibit vltimum.

Explicatio definitionis.

Obscura hæc verba sunt. sic igitur redigo in formam. Materia prima est natura physica, seu naturale principium simpliciter passiuum, quod rebus à se natis vi propria inest, vnde omniũ primo incepta est generatio, & in quo vltimo omniũ facta est resolutio. Est *natura*, sic ars & artificiosa; est *naturale principium*, sic principia metaphysica, dialectica, mathematica; est *principium simpliciter passiuum*, sic potentia naturæ, efficiens causa, & forma; est *per se, & vi sua in rebus à se constitutis*, sic priuatio, casus, & fortuna; est denique *subiectum primum generationis & resolutionis vltimum*, sic omnia media & subalterna subiecta principiaque excluduntur. Non ero multus. Materia est subiectum primum & vltimum, est ens in potentia, est res informis, est abyssus omnium formarum capax, est indigesta moles, confusionis imago, distinctionis vmbra, naturæ seges, mater generationis: & tamen corruptionis causa.

Pars secunda tertiæ quæstionis.

Modus intelligendi materiã.

An materia sine formæ cognitione possit intelligi? potest per simplicem intellectum.

Festino; sequitur vt de intelligentia illius agam: res quidem cognitu difficilis est materia prima, & raro sub intellectum cadit. Modus autem intelligendi eam duplex est: vel remouendo ea quæ in illius naturam non cadunt, vt illam non esse actum, non esse formam, non esse perfectionem rerum: vel adhibendo ea quæ illi conueniunt, vt esse primum subiectum omnium. Anceps hîc quæstio mouetur, *Vtrum intelligi possit necne sine cognitione formæ?* verbo respondeo posse, si simplicem & diuidentem intellectum spectes, qui proprio suo lumine res abditissimas sæpe in sua natura percipit. Cum ergo materia prima per se essentiam habeat, intelligi quidem potest; nam intelligentia essentiam, cognitio definitionem sequitur. Cæterum duplex est ista cognitio, vel distincta, quæ non est sine cognitione formæ: vel confusa, quæ sine relatione ad formam per abstractionẽ intellectus habetur; illa sigillum, imaginẽ & quasi chirographũ naturę impressum habet, vt *æs, aurum*, aut *argentum*, formã insculptam Cæsaris; hæc per absentiam formæ ex potentia notitiã quandam habet: De hoc modo cognoscendi materiam primam loquitur oraculum Christianorum philosophorũ. D. Augustinus, cũ dicat *materiam ignorando cognosci & cognoscendo ignorari.* Vis vt aperiam doctissimi Patris sentẽtiam?

Cognitio distincta, confusa.

Lib. 1. Confess. cap. 5.

sic

sic habe. Quemadmodum tenebrę non videndo percipiuntur,& percipiendo nō videntur (dicimur enim tenebras intueri,cum nullum colorem aut lucem cernamus,& dicimur easdem non cernere cum colorem aut lucem aspiciamus:) ita materia prima tum quidem percipitur, cum in ea nullus actus, nullus formæ splendor insit: tum autem in sua propria essentia ignoratur , cum actus & forma in illa viuant. Sed dices fortasse hoc esse contrarium ei quod modo diximus, nimirum materiam maxime cognosci cum impressa sit forma,cumque in actum perducatur. Non est cōtrarium si distinctionem tum allatam diligenter obserues;nam tum docuimus distincte cognosci per reflexum formæ: at proprie & per se ens confusum est, & sic non aliter quam tenebræ in absentia formæ cognoscitur,& demonstratur. Quid multis?cognitio materiæ est vel metaphysica per abstractionem omnium quæ non sunt materia : vel physica, eademq; aut analytica per demonstrationē à proprietatibus, aut analogica per comparationem à similibus,quæ eandem illustriorem reddunt. A proprietatibus, vt si dicas materiam esse ingenitam,esse vacuam forma, esse subiectum omnium. A similibus, vt si dicas esse mutabilē quasi lunam, esse quasi liquefactam ceram, esse amicam formæ, esse vterum naturæ,esse matrem omnium,esse vitam & mortē rerum: vitam quia ab illa incipiant: mortē, quia in illā veluti in vmbram tenebricosam desinant & resoluantur.

Ob.

Sol.

Materia distincte per formam confuse per se cognoscitur.

Materiæ cognitio vel metaphysica,vel physica, eaque vel analytica vel analogica.

A proprietatibus.

A similibus.

Accedo ad quartam quæstionem quæ est, *Vtrum materia & prima illius potentia re differant?* Philosophi ex familia Arist. de potentia materiæ acute distinguunt, quod alia sit prima,alia secunda: prima potentia vis passiua dicitur qua recipit formam,secunda vis ea definitur,qua forma deleta aut languente in seipsam redit : hinc materia prima & secunda primam & secundam potentiam vendicat, illam vt sit,hanc vt existat.Rem paucis concludam,potentia illa prima coæua est cum materia prima , & re eadem non diuersa: re eadem (inquam) non absolute & ex toto, sed inchoate vt vis prima animæ (qualis est potentia ratiocinandi) cum anima ratiocinatrice, potentia vigendi cum anima vegetatrice. Quod autem sit eadem & non diuersa,sic probo à definitione,à comparatis,ex hypothesi. A definitione, quia esse

Quæstio 4.

Potentia materiæ prima passiua : secunda qua in se redit.

Potentia prima re eadem est cū ipsa materia inchoate.

Ratio 1. potentiam,(passiuam potentiam intelligo de qua hic solum agitur) est esse subiectum capax & susceptibile formæ: sed materia prima tale quiddam est à natura sua. 2. A comparatis quia forma est essentialiter actus:ergo materia est essentialiter potentia:sed attēde,non absolute & ex toto,sed inchoate & ex parte. 3. Ex hypothesi,quia si potentia esset accidens materiæ,tum ex sola materia & forma compositū non coalesceret; neque ens esset per se sed per accidens, cum ex substantia & non substantia constaret. 4. Huc addo argumentum illud,si materia re differret à potentia,aut esset actus,vel aliquid ex actu & potentia concretum (quippe tertium nō datur:)at non est actus : nam si sit, vel erit actus informans, vt *anima*:vel actus per se subsistens, *vt Deus*,aut *intelligentia*; quo quid absurdius dici aut fingi potest? Quod vero non sit ex actu & potentia concretum, nemo est tam cæcus qui non videat.

Scoti opinio reijcitur. Non audio ergo illam opinionem Scoti,qui cerebrose contendit materiam actum esse, quem barbare *actum entitatiuum* appellat. Concedo equidem rem esse,& actu esse,sed actum esse non video, quia nec informat vt *anima*,nec extra rem per se subsistit,vt *Intelligentia*. De potentia actiua nullam hoc loco litem aut controuersiam moueo, cum argumentis superius allatis satis probauerim potentiam materiæ esse simpliciter passiuam.

Materia prima quomodo agat. Quod vero agere quodammodo videatur materia prima cum appetat, cum diligat & amplexetur formam, non hoc cōtingit ex se aut sua ipsius innata potentia,sed ex potentia,quæ ab externa causa agente fluit. Nam vt in semine mandato terræ est quædam potentia passiua,vt fiat plāta:fieri autem plāta non potest nisi sol externum agens influat, & calore suo fouens quasi trahat in actum : ita in materia prima vis quædam sepulta inest quæ per se otiosa manet,donec prima causa tanquam sol eandem consopitam incitet ad formam, & quasi à tenebris ad lucem,à morte ad vitam ducat.

Quæstio 5. Quinta quæstio affinis & cognata huic est, *Vtrum materia sit semper rudis & inanis forma? & An vi propria formam appetat?* Silua opinionum in hoc campo philosophiæ cresceret, si varias philosophorum lites & sententias de hac quæstione enumerarem:at quoniam confusionem omnem omneq; tædium fugio,fructum solum ex arbore scientiæ

colligam,

colligã, sentesq; & spinas vanitatis relinquã. Hac metaphora libentius nũc vtor quia materia prima est quasi sylua in qua multa folia & vmbræ insunt, sub quib. multa & magna mysteria naturæ latent. In hac sylua crescũt omnes plãtæ naturæ, oẽs formæ, omnesque affectiones rerum quæ vi & ordine naturæ fiunt: sola excipitur vna forma, nempe anima humana, quæ hunc agrum, hanc radicem, hac matrẽ & causam nescit, diuiniorem quærit. Si ergo, (docte & studiose lector) vberius oratio fluat, lõgiorque habeatur disceptatio de hac materia, ægre & moleste ferre non debes, quia in hoc veluti agro fundamentum totius philosophię positum est, & seges rerum omnium crescit. Sed ad rẽ venio. Materia prima cõsideratur vel simplici vel cõposito intellectu: priori modo ens in sola potentia ad formã, posteriore modo ens actu formatum dicitur. Est ergo simplex essentia materiæ, quæ sine amplexu formę manet. at signata & cõposita illius natura formę veluti connubio iungitur, & sine eiusdem osculo & amplexu languet. Præterea quorsum Arist. & ratio suadent materiam esse priorẽ omni forma, si materia in sua propria natura sine forma esse non possit? plurimum quoque illud vrget, quod formæ ab ipsa materia & illius potentia educantur, ꝙ certe non fieret, si semper materia in vlnis formarum volutaret. Nonnihil etiam suadet similitudo illa de cera per se manẽte sine sigillo impresso, aut imagine quæ illam actu distinguat. Huc accedit D. Aug. authoritas qui exponẽs illa verba sacrę philosophiæ (*Terra erat inanis & vacua*) per *terrã* materiã primã à Deo creatã, per *inanitatẽ* eiusdẽ nudã potentiã intelligit. Postremo accumulate hoc ipsum probant infinita exempla: nã in re qualibet, si essentia materiæ dependeret à forma, sequeretur toties extingui materiã quoties extinguitur forma: at in mutationib. elementorũ aliorumq; corporũ naturaliũ quam falsum hoc sit, cæcus & imprudẽs videat.

Anima humana non oritur ex potẽtia materia.

De materia prima cur copiosius agat.

Materia prima simpici intellectu cõsiderata, est ens in sola potentia: composito vero intellectu, ens actu formatum.

August. lib. imperfect. in Genesim ca 4. lib. 12. Confess. c. 7.

Omitto hoc loco alia infinita argumẽta quib. hãc opinionem probẽ, & ad alteram partẽ quęstionis propero, quæ est, *Vtrũ materia formã vt propria appetat?* Appetitꝰ multiplex est: vegetabilis in *plãtis*, sensibilis in *belluis*, rationalis in *hominibꝰ*, naturalis in *omnibꝰ*: hic vero naturalis appetitꝰ definiri põt, *inclinatio motꝰ vel instinctus naturæ quo res qualibet desiderat perfectionẽ suã*: & sic hoc loco prima materia for-

Pars secunda quæstionis.

Naturalis appetitus quid.

mam appetere dicatur. Sic (inquit Philosophus in textu) *materia formam appetit, vt vir fœminam*, idipsum dicit Plato, qui pulchre cum hoc verbo *appetendi* ludit. Materia enim capta est pulchritudine & amore formæ, si illam capiat delectatur, languet vero & tristatur si illa careat. Sed quid ludo? Materia est imperfectior forma: ergo formam appetit: omne enim imperfectum seipso perfectius appetit. Iterum materia potentia est; ergo formam & actum desiderat. Ratio tenet, quia potentia ab actu perficitur. Deinceps materia remota est à luce primæ causæ, vnde rectissime illius tenebræ & vmbra dicitur: sed istas tenebras & vmbras naturæ suæ non potest excutere, nisi coloribus & ornamentis formarum vestiatur. Ergo formam ardentius appetit materia, & sic ad primam causam propius accedit. Postremo, si non appeteret formam, nulla esset omnino generatio, nulla successio rerum: nam qui fieri potest generatio sine motu ad formam? qui potest esse successio rerum si hæc vnio materię & formæ desit?

Cap. 9.
In Hippia maiore & Phædro.
Materia appetit formam propter pulchritudinem, quia imperfectior est.
Quia potentia est.

Sed hactenus de materia: sequũtur nunc demum aliquot quæstiones de forma; quarum prima est, *Vtrũ forma sit ab æterno coæua cum materia prima?* Formæ deliciæ naturæ sunt, quas semper ambit & in amplexu tenere desiderat materia: at de connubio formæ cum materia hoc loco multa dicere supersedebo: illud solum aperiam, *Vtrum hæc vtriusque coniunctio aut vnio sit* (vt nonnulli docent) *actu coæterna?* Modo demonstrauimus contrarium, cum materiã primam suapte natura & essentia sine omni forma esse posse docuerimus. Cæterum distinguendum est, quod licet materia secundum totum suum esse, informis, rudis, & inculta maneat, semper tamen aliquas partes formis ornatas, & perpolitas habeat. Quare vt ingens massa ceræ, moles indigesta dicitur, quamuis hic aut illic vna vel altera imago insit: & vt spatiosus ager sterilis & infœcundus appellatur, licet in eo aliquot plantulæ hic & illic rarissime crescãt: ita materia prima (quæ est veluti ingens massa ceræ, aut vastissimus ager) rudis & vacua forma dici potest, quantumuis in aliquibus partibus eiusdem, (primæ causæ efficientis quasi manu exemptis) aliquot formulæ insertæ & infixæ maneant. Sed attende, hoc non dico, quod existimem materiam primam in essen-

Quæstio 6.
Materia secundum totum informis & rudis secundum partes semper ornata & polita.

essentia propria per intellectum simplicem consideratã, esse non posse sine forma: sed quia in existentia sua (quæ tempore, non natura coæua est cum illa (sine forma in rerũ natura non emergit. Aliud ergo est esse, aliud est existere materiam primam: est quidẽ per se & ante formam, si ordinem naturæ spectes, non autem existit sine forma: quippe forma illius actus est primus per quem existit. Si vrgeas cœli formam ętate minorem non esse materia prima, peto quid per *ætatem* intelligas: si enim per *ætatem* tempus, aut existentiam, concedo id verum esse: sin autem per *ætatem* potẽtiam aut essentiam intelligi velis, respondeo falsum esse quod dicis; nam potest *esse* materia sine forma, sed non potest *existere*. Exemplo res apertissima reddetur; nam vt *homo* est sine *risibili*, non autem existit sine eo: ita materia est quidem sine forma, sed sine ea non potest in rerum natura eminere. Non ero multus. Hoc ipsum ratio existentiæ, decretum naturæ, ordo rerum probant. Ratio existentiæ, quæ semper requirit actum aut internum, aut externum vt res existat: sed materia actum nullum habet nisi in forma: ergo à forma existentiam suam sortitur. Decretum naturæ, quia aliter materia in potentia sua remota esset otiosa & nunquam ad actum perducenda. Ordo primæ causæ, quæ ruinas naturæ nouarum formarum inductione semper reparandas constituat. Quod certe fieri non posset, si materia semper in tenebris suæ potentiæ sine vllo actu formæ delitesceret. Concludo igitur materiam primam non *esse essentia* sed *esse existentia* (vt aiunt) à forma mutuari.

Aliud est esse, aliud existere materiam primam.

Ratio ab existentia.

A decreto naturæ.

Ab ordine primæ causæ.

Sequitur iã ordine septima quæstio, quæ est. *Vtrũ forma sit in qualibet re naturali?* Pythagoras olim dixit tria esse principia rerum *Infinitum, Duo, & Vnum*. per *infinitum* Deum, per *duo* materiam, per *Vnum* formam intellexit. Formam (vt opinor) *Vnum* appellauit, vel quia materiã vagam & incertam quasi multitudinem ad vnitatem ducat; vel quia rem quamlibet naturalem vnam numero & natura faciat, Plato formam, *Ideam, mentem, bonum & finem naturæ* nuncupat; *Ideam & mentem* quia primam causam actumque primum repręsentet: *Bonum* & *finem*, quia materiam (quæ est per se rudis & inculta) ornet. Aristoteles denique eam *quiddam diuinum, pulcherrimum, & optimum* ap-

Quæstio 7.

Per tria sua principia quid intellexerit Pythagoras.

pellat. *Diuinum* quia in ea quædam participatio, *Pulcherrimũ* quia in ea imago quędã & repręsentatio diuinę essentię, *Optimũ* deniq;, quoniã in ea materiæ ornatus & perfectio insit. Ab aliis *terminus*, ab aliis *character naturæ* dicitur: *terminus* quia claudat, *character* quia distinguat opus naturæ. Sed omissa distinctione nominis rem ago, doceoq; formã in re qualibet naturali esse necessario. Inter infinita quę hoc ipsum probent, tria mihi videntur maxime demõstrare, intentio naturæ, imperfectio materiæ, cõstitutio rerũ. Intẽtio naturæ quæ agat propter formã, imperfectio materiæ quæ formã vt bonum suum appetat, constitutio rerum quæ esse non possit sine forma. Huc adiici quęant definitio, distinctio, demõstratio, propriaq; actio seu affectio rerũ. Definitio quæ ex materia & forma cõstat: Distinctio quę semper à forma suas vires petit: Demonstratio, quæ definitionẽ (in qua forma inest) suũ medium habet: Propria actio sęu affectio, vt in *homine ratiocinari*, in *cane latrare*, in *sole lucere*,) quæ semper formam in re qualibet subesse arguit. Negari ergo non potest, quin sit cuiuslibet rei propria forma, quæ definit, diuidit, distinguit, perficit, & spectabili varietate exornat omnia. Quamuis igitur diuinus ille Plato sapienter dicat, nos in hoc mortali vitæ curriculo & orbe tanquam in specu collocatos, non veras formas, sed vmbras solum contẽplari: sub hisce tamen vmbris & velis ipsas formas cernimus: cernimus (inquam) mente, quæ suo lumine sub vmbris stellas lucentes videt. Agnosco equidem vix vllas veras & germanas formas cognosci à nobis: ratio tamẽ non sequitur ꝙ ideo non sint: quippe ignorantia essentiam nõ tollit, sed essentia nota ignorantiam fugat. Quod vero forma sit res tã difficilis intellectu, hinc cõtingit, quia est res diuina (vt ait Philosophus) effigiemque primæ causæ gerit.

Probatio triplex quæstionis.

Lib. 7. de Rep.

Formæ cur difficiles cognitu.

Quæstio 3.

Formæ internæ & externæ. Illæ assistentes & informantes.

Sed pergã & aliã quæstionẽ paucissimis absoluã, quæ est, *Vtrũ sit vlla vera formæ definitio?* Formarũ, vt distinguunt philosophi, aliæ sunt internæ, externæ aliæ. Internæ sunt, vt *anima plantarũ, belluarũ hominum*: externæ vt *qualitates primæ elementorũ*, sub quib. aliæ internæ latent. Rursus formarũ internarũ aliæ sunt assistẽtes, vt *intelligẽtiæ* causæ motrices Cœli: alię informãtes, quę proprie hoc in loco definiuntur. Est ergo forma informãs (vt aiũt) character impressus à pri-

à prima causa, quo res quęlibet naturalis verissimè definitur & distinguitur: vel est principiũ physicũ q in generatiõe dat nomen & esse reb⁹; vel deniq; est *actus simplex, internus, & vnumq; per se cũ materia essẽtialiter cõstituẽs*. Est *actus* ad excludendã materiã, est *simplex* ad excludendũ concretum, est *internus* ad excludendã formã externã, qualis est *calor*, est *vnũ cũ materia cõstituens*, ad excludenda formã assistentem, quę assidet, nõ insidet in re quã mouet, definit, & distinguit. Plures tradũtur definitiones formę, vt sit terminus à quo priuationis, terminus ad quẽ generationis, vt sit perfectio rei, vt sit fuga potẽtiæ, vt sit comes & quasi cõiux materiæ, vt sit cuiusq; essentiæ lux, decus, & actus: quæ oẽs huc tendunt, vt intelligas formã esse diuiniorẽ partẽ naturę, quę specificum esse (vt aiũt) reb. attribuat. Partus. n. naturæ grauidæ & laborãtis nõ cernitur, donec forma imprimatur, at cũ imprimatur tũ *Cæsaris*, tũ *arboris*, tũ *leonis* effigies ab aliis rerum formis & simulachris distinguitur. Numismata ergo naturæ, id est, effecta quæ hanc impressionem & sigillum nõ habeant, Regia non sunt, adulterina sunt, monstra sunt.

Plures formæ definitiones.

Sed ad nonam quæstionem propero, quæ est *An vnũ ens numero ex materia & forma cõstet*. Aurea catena (vt vides) hę quæstiones colligãtur, & aliæ ab aliis sic pẽdent, vt lux & interpretatio vnius in alterius lucem veluti transfusa intelligentiam splendidiorem reddat. Sed ad rem, Materia & forma inter se coniunctæ ens vnum numero & natura faciunt. Nam vt omnia elemẽta, licet numero & natura diuersa, inter se commixta vnũ efficiunt: ita materia & forma, quarum vna est potẽtia altera actus, postquam nuptiale quasi fœdus & societatẽ iniuerunt, rem numero & natura vnam constituunt definiuntque. Huc spectat distinctio vnitatis, quod alia sit aggregationis, vt in *aceruo*, alia ordinis, vt in *exercitu*, alia inhæsionis, vt in *accidente* quod vnum faciat numero cum subiecto, alia perfectionis, vt *in simplicibus substantiis & in prima causa*, quæ nullam mixtionem habent, alia denique compositionis, quę hoc loco proprię intelligitur. Cęterum, vt accuratius enodetur hoc dubium, consideranda sunt tria: causa vnionis, ipsa vnitas, & vtriusque finis. Causa vnionis nec materia, nec forma, nec potentia materiæ, nec propensio formæ, nec accidẽs præexistens aliquod in vtraq;

Quæstio 9.

Vnitas est aggregationis, ordinis, inhæsionis, perfectionis & compositionis.

Tria in hac quæstione consideranda. 1. Vnio.

est: sed vis quædam actiua vniuersalis naturæ mouentis vtramque, vt illa hanc appetat, hæc in illius sinum & amplexum feratur & aduolet: Nam siue hanc vnionem pro actione sumas, qua forma materiæ iungitur, siue pro illapsu formæ in materiam, siue pro relatione vtriusque, certum est eandem originem suam trahere ab efficiente aliqua causa, quæ hoc connubium & consensum faciat, quæque in eodem consensu ipsam vnionem, quasi annulum fœderis & amoris quo materia & forma copulentur, manu potenti & diuina fingat. Nam etsi hæc tria (actionem, illapsum, relationem intelligo) vno momento constent, ordine tamen actio qua forma materiæ vnitur, est ipso illapsu prior, ipseq; illapsus vnione vtriusque antiquior: non (inquam) tempore sed natura; Agẽs vero, id est, vis illa occulta naturæ mouentis quæ hanc vnionem efficit, est prius quiddam natura omnibus; ambagibus non vtar, est ipse Deus. Hæc satis de vnione.

2 Vnitas. Vnitas quæ ex hac vnione emergit est compositionis, vel (si velis) ens vnum numero & natura, quod ex vtraque constet. Neque est quod hoc mirum tibi esse videatur, scil. vt ex diuersis principiis materia & forma, potentia & actu, quæ diuersas vnitates habẽt, vna (vt ita loquar) vnitas, id est, ens vnum & distinctum fiat. Nam vt *cera, farina, pix, & aromata* à medico cõtemperata) tametsi res sint diuersarum specierum) vnam numero & natura *medicinam* faciunt; ita materia & forma, potentia & actus (quamuis sint diuersa) rem vnam naturalem conflant & cõstituunt, quæ (vt ita dicam) proles est vtriusque. Hinc propago, hinc numerosa soboles ex vnitatibus compositionis oritur, successioque æterna fit, quæ est finis vtriusque, de quo in tertio loco agitur.

3. Finis. Hic enim est scopus naturæ in vnione materiæ & formę, nõ solum vt vnum numero fiat, sed vt numerosa vnitate (vt ita loquar) facta, numerus rerum infinitus fiat: quippe sic est in partu naturæ, vt in conceptione fœminæ, quæ ex vno numero in vnum specie crescit: hinc illud *natura æternitati studet*.

Naturæ partus est vt fœminæ.

Quæstio 10.

Opiniones variæ de forma introductione in materiam.

Decima huic succedit Quæstio, *Vtrum omnis forma educatur ex potentia materiæ.* Exercitum & arma philosophorum in hac arena digladiantiũ non introducã: video enim legiones Doctorum in hac vna quæstiũcula sua nimis defatigasse

tigasse ingenia, dum alii formā actu latere in materia antequam in lucem prodeat; alii eam in sinu & potentia materię esse; alii neque in materia, neq; in potentia omnino extare: alii temere & casu accedere ad materiā dispositam: alii denique fatali necessitate ad hunc finem destinari autumēt. Anfractus istos & salebrosas vias fugio, semitā directā quæro: Dico igitur formas esse vel naturales, vel artificiales, vel metaphysicas. Naturales sunt, vt *anima vegetabilis in plāta, sensibilis in bellua*, artificiales, vt *forma statuæ*, reiq; cuiusuis artificialis simulachrum aut imago; Metaphysica vt *idea*, seu virtus animi infusa, qualis est *fides, gratia, spes, gloria*. Hic per se naturalis solum forma intelligitur, per accidēs etiam artificialis, metaphysica vero nullo modo. Statum quæstionis sic definio, ꝙ naturalis forma è potentia materię educatur, id est (si interpreteris) à materia docili & apta, vel saltem nō repugnante. At dices me mihimet esse contrariū, qui antea docuerim formas vi quadam naturæ agentis fieri, & in materiam introduci. Bene mones, & sane si impēse aduertas id ꝙ iam dicam, non est contrariū huic: quippe etsi vis quædā actiua quæ non est in materia requiratur ad hunc actum producendum, materia tamen non est inuita aut coacta, sed docilis & apta, & ad recipiendam & ad fouendā receptā formā. Vnde recte in sinu & potentia materię delituisse quodāmodo dicatur forma. Nā vt Pythagoras olim dixit, *ex quolibet ligno non fieri Mercuriū*; sed ex apto & idoneo: ita Aristoteles docet, ex materia solū docili & apta formam fluere: fluere dico non fieri, educi nō procreari. Nam vltra aleas est naturæ vt actus ex potentia simpliciter passiua oriatur, nisi externum aliquod agens interueniat, ꝙ suo motu & manu materiam aptam ad suam amicam formam & actū trahat. Quare vt semen sparsū in solū fertile mortuū est, si ꝓpriam potentiā spectes, educi tamen ex eo animam plantæ verissime dicas, postquā sol vim suā actiuā dederit: ita materia prima est quidē in se mera passiua potētia, ex ea tamē formam effluere affirmes, postquam natura actiuā potentiā cum illa passiua iūxerit, qua consopita materia excitatur ad appetitū amplexum, & amorē formæ: & certe si hoc non fieret, generatio rerum (quæ est primus actus naturæ) naturalis non esset sed violenta. Naturalis (inquam) non esset, si in materia

Formæ sunt vel naturales vel artificiales, vel metaphysicæ.

Status quæstionis.

Quomodo forma ex potentia materiæ fluere dicatur.

Pulsus & motus naturæ quid.

somniculosa nullus pulsus naturalis, nullus motus formam præueniret. Sed nota quod hic pulsus & motus sit nihil aliud quam aptitudo, dispositio, propensio, aut inclinatio materię ad formam, quæ forma acquisita vtriusq; consensus & sympathia recte nominari potest. Abstrusam illã distinctionem de triplici potentia, naturali, violenta, neutra, hoc loco non induco, neque attingo eam quæ est de potentia imperãte & imperata, quã Scotus barbare satis actualẽ & obediẽtialem nũcupat. Huc certe tẽdunt omnia, vt sciamus formã ex mixta quasi potentia educi, nẽpe passiua & imperata in materia, quæ eã neq; violenter coacta, neq; semel inuite tracta recipit: & etiã ex actiua & imperante potentia naturæ mouẽtis, quæ & materiã & formã ad vnitatẽ entis, & vnionẽ naturæ trahat. Attẽde diligẽter, hinc nõ inepte à quibusdam formæ physicę formæ seminales dicuntur, quia in materia, vt in semine, ante rei cõpositæ generationẽ lateãt. Quod si ita non esset, sed à sola externa causa fieret, sequeretur violentam (vt modo dixerã) omnẽ generationẽ fieri: nã (docente philosopho) *Violentum .i. quod solũ externo principio impellẽte fiat:* si ergo forma solũ ab agẽte externo flueret, generatio proprie physica, & naturalis non esset. Pręterea, si nihil formarũ præfuerit in materia, ex nihilo omnino fierent, at consensu omniũ philosophorũ fiunt: ergo aliquid earũ in materia p̄fuit. Hoc nõ dico ꝙ existimẽ esse aliquid formæ realiter aut simpliciter, antequã vestiatur materia: sed ꝑ *aliquid* intelligo vnitã materiæ & naturæ patiẽtem & agentẽ potentiam, ex qua vita formæ non aliter quã anima in grano nascatur. Quare vt concludã hãc causam, sicut formæ a sensib. ad animũ translatæ primũ à potẽtia rerum obiectarũ fluũt, quam potentiam alia potẽtia moueat: ita formæ rerũ naturalium à potentia materiæ educuntur, alia alterius agentis potẽtia adiuuante, sine qua hęc emanatio esse non põt. Nã vt oculus (quæ est potentia videndi) non videt obiectum sine potẽtia solis aut luminis, quæ in actum hanc primã potentiam ducat: ita materia (quæ est potentia) formam nec concipit, nec parit, donec naturę auxiliaris potentia somno quasi depulso eandem excitet. Non sum nescius hoc in loco à multis certatum vehementer esse de anima humana: sed memor eius quod initio dixerim, affirmo coactum fuisse Aristotelem in

Vide Heruæum de materia Cœli.

Eth. lib. 3. ca. 1.

hac

hac vna forma creationẽ agnoscere, cum disertissimis verbis dicat eandem diuinitus ad materiam accedere: & certe in distinctione multiplicis potentiæ multiplicisque formæ, aliquid vltra vires communes naturæ insinuat: nam aliter quorsum ipsam formam hoc loco quiddam diuinum appellaret? Sed istis omissis, ad quæstiones de priuatione venio, quarum vna est, *Vtrum priuatio sit non ens necne*? Hoc nomen *priuationis* multos non indoctos priuauit ingenio, dum quærebant An sit omnino? et si sit, An sit ens vel non ens? si vero sit ens vt quidam defendunt, An sit substantia vel accidens? Iterum si ens non sit, Vtrum sit non ens simpliciter, vel non ens secundum quid solum? Huc addunt, An sit in materia prima? & Quomodo generatio ab illa, vt à termino incipiat? necnon, Quomodo nouerca sit formę, cum tamen materiam ad motum & actum incitet? Hæc omnia perturbant, vulnerant, confundunt ingenia humana, non aliter quam aciem gladii hebetem & retusam plumbũ aut ferrum efficit. Si in istum puluerem philosophorum descẽderem, in Olympo vix videres solem: tot enim sunt districta & distracta ingenia interpretum, vt potius Heraclitum & Democritum adesse discuperes ad deridendum aut deflendum eorum vanitatem, quam Aristotelem ad ferẽdam sententiam de veritate. Sed hæc omitto, & concludo priuationem esse, imo principium esse, addo etiam, ens aliquo modo esse. Nam vt cum Diuo Augustino loquar, quamuis priuatio absentia formæ sit & negatio, simpliciter tamen non est nihil.

Lib. 1. cap 3 de Generat. Animalium.

Huius li. tex 81.

Punctis agam. Est principium, ergo non est nihil: est terminus à quo incipit generatio, ergo non est nihil: mouet appetitum materiæ ad formam, ergo non est nihil: malefica est formæ, vt in hoc capite loquitur Philosophus, ergo vim nocendi habet, & ex consequenti entis aliquid, & proinde nõ est nihil. Præterea definitur à Philosopho, ergo non est nihil. Illud quoq; vrget, ꝙ diuini philosophi defendũt, per *tenebras quæ erãt super faciẽ abyssi, priuationẽ* intelligi, quę tenebrę in sacris literis dicũtur esse, & *laudare nomẽ Domini.* sequitur ergo ꝙ priuatio nõ sit nihil. Quãuis in hoc textu ab Aristot. proprie & vi sua priuatio nõ ens dicatur: intelligendum tamẽ est, non sic non ens dici vt sit nihil, sed vt sit prin-

Arg. ii

Genes. 1.

In hymno triũ puerorum.

Priuatio eadē numero accidēte cum materia

cipium negatiuum, idque non simpliciter & contradictorium, sed priuatiuum, quod idem cū materia priuata numero accidente dicatur. Quemadmodum ergo vmbræ arte fabricatæ decus & gratiam addūt imaginibus, imaginumq; coloribus suis locis distinctis, quæ tamen vmbræ nihil fere sunt respectu imaginum quas magis spectabiles & venustas reddunt: ita priuationes, naturæ quasi tenebræ & vmbræ, quamuis sint respectu materiæ & formę fere nihil, naturam tamen in suis effectis magis perspicuam & notam efficiunt. Quid multis? vt vmbra gnomonis in horologio lucē splendidiorem: vt silentium vocis in musica cantum suauiorē reddit, non per se & ratione positionis, sed ratione oppositionis (quia *opposita iuxta se posita magis elucescunt*:) ita priuatio naturæ opus illustrius efficit, non vi sua & ratione entis positi, sed ratione entis negati, quod aliud in ipso instanti generationis sequitur.

Quæstio 12. Argumentum à simili.

Quæstio duodecima est, *Vtrum priuatio sit forma solum habenda non habita?* & *An remaneat post acquisitam formam?* Ne longiore filo orationis te (studiose lector) in labyrinthum traham, a simili hoc modo argumentum primum ducam. Vt tenebræ in aere negantes lucem lucis aduētu sic dissipantur vt successio fiat; ita priuatio in materia delitescēs negat formam, cuius accessu ita fugatur, vt noua statim concipiatur priuatio, quæ veluti bellum in pace inter materiam & formam alit, virusque sic spargit, vt tandē diuortium vtriusque fiat. Hinc colligas priuationem esse proprie & per se in prima materia negationē habendæ formæ, esse quoque in materia secunda negationem formæ habitæ, quippe hæc etiam forma non sine priuatione tollitur. Exempli causa *Vita* non sine *morte*, *Visus* non sine *cæcitate*, *lux* non sine *tenebris* aboletur. Cæterum cum hoc loco priuatio consideretur vt principium seu terminus à quo generatio incipiat, Aristoteles recte & sapienter docuit esse proprie negationem formæ habendæ, ad quam vetitam & negatam vi quadam naturæ agentis materia non inuita trahitur. Sed quoniam hanc dubitationem ante attigerim, hæc nunc sufficiant.

Priuatio in materia prima negatio est formæ habendæ, in secunda autem habitæ.

De altera parte dubitationis alii dicunt cum Aristot. tolli priuationem accessu formæ: alii tamē in re aculeos eiusdem

relinqui

relinqui asserunt. Nam aliter (vt aiunt) res natæ non interirent: quippe cum priuatio sit sola causa corruptionis, sequitur necessario priuatione penitus extincta radicitusq; euulsa, nullam luctam, nullam pugnam & certamen fore. Nam inter materiam & formam summa est cōsensio, & inuiolata fides: si ergo non sit cauda priuationis impressa: post nuptias formæ, in visceribus materiæ: nunquam noua fieret generatio. Nam quomodo fieret, cum omnis generatio à priuatione termino à quo incipiat? at ab eo quod omnino nō est, incipere non posset. Si ergo omnino quoad actum & quoad potentiam accessione formæ extirpetur priuatio, præter primum concubitum materiæ & formæ nulla generatio, nulla corruptio erit. Concludam quæstionem. Vt igne per iniectionem aquæ exstincto fumulus relinquitur, qui iterum facile in ignem, aerem, aut aquam cōmutatur: ita priuatione per accessionem formæ sublata: infigitur eiusdem stimulus in materia, à quo ipsa materia perpetuo à forma in formam pellitur. Sed hic memineris (quæso) me eo animo & opinione esse, vt non existimem priuationē esse solā causam istius motus in materia ad formam, sine vi quadam naturæ trahentis eam, vt supra docui. Nam quæ agendi potentia in materia est, cum sit principium solum patiendi? quam vim aut animum (vt ita dicam) habet priuatio materiam incitādi ad formam, cuius præsentia illius interitus & ruina erit? posita enim forma priuatio tollitur. Est ergo alia vis externa & actiua, quæ materiam à lethargo suo excitet, & priuationem vulnerantem aspectu formę interimat.

Inter materiā & formam summa est consensio, & inuiolata fides.

Superest nunc vna & postrema huius libri quæstio, quæ est, *Vtrum priuatio sit principium intrinsecum generationis non rei genitæ?* Classicum nemini philosophorum canā, sed recto procedam pede, idque sine omni strepitu: scopum potius itineris quærens, id est, in re qualibet veritatem, quā inutiles & triuiales mouens cōtrouersias, in quib. hæc ætas nimium delectatur. Priuationem principium esse cōstat: quare *An sit?* & *An sit principium?* hoc loco non disputo, Solum nunc quæro, *An sit principium intrinsecum generationis?* vt plurimi ex Arist. tueri videntur. Certe si *intrinsecum* sumas pro *Vt sua* & *per se*, non equidem nego quin sit principium intrinsecum: at si intelligas pro parte aut causa cōpositionis

Quæstio 12.

Priuatio per se principiū generationis no pars compositionis.

reique compositæ, penitus hoc ipsum nego: quippe compositionem rei genitæ non ingreditur. Quod vero sit per se principium generationis hinc constat, quia illud vnde per se generatio proficiscitur vere & proprie principium illius est: sed generatio per se oritur à priuatione, vt à termino à quo: ergo priuatio est per se principium generationis. Maior cōstat. Minor probatur, quoniam generatio est *progressio à nō ente ad ens*: hoc autem non ens materia non est, est ergo priuatio. Hæc omnia dico, respectu generationis, non compositionis aut rei genitæ: nam respectu rei genitæ, est proculdubio principium per accidens. Si rationem desideres, lege Philosophum in 6. capite huius libri, vbi conditionem hanc vnam principiorum per se & vi sua postulat, nimirum vt semper maneant: at priuatio non semper manet, non est ergo principium per se priuatio. Hinc addit aperte in eodem capite, per accidens esse principium: Intelligit quidem per accidēs esse principium compositionis, non generationis. Nam compositionis principia duo tantum sunt, materia & forma, quæ manent in re composita, generationis vero tria sunt, duo scilicet quæ essentiam rei absoluāt, & alterum quod transmutet, & hoc est priuatio, quæ vulgo principium transmutationis dicitur. Concludam verbo. Vt vmbra terræ est causa eclypsis lunæ, non quod quicquam omnino constituat in ea, sed quia per accidens nostrum aspectum & illius lumen impediat: ita priuatio est principiū rerum, non quod in illis essentiam absoluat, sed quod per accidens causa sit trahendi materiam & formam, cuius tamen actum & lumen in existente materia penitus obscurauit.

1. Phys. c. 6. tex. 50. & 66.

Distinctio primæ quæstionis, Vtrum materia prima à Deo creari probetur secundum philosophiam?

Materia prima consideratur dupliciter

1 Physice secundum ordinem naturæ, & sic, vt ars quæ imitatur naturam semper primam aliquam materiam postulat, quæ aut vi naturæ, aut vi artis rebus fabricandis subiicitur: ita natura illa vniuersalis physica quæ in materiam & formam diuiditur, primū aliquod principium requirit, à quo omnis generatio primò

& in

& in quod omnis resolutio vltimo fiat. Hoc autem principium primum appellant, non quod non sit aliquid aliud in alio genere eodem prius, (omnes enim vere philosophi agnoscunt Deum authorem omnium) sed quia naturaliter hoc primum principium aliunde non fit, quod metaphysice esse non negant, & quia ab eodem in hoc Olympo stadioque naturæ omnia physica effecta secundum fatalem ordinem, motum, & connexionem causarum generentur.

2 Metaphysice, idque vel secundum.

- 1 Diuinam philosophiam, in qua Moyses summus propheta, & omnium historicorum pater, plenus Deo, (cœlesti dictante spiritu) docet, mundum, omniaque in eo ex nihilo creari: & proinde materiam primam creatam esse concludo, quam diuinus propheta *terram inanem* & *abyssum* vocat.
- Humaná philosophiá, q̃ vltra naturá cómunê sapiens, ratio nibus suadet
  - 1 Ab hypothesi necessaria: quia si materia ex nihilo nó crearetur, sequetur suum esse habere vel á seipsa vel ab alio principio naturali prius existente: sed á seipsa suũ esse habere non põt (quia sic nihil habet) nec ab alio prius existente naturaliter principio, quia est ipsa primum, ergo ex nihilo creatur.
  - 2 A proportiõe seu cõparatiõe: q̃a materia prima res quidẽ remotissima est ab omni actu, tãtũ virtuté agẽtis requirit ad suũ esse, quã maior esse nõ põt; hæc aũt virtus soli Deo cõuenit, q̃ in creatiõe medio nõ vtit.
  - 3 Ab autoritate philosophi octauo physicor. li. etiá de Mũdo & in Metaphys. vbi Deũ sæpe causam & effectorẽ rerũ omnium appellat. Si omniũ, ergo materię primæ eiusdẽque nõ vi naturę, sed sine medio q̃a vltra vires naturæ agit.

4 A modo subsistendi, quia secundum philosophum Deus solum æternus est simpliciter, & simpliciter solus per se subsistit: materia ergo prima suam subsistentiam respectiuam à Deo habet, & per consquens creatur.

5 A nominibus & adiunctis Dei apud philosophum, qui Deum causam primam, ens primum, Agens liberrimum, authorem omnium, spiritum infinitum, naturam naturantem, summum bonum, ineffabilem essentiam, motorem sempiternum, opificem mundi, cui immensa potentia, sapientia, prouidentia attribuuntur, quæ omnia & singula arguunt & concludunt, non solum materiam, sed vniuersum mundum ex nihilo cre.sse Deum.

Opp.

Creatio humanam rationem & philosophorum scientiam superat, solamque fidem requirit: ergo inanis & otiosus est hic conatus tuus, vbi contendis ex philosophia & ratione illud demonstrare, quod sola fide creditur. Antecedens probatur, quia in creatione (qua est productio rei ex nihilo) maxima virtus diuina causa requiritur, qua ratione apprehendi non potest, discuti non debet.

Resp.

Respondeo in opere creationis rationem humanam caecutire, & totam philosophiam obstupescere, attamen & ratio & philosophia, sui luminis eclipsi facta, cum diutius non possint à causis res demonstrare: coguntur altius assurgere, & magna mysteria vltra suos limites in philosophia diuina agnoscere, sic Deum vnum, eundemque infinitum & immensum esse agnoscant, & si agnoscant Deum, cur creationem illius propriam actionem non agnoscerent? & quamuis rationem & philosophium (vt ais) hoc opus diuinum superet, ex ratione tamen & philosophia probari potest quod sit, licet de modo non constet.

Opp.

Materia prima est primum principium: ergo si creetur, aliud principium prius primo erit, quod videtur absurdum.

Resp. *Leuissima est hac obiectio. Sed respondeo materiam primam esse primum principium physicum, non metaphysicum, vt ipse Aristoteles fatetur: non ergo absurdum est, confiteri aliud esse principium prius in alio ordine & genere causa.*

Materia prima physicum, non metaphysicum principium.

Opp.

Contradictio in Deum non cadit, ergo materiam primam non creauit Deus. Antecedens constat omnium philosophorum consensu: Argumentum tenet, quia ens & non ens sunt contradicentia. Sed in creata materia sunt ens & non ens, Ergo in creata materia sunt contradicentia. Minorem probo, primum quod sit ens, quia materia esse dicitur, tum quod sit non ens, & quia priuatio eadem numero cum materia manet, & quia forma, qua adhuc omnino non est, à materia fluit: at tam priuatio quam forma adhuc non subsistens, à philosopho non entia definiuntur.

Resp.

Contradictio in Deum non cadit, neque contradicentia in eodem numero subiecto creat: respondeo ergo priuationem non esse non ens simpliciter, nec formam naturalem qua in materia ante existentiam suam oblitescit. Nam priuatio non negat materiam esse, sed praexistentiam forma futura seu habenda negat, idque non contradicentium more, vt omnino non sit, sed ex parte: quia non attonitam reddit materiam, sed excitat potius: vnde generatio incipit, qua forma acquiritur, cuius granum solum in potentia materia fuit: germenque, folium, & fructum habet cum priuatio desinat.

Opp.

Æternitas mundi, & aternitas materia cum mundo, qua defenduntur à philosopho, arguunt illum nunquam de creatione materia somniasse, ergo nouus es orator, & parum subtilis disputator ex illo de creatione: Ratio tenet quia aternitate nihil est prius. si ergo materia sit aterna, à nihilo nunquam incepit, & ex consequenti nunquam creabatur.

Resp.

Frigide & dissolute opponis, verborum strepitu aerem solum diuerberas, & vmbras captas: primum enim hoc loco

non quaritur, An Aristoteles creationem materia aut mundi docuerit? sed An ratione ex philosophia probari possit? praterea, licet philosophus Vt rationis & natura physica ex nihilo nihil fieri posse demonstret, natura tamen (Vt ita loquar) naturantis, & metaphysice manu & potentia fieri posse non negat: imo probat, cum animam humanam omnemque incorpoream substantiam à Deo immediate, id est, sine medio & sine subiecto praexistenti fieri & conseruari doceat: & cur quaso non adiungam materiam primam qua essentiam habet, nec à seipsa, nec ab alia Vlla causa priore physica, cum ipsa sit prima? à metaphysica Vero habere potest, qua Verissime causa causarum, & omnium prima dicitur.

Non negat Philosophus metaphysice ex nihilo aliquid fieri.

Opp.

Si creetur materia, tum incipit in tempore aut sine tempore: non in tempore: nam tempus est mensura rerum caducarum, ex Vertigine cæli solisque deducta. at neque materia est res caduca, neque à motu cæli dependet, qui tum non fuit, quippe abyssus, id est, materia prima, ante creationem aliorum omnium fuit. non ergo creabatur materia in tempore: neque certe sine tempore, quia creata incipit esse, at incipere tempus arguit: ergo sine tempore non creatur.

Resp.

Addidisses aliud membrum in diuisione tua, nempe (cum tempore) nam non esset absurdum putare, materiam & tempus simul creasse Deum, & sic nec sine tempore nec in tempore completo, sed cum tempore tam inchoato incepit materia. Alii existimant materiam non omnino indigere temporis mensura, quia generabilis & corruptibilis non est: caterum cum materia sit, (Vt docet philosophus) causa corruptionis, & ipsa mensura motus secundum prius & posterius (sic enim definitur:) non Video rationem, quin dicam aut cum tempore, aut in tempore, id est, in primo temporis puncto incepisse.

Materia cum tempore creata.

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis, Vtrum materia sit in rebus omnibus naturalibus?

Materia demonstratur esse in rebus omnibus naturalibus, vel

1 Ab inductione rerũ omniũ naturaliũ, q̃ necessario constant ex duabus partibus, materia & forma: intelligendę sunt res illę naturales, quę per se & vi sua sic dicuntur, quales sunt corporeæ substantię, simplices vel mixtę, eędemque perfectæ vt *animal, homo:* aut imperfectæ, vt *halitus, vapor.*

2 A lege naturæ, quod nihil ex nihilo fiat secundum ordinem naturæ, quæ in materiam & formam diuiditur.

3 A comparatis, quia vt est in summo gradu omnium entium purissimus, idemque actus in omnibus, & vbique subsistens, nullius indigus, omniumque formarum effector: ita in infimo gradu est vna potentia omnium egena, omniumque formarum capax, per se omnino rudis, & rasa quasi tabula, nullam vim effectricem habens, ad omnia tamen naturæ effecta necessaria.

4 A necessario, quia sine materia, nulla potest esse generatio rerum, nulla formarum ex illius potentia emanatio, nulla rerum & formarũ in potentiam naturæ resolutio: nam quæ resolutio esse potest, si non sit materia in quam resoluatur?

Opp.

Materia, vt docet Philosophus, est causa corruptionis, sed omnia naturæ effecta non corrumpuntur: ergo omnia non ex materia constant, & ex consequenti materia non est in omnibus rebus naturalibus. Maior est in textu: minor constat, quia cælum est effectum naturæ, & tamen cælum non est corruptibile.

Incorruptibilitas cæli non est ab eiusdem materia, sed à forma.

Resp. *Scio esse quosdam qui somnient cælum non constare ex materia illa ex qua hæc inferiora cõstent: sed dico constare, vt postea in libris de Cælo declarabitur.* Quod vero

non corrumpatur, hoc non contingit ex materia quæ semper vermem quasi cariosum in se continet, causam corruptionis: sed quia vi actiua vniuersalis natura in cœlum talis inducta sit forma, quā omnium inferiorum formæ non possunt eneruare: neque conuenit vt id agant, cum secundum prouidentiam naturæ aliæ omnes formæ à cœlesti forma effectiue generentur: sol *enim &* homo, *id est, maior & minor mundus generant omnia.*

Opp.

Priuatio non est in cœlo: ergo non est materia prima. Ratio tenet, quia priuatio est semper eadem numero cum materia. Antecedens constat, quia priuatio nunquam est otiosa donec aliam formam introduxerit.

Resp.

Dixi esse in omni materia vermem quasi cariosum, per quod adiunctum intellexi priuationem, sed venenatus dens eiusdem vermis in cœlo frāgitur præsentia excellentis formæ, quæ neque illius sparso veneno, neque alio agente vllo naturali superari potest.

Opp. *Materia prima in re nulla naturali inest: ergo non est in omnibus: Antecedens probatur, quia materia in re naturali posita, est secunda, non prima, est formata, non confusa & inanis forma, vt in materia prima requiritur: nisi ergo nascentibus rebus naturalibus noua prima materia generetur, prima materia in omnibus non erit.*

Materia prima nō quoad ordinem sed quoad substantiā inest in omnibus.

Resp. *Cum materia prima dicatur inesse omnibus, non ordo sed substantia illa intelligitur quæ prima materia dicitur. Quare etsi secunda & signata materia sola insit in re qualibet existente, materia tamen prima inesse dicitur, quia materia prima & secunda non re sed solum ratione differunt.*

Opp. *Materia secunda corrumpitur: sed materia prima vt docet Philosophus nec generatur nec corrumpitur: ergo materia secunda non est re eadem cum materia prima.*

Materia quomodo corrumpi dicatur, quomodo non.

Resp. *Sæpe docuimus aliquid re idem esse vel simpliciter & absolute, vel ex parte & inchoate: dicimus materiā primam & secundam idem ens esse non simpliciter sed ex parte. Alii dicunt formas in secunda materia corrumpi solum, materiam autem (quæ propriè secunda dicitur) non corrūpi,*

sed

sed resolui in primam: & sic resolutio non esset corruptio sed reuersio materiæ in seipsam. Verumenimuero cum secunda materia non sit eadem numero cum prima, nõ video quomodo eadem numero resoluatur.

Opp. replicant. *Vt deleta imagine Cæsaris aut alterius rei ex cera, eadem cera numero manet quæ antea fuit: ita ex tincta forma, eadem numero materia manet quæ antea fuit: ergo non est absurdum docere materiam secundam non corrumpi sed resolui seu redire in materiam primam.*

Resp. *Agnosco eandem ceram, id est, eandem substantiam ceræ manere exempta forma, eadem tamen res numero proprie non dicitur, quia res quælibet suum esse & nomen à forma habet, & ita est in secunda materia, quæ ideo signata dicitur, quia sub forma res alia est quam cum forma remouetur.*

Opp. *Multa sunt res naturales quæ ex materia non constant: ergo materia non est in omnibus rebus naturalibus. Antecedens probatur, quia quantitates, qualitates, & actiones corporum sunt res naturales, & tamẽ nullam materiam sortiuntur.*

Resp. *Quantitates, qualitates, actiones, aliaque accidẽtia physica res naturales dicuntur, non per se, sed ex consequenti: quia temperaturam eorum corporum in quibus in sunt consequuntur. Sed in hac quæstione res naturales primi ordinis intelliguntur solum.*

Accidẽtia sunt res naturales ex consequenti, non per se.

Distinctio tertiæ quæstionis, Vtrum sit vlla vera definitio materiæ primæ? & Quomodo sub intelligentiam cadat?

Cognitio materiæ primæ est vel

- 1 Physica, quæ essentiã materiæ spectat, in qua considerantur
  - 1 Nominis distinctio in materiã
    - 1 Naturalem, quæ est vel
      - Prima.
      - Secunda.
    - 2 Artificialẽ, quæ arti subiicitur.
    - 3 Analogicã, quæ proportionem veræ materiæ habet: sic genus est materia speciei.
  - 2 Definitio quæ est etiam
    - 1 Physica, & sic est natura seu naturale principiũ simpliciter passiuum, quod reb. à se natis per se inest, vnde omniũ primo facta est generatio, & in quod vltimo facta est resolutio.

2 Analogica, & sic est vterus naturæ, abyssus & chaos rerũ, formarum helluo, vmbra remotissima primæ causæ, rudis potentia entis, rasa tabula, radix essentiæ.

2 Metaphysica, & sic materia definitur abstracta vmbra primæ causæ mente solum comprehensa, vel principium à Deo creatum, seu primum subiectum omnium corporum in potentia naturæ.
3 Analogica, quæ communis est cognitioni physicæ & Metaphysicæ, hinc cum difficillima res sit cognitu prima materia, ad illius demonstrationé apertiorem efficiendam similibus vtimur, quibus illius abstrusa natura magis constet. Sed satis hæc omnia in discursu patent.

Opp. *Principia definiri non possunt: ergo inanis est quæstio* An sit vera definitio materiæ primæ? *Antecedens probatur, quia nihil est prius principio: at partes definitionis priores esse debent suo definito.*

Resp. *Vt demonstratio, ita etiam definitio aliquando à posteriori traditur: quamuis ergo principia definiri non possint à priori, definiri tamen possunt à posteriori, & sic hoc loco materia definitur, vt sit id ex* quo quippiam fit, non per accidens sed per se, vt è subiecto primo.

Definiuntur principia à posteriori.
Materia quid.

Opp. replican. *Definitur materia vt sit* natura, *aut* principium, *quæ duo sunt priora & communiora ipsa materia: ergo à priore definiri potest principium. Antecedens constat, quia natura & principiũ aliis etiam principiis præterquam materia conueniunt.*

Resp. *A parte definitionis fallaciter disputas ad totum. Nam etsi in descriptione sit genus prius specie quæ definitur proprietas: tamen quæ est altera pars descriptionis est posterior. Præterea etsi nomen naturæ aut principii sit cõmunius materia, quia latius diffunditur, nõ tamen est prius ordine naturæ, quia non est vniuocum. Ens enim est communius substantia & accidente, recte tamen & vniuoce prius ordine naturæ non dicitur, neque genus verum in aliqua definitione haberi potest.*

Opp.

Vera definitio excludit omnia & singula à re definita: sed hæc

hæc definitio non excludit: ergo non est vera definitio. Minor probatur, quia efficiens causa esse potest subiectum à quo primum res oriuntur. Sic prima substantia est efficiēs causa & subiectum à quo accidentia primum fiunt. Præterea priuatio est primus terminus à quo generatio incipit, vt in textu docet Philosophus. Postremo quomodo forma excludatur per hanc definitionem non video, cum ex forma nō minus quam ex materia res naturalis constet.

Resp. *Prima substantia à prima materia excluditur. Nā etsi prima substantia sit subiectum ex quo fluant accidentia, non est tamen primum subiectum ex quo fiant. Nam accidētia materiam non ex qua fiunt, sed materiam in qua sint dicuntur habere. Priuatio etiam excluditur, nam etsi sit terminus primus generationis, in re tamen genita non inest per se, vt materia inest. Forma etiam excluditur, quia materia definitur primum subiectum, forma autem non est subiectū rerum. Nam vt cum veteribus loquar, materia est* ex qua, *forma autem* per quam, *efficiens causa* à qua, *finis* propter quam *res naturales fiunt. Artis denique materia excluditur, quia additur hoc verbum* primo in *definitione materiæ. Artis enim opera ex materia secunda non prima fabricantur.*

Accidentium materia est in qua, non ex qua.

Quatuor causarum definitiones.

Opp. *Oportet accedentem ad scientiam principiis credere, eorumque rationem non quærere: ergo non est opus materiam primam definire. Præterea Arist. 6. Ethicorum,* intelligentiam *inter virtutes mentis definit habitum esse credendi principiis in qualibet scientia, non curiose inuestigandi eorum rationem: non ergo opus est vt materia aut exacte definiatur, aut sciatur, sed vt credatur esse.*

Resp. *Fatendum est, satis esse in qualibet scientia vt credas principiis, & curiose eorum rationem non quæras. Verum quoniam duplex est ordo sciendi, scilicet: natura à causis, & disciplina ab effectis, Philosophus posteriorem ordinem reliquit probandi principia, ne vel in credendo difficiles, vel in negando audaces, scientias sapientiæ filias corrumpant & quasi meretrices reddant. Quamuis ergo intelligentia sit virtus mentis, qua credamus principia esse, quaque præditi raro aut nunquam contra negantes principia disputemus, sapientia tamen & philosophia iubent, potius quam stella.i.*

Principia probantur ab effectis.

scientia cadant, ut fulminibus philosophorum, id est demonstrationibus ab effectis rerum petitis scietiarum contemptores prosternamus, eosque inuitos ad credendum principiis pertrahamus.

Opp.

Modus intelligendi materiam est per formam solum: ergo nimis es curiosus qui alias vias intelligendi quaras. Antecedens probatur authoritate D. Thoma, Auerrois, Ægidii, & aliorum qui constanter affirmant materiam secundum essentiam absque forma cognosci non posse. Ratione hoc ipsum probatur, quia materia est quiddam relatum ad formam. at unum relatorum non cognoscitur sine altero. Quod materia & forma sint relata sic probo, quia potentia & actus sunt relata, materia autem potentia, & forma actus dicitur: at potentia sine suo actu non cognoscitur: ergo nec materia sine forma.

D. Thomas 1. p q. 87. art. 1. Auerrois li. 4. comment.

Resp.

Materia essentia cognoscitur per intellectum simplicem non compositum.

Materia prima consideratur vel per simplicē intellectum, vel per compositum: ab illo cognosci potest sine forma in propria essentia, ab hoc non potest. Ad rationem ergo dico, quod D. Thomas intelligat materiam actu existētem in relatione ad formam, nō per se, subsistentem in propria essentia sua, qua pura potentia est, inanis & vacua omni forma. Et certe hoc modo varia traduntur rationes intelligēdi eam, nunc remouendo omnia qua actum significant, & concludendo illud esse materiam quod non est actus, vel addendo omnia qua quouis modo significant potentiam, & cum ad primum potentiarum gradum perueneris, existimes te attigisse scopum materiamque quam quaris inuenisse. Nam ut ratio est videndi tenebras sine lumine: ita modus intelligendi materiam per se est sine actu in potentia, natura.

Distinctio

Distinctio quartæ quæstionis. An materia & prima potentia re differant?

Potentia materiæ est vel

1 Prima, quæ definitur vis quædã passiua materiæ primæ, qua redditur apta ad recipiẽdam formam, & hæc probatur eadẽ natura cum materia prima, non absolute, sed inchoate.

1 Ab authoritate Philosophi 2. de Anima, vbi docet primam potẽtiam cuiusque rei esse eandẽ cum re cuius est potentia, sic *sensibile* idem cum *anima sensibili*, sic *rationale* idem cum *anima rationali*.

2 A definitione materiæ primæ, quæ sæpe definitur potẽtia prima capax formarum.

3 A comparatis, quia forma est realiter actus, & proinde materia est realiter potentia: intelligo per hoc verbum *realiter* non absolute, sed inchoate idem: nam materia est aliquid præter potentiam.

4 Ab hypothesi, nempe si materia & potentia realiter differrẽt, res composita ex sola materia & forma non coalesceret.

5 A distributis, quia materia neque est actus, neque aliquid ex potentia & actu: sequitur ergo quod sit realiter potentia.

2 Secunda, quæ definitur vis quædam actiua (vt multi volunt) materiæ secundæ seu signatæ, quæ cohæret cum forma, quæque forma deleta in primam potentiam redit, à qua radice primum ortum habuit.

Opp.

Videris quidem in hac quæstione vnum valde absurdum insinuare, nempe materiam primam esse aliquid præter meram potentiam, quod plane contra Aristotelem authorem tuum, & D. Thomam interpretem tuum defendis. Nam ille libro primo de Generatione capite 3. ait totam materiæ rationem esse potentiam, hic vero præter potentiam appellat nihil. 1. Contra gentes cap. 43.

Resp.

Si moueas hoc dubium Vtrum materia prima sit præter

Materia & potentia eadem sunt inchoate non absolute.

Multiplex discrimen materia & potentia.

potentiam suam nihil? *respondeo verbo, esse praeter potẽtiam suam aliquid. Nam etsi defendã hoc loco illas reipsa nõ differre si vtramque inchoate consideres, absolute tamẽ differre affirmo: Quippe materia prima est principium, potentia non est: materia prima est subiectum formæ, potentia autem non est: materia prima* natura, *potentia vero* naturalis *non ipsa natura dicitur: res omnes naturales ex materia constãt, at ex potentia materia non constant: materia manet sub forma, at forma acquisita potentia desinit: fit vltima rerum resolutio in materiam, non in potentiam materiæ: seclusa quãtitate (vt antea docuit Philosophus) in reales partes diuiditur materia, at potentia sine ope materiæ partes non habet: postremo materia ens per se subsistens, potentia vero non ens per se subsistens, sed vis quædam entis definitur. Est ergo materia aliquid reale, præter potentiam, realiter tamen & ex parte idem,* vt anima rationis compos, & potentia rationalis.

Opp.

Materia prima est ens actu: imo cum sit ens actu est in essentia sua bonum: ergo aliquo modo actus. Est actus naturæ: ergo non nuda potentia. Non est nuda potentia: ergo realiter materia & potentia non sunt vnum.

Resp.

Vincula istius catenæ non sunt firma. Concedo equidem materiam esse ens actu, *potentiam quoque* rem actu *esse non nego: quid multis: concedo vtramque bonum quiddam esse si essentiam spectes (nam* omnia quæ fecit Deus valde bona in essentia erant) *cæterum hinc non recte concludis materiam esse actum: quippe multæ sunt* actu entia *& bona quæ non sunt* actus, vt sensibile, vegetabile, rationale, *omnesque potentiæ rerum: & sic materia prima & illius potentia sunt quidem res* actu *in essentia sua, at* actus *dici non possunt. Ad vltimam ergo conclusionem, dico materiam esse nudam potentiam si absentiam formæ, non esse nudam potentiam, si essentiam propriam spectes. Sic in potentia ad formam est rasa tabula, & eadem cum potentia, est tamen reale aliquid præter hanc potentiam, si in simplici sua essentia consideretur.*

Genes. 1.

Materia & potentia sunt res actu, non actus.

Opp.

Non est omnino aliqua potentia materiæ primæ: ergo de lanis

lana caprina hic disputatur. Antecedens probatur, quia si esset potentia omnino, eademque partim vna, partim diuersa ab eadem, sequeretur materiam non esse ens simplex, cum duo, eademque ex parte, diuersa, in vno continerentur.

Resp.

Vnitas simplicis essentiæ non tollitur varietate, si varietas aliud numero in ipsa essentia non efficiat. Exempli gratia, vis intelligendi *aliqua ex parte ab* intellectu *differt, & tamen vnam essentiam eandemque simplicem vtriusque vides: imo tres potentiæ animæ, nimirum* intellectus, voluntas, memoria, *aliquo modo ab* anima ipsa *differunt, sunt tamen vnita vna anima, eademque simplex in essentia sua: ita hæc potentia prima materia differt, quia non est omni ex parte eadem, realiter tamen vna eademque est & simplex essentia vtriusque, vt prima natura mota ad formas capessendas rerum.*

Potẽtia & materia differunt realiter, nõ tamen simpliciter sed ex parte.

Opp.

Materia nihil aliud est quam pura potentia, ergo erras cum contrarium defendas. Antecedens probatur quia nõ est actus omnino, vt ais, nec ex actu & potẽtia concreta: est ergo pura potentia, & proinde simpliciter & omnino materia & potentia materiæ sunt ens numero & natura idem.

Resp.

Parum attendis. Nam etsi dico materiam non esse actum neque ex actu & potentia concretam: actu tamen rem esse dico. Neque illud quod infers in principiis est verũ, quod ideo sit vel actus, vel potentia, vel quiddam ex vtroque compositum: quippe res aliqua esse potest quæ non sit actus quia caret forma, nec potentia simpliciter, quia est actus aliquid in potentia ad actum & perfectionem suam: & sic materia prima est neque actus, quia vacat forma, nec pura potentia, sed ens (vt ita loquar) potentiale, id est, ens aptum & docile per innatam suam potentiam ad recipiendam formam, quæ vi vniuersalis naturæ in eam sic quasi ceram præparatam inducitur.

Materia ens potentiale.

Opp. *Potentia actiua videtur magis eadem esse cum re cuius est potentia, quam potentia passiua: sed est in materia prima potentia quædam actiua: ergo illa magis videtur esse realiter eadem cum materia, quam hæc passiua de qua nunc loqueris. Maior constat, quia actiua po-*

tentia est semper dignior passiua, magisque formalem essentiam rerum sequitur. Minor probatur, quia in materia prima est potentia appetendi formam, sed appetere formam est agere: ergo potentia appetendi formam est actiua. Vt à Coniugatis hoc argumentum docet.

Resp.

Hoc totum aliquid esset, si actiua potentia in materia prima emineret: sed non eminet. Nam illa potentia appetendi formam est nihil aliud quam inclinatio vel aptitudo ad recipiendam formam. Quod vero excitetur materia aliquando, non à consopita & passiua hac potentia contingit, sed ab actiua potentia vniuersalis natura illam mouentis euenit, qua actiua potentia in horologio totius vniuersi veluti gnomon est, qui motum solis, id est, nutum primæ causæ, & prouidentiam Dei directe sequitur, omniaq; in secundis causis & effectis disponit, vt sapientia æterna sedens ad puppim iubet.

Appetitus materiæ excitatur à potentia actiua natura vniuersalis.

Opp.

Omnis potentia est aut subiectiua aut obiectiua, vt aiũt: sed materia nec est realiter eadem cum potentia subiectiua nec obiectiua: ergo est realiter eadem cum nulla. Minor constat, quia materia prima est semper vacua forma, eadem ergo cum potentia subiectiua non est. Neque est cum obiectiua, quia vna cōditio huius potentia est, vt res nō sit, sed esse possit; *materia autem prima* est, *ergo cum potētia obiectiua realiter eadem non est.*

Resp.

Materia prima est eadem realiter cum potentia subiectiua, non quod semper in propria & simplici sua natura subiiciatur formis, sed quod subiici quidem possit, & hoc est satis ad potentiam rei. Potentia enim subiectiua dua sunt conditiones, vna vt res sit cuius potentia est, *ideo ea quæ non sunt non dicuntur esse in potentia subiectiua,* vt eclipsis futura: *altera* vt aliquid possit recipere: *vnde Deus non est in potentia subiectiua, quia nihil ad suā perfectionem recipit. Verumenimuero cum hæ duæ conditiones in materiam primam cadant, recte materia prima eadem cum potentia subiectiua dicitur: non est autē in potentia obiectiua, quia huius potētiæ cōditiones ei nō conueniunt. Nā vna est* vt res cuius potētia existit

Potentiæ subiectiua duæ sunt conditiones.

Potentia obiectiua duæ etiā conditiones.

existit non sit, *at materia est: altera* vt esse possit; *vnde* Chimæra *in hac potentia non est*, *quia tale monstrum in rerum natura obiectum esse non potest.*

Distinctio quintæ quæstionis. An materia prima esse possit inanis omni forma? & An vi propria formam appetat.

- In materia 2. considerantur
  - 1 Habitus naturæ, idemque vel
    - 1 Simplex, & sic esse potest sine omni forma, vt probatur
      - 1 A definitiõe materiæ, quæ docet eam esse ens in sola potentia ad formam.
      - 2 Ab ordine, quia materia est prior forma: quod non esset si semper formæ subiiceretur.
      - 3 A natura formæ, quæ ex potentia materiæ educitur: põt ergo materia esse sine forma, vt mater parturiens sine filia.
      - 4 A simili, quia vt cera potest esse sine imagine: ita materia sine forma.
      - 5 Ab identitate potẽtiæ, quę arguit esse proprie in potẽtia ad formam.
      - 6 Ab authoritate Augustini, qui per *terram inanem* in creatione, materiam primam in potẽtia ad formas intelligit. *Gen. 1.*
    - 2 Compositus, & sic est ens actu formatũ, quod sine forma esse non potest.
  - 2 Appetitus, qui est vel
    - Internus, & sic est nihil aliud quã passiua potentia, aptitudo, vel inclinatio ad recipiendas formas.
    - 2 Externus, quo excitatur materia ad appetendã formam propter
      - 1 Perfectionem formæ, vt ab illa materia perficiatur.
      - 2 Actionem, vt per illam existat.
      - 3 Constitutionem rerum, vt copula facta res aliæ fiant.
      - 4 Successionem & conseruationem rerum, quæ esse non possent si in ipsa generatione materia formas non appeteret

Opp.

Quæ sunt vnum numero & natura non possunt separari: sed materia & forma sunt vnum numero & natura: ergo materia & forma non possunt separari. Maior constat, quia idem a seipso non diuellitur. Assumptio probatur, quia vnio materiæ & formæ vnitas rei est, primaque societas naturæ quæ distrahi & diuelli non potest, quia res vna est mysterio naturæ vt vir & vxor mysterio gratiæ. *Hæc si ita sint, materia non est sine forma.*

Resp. *Licet in re tertia effecta materia & forma sint vnum numero & natura per vnionem, quæ prima copula & societas naturæ dicitur, materia tamen & forma diuisim considerata aliter se habent, & simplici intellectu recte separari possunt: & sic materia antequam formæ cupiditate & amore ardeat, in propria essentia subsistit sine forma, ita tamen vt semper sit in potentia ad formam, donec per vnionem & amplexum noua rerum generatio fiat: at tum quidem agnosco similitudinem tuam, quæ tametsi per omnia non teneat, pulchre tamē docet quomodo materia & forma vnum numero & natura sint.*

Materia & forma in composito sunt vnum subiecto, in sua natura & simplici intellectu.

Opp. *Materia & forma sunt relata, secundum esse, vt potentia & actus: ergo materia non est sine forma, nec forma sine materia. Antecedens probatur, quia materia est formæ materia, & forma est materiæ forma.*

Resp. *Non sunt relata simpliciter secundum esse, si vtrūque pro rebus intelligas: nam non mutuo se ponunt, nec posita se mutuo perimunt. Nam etsi forma non possit esse sine materia, materia tamen potest esse sine forma, vt constat in embryone respectu* animæ humanę & *in* semine *respectu* plantæ *anima vegetatrice præditæ.*

Materia & forma non sunt vere relata.

Opp.

Materiam esse sine forma implicat contradictionem: ergo materia sine forma esse non potest. Antecedens probatur: quia implicat materiam esse in pura potentia, & non esse in pura potentia, quæ sunt contradicentia. Nam in eo quod dicitur esse, actus insinuatur, & sic non est in pura potentia: at in eo quod dicitur esse sine omni forma, innuitur esse in pura potentia: & sic in potentia esse, & non esse in potentia demonstratur.

Resp.

Resp.

Fallax argumĕtum est: nam separas ea quæ sunt copulăda. Neque illud verum est, quod esse materiam actum significet, vt tu somnias, sed vt significet materiam actu esse. Aliud enim est esse actum, aliud actu esse, vt antea docuimus. *Aliud esse actum, aliud esse actu.*

Opp.

Fieri non potest quin res creata in se respectum ad creatorem habeat, sed (vt ex philosophia docuisti) materia prima creata fuit: ergo materia prima respectum ad sui creatorem habet. Cæterum hic respectus in materia actus est: ergo materia non est sine actu, id est, non sine forma aliqua.

Resp.

Si per respectum *inhærentem aliquam formam aut externam, aut internam intelligas, negamus talem esse in materia prima: at si per* respectum *intelligas potentiam illam passiuam (quă sigillo suo in creatione materiæ impressit Deus) libenter concedimus inesse respectum: non tamen est hic respectus actus, sed nuda potentia: veluti cera temperata ad ideas & imagines naturæ recipiĕdas, si chirographo primæ naturæ consignetur: quare non obstantibus istis materia potest esse sine forma.*

Opp.

Dato & concesso hoc vno, quod duæ materiæ separentur à formis, manet tamen in illis binarius numerus, qui est quadam forma & actus in quantitate: ergo non detur materia sine forma.

Resp.

Iste binarius numerus duarum materiarum quæ separătur à formis, propriè non est realis quantitas, sed mente sola concepta mensura rerum, quæ nunc reuersæ in materiă primam numero aut natura non distinguuntur.

Contra secundam partem quæstionis.

Opp. *Appetitus arguit præesse cognitionem rei quæ appetitur: sed in materia prima non est cognitio formæ: ergo formam non appetit.*

Resp. *Appetit materia formam, non vt intellectus appetit: quippe appetitus intellectus differt ab intellectu, nempe voluntas quæ non appetit sine præcognitione rei quam appetit: neq; appetit materia vt appetitus sĕsitiuus qui interiecta cognitiŏe sensitiua sĕper fertur ad obiectŭ: sed appetitus ma-* *Appetitus materia qualis.*

teria est, vt antea docuimus, inclinatio materiæ, & quidam instinctus ad perfectionem suam.

Opp. *Nihil appetit perniciem sibi: sed materia appetẽdo formam appetit perniciem sibi: ergo materia non appetit formam. Minor constat, quia diutius materia prima non dicitur, cum suo appetitu forma acquiritur.*

Materia sua natura perfectũ, respectu formæ & cõpositi ens imperfectum.

Resp. *Tametsi materia prima sit in suo genere entis perfectum aliquid, est tamen respectu actus, formæ, & compositi ens rude & infirmum: appetit ergo formam vt perficiatur. Quod vero deponat hoc nomen* materiæ primæ *non refert, nam nomen pluma est, non essentia. Acquisita enim forma materia perfecta in re manet, formaque deleta redit in nidũ & naturam suam, nisi in commutatione rerum ad aliã formam vi actiua vniuersalis naturæ pertrahatur.*

Opp. *Materia appetit formas aut quia illis caret, aut quia plures simul habere desiderat, aut quia earum quas habet societate & vnione vulneratur: sed non illas appetit quia illis caret, cum semper sub aliqua forma sit: nec quia plures simul desideret, quas habere nõ potest: nec quia societate vnius vulneretur, cum hoc sit à simplicitate naturæ alienum: sequitur ergo quod omnino non appetat formam.*

Materia cur semper formã appetat.

Resp. *Materia omnem sine discrimine formam appetit, habitam & habendam: habitam appetitu delectationis & complacentiæ, habendam appetitu desiderii & cupiditatis: vt scilicet ex densis suis tenebris in maximã lucem, vt ex remota potentia in actum creantis veniat. Ad argumentum ergo dico, materiam carere formis, pluresque desiderare semper, non quod tædio vnius vulneretur, sed vt accumulatis formis perficiantur omnia, fiatque reditus in primum actum, in quo omnia & singula conseruantur.*

Opp. *Res qualibet naturalis perfectissimo acquisito termino ad quem tendit, à motu cessaret: sed materia prima perfectissima forma acquisita non cessat: ergo appetitus materiæ primæ res naturalis non est. Maior est Arist. qui docet quietem esse semper in vltimo gradu perfectionis. Assumptio probatur, quia appetitus materiæ acquisita forma humana (quæ est diuina & in omni perfectione absoluta) non cessat.*

Scaliger exercitat. 18. Phys. 1. text 81. Scot. 1 d. 1 q. 1.

Resp.

Scotus recte quidem ait, materiæ appetitum insatiabilem

bilem esse, nulloque termino claudi extensiue. Ratio est, quia licet sit excellens & perfecta forma quam actu possidet, nisi alias etiam indiscriminatim appeteret, aptaque ad eas recipiendas esset, neutiquam vnius corruptio esset generatio alterius: quo philosophia & natura fundamento conuulso, rerum species cito languerēt, totumq; ædificium naturæ rueret. Hinc Arist. materiam causam conseruationis frequenter appellat, vt 2. de Generatione cap. 9. & in OEconomicis cap. 3. vbi docet inductione formarum nouarum (quas materia appetendo recipit, & recipiendo appetit) vniuersam rerum seriem totiusq; mundi machinam continuari.

Distinctio sexta quæstionis, An forma ab æterno vel tempore creationis sit coæua cum materia?

Triplex est sensus huius quæstionis

- 1 Vnus quod fuerit aliqua forma coæua cum materia prima, & hic sensus probatur
  - 1 A natura formæ, quæ non est minus principium quam materia, & proinde non minus æterna: cum principia secundum Arist. sint æterna.
  - 2 Ab instantia cœlestis formæ, quæ æterna fuit:
  - 3 Ab æternitate mundi, qui sine forma esse non potuit.
  - 4 Ab anima mundi, quæ est forma formans omnia, actusq; omnium quę ab æterno fuerunt.
- 2 Alter quod materia consideretur vel secundum
  - 1 Partes, & sic nunquam ab initio fuit vacua omni forma.
  - 2 Totum, & sic ens proprie in potentia dicitur ad formam non actu formatam.
- 3 Postremus quod in materia cōsiderētur duo
  - Essentia simplex & propria: & sic probatur quod forma nō sit coæua cum materia
    - 1 Ab ordine cōstitutionis, quia materia dēt præcedere formam: ergo non est coæua.
    - 2 A natura formæ quæ à materia fluit, & per consequens coæua esse non potest.
    - 3 A generatione rerum, quę primum à materia incipit, desinitq; in formam.
    - 4 A definitione materiæ, quæ subiectum primum formæ dicitur.

5 Ab interione naturæ, quę primam materiam superat.
6 A potentia materiæ primæ, quæ frustra inesset si forma sit coæua cum materia.

Existentia quæ requirit actum, & sic materia in partibus nunquam fuit sine forma.

Obseruatio.

Postrema pars distinctionis vitam quæstionis maxime attingit.

Opp. *Idem vanißime deuoluis saxum: nam quid discriminis est inter hanc & vltimam quæstionem? hic enim quæris An forma ab æterno coæua sit cum materia? illic quæris An materia vnquam sit sine forma? eodem modo & hic & illic concludis: ludis ergo & vmbras venaris logomachia & tautologia tua*

Opp. Nodum in scirpo quæris. *sed omissis verbis, respōdeo magnum discrimen esse inter hanc & illam quæstionē: nam in illa agitur de subsistentia solum materia, in hac vero de existentia formæ. In illa docetur quod materia suapte natura sit sine omni forma, in hac concluditur quod in existentia sua sine forma non maneat: in illa de naturali solum forma: in hac de forma tam naturali quam vniuersali (sit illa anima mundi vel quæcunque alia) agitur: in illa modus quo forma fluit à materia, in hac modus quo forma cum materia subsistit quæritur.*

Lib. 2 de Generat. Animal. c. 8. Phys. libr. 8. tex 16.

Opp. *Forma non est minus principium quam materia prima, imo ab Arist. præstantius, nobilius, & diuinius principium dicitur: ergo ordine essentia posterior non est, & per consequens vel est cum materia coæua, aut illa prior. Præterea Arist. principia æterna existimat esse: ergo forma coæterna est cum materia.*

Forma æque principiū atq; materia respectu generationum.

Resp. *Forma non est minus dicenda principium quam materia respectu generationis, imo perfectius, nobilius, & diuinius principium est, quia est actus, & in eo similius principium primæ causæ, quæ simplicissimus & purissimus actus dicitur. Cæterum si simplici intellectu seiunctim hæc duo prin-*

principia inter se conferantur, materia præcedit ordine subsistendi formam. Quod vrges principia ab Arist. æterna esse, intelliget philosophus quoad potentiam vniuersalis naturæ in qua simul sunt omnia, non quoad actum & ordinem subsistendi, in quo vnum alterum præcedere quidē potest, & tamen recte prima principia dici possunt respectu rerum omnium quæ ex illis enascuntur & fiunt.

Principia quæ æterna dicantur.

Opp. *Proteus es & in omnem formā teipsum vertis: numquam es constans nisi in leuitate tua. Nam quorsum (quæso) antea defendisti nec mundum nec materiam ab æterno fuisse, & tamen nunc inficias ibis formam coæternam cum materia esse, ipsaque prima principia recte æternitate mensurari? leuissima ergo est ista tua incertissimaque philosophandi ratio.*

Resp *Accuso vanitatem tuam, & ad philosophorum oracula à te appello. Defendo equidem & materiā & mundum incepisse, non tamen physice sed metaphysice. Rationes ex fontibus philosophiæ hausi, nega si velis, refelle si possis: classicum nec tibi nec cuiquam mortalium cano, sed semper cum sim, & Christianus philosophus esse velim, aurum & gemmas Ægyptiorum Athenis ad altare* Deo ignoto *cōsecratum offerre ex animo peropto. Optime enim philosophari dicitur, qui nihil contra Deum, scientiam, fidem & conscientiam loquitur: & certe philosophia humana quæ est sapientia mortalibus diuinitus concessa, si studiose examinetur, nihil infestū aut contrarium creationi defendit, si Deum (quem infinitum actum & causam omnium vbique appellat) spectes. Sed ne digrediar, ad argumentum tuum dico, principia æterna dici à Philosopho respectu naturæ physicæ, non respectu naturæ naturantis vt aiunt: eodem modo dico formam coæternam esse, videlicet quoad potentiam vniuersalis naturæ in qua simul sunt.*

Act. Apost. ca. 17.

Principia sunt perpetua respectu naturæ physicæ, non respectu naturæ naturantis.

Opp. *Est vniuersalis vna aliqua forma actu semper cum materia subsistens: ergo forma est coæua cum materia. Antecedens probatur, quia absurdum est vt materia, ens imperfectius, vnum sit & perpetuum, & forma, quæ est ens perfectius & diuinius, mutetur quotidie. Præterea graues olim philosophi animam mundi vniuersalem formam esse docuerunt, quæ si sit, vt probabiliter videtur esse,*

cum tanta moles gubernari non possit sine ea, sequitur quod sit forma coaeua cum materia, vt actu semper & simul subsistant. Postremo probabile est talem semper fuisse formam secundum Aristotelem, qui defendit lib. de Caelo formam caeli aeternam, & alibi caelum esse corpus animatum.

Lib. 2. de Caelo tex. 1. & text. 13.

Resp. *Ad primam partem probationis dico, non esse absurdum vt manente fundamento partes aedificii arte mutentur. Est quidem materia fundamentum omnium rerum naturalium, & quamuis sit quidem imperfectius quiddam respectu formae, non tamen mutatur, quia est & formae & totius naturalis operis subiectum & fundamentum: neque hoc mirum est mutari formas, cum natura varietate formarum & delectetur & conseruetur. Ad alteram partem de anima mundi, respondeo esse quidem animam mundi, & non esse: nam affirmo esse animam mundi assistentem, id est, Deum, non animam inhaerentē, vt multi inaniter & otiose somniarunt: sed Deus qui à philosophis aliquando anima, aliquādo prima causa, spiritus, & incorporea substantia dicitur, non est coaeternus cum mundo, sed mundi pater & gubernator optimus, qui vere ab aeterno fuit. Ad vltimam denique partem respondeo, caelum animatum dici, non per inhaerentiam sed per assistentiam animae. Et vbi vrges caelum secundum Aristotelem aeternum esse, vnde concludis illius formam perpetuo cum materia prima cohabitasse, respondeo secundum ordinem naturae physice aeternum esse, non autem sic esse, si Deum authorem caeli & mundi metaphysice, idque secūdum rationes philosophiae consideres.*

Phys. 1. cap. 9. tex. 82.

Natura formarum varietate delectatur, & conseruatur.

Deus est anima mundi.

Caelum qui animatū dicatur.

Caelum aeternū physice nō metaphysice.

Opp. *Vulgaris ratio illa non est negligenda, nempe quod forma cuilibet rei det nomen & esse: materia ergo esse proprie non habet nisi à forma: si ergo forma non sit coaeua cum materia, esse non haberet.*

Philop. 1. Phys. tex. 1.

Resp. *Forma dat rei cuilibet nomen & esse, id est, rei cuilibet naturali quae ex materia & forma coalescit, nō autem ipsi materiae quae principium rerum cum forma dicitur. Vel si placet responde, formam dare materiae esse existentiae, non esse essentiae. Nam non existit materia sine forma, est vero per se. Concludo igitur formam coaeuam esse cum materia quoad esse existentiae, non quoad esse essentiae.*

Forma dat materiae esse existentiae, non essentiae.

Distinctio

Distinctio septima quaestionis. Vtrum forma sit in re qualibet naturali.

- Res naturales sunt vel
  - Per se, eaedem que vel
    - Completae, & sic in qualibet re naturali forma in est necessario, quod probatur.
      1. Ab intentione naturae, quae agit propter formam.
      2. Ab imperfectione materiae, quae mouetur ad formam.
      3. A constitutione rei, quae subsistit per formam.
      4. Ab actione rerum, quae refertur ad formam, vt ad principium suum.
    - Incompletae, & sic proprie forma non vestiri dicuntur, donec vltimam formam sunt consequutae, quales sunt *embryo* omnesq; imperfectę substantiae in motu ad suas formas.
  - Per accidẽs, vt accidẽtia illa naturalia quę cõsequũtur vel
    - Materiam
    - Formam
    - Cõpositũ
    - Et in his rebus naturalib. nõ est forma nisi per accidẽs.

Opp. *Rarissima sunt vera definitiones rerum, ergo rarissima sunt vera & essentiales forma: quo concesso sequitur quod in re qualibet non sit vera forma. Antecedens est Rodolphi, qui nullam veram formam esse putat prater humanam, de qua etiam dubitat.* *Rodolphus negat formas veras & essentiales reperiri.*

Resp. *Rarissima sunt vera definitiones, quia rarissima sunt forma nota nobis. Cognitu enim sunt difficillima vera forma, at defectio cognoscentis non arguit negationem essentia: sunt enim verissima forma, licet à nobis semper non cognoscantur.*

Opp. *Monstrum est res naturalis, & tamen in monstro non est forma: ergo forma non est in omni re naturali. Maior constat, quia materiam & motum habet natura. Minor probatur ex Arist. qui negat habere formam.* *Phys. lib. 2. tex. 82.*

Resp. *Monstrum non est proprie res naturalis, quia aut excessu, aut defectu, aut ordine natura peccat. Praterea etsi sit res naturalis quoad materiam & motum natura specificam tamen formam non habet, qua ad opus natura spectat.*

Opp. *Embryo est res naturalis perfecta, quia materiam*

perfectam & motum perfectũ habet: sed in embryone non est forma: ergo in omni re naturali perfecta nõ est forma. Minor cõstat, quia embryo est in motu ad formã vt docẽt philosophi.

Resp. *Et si embryo materiam perfectam & motum perfectum nutritionis & augmentationis habeat, res tamen non est completa, quia adhuc formam, ad quam tendit natura, non acquisiuit.*

Opp. *Inesse est accidentis, vt docet Philosophus 2. topic. sed forma non est accidens: ergo forma non inest.*

Resp. *Inesse definit Philosophus in antepradicamentis, cum dicat: Inesse autem volo quod non inest tanquam pars, neq; ab eo cui inest seiungi aut separari possit vt maneat: at forma inest vt pars rei cui inest, non autem vt accidens, cuius esse est solum inesse, vt loquuntur dialectici.*

Distinctio octauæ quæstionis, Vtrum sit vlla vera definitio formæ.

- Formarũ aliæ sunt vel
  - Externæ, vt primæ qualitates elementorum aliarumque rerum, quibus actiones & motus rerum promouentur.
  - Internæ, quæ sunt vel
    - Assistentes, vt intelligentiæ.
    - Informãtes vel inhærentes, quæ definiuntur vel
      - 1 Metaphysice, vt sunt separatæ formæ incorporearum substantiarum.
      - 2 Dialectice, vt sunt differentiæ essentiales & internæ potentiæ rerum.
      - 3 Physice, vt sunt actus simplices à potentia materiæ educti, qui intrinsecus cum materia coniuncti res naturales definiunt, & essentialiter ab aliis omnib. quæ non sunt eiusdem speciei distinguunt.

Opp. *Actus est accidens: sed forma non est accidens: ergo forma non est actus. Maior probatur, quia actus est motus: sed motus est accidens: ergo actus est accidens.*

Lib. de Generat. Animal. cap 3.

Resp. *Per actum hoc loco nõ motum, sed actiuam & internam causãm motus intelligit Philosophus: hinc endelechia & interna perfectio forma definitur.*

Forma materia appetitũ acuit.

Opp. *Motus & potentia materia sunt causa forma*

(quipp

(quippe per motum à potentia materiæ educitur forma) ergo forma non recte definitur actus, vt sit interna & actiua causa motus.

Resp. *Et si forma educatur ex potentia materiæ per motũ, motus tamen non est causa formæ (nisi causam sine qua non intelligas) at forma appetitum materiæ acuit, ipsamque materiam, vt adamas ferrum, virtute propria trahit.*

Opp. *Omnis forma nõ est simplex: ergo male definitur esse actus simplex. Antecedens probatur, quia forma Soc. ex aliis formarum potentiis iisdemq; diuersarum specierum constat vt puta ex potentiis animæ vegetatricis & sensitricis.*

Resp. *Quamuis id proprie simplex dicatur quod simplicem cõceptum habeat, & ex partibus diuersarum specierum non constet (vnde videris quidem recte concludere, formam Soc. non esse simplicem, quia ex potentiis diuersarum specierum constat) si tamen accurate rem discusseris, inuenies formam Socratis rem vnam simplicem natura esse. Nam licet multæ potentiæ aliarum animarum in ea vniantur, vna tamen numero & natura anima solum existit. Nam vt radius solaris vnitus cum radio ignis elementaris vnam lucem, eãdemq; simplicem natura facit, tametsi separatim sol & ignis sint diuersæ species: ita hæ potentiæ diuersarum animarum coniunctæ in Socrate vnam numero formam, eandemq; simplicem efficiunt, tametsi animæ ipsæ disiunctim sumptæ diuersas species præ se ferant.*

Forma indiuidua vna & simplex est, quamuis ex diuersis potentiis constet.

Opp. *Anima rationalis est forma naturalis, & tamẽ non educitur ex potentia materiæ: ergo male illa pars in definitione formæ inseritur. Antecedens probatur, quia est actus corporis organici, vitam habentis in potentia, vt Arist. definit secundo de Anima.*

Resp. *Naturalis est vnio animæ rationalis, sed non naturalis eiusdem productio seu potius emanatio. Respectu ergo vnionis anima in comparata sua natura dici potest forma naturalis, non autem respectu productionis suæ, quæ (secundum Philosophum ipsum) nihil aliud est quam creatio, quæ eam absolutam incorpoream substantiam arguit. Est ergo duplex natura animæ: comparata vt est actus, absoluta vt est spiritus: priori modo forma physica, posteriori modo forma metaphysica definitur.*

Anima in comparata sua natura, quatenus vnitur corpori naturalis: in absoluta vero, vt est spiritus, metaphysica dicitur.

Distinctio nona quaestionis. Vtrum vnum ens numero & natura ex materia & forma fiat?

In hac quæstione cōsiderari debent.
- 1 Causa vnionis, quæ est vel
  - 1 Interna, vt dilectio formæ quā materia appetit.
  - 2 Externa, vt potentia naturæ vniuersalis trahentis materiā ad perfectionem suam.
- 2 Vnio, quę sumitur aut pro
  - 1 Actione naturæ.
  - 2 Illapsu formæ in materiam.
  - 3 Relatione materiæ & formæ.
- 3 Vnitas rei quæ est vel
  - 1 Mathematica & diuisionis.
  - 2 Physica & compositionis, quæ hic intelligitur.
- 4 Finis vnionis & vnitatis, quæ est
  - 1 Consensus & harmonia rerum omnium quasi essent vnum.
  - 2 Conatus & quasi mēs omnium ad vnū illud transcendens bonum, in quo conseruantur.

Opp.

Si ex materia & forma vnum numero & à natura fieret, hoc ipsum contingeret vel propria vi vtriusq;, vel interuentu alicuius medii: non autem propria vi aut interuentu medii: ergo nullo modo. Probatur prima pars minoris, quod non propria vi, quia potentia materia simpliciter passiua est, nec per se aut mouet aut mouetur ad formam, & forma adhuc non est, antequam materia ad eiusdem amplexum incitetur. Relinquitur ergo quod per medium fiat, quod certe non videtur: nam si fiat, hoc medium erit aut accidens, aut internum & essentiale aliquid: non autem accidens, quippe hoc negatur, ne aliquid in materiam puram ante accessionem forma cadat: non internum aliquid, cū nihil internum sit in materia prius forma, præter potentiam illam primam materia, qua cum simpliciter passiua sit, ex se nec mouere nec moueri potest: non ergo fit vnum numero & natura ex materia & forma.

Resp. *Filum abrumpo longa & molesta argumentationis tua, & dico fieri vnum numero ex materia & forma causa extrinsecus mouente, qua nec in materia nec in forma*

haret

hæret. Alii respondent non opus esse medio quo materia & forma conciliëntur: vt enim propria vt aiunt, id est, appetitu & inclinatione mutua hoc opus natura perficitur. Veruntamen cum, vt plura diuersa rationis in vnum coeant, tertio aliquo egeant quo vniantur, existimo priorem partem responsionis esse tutiorem.

Opp. *Ex subiecto & forma accidentali non fit vnum numero & natura: ergo ex materia & forma essentiali multo minus. Argumentum tenet, quia est maior oppositio inter materiam & formam essentialem, quam inter subiectum & formam accidentalem. Ratio est, quoniam materia est ens in potentia, forma autem essentialis est actus, at subiectum & accidens sunt simul actu.*

Resp. *Licet materia sit ens in potentia, & forma actus, est tamen inter vtrunque propensio & aptitudo, vt vnione facta vtriusque ex vtroque vnum numero & natura fiat. Hinc materia in potentia ens dicitur, id est, ens in potentia ad actum & perfectionem suam, at in subiecto & accidente ita non fit, quia vtrumque natura & prædicamento distinguuntur.*

Opp. *Materia abhorret ab vnitate & vnione: ergo formam non appetit, vt vnum ex illis fiat. Antecedens probatur quia materia est, vt docet Philosophus, causa diuisionis non vnionis, hinc sæpe ab illo quiddam confusum, quiddam diuisum, quiddam infinitum & numerosum appellatur: si ergo appeteret vnionem, contra naturam suam appeteret, quæ vix infinito, nedum vno satiatur.*

Resp. *Materia consideratur vel respectu totius vniuersi & potentia sua, & sic diuisione & varietate formarum infinita capitur, vel respectu essentiæ suæ propriæ, & sic vnitate & vnione satiatur, vt constat in forma cæli. Cæterum quoniam sublunaris hic aspectus & theatrum mundi conseruari non potest sine successione rerum, materia secundum potentiam suam numerosa varietate proles multas gignit, & multitudine formarum delectatur.* *Materia vel respectu totius vniuersi, vel respectu essentiæ suæ consideratur.*

Opp. *Nexus vnione naturalis inter materiam & animam humanam esse non potest: ergo fieri non potest ex illis vnum numero. Antecedens probatur, quia si fiat vnio, tum vt antea docuisti erit in illis propensio vnius ad alteram; at*

in illis propensio non est; nam si sit, sequeretur animā Socratis separatam habere propensionem ad materiam Socratis, quia redire ad Socratis materiam potest: at hoc concesso sequetur fieri posse reuersionem à priuatione ad habitum, à morte ad vitam naturaliter, & (per consequens) magnum illud mysterium Christianę resurrectionis *vi naturali constare posse videatur. Huc addo quod si vnio animæ cum Socratis materia sit naturalis, illius separatio erit contra naturam & violenta.*

Separatio animæ à corpore non est modo violento.

Resp. *Dicēdum est & coniunctā & separatam animam habere naturalem inclinationem ad corpus. Neque est separatio violenta, quandoquidem anima in hoc statu non renititur (quod ad violenti rationem requiritur, vt tertio Ethicorum docet Philosophus) est, inquam, naturale animæ, esse cum corpore cuius est forma, & non est contra, sed præter naturam illius separari: præter naturam dico, quia id præter naturam dicitur, cum res redire potest ad locum aut officiū suum, vt proiectus lapis ad cētrum, & anima separata ad corpus proprium. Quid? an hinc infers mysterium resurrectionis non esse miraculosum? toto cœlo erras: nam etsi ratione ex philosophia petita video innatam esse in anima separata propensionem ad corpus, quomodo tamen resurgat idem numero corpus iam putridum & corruptum, & quomodo reuniatur anima cum illo, nulla ratio, nulla philosophia videt: virtus enim diuina supra consuetum naturæ ordinem agens, in hac re lumen cœleste, id est, fidem postulat. Hoc vnum tamen disce ex philosophia, naturale esse animæ vniri cum corpore, vt exponit D. Thomas 4. Contra gentes, cap. 8. vnde concludo ex eodem Patre, mysterium hoc resurrectionis esse naturale quodāmodo respectu animæ, quæ vt propria desiderat cohabitare cum corpore.*

Opp. *Materia qualibet est apta ad omnem formam: ergo vnum ens numero definitum & distinctum non fit magis ex hac quam ex illa materia. Intelligo per hanc rationem, quod non magis Plato vnum numero quam leo ex materia hominis fiat. cum hominis materia sit æqualiter docilis & apta ad omnem formam.*

Resp. *Obscure sub velo insinuas aliquid, nimirum (vt opinor) vnum numero & natura non distincte & definite fieri*

semper

semper ex materia & forma, cum ipsa materia æqualiter feratur ad omnem formā. Sed in hoc hallucinaris plurimum, cum natura agat in qualibet generatione propter certā formam: quamuis ergo materia sit confusa in potentia sua, cum tamen manu potentis naturæ ad motum trahatur, à forma destinata resilire non potest, sed toto impetu & desiderio ad illam rapitur. Exempli causa, cum ex semine fiat embryo, hominis quiescere non potest natura donec forma humana vestiatur.

Materia potētia uniuersalis a forma, ad quam destinatur, restringitur.

Distinctio decimæ quæstionis. Vtrum omnis forma naturalis educatur ex potentia materiæ?

In emanatione formæ naturalis considerantur
- 1 Materia quę est eiusdem subiectum.
- 2 Potentia materię, quę est naturalis vis quędam passiua, quę excitari potest, vt nō inuita formam distinctam appetat.
- 3 Potentia actiua vniuersalis naturę, mouentis materiam & illius potentiam, tam ad appetēdam quam ad amplectendam formam
- 4 Consensio potentiarum, nempe patentis in materia, & imperantis in prima causa.
- 5 Propensio formę ad materiam.
- 6 Vnio materiæ & formę per naturalē quasi motum & pulsum pręcedentium omnium.
- Modus emanationis seu productionis, qui est naturalis, vt probatur
  - 1 A simili in grano, in quo vita delitescit, & ex quo (fouente sole) anima plantæ educitur.
  - 2 A comparatione formarū, quæ in potentiis internorum & externorum sensuum generantur.
  - 3 Ab absurdo, quod si ex potentia materię non educeretur, ex nihilo fieret.
  - 4 A natura generationis, quę à mouēte prima potentia materię procedit.
  - 5 Ab inductione & exemplis formarum naturalium.

Opp. *Si forma educatur ex potētia materia, probabile est,*

quod aliquid reale ipsius formæ sit in materia, vt in vtero matris antequam educatur, sed hoc est absurdum: ergo forma à potentia materiæ non educitur. Maior constat, quia si nullum sit semen aut granū formæ, quomodo generetur non docet Philosophus. Minor constat, quia si sit aliquid reale ipsius formæ cōcedendum est fuisse in materia prima aliquid actu ante productionem formæ, quod est plane contra philosophiam.

Resp. *Vt terra sæpe producit herbas & plantas quarum nulla grana aut semina concepit, quia potentiam quandam habet ad omnem herbam & plantam producēdam: ita materia prima sine reali grano aut semine formarum formas naturales parit. Sed vt terra non producit plantas sine naturali potentia sua, & etiam potentia solis fouentis & trahentis succum ad radices plantarum, quas à natura concepit: ita nec materia educit formas sine vi sua, qua apta & propensa est ad concipiendas, nec sine vi naturæ vniuersalis illam mouentis, qua ad conceptas producendas easdem excitatur. Postremo vt in vtero materno fœtus comprehēditur, & tamen non est pars vteri, sed in eo delitescit & alitur, donec in lucem naturæ vi emittatur: ita forma naturalis in materia non vt pars aut actus materiæ latet, sed vt ens intētione naturæ conceptum, donec generationis actu veluti perfecto, actus & perfectio fiat.*

Opp. *Si nihil formæ realiter præsit in materia, sequetur creatio formæ, quam Arist. non admittit: ergo si sit emanatio formæ naturalis, necesse est vt præsit aliquid formæ realiter in materia, nisi creationem ex nihilo defendas.*

Resp. *Vrges quod ipse vrgeo. Respondeo non educi formam nisi praexistente subiecto & potentia subiecti, sine quibus esse non potest: at creatio nullum subiectum, nullam potentiam subiecti omnino requirit: est ergo generatio formæ non creatio: semper excipio animam humanam, quam ipse Arist. creari apertissime insinuat.*

Forma generatio est non creatio.

Opp. *Formæ naturales seminaria vel occulta quædam semina in materia latentia dicuntur à Theologis: ergo videtur aliquid reale ipsius formæ inesse materiæ antequam in lucem prodeat. Antecedens constat ex D. Augustino 3. de Trinit. cap. 7. & octauo, vbi docet omnium quæ ad oculos*

nostros

nostros prodeunt, occulta quadam semina in elementis mundi, id est, in principiis latere.

Resp. *Sancti Patres formas seminales appellãt, non quod realiter praeexistant in materia prima antequam educátur: sed vt virtutes morales, & earũ semina dicuntur inesse nobis à natura, non quod realiter vel ipsa virtutes vel illarum aliquid insit ante acquisitionem, sed quia anima humana dispositionem & aptitudinẽ habet per potẽtias suas ad illas recipiendas: ita forma naturales dicuntur quidem semina latentia in materia, non quod realiter in illa ante productionẽ insint, sed quoniam materia vi sua passiua apta & idonea est ad illas capessendas, qua naturaliter tamen vt germina, non sata crescunt.*

Forma dicũtur semina in materia latentia, propter potẽtiã materia ad easdem.

Opp. *Anima humana est naturalis forma: non est ergo consentaneum rationi vt à communi hac lege natura excipiatur. Imo hoc addo, exceptionem istam arguere manifeste, aliquid ipsius forma realiter latere in materia: nam aliter cur excepta est hac sola forma? excepta enim est, vt opinor, ne concedamus eandem ex traduce emanare, aut saltem nõ eodem modo naturali fieri, quo alia forma naturales fiunt. Praterea anima humana videtur magis educi ex potentia materia quam aliarum rerum forma, quia homo est nobilioris cõditionis quam lapis, planta, leo. At illis potentia conceditur producendi suas formas: iniustum ergo est si negetur materia hominis, qua potentiam non minus efficacem habet.*

Resp.

Cum anima humana tenebras mortis & fatum nesciat, sinum & vterum materia qua est causa tenebrarũ & mortis non agnoscit. Cum ergo à Philosopho obseruatum fuerit, alias formas priuationis ictu vulneratas perire, animam vero humanam ab omni illius impetu liberam & immunem esse, non sine incredibili sapientia illam Phœnicem à communi hac lege excipit natura. Neque hoc arguit, vt ais, aliquid formarum naturalium praeexistere in materia, quia et si alio modo fieri animam humanam quam alias formas naturales concedamus, nempe per creationem, cum tamẽ sit solum excepta vna, vniuersalem legem non tollit. Quod vero vrges idcirco hanc exceptionem sumi, ne coacti fateamur animam ex traduce educi, libenter agnoscimus. Sed cum ma-

Forma humana a communi natura lege excipitur. Non enim generatur sed creatur.

nifeste ex philosophia & perspicue videamus naturali modo animam fieri, exceptio iusta est, donec Atheus contrarium probet, quod nunquam faciet. Postremo leuissimum illud est quod in postremo loco infers à comparatis, nempe lapidem, leonem, plantam habere potentias educendi suas formas, & proinde hominem nobilioris conditionis multo magis: conclude contrarium & attinges verum. Nam absurdum est formam hominis cum forma lapidis plantæ, aut leonis comparare, cum illa diuina sit & immortalis, hæ simpliciter naturales.

Opp.

Formæ artificiales, vt figura cœli & leonis, *formæ accidentales, vt* calor ignis, & splendor solis, *formæ infusæ vt* gratia, spes, gloria, *educuntur ex potentia materiæ: ergo non solum formæ naturales. De artificialibus & accidentalib. formis constat, quia educi non possunt nisi sit aptitudo materiæ ad easdem recipiendas & receptas retinendas. De infusis etiam constat, quia anima creata à Deo docilis est ad gratiam, & apta ad gloriam omnemque infusam virtutem capessendam, quam captam retinet, retentam auget & conseruat.*

Resp.

Formæ artificiales non naturaliter, accidētales ab extrinseco, infusæ supernaturaliter ad subiecta accedunt.

Materia artificis non habet naturalem potentiam ad formam artis, sed flecti potest ad formam artis. Nam si haberet naturalem potentiam ad formam artis, arte non opus esset. Materia seu subiectum accidentalium formarum aptitudinem habet ad illas recipiendas, sed non eodem modo quo materia ad formam propriam, quæ immediate & intrinsecus illius potentiam sequitur. De gratia, gloria, *& infusis virtutibus & formis dico, non ab agente naturali, sed supernaturali illas solum pendere, neque habere animam ex se vt illas recipiat, receptas retineat, augeat, aut conseruet. Sed vt oculus non videt solem sine sole: ita animus non recipit gratiam sine gratia. Hinc gratia* creari *in animo humano dicitur, id est, ex nihilo fieri, non ex potentia animæ educi: hinc deniq;* infusæ virtutes *appellantur à Philosopho, quia naturali modo non acquiruntur, sed quia diuinitus accedunt.*

Distin-

Distinctio vndecimæ & duodecimæ quæstionum. Vtrum priuatio sit ens: & An sit formæ habendæ vel habitæ?

- In hac quæstione cõsideranda sunt
  - Nomen priuationis, quod sumitur aut
    - Dialectice, & sic est negatio habit⁹, eademq; vel
      - 1 Secundũ actum solum, vt *somnus.*
      - 2 Secundum potentiam tãtum, vt *cæcitas in catulo post nonum diem.*
      - 3 Secũdum actum & potentiam, quę negat vtrũque vt *mors.*
    - Physice, & sic est principium per se generationis, quia generatio per se incipit à non esse: sed non esse non est materia: ergo est priuatio.
  - Natura, quæ in negatione cõsistit, & hęc est vel
    - Negans, vt in contradicentib. per quã simpliciter aliquid negatur esse, vt *non homo*, & sic priuatio non est negatio.
    - Priuans, quæ consideratur vel
      - 1 Negatiue, respectu formæ quam negat, & sic non ens dicitur.
      - 2 Mixte, respectu materiæ in qua inest, & respectu generationis cuius per se principiũ est, & denique respectu appetitus in materia quem acuit & sic ens secundũ quid & ex parte dicitur.
  - Descriptio, nẽpe vt priuatio sit principium naturale per se generationis, per accidens aũt rei genitæ, à quo vt à termino primo generatio incipit: vel vt sit negatio non simpliciter negans sed mixta i. partim mouẽs materiã, partim negãs formã eandẽq; vel habẽdam in prima, vel habitã in 2. materia, vt antea demũstratur.
  - Probatio descriptionis, in qua insinuatur quod priuatio non sit negatio aut nõ ens simpliciter, & ea probatio est
    - 1 A natura principii quod non potest esse non ens simpliciter: non est ergo priuatio nihil.
    - 2 A definitione priuationis, quæ certe non esset si priuatio sit nihil: nam quomodo nihil poterit esse terminus per se generationis.
    - 3 Ab appetitu materiæ, qui à nihilo & non ente excitari non potest.
    - 4 A potentia nocendi & negandi, quæ certe non enti non conceditur.

Distinctio vndecima quæstionis.

5 Ab authoritate sacræ philosophiæ, quæ priuationem per tenebras super faciem abyssi intelligit, vt D. Augustinus interpretatur: qui Pater, priuationem absentiam formæ appellat, & tamen (vt ait) non est nihil.

Negandi modus, qui est vel

1 Proprie in materia prima formę habendæ.

1 Quia priuatio est prim' terminus generationis: est ergo absentia primę formę habendæ, non habitæ.

2 Quia forma semel acquisita priuatio extinguitur, & proinde formæ habitæ negatio proprie non dicitur.

2 Communiter in materia secunda, & sic quidē priuatio & negatio formæ habēdę dici potest. Nā etsi priuatio (acquisita forma) extingui dicatur, relinquitur tamen nouus stimulus quo à forma ad formam materia in commutatione rapitur.

Distinctio duodecima quæstionis.

Argumenta contra vndecimam quæstionem.

Opp. *Priuatio nec est substantia nec accidens: ergo nihil reale est. Antecedens constat ab inductione omnium prædicamentorum & eorum diuisione. Argumentū tenet, quia quicquid est ens reale, est aut substantia aut accidens.*

Resp. *Quicquid est ens reale completum non incompletum, positiuum non priuatiuū per se non per accidēs, simplex non complexum, vniuocum non multiplex, est illud quidem aut substantia aut accidens: priuatio autem est (vt ita loquar) minima entitatis, non tamen est nihil: quare reducitur ad materiam, cum qua idem numero facit.*

Opp. *Priuatio est simpliciter negatio: ergo est simpliciter non ens. Antecedēs probatur, quia simpliciter negat formā.*

Resp. *Præter negationem formæ aliquid ponit, cum sit terminus generationis, & materiam excitet ad appetēdam formā: quare hæc negatio, negatio mixta dicitur, & secūdum interpretes absentia formæ in potentia materiæ definitur.*

Opp.

Opp. *Nihil omnino ponit per se: ergo nihil omnino est per se. Argumentum tenet, quia omne ens (sit illud minima existentia aut virtutis) aliquid eo respectu quo ens est ponit in rerum natura.*

Resp. *Non potentia entis positiui, sed impotentia priuationis conceditur: fallax ergo est fundamentum disputationis tuæ. Nam multa sunt entia realia, quæ propter impotentiam agendi nihil omnino in rerum natura per se & vi sua ponūt.*

Argumenta contra duodecimam quæstionem.

Opp. *Priuatio definitur negatio habitus praexistentis, à qua non est regressio: ergo priuatio non est negatio formæ habendæ solum. Nam praexistens habitus est forma habita non habenda.*

Resp. *Distinctio postrema superioris tabulæ hoc argumentum tollit. Nam etsi propriè considerata priuatio sit negatio, id est, absentia formæ habendæ, communiter tamen accepta est negatio formæ habitæ.*

Opp. replic. *Extinguitur priuatio, vt docet Philosophus in textu, acquisita forma priore: ergo nisi reuiuiscat, non potest esse negatio formæ habitæ, cuius solius accessione & præsentia tollitur.*

Resp. *Vt ape auolante sæpe in carne infixus aculeus apis relinquitur: ita quamuis acquisita forma priuatio euanuerit, illius tamen virus & quasi semen spargitur, ex quo noua vipera nata hunc effectum gignit, causaq; est cur forma habita sæpe negetur.*

Opp. *Defessus es & festinas nimis, cum duas distinctas nunc quæstiones in vnum quasi antrum præcipitanter cogas: non ergo vt decet philosopharis.*

Resp. *Non festino, vt somnias, nisi lente. Hæc enim duo cognata sunt dubia & antea discussa obiter: ne ergo te à recto in biuium pertraham, vtrumq; sub vna quæstione comprehendo: ita tamen vt in tractatu vtrumque distinctè tractatum legas.*

Diſtinctio tertiædecimæ quæſtionis. Vtrum priuatio ſit principium intrinſecum generationis, non rei genitæ.

Principiũ intrinſecũ ſumitur duobus modis vel quoad

- Compoſitionem rei genitæ, & ſic priuatio non eſt intrinſecum principium ſed ſolum per accidẽs: quippe non venit priuatio in compoſitionem rei genitæ, ſed ad ortum rei generandæ ſemper requiritur.
- Generationẽ rei iam cõponendæ au producẽdæ: & ſic eſt principiũ intrinſecum, id eſt per ſe vt probatur.
  1. A definitione generationis, quæ eſt motus à non ente ad ens, id eſt, à priuatione ad formam.
  2. A natura priuationis: quæ definitur primus terminus a quo generatio incipit.
  3. A conditione principiorum, quæ debent eſſe contraria: at cõtraria non ſunt niſi ſit priuatio.
  4. A neceſſitate, quia res naturales aliter fieri non poſſunt.
  5. Ab intentione naturæ, quæ per priuationem appetitũ materiæ acuit, vrgetque vt numeroſa quaſi varietas quotidie oriatur

Opp. *Principia ſunt perpetua, vt docet Philoſophus ca. 6. tex. 50: ſed priuatio acceſſione formæ euaneſcit: ergo non eſt principium.*

Principia compoſitionis non generationis ſunt perpetua.

Reſp. *Duplex adhibetur reſponſum huic argumento, vel quod Ariſt. locum illum intelligat ſolum de principiis compoſitionis, nempe materia & forma, & non de principiis generationis, in qua etiam præter materiam & formam requiritur priuatio: vel dicendum eſt priuationem eſſe perpetuam quoad aculeum in potẽtia materiæ quamuis acquiſita forma illius actus & vires (donec nouas vires acquirat) tollantur.*

Opp. *Per accidens principium diſertis verbis dicitur ab Ariſt. cap. 6. tex. 66. ergo non eſt intrinſecum principium, vt hic defendis.*

Priuatio eſt principium generationis per ſe, compoſitionis per accidens.

Reſp. *Cramben bis coctam apponis: nam ſæpe hoc argumentum vrges: crapulam ergo hanc ſano eadem replicata medicina, & dico per accidens eſſe principium compoſitionis, non generationis.*

Opp. replic. *Generatio ipſa eſt accidens: ſed accidentis non eſt intrinſecum principium: ergo priuatio generationis intrin-*

intrinsecum principium dici non debet. Maior constat, quia generatio est motus: at motus est accidens. Minor probatur, quia accidentia internam cōstitutionem aut essentiam non habent, nisi dependentem a subiecto in quo insunt. Praterea Arist. dicit esse tria principia rerum naturalium: ergo videtur esse inanis distinctio, quod sint duo rerum genitarum, vnum autem generationis.

Resp. *Intrinsecum hoc loco fusius & vniuersalius sumitur, pro eo quod per se conuenit, aut ad rem necessario ita requiritur, vt sine eo res esse non possit: cum ergo generatio non sit sine priuatione (quoniam ab illa solum incipit) res vero genita esse possit (quoniam prasentia forma priuatio tollitur) idcirco priuatio principium intrinsecum generationis, non rei genita rectissime appellatur. Et vbi vrges quod tria sint principia rerum, non nego. Duo enim sunt per se, vnum per accidens, si rem actu genitam intelligas: at si res in fieri, vt aiunt: id est, in progressiuo motu natura intelligas, tum quidem rerum ēt tria principia esse affirmo, quippe in ipsis rebus inchoate motis priuatio est quidem necessaria.*

Opp. replic. *Priuatio rei genita nunquam datur siue in fieri, siue in facto esse (vt aiunt) rem genitam intelligas: ergo inepte defendis priuationem esse principium rei genita, si in motu progressiuo natura intelligatur. Antecedens probatur, quia si priuatio sit rei genita principiū, aut esset in momento quo forma inducitur (quando per prasentiam forma omnino tollitur) vel tempore antecedente, & hoc quidem fieri non potest: quia ante momentum & punctum generationis materia non est aptum subiectum forma, ratio est, quia vt materia fiat subiectum forma, requiritur apparatus accidentium qua eandem idoneam reddant: at priuatio non est nisi in subiecto apto ad formam: si ergo non ante momentum generationis materia fiat apta ad formam, sequitur quod priuatio non sit principium omnino: quia in momento generatiōis per inductionē forma euanescit & deletur penitus.*

Resp. *Est aptitudo materia duplex ad recipienda formam incohoata & completa: illa est sine apparatu accidentium, hac vero non est donec illis accidentibus vestiatur materia, qua necessaria sunt ad amplexum forma: sic quidam respondent. Caterum non placet hac penitus distinctio, cū materia*

prima sit per se semper apta ad formam sine accidente (quippe accidens in illa non est) magis ergo placet illud responsum quod priuatio in toto conatu & progressu natura dicatur principium ante partum forma, adeoque etiam in ipso partu cum illius fumus maneat, qui facile iterum in vermem commutetur.

Opp.replic. *Corrumpi ac renasci principium non potest: esse enim principium, est esse ens constans & perpetuum: ergo priuatio non est principium, quia (vt ais) deleta reuiuiscit. Praterea si reuiuiscat, hoc quidem fiet aut vi sua, aut vi materia in qua inest: non vi sua, quia deletur non vi materia, quia illa potius in amplexu forma viuere desiderat quam priuationis veneno suffocari. hoc est, materia perficitur & delectatur forma, qua amissa imperfecta redditur.*

Resp. *Vt arte medica sublato morbo relinquitur radix morbi, qua sape humoribus motis repullulascit: ita forma physica, extincta priuatione granulum veluti priuationis altius sepultum manet, ex quo anguis alius nascitur, qui ante in potentia materia latuit, sic semper esse dicitur priuatio, quia nunquam in persequenda forma malitiam deponit suam. Nam etsi dens illi comminuatur, morsus tamen & virus iā sparsum manet, quod Deus & natura in optimum vsum vertūt: vt scilicet varia, numerosa & perpetua rerum inde successio, & specierum conseruatio fiat. Huic Deo igitur, qui causa causarum, principium principiorum est, omnem laudem, honorem, & gloriam tribuamus: is enim (inquam) solum materiam primam creauit, creauit & formam. tenebras super abyssum luminibus cœli fugauit, motum, ordinem ornatum totius mundi, omniumque in eo is solum potentia, prouidentia, bonitate sua mirabiliter, sapienter, amanter facit, regit, perficit. O quam ignaui sumus si ingrati simus! At (o tempora!) & ignaui & ingrati sumus, quia suadente philosophia, vrgente natura, loquente fide, philosophiam, naturam, fidem, ipsum q; Deum, mente, voce, vita pernegamus, magis q; vmbris terra quam luce cœli delectamur.*

Finis primi libri Physicorum.

Amico

Amico suo salutem.

DIgnissime doctissimeque amice, vehementer (vt ais) doles, tum quoniam volumen à me in vniuersam philosophiam scriptum coactus suppresserim: tum quoniam in hac manuscripta epitome primi libri ad te missa textum non addiderim. Satisfaciant tibi causæ quas in præfatione eiusdem libri dederim. Nimirum Typographum nullum in Anglia velle tantum volumen sine Priuilegio *ad imprimendum solum* excudere: non licitum mihi esse in alias nationes, vt imprimatur transferre: non esse meas ipsius facultates tantas quantas requirit prælum: non ferre posse hanc ætatem magna volumina, sed postulare compendia: non hodie nasci Magnos Alexandros, qui philosophorum opera & Musas in tanto pretio habeant, vt potius quam carie & puluere contabescerent, Plutos à loculis clausis volare permittãt. Cæterum vt ad petitionem tuam veniam, quoniam me tantopere per amicitiam (quæ inter nos semper fuit) cõiuras, vt textum, aut saltem eiusdem aliquam expositionem & analysin addam (quamuis philosophum non deceat mutare omnino cõsilium suum, nisi in melius) morem geram voluntati tuę, & aliqua ex parte tuis votis satisfaciam: argumento cuilibet capiti adiecto, in quo omnium quæ in eodem continentur Synopsis pateat. Synopsin dico, quia in eo, vno quasi intuitu, totius capitis summa facile patebit. *Vale 26. Iunij 1597.*

Senex constans tum ætate, animo, amore.

I. CASVS

LIBRI SECVNDI

CAPVT I.

Vtrum
1 *Natura recte definiatur:*
2 *Natura sit principium simpliciter actiuum?*
3 *Ars æmula naturæ possit rem vllam vere naturalem efficere?*
4 *Arte Chymica verum aurum fiat?*



Constat hic liber secundus, vt ille primus, ex nouem capitibus, quorum duob. primis & duobus vltimis de natura, quid & quotuplex sit, erudite philosophorũ Princeps disputat. In cæteris vero nonnullas quæstiones de causis internis & externis mouet: generatim hæc summa est totius libri, speciatim aũt, primi capitis synopsin sic accipe. Arist. naturæ inuestigat definitionem diuisionem in materiam & formam approbat, stultosque arguit & curiosos, qui inaniter quærunt, *Vtrum natura sit necne?* cum constet esse in toto theatro mundi, & in singulis partibus eiusdem. Tres ergo partes huius capitis sunt, definitio, diuisio, redargutio. Definitio naturæ est, vt *natura sit principium & causa motus & quietis in re qualibet naturali primo & per se, non fortuito.* Diuisio quoq; naturæ est in *materiam & formam* vt supra. Redargutio deniq; est otiosę dubitationis de natura, *An* (scilicet) *sit omnino*? quã recte appelles otiosam, quia frustra quæritur, *An sit natura*? cũ quælibet pars mundi sit quasi index naturæ: quo verso, ad abdita & occulta naturæ oracula in vniuerso volumine mũdi recondita facile quisq; dirigatur. Quid moror? naturæ definitionem discutit à comparatione rerum, quarum aliæ artificiosæ, aliæ fortuitæ, aliæ fatales dicuntur. Naturales vero quæ ipsum in se internum sui motus principium & causam habent. Hinc multiplex emergit distinctio rerum, scilicet quomodo naturæ opera ab effectis fortunæ, artis, & fati differant. Naturæ opera necessaria sunt, fortunæ euenta incerta sunt, in ar-

Synopsis primi capitis.

Tres sunt capitis partes

Natura quid?

Dubitatio otiosa quæ?

Res naturales quæ?

tis effectis est imitatio naturæ, in fato denique & fatalibus est nulla vel artis, vel naturæ, vel fortunæ conditio, sed pro arbitrio & nutu motoris, aliquando permulta contra naturam, artem, & fortunam mouentur. Et certe hoc conuenit, vt cognita natura naturæ author & motor cognoscatur. Sed plura de hac re postea, ad naturæ definitionem exponendam festino.

Prętereo hîc lubens theatrum philosophorum disputantium de hoc nomine, quorum alii Deum, alii Dei voluntatem, alii ministram Dei, alii diuinam potentiam, alii diuinæ potentiæ in rebus influentiam, alii causam motricem omnium, alii insitá essentiam rerum, alii materiam & formam alii denique metaphorice matrem, nutricem, conseruatricem causam appellarunt. Prætereo (inquam) hæc omnia, & lectorem ad Plutarchum, in li. 1. de Placitis philosophorum refero. Nunc memor promissi, memor epitomes, diuinum nomen vel potius numen naturæ, quod omnia in se cõprehendit, vnius quasi sphærulæ angusto ambitu cõpressum & cõprehensum demonstro, & sic cũ Philosopho hoc loco definio. *Natura est principiũ & causa vt id moueatur & quiescat in quo primo & per se & non ex accidente inest.* Natura quæ hoc loco definitur est vniuersalis nõ singularis: physica nõ mathem. nõ dialectica, non metaphysica: finita non infinita: hæc (inquã) natura est *principiũ* internũ non externũ, simplex, actiuũ non passiuũ, cũ re naturali cohærẽs non eidem adiacens, per essentiam coniunctum, nõ influens aut extrinsecus adueniens. Additur nomen *causæ* vt excludatur priuatio, quæ generationis principium non causa dicitur. Particula *motus & quietis* intelligenda est generatim de omni mutatione physica, quæ terminũ à quo materiam, terminum ad quem ipsam formam & finem habet. Est. n. natura principiũ motus respectu materiæ, est aũt principium quietis respectu formæ. Quippe materia res inchoata est in qua nõ quiescit natura, forma quidẽ res perfecta est in qua absoluitur motus. Nã dũ est in motu est in progressione & fieri, vt aiũt, cũ vero ad formã peruenerit, in ea, vt in portu & asylo, delectatur. Hinc principia mathematica & metaphysica excludũtur ab hac definitione, q̃ licet illa causæ sint quodãmodo mot⁹ & quietis, physice tamen seu naturaliter non

Natura quid significet secũdum diuersos.

Plut. de Placit. philo. l. 1 cap. 1. & 30.

Natura quid.
Natura definitio explicatur.

Natura principium motus & quietis.
Lib. 3 Phys. ca 1.

ſunt, vt conſtat in motu *horologii* ſi artem, & in *quiete ſeu ſtatu ſolis retracti* ſi primam cauſam primumq; motorem ſpectes. Ars enim ex imitatione naturæ quaſi naturalem motum efficit: prima autem cauſa naturam ad placitum & voluntatem regit. Verbum hoc *ineſt* quod ſequitur, externas cauſas phyſicas hinc abigit, quæ tametſi moueant res naturaliter, non tamen mouent vt inſint. Exempli cauſa, forma *ignis* calefacit *aquam*, non tamen forma *ignis* in *aqua* eſt. *Cælum ignem* & *aerem* mouet. Non tamen *cælum* in *igni* & *aere* vt principium internum in vtroque hæret. Per hoc verbum *primo* remouentur quædam inſitæ vires, proprietates, & qualitates rerum, vt *calor ignis*, aliæque primæ affectiones quæ & mouent & inſunt: ſed non *primo*, vt natura, quę in materia & forma eſſentia rerum dicitur. Poſtremo hæc vltima clauſula *per ſe & non ex accidente*: reiicit cauſas quæ ex accidente non per ſe inhærent. Sic Hippocrates curans ſeipſum redit ad ſanitatem, non per ſe, ſed per accidens. Nam etſi ſit in cauſa ſanitatis, per accidens tamen fit vt ſit medicus, & nunc æger ſua ipſius arte curetur: accidit enim Hippocrati ægroto habere in ſe artem qua ſanetur. Hactenus de textu & de prima quæſtione, quæ obiter & aperte in textu conſtat.

Quæſtio 2.

Sequuntur nunc aliæ cognitu non inutiles & iniucundæ ex ſenſu contextus elicitæ, quarum prima eſt, *An natura hic definita ſit principium ſimpliciter actiuum?* Non ſum immemor me in priori libro intriuiſſe ac defendiſſe hanc opinionem, quod natura, quam Ariſtoteles definit, ſit principium aliquo modo diſtinctum à materia & forma, quodque ſit quaſi vitale, ſpirans, & actiuum principium, nō mortale, non languens: non otioſum. Agit enim, & ſemper agit, & propter finem, non fruſtra, non otioſe agit. Scotomiam ergo vel potius cęcitatem Scoti hoc loco in hoc fundamento fugio: quia naturam ſimpliciter ſeruam & paſſiuum inſtrumentum facit. Omnis (inquit) mutatio naturalis ſoli principio paſſiuo conuenit, (quippe mutatio naturalis ea ſolum dicitur, qua res naturalis apta eſt mutari, à quocunq; agente res permutetur) hoc autem nulli rei naturali conuenit, niſi a principio ſimpliciter paſſiuo: quippe vt res non omnino mouetur niſi quia patitur: ita nec naturaliter moueri po-

Natura eſt principium actiuũ. Contra Scotũ.

ri po-

ri poteſt, niſi motum recipiat. At quid eſt hoc ipſum motum recipere, niſi pati? Parum attendis (Scote) cum in ipſa concluſione contradictionem inuoluas. Nam attentius aduerte: ſi motum recipere aut mutari naturaliter ſit pati, (quod libenter tibi concedo,) neceſſe eſt vt ſit aliquid agens quod hanc rem mobilem, & recipientem reddat. Et quid (quæſo) hoc eſt niſi natura? eſt ergo natura principium actiuum potius quam paſſiuum, vt ais. Res autem naturalis capax huius impreſſionis veluti mollis cera eſt, & ſigillo naturæ liquefacta cedit. Recte ergo rem naturalem effectumque naturæ paſſiuum hoc reſpectu appelles, non autem ipſam naturam, quæ principium ſimpliciter actiuum eſt, ſi illius motum & veluti manum, ſi opus & finem ſpectes: quippe motum efficit eodemque quaſi manu ſua formam & finem apprehendit. Eſto igitur, natura mouet rem naturalem, ſi ſis Philoſophus, hoc ipſũ nõ negas: eſt ergo natura principium ſimpliciter actiuum, non ſimpliciter paſſiuum (vt ais) niſi mouere (vt Iohannes *ad oppoſitum*) promoueri interpreteris: & hoc eſſet ac ſi diceres, natura mouet, id eſt, natura mouetur: quod eſt penitus abſurdum & à ratione omnino alienum. Da veniam (doctiſſime Scote) vt hanc nubeculam ab acie oculorum tuorum acu veritatis eximam. Academia (in qua vtrique viximus alumni) ingenium, doctrina, ſapientia tua me vrgent ad amplectendum nomen tuum, tuamque ſententiam in multis philoſophiæ arcanis proſequendam: at in hoc fundamento philoſophiæ (ne tanti viri nomine error prælibatus dulce venenum in animis iuuentutis ſtudioſæ relinquat) operæpretium duxi Homerum ſapientem ſomni admonere. Homo ſum, agnoſco me poſſe errare. At iam in occultis cauſis naturæ diſquirendis Philoſophus eſſe cupio. Nec non ſcio amicum Socratem, amicum Platonem, amicum Scotum, magis tamen amicam eſſe veritatem, quę velo ſubtilis ingenii aliquando obſcurari poteſt, tolli autem non poteſt. Sed ad rem redeo, natura (hæc inquam natura phyſica de qua agitur) eſt principium actiuum, & quamuis miniſtra ſit primæ cauſæ primique motoris, (vt antea ex Ariſtot. probauimus,) cuius reſpectu paſſiua quodãmodo dicitur, comparatione tamen facta ad res in globo naturæ verſas, domina eſt, cauſaque ſimpliciter actiua nominatur,

Ariſt lib. 1. Eth c. 6.

Natura reſpectu primæ cauſa paſſiua eſt. Reſpectu verò naturalium actiua.

Si vrgeas materiam primam esse naturam, eandemq; vocari & definiri a Philosopho principium simpliciter passiuum, & hinc concludas naturam esse principium simpliciter passiuum, quia materia prima sic definitur esse: respondeo primum languescere hoc argumentum, tum quia est à parte, nẽpe materia, ad totum nempe naturã: tum quia (vt supra docuimus) natura non est idem principium cum materia, tum denique quoniam à forma, quæ est terminus ad quem tẽdit natura, rectius principiũ actiuum, quam à materia indigesta mole passiuum dicitur: Ratio est quia à termino ad quem, non à termino à quo omnis denominatio per se & proprie fluit & deriuatur. Sic embryo in vtero matris (qui recte adhuc nec homo, nec bellua, nec planta definitur esse) homo dicitur, quia ad formam humanam natura eiusdemque totus conatus vergit. Similiter natura delitescens in rudiori massa moleq; materiæ, principiũ non passiuum à materia quæ mouetur, sed principiũ actiuũ à forma ad quam tendit rectissime denominatur. Præterea hoc ẽt dico, quod respectu materiæ primæ & secundæ apposite principium actiuũ dicatur: quippe & illã mouet, illã fouet, illam ad formã trahit: mouere aũt fouere & trahere, actionem nõ passionem docent. Si dices nõ mouere materiam, eadem opera doces materiam non moueri: at omniũ philosophorum calculis & cõsensu, materia mobile principium dicitur: mouetur enim ad formam. Sed hoc vnum quæro, à quo mouetur nisi ab ipsa natura? est ergo natura principium mouens, id est actiuum respectu materiæ, respectu formæ actiuum esse quis dubitat, cũ ad eam vt ad amicã in omni opere suo & effectu tendat? Si ergo & respectu materiæ quam mouet, & respectu formæ quam vi sua occulta elicit, perficit, & capit, principium actiuum demonstretur esse, fallax est & insidiosa illa opinio, quæ lites in contrarium mouet, floresq; philosophiæ atro succo erroris in radice prægustatæ veritatis inficit. Quid opus est multis? natura semper agit vt docet Philosophus, & nunquã est otiosa: est ego actiuũ principium non passiuũ. Iterum natura materiam mouet: ergo eo ẽt respectu, principium actiuũ dicitur. Præterea naturæ potẽtia est simpliciter actiua in excitanda materia, in elicienda forma, in cõposito perficiendo: absurde igitur principium simpliciter

Lib. 5. Phys. c. 5. tex. 48.

Embryo quomodo homo dicatur.

ſimpliciter paſſiuum definitur: nam hæc omnia actionem arguunt. Adhuc natura eſt cauſa motus, quo in omni opere ſuo producendo vtitur: hic autem motus actus eſt, qui non à paſſiuo ſimpliciter, ſed ab actiuo principio pendet: ergo natura actiuum principium non paſſiuum definiri debet. Deinceps natura non intendit monſtrũ, ſed agit ſemper propter finẽ, intentio aũt finis & actio propter finem, non paſſiuo principio ſed actiuo ſimpliciter conueniunt. Poſtremo quoniam cõſtat oẽs actiones viuentium ab interno actiuo principio fluere & manare (cum paſſiuum principium vim actiuam dare non poſſit, qua penitus ipſum caret) ſequitur neceſſario concludi poſſe naturam quam hoc loco definiuit Philoſophus non eſſe principium ſimpliciter paſſiuum (vt ait Scotus) ſed ſimpliciter actiuum, vt veritas conuincit. *3 Phyſ. cap. 3. tex. 18.*

Alia fructuoſa quæſtio ex ſententia textus elicitur, *Vtrum ars æmula naturæ res vllas vere naturales efficiat?* Cuius appẽdix hæc eſſe poteſt, *Vtrum arte chymica naturale aurum fiat?* Vt multa diſcrimina inter artis & naturæ effecta Ariſt. in hoc textu ponit: ita ſymbola nonnulla inſinuat, in quib. mirifice conſentiant & conſpirent. Sic (inquit Plato) ars & natura conueniunt, vt natura ars Dei, Deuſq; optimus artifex rerum dicatur. Imo (vt hic docet Philoſophus) in ſubiecto operis, in modo operandi, in forma & fine ars & natura ſæpiſſime cõſentiunt. Hinc artem & imitatricem, & ſociam & perfectricem naturæ frequenter in textu nominat. Cæterum in hoc luto & viſco hærent nonnulli, iidemque docti & ſapientes viri, quod inter diſcrimina vtriuſque hoc vnum reperiant, artem ſemper eſſe externum principium, ſuaque effecta non intrinſecus mouere (vt natura ſolet) hinc colligunt & concludunt, nunquam arte vlla humana poſſe rem vere naturalem fieri, cum res naturales perpetuo principium ſui motus & quietis internum, res vero artificioſæ cauſam externã motricẽ habeant: vt in motu horologiorũ, nauium, aliarumq; rerum artificialium videre licet. Cæterum res iſta lõgiorẽ diſcurſum poſtulat, ſubtilioreq. diſputationẽ, vt denſis nubibus diſperſis, doctiſq; inter ſe recõciliatis, veritatis radi⁹ clari⁹ effulgeat. Conabor igitur pro virib. rẽ paucis peragere. Scio equidẽ & agnoſco artẽ externã cauſam eſſe, artiſq; opus & effectum plerumq; ſui motus externum

Quæſt. 3. An rem vere naturalem poſſit ars efficere.

Lib. 2. Phyſ. c. 8. tex. 79.

habere principium: scio etiam formam rei naturalis actuosam (vt ita loquar) & viuacem esse, formam vero artis (vt vtar verbo Philosophi) stolidam & ignauam, nullaque effectrice potentia rei naturalis præditam & ornatam: hæc (inquam) omnia scio & libēter agnosco: veruntamen illud etiā addo, artem esse æmulam naturæ: imo non taceo hoc etiam quod Philosophus in textu habet, artem perficere naturam, idque posse præstare quod natura sępe non potest, vt in medicina adiutrice naturæ labentis & languentis constat.

Huius lib. cap. 8. & Cic. lib. 4. de Fin.

Sed hic da veniā studiose lector) si doctissimi amici rogatu nūc potius oratorem quàm philosophum agam: is enim enixe rogat, vt arte per se fieri posse rem naturalem quo possim ingenio & arte probem. Quod quidem iam rogatus faciam, postquam contrarium (quod est meo iudicio in philosophia verum) paucis insinuauerim. Natura (vt omnes fatentur philosophi) artis mater & principium est: ars ergo nihil per se agit, sine ope naturæ: quippe tolle naturam tolles artem, at si tollas artem naturam non tolles. Conuocentur huc omnes Mechanici, qui manu & arte viuunt, Polycletus, Apelles, Vulcanus Mechanicorum Deus: dicant an sine *ligno, colore, ferro*, hoc est, sine naturali materia opera suarum artium præstare possint? Certe non possunt. Valeant ergo qui somniant, artem filiam naturæ posse quicquam efficere sine matre, id est, sine natura. Hoc vt punctis probem, considera mecum distinctionem artis, quæ est in Liberalem & Mechanicam; nec hæc, nec illa inuita Minerua, vt aiunt, id est, repugnante natura quicquam naturale potest producere: ars ergo nulla idipsum potest. Nam ars omnis est aut ingenua, aut mechanica: quod nec hæc nec illa id possit præstare operis hinc constat, quia ars omnis habitus animi est, cuius potētia, obiectū, medium, finis, motus & opus artem non naturā sapiunt. Hinc potētia artis, obiectū artis, instrumētū artis finis, motus & opus artis dicuntur, nō naturæ. Nā (vt generale discrimē tradā) hæc omnia externa sunt, nō interna, & cōiuncta cū arte vt illa cum natura. Potentia.n. naturæ vita in forma naturali est, obiectū res talis in quā tota natura transit, medium quoque naturale non sine natura constat, finis motus, & opus naturæ, spiritum & pulsum naturæ habent: at potentia artis nulla est, si non excitetur à natura.

Natura artis mater & principium.

natura. Nam vt non prodest medicina (quæ res artificialis est) intus sumpta, vel foris applicata, nisi ipsa natura vires medicinæ addat (cadauera enim non curantur:) ita artis potentia, res plane externa, nihil mouet, nisi materiam vimq; suam suppeditet natura, in quibus fundamentum artis consistit. Non est ergo quod iactet medicus de sanitate quam arte reddit, non architectus de domo quam struxit, nec chymicus de auro quod finxit, nec magicus de procellis quas excitauit: quippe in his omnibus ars nihil naturale efficit, sed assumpta re naturali aliquid fortasse mirabile sensibus obiicit. Quid de reliquis dicam? obiecto scilicet, medio, fine, motu & opere artis, quæ sane omnia prolem nullam, nullum partum naturalem gignunt. Obiectum enim artificiale (sit illud arte & ingenio sapientissimi artificis inuentum) ex se & vi sua res segnis & fatua est, vimque nullam habet pducendi rem naturalem. Exẽpli causa, lignum quadratum domum aut tectum, ferrum arte limatũ gladium, aurum & gemma anulum, res artificiales non naturales faciunt. Quid moror? similis est omnino ratio (vt verbo concludam omnia) medii, finis, motus, & operis, quibus ars in suis effectis producendis vtitur. Instrumentum enim artis externum est, finis externus, forma vel potius figura externa, motus per se artis internus nullus est, opus denique omne quod artis est, sine spiritu pulsuque naturæ est. Quid enim penecillum Appellis, quid forma depictæ Veneris, quid motus in columba Architæ, quid mobile illud cœlum singulare opus, postremo quid vlla arte inuenta, cœlata, ficta efficiunt naturale? Certe nihil. Certe omnino nihil. Quid? non est sanitas res naturalis quam medicina, non est planta res naturalis quam agricultura, nõ est aurum res naturalis quod ars chymica, non est pluuia res naturalis quam sæpe ars magica efficit? Respondeo, artem per se hęc non efficere: medicina enim non gignit sanitatem, sed iuuat debilem naturam, vt excitata veluti à somno, expellat hostem & ad seipsum redeat. Sic agricola serit, incidit, sed natura plantam producit: sic ars Chymica aurum effingit, at non per se & sine naturę virtute fingit. Magici dęmonum subsidio non sine subiecta re naturali cœlum aut aerem mutant. Et sane vt in istis exemplis constat, arte per se rem naturalem sim-

pliciter non fieri: ita in aliis omnibus naturæ effectis videre licet, artem deficere & languere, si opus naturale perficiendum spectes. Quamuis ergo ars æmuletur naturam, eamque deficientem in multis iuuet: rem tamē naturalem per se & vi sua absente natura non facit. Ne chymica illa quidem, quæ multos miseros, paucos fortunatos reddidit. Nam esto quod aurum purissimum hac arte fiat: arte tamen sola fieri hoc ipsum nego Subest.n aliquid semper naturale quo Indicū hoc opus effingatur: Sal, sulphur, Mercurius, elemēta Chymicorum, sunt ipsa quidem naturalia: ignis, motus, & cœlestis planetarum influentia istorū instrumēta sunt quoque naturalia: tinctura auri, ipseq; puluis solis, seu Lapis philosophicus, post tot exantlatos labores sunt deniq; res naturales. Si ergo illorū principia, elemēta, effecta res naturales sint, sine quib. hæc ars nihil possit operari: taceāt Paracelsiani, & diutius impudenter ne iactent, se posse res naturales simpliciter sua arte, sine vlla re naturali subiecta fabricare. Mirabilia certe ostentant oracula, vel potius sophismata artis suæ, nimirum se posse metallis, lapidib. rebusq; omnibus inanimatis, vegetabiles, & vitales motus & vires indere. Imo (q̄ horrendū est dictu) se posse hominē sine maris & fœminæ amplexu, arte sola Chymica procreare. Credo equidem Lapide philosophico: nam aliter ab illis infantuli nō generantur. Omitto verba, rē solā ago: certū est formā artis non esse effectricem motus naturalis, sed intus latere naturę potentiam, si aliquid naturale fiat. Si ergo non sit principiū naturalis motus, res naturalis arte non fit; quod vero non sit causa naturalis motus constat: quia si lignum, ex quo fiat lectus, terræ mandatū refloreścat, motus hic non ex vi artis, sed ex naturæ virtute nascitur. Similis est ratio omniū quæ naturaliter mouētur: exēpli causa, aurū annuli, si moueatur deorsū, hūc motū à natura nō ab arte habet, & si vlla eidē ab arte attribuatur virtus (vt de annulo Gygis ferūt) hæc quidē nō naturalis, sed artific. dicitur: rē ergo naturalem ars nulla facit. Carmina, verba, herbę, amuleta, specula, insculpta deniq; syderū figuris idola; aliaq; sexcēta illa vaniora symbola insaniæ, si q̄ vim p̄ter fraudē Dæmoniacā habeāt, habēt illā qdē à natura, nēpe ab occulta & multiplici influētia aspectuq; syderū, motuq; rerū naturaliū, aut à naturali potētia dęmonum,

Vide Arnol. de Villa noua, in lib. qui Rosarium philosophorū inscribitur, & Lullium de arte Chymica.

Sophismata Paracelsianorum.

Herod. in Clio, & Cic. li. de offic. 3.

monũ qui pręter longã experiẽtiam & vſum rerũ ſpiritualẽ eſſentiam & cognitionem, (qua homines diſcutiẽdo vacillantes fallantur)adhuc poſt lapſum retinent. Non tamẽ hic nego, quin eadem ſit aliquando res naturalis & artificialis, vt annulus reuera nihil aliud eſt quam aurum, & ſtatua cerea aut lapidea nihil aliud quã æs aut lapis: rationes tamẽ & formæ iſtorum ſunt diuerſæ, vnde motus alius aliuſq; oritur. Artis.n.figura naturalẽ vim non imprimit, naturalẽ nõ efficit motũ:neq; forma naturalis vim aut motũ artificialẽ. Cæterum ſublata natura artis opus cõcidit, arte tamen extincta natura & naturale manent. Sed hæc quoad inſinuandam veritatem in hiſce quæſtionib. hoc tempore ſufficiant, nunc aũt cum veritati primitias & tributum perſoluerim, amicitiæ aliquid aſcribam, aliamq; induens perſonam pro viribus ingenii.contrarias partes in vtraq; quæſtione defendam:nec non demonſtrabo poſſe fieri per ſe arte rem naturalem, verumq; aurum à Chymicis poſſe fabricari.

Philoſophus quidẽ totus in hac re nunc videri velim: ſed omiſſis verbis rẽ aggrediar. Multa ſane mira, multa ſtupẽda de arte tradũtur, loquatur pro ſe(ſi placet)aſtrologia, loquatur naturalis magia, loquatur medicina, quæ ſi loquantur, hoc vnũ certe dicent, *arte poſſe rẽ naturalẽ fieri*. Eſt.n.vis in verbis, eſt vis in ſignis, eſt vis in confectis medicinis & amuletis, mouendi, mutandi, adiuuandi naturã. Agrippa, Guido Haly, voluminibus hoc ipſum teſtantur. Hippocrates, Gal. non negant:non it inficias ipſe Ariſt. qui arti id ſępe aſcribit, quod naturæ non dedit. Omitto hoc loco iudicialis aſtrologiæ & magiæ ſecreta de excitandis dæmonibus, de generãdis affectib. de procellis mouendis & ſedandis, de efficiendis magnis mirabilibus:hęc(inquam)omnia omitto, ne ſuperſtitioſe in hac cauſa egiſſe videar. Illud tamen dico, res naturales nõnunquam veriſſime habendas eſſe, quæ harum artium vſu & virtute de nouo fiant. Addam exemplũ vt rem aperte videas. Aſtrologi opticum & perſpectiuum (vt aiunt) cryſtalli vitrum arte ſua fabricare docent, in cuius centrum radii ſolis collecti in flammã commutantur: arte hoc loco naſcitur flãma, q̃ res vere naturalis dicitur: arte ergo fieri põt res vere naturalis. Non hic loquar de conuerſione Archimedei cœli, de motu colũbę q̃ Archytas finxit, de ſtatua Veneris

Flamma vere naturalis poteſt ab arte produci.

arte mouentis quam fabricauit Dædalus: non de Gygis annulo, non de Apollinis tripode, non de aliis sexcentis miraculis artis & ingenii, de quibus antiquitatis nuncii & testes veritatis (historias, easdemque non fabulosas intelligo) miranda tradunt. Solum hic oculis subiicio rerum quæ negari non possunt demonstrationes. Hic dicat mihi terræ filius, qui altius terra aciem animi non attollit, dicat (inquàm) mihi quid in hac re dubitet. Certum est rem naturalem arte verissime fabricari posse: quod talpa negat, quia præter cespitem & glebulam terræ nihil sapit. Vrgeo fortasse acrius. Imo vrges, sed sine ratione, sine exemplis, testimoniis & argumentis vrges. Itane? Exēplum vnum & rationem exempli habes. At validiora causæ præsidia requiro. Attende, & audies fortiora: & quoniam animo ægrotas, dabis mihi (vt opinor) sanitatem rem naturalem esse. Non ægroto, rem tamen naturalem esse libenter concedo. Age igitur, quis non videt hanc rem medicorum industria & arte (deficiente natura) fieri? Fieri (dico) nam languens natura ruensque in sepulchrum à morte ad vitam, à morbo ad sanitatem, solius medicinæ opera reuocatur, daturq; sanitas, finis & opus medicinæ. Præterea, vt in eadem scientia vestigia firmiora premam, quis ignorat *tetrapharmacum* origine rem artificiosam esse, (puta emplastrum, ex pice, cera, adipe, resina, & succis herbarum confectum?) at in hoc emplastro (quamuis sit res arte facta) vis quædam interna mouendi inest, vnde res naturalis dicitur: arte igitur res vere naturalis constat. Ars enim medica hoc instrumentum sanitatis fecit: at hoc instrumentum modo quo vim ab arte sanandi hēt impressam. rectissime res naturalis dicitur. Rē ergo naturalē ars vere facit. Huc adde restaurationē humidi naturalis (rē maxime naturalē) arte medica in flore iuuētutis fieri posse, quā in occasu & autumno senectutis, nec medicina, nec ipsa natura faciunt: fieri (inquam) posse: nam spirituū tū vitaliū, tum animalium, (in quibus potissimum cōsistit & fluit hoc oleum vitæ) fit restauratio: fit ergo restauratio humidi naturalis: at hæc ipsa restauratio humidi est res vere naturalis: fit ergo arte res vere naturalis. Sed ambitiosus sum exemplis & argumentis in propria facultate mea: ab aliis argumenta petam. Adesdum agricola, doceq; hunc terræ filium

Sanitas res naturalis est, & ab arte fit.

&

& talpam artis mysterium tuæ. Tu (vt opinor) corticem aliquando brassicæ, aut alterius agrestis fruticis incidis cultro, ibique inter corticem & truncum plantæ, florem aut folium arte oportune inseris. O miram rem artis! flos alterius plantæ ita insertus totam arborem in aliam speciem mutat; imo mutat, tametsi flos ille in minimum virgultum aut ramusculum inseratur. Quid nunc obstat ergo quo minus concludam, arte rem vere naturalem fieri? fit enim ex brassica pyrus, nouaque species plantæ ex inoculatione (vt aiunt) floris. Et certe non est quod naturæ hoc opus & effectum ascribas, præsertim cum vis maior naturæ in radice & trunco alterius plantæ, quam in flore recenter inserto viuat; at arte per florẽ insitum in virgulam noua species nascitur, quæ noua species arte facta, res vere naturalis appelletur. non te prætenibo (Archimedes insignis) qui Geometrica proportione artis tuæ, aquam ab imis terræ venis & medullis in altissima tecta fluere & volare doces cursumque eiusdem sursum, qui est præter naturam, arte naturalem facis. Studiose lector, res facilis est si diligenter attendas. Nam canales suos plumbeos, ferreos, aut æneos hic artifex in altissimo fonte prope ædificia fixos lino aut alia materia sicca & combustibili implet: hac materia accensa consumitur aer, aere consumpto aqua in altum fluit, fluxu sic semel facto non refluit, ne inane & vacuum admittatur. Sic cursus aquæ præter naturã, arte naturalis redditur: rem ergo vere naturalem ars ipsa efficit. Nam hic fluxus vere naturalis est, quamuis vi quadam sic factus maneat. Quid plura? constat vbique sapientes medicos plurimi æstimare amuleta; suosque characteres, annulos, & imagines non parui æstimare Astrologos, si certo astrorum situ & aspectu fiant. Non sunt ludibria ista, non sunt præstigiæ dæmonum, sed res vere naturales, vt Plato, & Plotinus docent: naturales dico, quia sic factæ vim quandam cœlestem induunt, miraque effecta in morbis & malis profligandis habent. Postremo, si probabiliter à locis Topicis disputare in philosophia liceat, hoc argumentum à fortiore tenet. Ars sæpe edit effectus quos natura non potest: ergo eos etiam potest quos natura potest; & proinde res vere naturales potest efficere. Ratio sequitur; nam si id quod minus videtur conuenire conueniat; id etiã

Inoculatio facit nouam speciem plantæ.

Aqua motus sursum qui naturalis.

Amuleta quãdoque valent.

Plato in 2. dialog. de Iusto. Plotinus c. 40. lib. 4. Ennead vt docet D. August. lib. de ciuitate Dei 10. cap. 11

quod magis conuenire videtur conueniet: sed minus videtur conuenire arti vt id possit quod natura non potest: ergo magis videtur eidem conuenire vt id agat quod natura agit.

Questio 41. An arte chymica vere aurum naturale fiat.

Omissis probabilibus ad appendicem quæstionis venio, quæ est, *Vtrum arte chymica vere aurum naturale fiat?* quod si fiat, negandum non est quin ars rem vere naturalem fingat. Nō sum nescius aut oblitus, me Alchymistarum fumulos & in præfatione prioris libri, & in aliis locis mearum lucubrationū nō simpliciter approbasse, sed illos fumos intelligo, qui admodū venenati, sale, sulphure, & mercurio facti plurimū oculis studiosorum nocent. Multi enim hodie qui artē non callent, tāquā carbonarii in foco chymico semper versantur: nec non suffocantur fuligine, quā spe auri faciendi & capiendi in præcordia trahunt. Sed adesdū Bacone, (Angliæ decus, & honor antiquæ Academiæ nostræ) quid (quæso) de Lapide philosophico, & quid de auro fabricādo à te contempto censes? nō est quod quæram; nam scio te manib. pedib. usq; in eā ferri sententiā, quod arte chymica vtrūq; fiat. Rationes percurram paucis, non possum multis inhærere.

Sulphur & argentum viuū communes sunt materia omnium metallorum.

Cum sulphur & argentū viuū sint materia communis omnibus metallis procreādis, (vt Arist. omnesq; fere philosophi sapienter docent) cumq; aurū metallorum purissimū, non solū materiā à sulphure sed tincturā habeat, similiterq; argentum à Mercurio, quis est tā inerti ingenio qui non videat, posse has materias ita arte tēperari, vt ex iisdē contemperatis aurū & argentū fiant? Sed hic labor, hoc opus est, vt forma naturalis in hanc materiā arte inducatur. Certe & laboriosum & operosum esse agnosco; sed nō impossibile. Laboriosum & operosum esse dico, quia in auro cōficiendo calor cœlestis & præcipue solaris (teste Philosopho in Meteoris) requiritur: at quomodo ars cœlo & soli imperet, perpauci inter sapientes intelligunt. Sed attentius mecū considera Chymicorum in hac re solertiā. Illi parata materia globum cœli vertunt, obseruant tempora, aspectus notant, non ignorant influentias siderū opportune materiam auri, igne artificiali dociliorē ad recipiendā formā auri factā, obiiciūt soli, & vt vnus idemq; numero radius solis ignisq; cœlestis est in aere, cū lumen solis per ignē, in aerē transit: ita vnus idēq; calor ignis & solis est, cū in materiā auri docilē & præparatā

cadat

cadat. Sic vt vides quãuis ars imperare cœlo soliq; nõ possit; potest tamen obseruare tempora, in quibus materiam tam apte, tam tempestiue accommodet, vt sol & cœlum nõ possint non suas vires in eandem materiam tam apte & tempestiue præparatam exercere, formamq; auri veram inducere. Neq; hoc modo solum calor cœlestis conciliatur & attrahitur ad conficiendum aurum, sed tum magis eminet & apparet, cum igne temperatissimo auri materia suas fæces & sordes exuat, suamq; primæuam naturam seu quintam essentiã (vt aiũt) incipiat inducere. Quippe inest in re qualibet naturali, præter elementarem molem quinta essentia, id est, cœlestis natura, quam per motum, lumen & influentiam recipit. Et hæc quidem natura tum maxime viuit vigetq; cum artificiali igne priuatio (*Vipera naturæ*) coacta suũ virus deposuerit; id est, cum tartarea & terrea fæx, qua res quælibet tamquam mole opprimitur, vi ignis (consumentis crassa, conseruantis pura,) euanuerit. Hac vmbra vides rationem qua demonstratum est, arte posse fieri & conflari aurum. memor ergo thematis propositi concludo artem posse rem naturalem conficere, verissimamque illius formam inducere: est enim aurum res vere naturalis.

Quinta essentia in re quālibet naturali.
Priuatio vipera naturæ.

Preterea vt vires addam argumentis meis, dico artem æmulam & imitatricẽ optimam esse naturę. Rationẽ ergo nõ video, quin in efformando auro suam ducem ad viuũ imitetur, idemq; præstet quod ille potest: præsertim cum in difficilioribus ex imitatione frequẽter longe maiora faciat. Exempli causa, ars sępe apes ex fimo in vẽtre bouis inserto, gignit: angues, bufones, serpentes ex equinis pilis & ouis galli in sterquilino sepultis procreat; muscas emortuas cineribus calidis coopertas ad vitã excitat. Quid? an ex imitatione naturæ ars vitã creat? Longe incredibilius & difficilius est hoc agere quã aurum conficere. Non dubitandũ igitur est, quin etiã possit Lapidẽ philosophicũ, aurũq; purissimũ cõstituere, si vt debet naturalia actiua passiuis variãq; permixtionẽ & tẽperiẽ sulphuri & argento viuo, per ignem fouentem, nõ vastãtem (cœli aspectu & astrorum influxu obseruatis) prudenter acommodet. Nam vt medici collectis herbis (sole in hoc vel illo signo existente) prout ars præscripserit, arte meliores confectiones, & salubriores medicinas habent,

quæ tamen vires suas omnino perdunt si non obseruetur aspectus: Ita Chymici paratis compositis, igniq; fouente temperatis auri & argenti materiis, si solis & Mercurii aureum aspectum & influxum non obseruēt, spe sua decidunt & priuantur. Si vero obseruent, proculdubio vota obtinebunt, aurumq; arte conficient naturale. Huc adde, quod sapientissimi viri philosophi de hac arte scripserint, fideq; sanctissima affirment, & se & maiores suos purissimum aurum confecisse: vt nos nunc credimus aureum illum Militem Dominum Richardum Kelly vsu Lapidis philosophici, sine fuco sine fraude idipsum fabricare. Si fides annalibus temporum, virisq; iustis, doctis, sanctis, non penitus detrahatur: credendum est & olim factum, & nunc arte fieri aurum naturale, quo purius in visceribus terræ à sole & natura nō generatur. Purius (inquam) vi solis & naturæ quā vi artis non generatur: quia non minus notæ sunt primæ & secundæ qualitates earumq; temperies arti, quam naturæ. Si ergo obseruatis circumstantiis & præceptis aurum non fiat, error hominis non artis erit. Quid multis? fontes permulti apud Anglos, virtute sua ligna in lapides, lapides in ferri durissima fragmenta vertunt. Cur ergo res impossibilis ducitur, cum præparetur materia, obseruentur tempora, notētur sydera, cognoscantur qualitates & mensuræ rerum, vt arte chymica Lapis philosophicus & aurum naturale fiat? Vidimus nuper & experientia notum habuimus purissima olea cinnamomi, vitrioli, nucis moschatæ, caryophyllorum, nec non tincturas fluentis auri & gemmarū studio & industria huius artis fieri. Quid igitur (quæso) impedit quo minus ipsum aurū fiat; Adest materia argentū viuum & sulphur, adest instrumentū, nimirum ignis, adest efficiens causa nēpe cœlestis influentia & calor: quid restat? nihil certe præter industriam hominis qui modum, præter laborē qui mediū conficiēdi teneat. At cognitis rerum qualitatibus, modus: cognitis temporibus & influentiis cœli, medium tenetur. Non est quod hoc loco obiicias te adhuc ex fornace chymico non vidisse aurū efformatū, & inde cōcludas temere, fieri idcirco non posse. Satis est si maiores viderint, qui olim multa artis opera, quæ tu nunc vides, nō viderunt; puta literarū Typographicū prelū, Tartarei pulueris vsum, artē ex silice cōficiendi vitrū. Arripio

Multi aurum purum fecerūt. Richar. Kelly.

ripio hic ansam iterum inculcandi causam, ex silicis puluere vi ignis depurato fit vitrum: ex sulphure ergo vi ignis sublimati fieri potest aurum. Arte præparatur materia, arte cōponitur flamma, arte obseruatur influentia; hinc aurum nascitur, si adhibeatur industria. Concludo igitur quod imprimis proposui: artem posse rem vere naturalem fingere, aurumq; verum & naturale efformare. *Vitrum ex silice fit.*

Distinctio prima quæstionis, Vtrum natura recte definiatur?

- In expositione huius q̄stionis cōsideranda sunt
  - Distinctio nominis, quippe nomen naturæ sumitur vel
    - Metaphorice, & sic Deum Thales, sic Dei ministram aut voluntatem Plato, sic diuinā potentiam Zeno, sic matrem omnium Seneca nominarunt, &c.
    - Vere, idque vel
      - Communiter & fuse
        - 1 Realiter, vt se extendit ad omne ens reale, siue sit substantia, siue sit accidens; vnde natura Platonis, natura virtutis dicitur. *Lib. 5. Metaph. cap. 4.*
        - 2 Intentionaliter, vt se extēdit ad omne ens intentionale; vnde natura generis & speciei nominatur.
      - Proprie, pro interno principio motus in re naturali, & sic hoc loco definitur.
  - Definitio, in qua dicitur natura principium, adnotandū quod sit prior illa re cuius est natura; dicitur etiam causa, ad notandum quod res naturalis dependeat ab ea; dicitur per se, ad remouendum causas per accidens, quales sunt casus & fortuna; dicitur nō per accidens, ad tollenda accidentia quæ sunt causæ motus, vt *grauitas* & *leuitas*; dicitur in quo inest, ad excludenda ea quæ vi, impetu, aut arte mouent: per nomen *motus* intelligitur omnis naturalis mutatio, & per *quietem* omnis naturalis perfectio.
  - Vsus qui est vel
    - 1 Physicus, vt hoc iacto fundamento, omnia sequentia de natura melius intelligantur præcepta.
    - 2 Metaphysicus, vt cognito hoc ordine rerum, altius mens volet humana ad naturæ authorem, qui prouidentia sua regit, disponit, & moderatur omnia.

Opp. *In priori libro satis de natura disputatum est: otiosa ergo ista repetitio, & inanis verborum echo strepitusque est fugiendus.*

Resp. *In priori libro natura à materia & forma in ratione principii distinguitur; in hoc vero definitur: satis fortasse illic de distinctione nominis, at hic de eiusdē essētia agitur.*

Opp. *Latius patet hac definitio quam definitum: ergo non est admittenda. Antecedens probatur, quia conuenit potentia prima causa, qua omnia secundum ordinem naturalem fiunt. Est enim hac potentia, vis quadam vniuersalis per omnes mundi partes fusa, rebusque sic insita, vt per eam esse, moueri, & quiescere recte dicantur. Hanc vim diuinus Plato naturam aperte nominat, eandemque definit ex eodem Orator, causam absolutam per vniuersas mundi partes cōmeantem, cuius solertiam (vt ait) nulla ars, nulla manus, nemo artifex consequi vnquam potest imitando.*

Lib. 10. de Rep. lib. de Natura Deorum.

Resp. *Potentia vniuersalis duplex est, vel metaphysica qua primam causam, vel physica qua ipsam naturam sequitur: illa actu infinita est, & solum per influentiam rebus physicis communicatur, hac finita & per inhaerentiam conuenit: illam Plato naturam appellat, sed (vt aiunt) naturantem, eandemque definit in libris de Natura Deorum Orator, vt supra; hanc vero Aristoteles sape intelligit, cum naturam internam potentiam & principium nominet: illa iterum potentia est separata à rebus naturalibus per se, per influentiam tamen communicata: hac vero est insita causa, vt sua coniuncta rebus: illa denique hic non definitur à Philosopho (est enim quiddam metaphysicum) hac sub definitione natura comprehenditur: est enim quiddam physicum & naturale, imo potius analogice ipsa natura. Nam potentia prima cuiusque rei eadem est essentia cum principio suo, aut subiecto in quo inest vt potentia ratiocinandi eadem cum anima ratiocinatrice: similiter hac potentia natura eadem cū natura. Paucis concludam, illam potentiam metaphysicam, infinitam, diuinam, per influentiam solum communicatam rebus, nulla ars nulla manus, nemo artifex consequi potest imitando: at hāc humana industria & solertia imitari potest.*

Potentia vniuersalis duplex est.

Opp. *Motus & quies sunt accidentia: ergo natura nō est*

eorum principium. Argumentum tenet, quia ex substantia non fit non substantia: cum ergo natura sit substantia eorum quæ ex ea fiunt, fieri non potest vt motus & quietis sit principium. Præterea natura dicitur inesse essentialiter suis effectis, at absurdum est dicere naturam esse in motu & quiete, quæ sunt accidentia: sic enim substantia inesset accidentibus.

Resp. *Solutio huius argumenti facilis est, si dicas per motum & quietem intelligi motus & quietis subiectum, id est, rem naturalem, quæ nata est ad motum si materiam, nata est ad quietem si formam & finem spectes.*

Opp. *Cælum semper mouetur, terra semper quiescit: ergo natura non est principium motus & quietis in omnibus.*

Resp. *Soluitur hic nodus ante de cælo, vel quod in centro & polis quiescat, vt alii, vel quod quiescere dicatur in sua forma, perfectione, & fine, vt nonnulli alii melioris iudicii sentiunt. Sunt etiam qui respondent, hæc duo verba* motum & quietem, *intelligi quidem à Philosopho disiunctim non coniunctim in definitione naturæ. Liberum cuilibet relinquo opinioni suæ, sed meliorem mediam responsionem esse puto.* Cælum qui dicatur quiescere.

Opp.

Natura non est principium corruptionis: ergo non est principium omnis motus, vt Aristoteles docet. Antecedens probatur, quia natura est principium conseruationis non interitus: argumentum tenet, quia corruptio est species motus. Præterea natura non est in corrupto, quod est non ens: ergo non est principium corruptionis.

Resp.

Corruptio sumi potest, vel generatim pro priuatione, & sic est principium transmutationis, vel speciatim pro interitu rei actu existentis & sic est motus, eiusdemque causa est natura, vt successione fiat perpetua rerum conseruatio. Hinc ab Aristotele mors ipsa aliquando naturalis corruptio dicitur. Postremo corruptum consideratur bifariam vel simpliciter, & sic habetur non ens, vel comparate ad rem aliam successione generandam, & sic ens secundum quid, ex parte mobilis materia nominatur. Corruptio sumitur dupliciter. Corruptum sumitur dupliciter.

Opp.

Lib.3. de Anima cap.10.

Anima humana est principium motus in homine, teste Philosopho, sed anima humana non est natura: ergo aliis conuenit hac definitio quam natura, minor constat multis in locis apud Philosophum, Vbi docet animam humanam non esse rem naturalem, Vt in 5. cap. 3. lib. de anima & lib. 2. de partibus animalium cap. 2. asserit Aristoteles.

Lib. 2. & 3. de Anima cap. 5. Lib. 2. de part. Anim. cap. 2.

Resp.

Anima humana dupliciter sumitur. Quid sit res naturalis.

Discussa hac lis & controuersia antea fuit, sed iterum dicimus duobus modis considerari animam humanam, Vel absolute Vt est spiritus, & sic omnino non est res naturalis: Vel respectiue Vt est actus corporis, & sic est Verissima forma humani corporis, à qua omnes illius motus sunt, & hoc modo res quodammodo naturalis dicitur.

Opp.

Grauitas, leuitas, naturalis figura, calor aliaque permulta sunt principia motus, ergo aliis conuenit hac definitio à definito. Antecedens probatur ex Aristotele lib. 7. & 8. physicorum Vbi demonstrat, hac esse in rebus naturalibus principia motus.

Resp.

Motus principium duplex, Primarium. Secundarium.

Vsus Verbo D. Thoma, respondeo hac esse quidem principia motus in re naturali, sed secundario, non primario: non enim insunt in re genita intrinsecus Vt natura, sed insunt ex consequenti Vt accidentia, qua Vel formam Vel materiam, Vel totius compositi essentiam concomitantur.

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum natura sit principium simpliciter actiuum?

Natura physica consideratur duob. modis, vel in

- Comparatione ad primam causam, & sic est principium simpliciter passiuum: vtitur enim Deus natura secundum prouidentiã pro voluntate sua vt *dominus suo seruo*.
- Comparatione ad res, Vide in seq. pag. signum ***.

1 A natura passionis, quæ est forma ab agente fortiore illata in passum, vt *calefactio ignium in aquam*; sed nullum est agens fortius ipsa natura: ergo natura nõ est principium passiuum.

2 Ab hypothesi necessaria, quia si sit principium passiuum, necessario corrumperetur. Ratio est quoniam actio & passio sunt contraria, quæ mutuo se inuicẽ configunt, huc etiam & illud addo, existente natura principio passiuo, sequeretur quod sit vniuersalis naturæ aliqua priuatio: at natura est principium æternum, eiq; opposita est nulla priuatio.

3 A diuisione, quia neque respectu materiæ quam mouet trahitque ad formam, neque respectu formæ quæ est ipse actus possit dici passiuum. N tura enim quæ diuiditur in materiam & formam, mouet, fouet, trahitque materiam & formam (sed hæc sunt officia agentis) ipsamq; formam occulta vi sua à potentia materiæ elicit perficitque.

Comparatione ad res naturales suasque species, nempe materiam & formam, & hc probatur esse principium simpliciter actiuum, idque

4 A definitione naturæ, in qua dicitur ꝙ sit causa mouendi & quiescendi in re naturali; motus autem & quies sunt actus non passiones, maximè in principiis vtriusque, quamuis aliquando in effectis passiones dici possint, vt *calefieri in aqua, illuminari in aëre*, quæ duo in *igne* & *sole* sunt actiones.

5 A consecutione absurda, quia si sit natura principium passiuum, violentus motus esset maxime naturalis, quia est passiuus: at hic motus est plane cõtra naturam, vt docet Philosophus Phys. 3. & lib. 5. Phys. cap 6.

6 A testimonio Aristotelis, qui in hoc textu ponens discrimen inter artificiosa & naturalia, ait illa non habere principiũ internum sui motus in se, hæc vero habere. Intelligit haud dubie principium actiuũ, quia passiuum commune est vtriusq; effectis: Quippe statua non minus est apta ad recipiendum suum motum, quam lignum forma artificiosa vacuum.

7 A propria passione naturæ, quæ est semper agere propter finẽ: est ergo semper natura principium actiuum. *Lib. 2. Phys. c. 8. text. 77. & l. 3. de anima c. 13.*

Lib. 2. de Gen. & Cor. cap. 9.
Materia est pati.

Opp. *Materia est (vt expressis verbis docet Philosophus) principium passiuum, sed materia est natura: ergo natura est principium passiuum: quo dato non est simpliciter actiuum, vt doces. Maior constat, quia materia est subiectum omnium formarum, & tamquam cera qua singularum formarum in rerum natura impressionem possit suscipere, quod nihil aliud est quam pati, vt superius docuisti.*

Materia dicitur analogice de natura.

Resp. *Concludis fallaciter à parte ad totum: nam etsi materia sit natura, non tamen dicitur natura in quid de materia vniuoce vt* animal *de* homine, *sed analogice. Praterea hoc ipso concesso, materiam esse speciem verissimam natura, ipsamque naturam esse verum genus materia: non tamen sequitur hac ratio, quia à propria differentia speciei disputas, qua nunquam generi vt sua conuenit. Verbigratia rationis compos dicitur de homine, non tamen dicitur de animali, quia est propria differentia hominis. sic licet passiuũ dicatur de materia, non tamen dicitur de natura, quia hoc ipsum* pati, *est quiddam proprium materia non natura.*

Vt supra lib. 2. de Anima c. 7.

Opp. *Certum est & ex Arist. probatũ, actionem & passionem esse res naturales: non est ergo negandum, quin aliquod principium naturale habeant. Hoc posito sequitur naturam ipsam esse principium in aliquibus patiendi, & proinde concludo eam non esse principium simpliciter actiuum, vt ais, praterea, quorsum toties inculcaret Philosophus materiam naturam esse & principium passiuum? Quorsum toties doceret sensus esse naturales potentias passiuas? Quorsum denique toties vrgeret esse accidentia quadam actiua, quadam passiua, si nullum sit principium, à quo passiua non minus quam actiua originem & sui causam ducant? Videris ergo in hoc paradoxo magnum philosophia fundamentum concutere, & contra principes philosophorum decertare.*

Resp.

Certum est & ex Aristotele probatum, actiones & passiones esse res naturales, si non sint violẽta; certum est etiam materiam primam, sensus, multaque alia accidentia esse passiua: non tamen hinc recte concludis naturam (qua in materiam & formam diuiditur) esse principium passiuum: quia aliud agens non est in rerum natura cum quo certet, & à quo patiatur. Argumento de materia modo satisfactum fuit:

fuit: nam quamuis quicquid cadat in speciem idipsum cadat in genus, vt probat Philosophus quarto Topicorum: ab hoc tamen axiomate excipienda sunt propria & differentia specierum; quare non sequitur, homo est risibilis: ergo animal est risibile; ita non sequitur, materia est passiua: ergo natura est passiua, quia passio est quiddam proprium materia & impotentia, vt Aristoteles demonstrat: At natura perennem vim & potentiam in se latentem habet, cuius velut studium & conatus semper est formas inducendo passiones, impotentias, defectionesque materia abigere, eandemque actiuam, potentem & quasi vitalem reddere. Non est ergo hoc paradoxum (vt ais) quod defendo: non fundamentum philosophia concutio, sed rem ago vt oportet, ipsamque doceo in hac re veritatem.

Quicquid cadit in speciem cadit in genus. *lib. 4 Top.*

Excipiuntur propria & differentia.

Op. *Natura nihil aliud est quã materia & forma: si ergo neges passiuum dici de natura, quia est proprium materia, eadem ratione neges actiuum dici de natura, quia est proprium forma. Nam (vt ais) propria & differentia specierum à loco illo Topicorum citato excipiuntur, & sic per consequens natura non erit principium actiuum, quod tam pertinaciter defendis.*

Resp. *Quamuis actiuũ magis in formã quam in materiã cadat, non tamen est proprium forma; sunt enim forma non semper actiua, maxime cum priuationis impetu debilitata ad interitum tendant; forma tamen manent donec noua forma gignatur. Actiuum ergo non est proprium forma, quamuis forma nulla sit perfecta qua non agat: sed est proprium natura, qua simpliciter per vim suam, & materiam & formam procreat, nec non in illis semper & efficaciter agit propter finem. Quid multis? natura (vt ais) non est hic inuoluta & clausa in materia & forma, vt nihil aliud sit: est enim principium commune vtrique, idemque distinctum ab vtroque.*

Actiuum non est proprium forma per se.

Opp. *Motus est actus mobilis vt definitur 3. Phys. id est, si interpreteris, impulsus corporis naturalis, quod moueri potest: ergo hic motus est passiuus; imprimitur enim, & impressus recipitur à mobili: quid ergo obstat quo minus concludã, naturam (qua est principium omnis motus) esse principium passiuum?*

Motus quid. Lib 3 Phys. cap. 1.

Resp. *Male interpretaris nomen actus, quod potius actionem respectu naturæ, quam passionem & impulsum respectu rei naturalis actæ & impulsæ docet: sed est motus, est actus, id est, (vt interpretaris) impulsus corporis. Quid tum? non hinc sequitur naturam esse principium passiuum, sed potius actiuum, quod agendo talem passionem (qualis est hic motus) gignit. Nam vt* calor ignis *est principium agendi, & tamen passionem in* aquam *introducit: ita natura motum mobilis passiuum aliquando creat, tametsi ipsa libera & immunis ab omni passione maneat.*

Opp. *Lapis ab alto vi fortis deiectus naturaliter fertur, quia fertur deorsum ad locum quietis suæ; hic tamen motus à passiuo principio nascitur: ergo natura est aliquando principium passiuum.*

Lapis si præiiciatur deorsum motus eius non est simpliciter naturalis.

Resp. *Lapidis hic motus impetu factus, nō est propriè naturalis quamuis deorsum tendat. Nam vt præceps motus progressiuus animalis videtur naturalis, idcirco tamen non est, quia ad interitum trahit: ita hic violentus motus lapidis, quamuis sit deorsum, non tamen est propriè naturalis, dum vim & impetum proiicientis ipsa natura senserit. Sed esto, hæc omnia concedantur, nihil tamen hinc absurdi sequetur. Natura enim semper in hoc motu potius agit quam patitur: mouetur enim lapis, at ipsa natura mouet.*

Principium passiuum quid secundum Scotum.

Opp. *Principium passiuum definitur ens illud, vel causa per quam aliquid redditur aptū ad recipiendū vel motū, vel formam, vel aliam quamcumque affectionem; sed per naturam res naturales aptæ & dociles redduntur ad recipiendam formam, motum, vel affectionem: ergo natura est principium passiuum.*

Scotus contendit naturam esse principium passiuum.

Resp. *Ex Scoto hanc definitionem promis, qui manibus pedibusque conatur probare, naturam omni respectu esse principium passiuum; vel illam nego, & dico, in ipsa definitione contradictionem comprehendi, quia reddi aliquid aptum ad recipiendum motum vel formam, arguit aliquid esse quod reddat: & hoc est natura, quæ agendo reddit. Nam vt Sol fortissimum agens ceram aptam ad recipiendam figuram: ita natura validissime agendo rem naturalem aptam ad formam & motum reddit. Si vrgeas adhuc aliquid esse causam huius passionis, & præter naturam te nullam scire: respondeo*

Natura est causa passionis per accidens.

respondeo naturam in se non esse per accidens esse. In se enim est simpliciter actiuum principium, passiuum tamen dici potest sed improprie, quia passiones non vim actiuam causa, sed naturam effecti sequuntur. Vt quia natura cera est apta vt liquescat, vt incalescat aqua; nemo tamen sana mentis dicet aut solem qui liquefacit ceram, aut ignem qui calefacit aquam esse principia passiua, cum nulla vis passionis in hunc vel in illum reuerberetur. Passiua ergo principia sunt materia, & accidentia qua plerunque materiam concomitantur, vt naturales impotentia, aliaque materialia, qua nullam vim formalem & actiuam resistendi habent.


Opp.

Motum res qualibet naturalis recipit à natura vt à principio: sed motum recipere est pati: ergo natura videtur esse principium passiuum, quod hanc aptitudinem ad patiendum & recipiendum tribuit. Praterea (vt plura argumenta in vnum cogam,) si natura non sit principium passiuum, frustra ponitur in textu distinctio inter artẽ & naturã; siquidem ars actiuum esse principium & hic & 6. Ethic. demonstratur: natura autem non eodem modo. Nam si penitus eodem modo sit principium, nulla hac esset inter artẽ & naturam distinctio. Exemplum de ęgroto *cui contingit esse* medicum *hanc rem manifestam reddit.* Lib. 6. Ethic. cap. 4.

Resp.

Mutatis verbis idem agis, & Cramben bis coctam apponis mensa. Agnosco rem quamlibet naturalem motum suum à natura mutuari, motumque recipere, esse in re naturali quodammodo pati: hoc tamen argumentum non probat naturam ipsam esse caussam passiuam, sed potius actiuam, qua pro qualitate rerum sua munera distribuit. Ad alteram partem argumenti respondeo, non esse positum hoc discrimen in textu inter artem & naturam, quod illa sit actiuum, hac passiuum principium, sed quod illa sit externum, hac internum principium rerum. Vsus huius quastionis & disputationis est, vt videntes naturam physicam esse principium & causam actiuam motus, agnoscamus naturam illam metaphysicam esse causam motricem omnium liberrimumque agens vt Philosophus 8. Physicorum docet. **Ars & natura qui differant.**

Distinctio tertiæ quæstionis. Vtrum ars æmula naturæ possit rem vllam vere naturalem efficere?



A. Practi-

A Practicæ, quæ sunt vel actiuç, vel factiuç (vt aiunt) quarũ finis est vel actio, vel opus; & earum aliç sunt vel

Simpliciter Mechanicæ, quæ nullam societatem & commercium præter subiectam materiam, & imitationem quandam cum natura habent, quales sunt *Architectura ars Pictoria, Textoria, &c.*

Ex parte, quæ præter materiam subiectam, & naturæ imitationẽ, vim quandã naturalem vendicant: quales sunt ars *chymica* & *Medicina Agricultura*. Hæ enim rem naturalẽ possunt efficere formãq. naturalem inducere: & hoc probatur

1 Ab authoritate Agrippæ, Guidonis, Haly, & aliorum Astrologorum, qui voluminibus pluuiã, serenitatem, amorem, aliaque res naturales fieri & procurari sua arte probant. Sed hæc vt leuiora omitto.

2 Ab experientia & exemplo *vitrei crystalli perspectiui* vel *Solaris*, in cuius centrum radii collecti, in flammam arte conuertuntur, quæ flamma est res naturalis.

3 Ab exemplis *inoculationis* per florem inter corticem & truncũ plantæ insertum [2] *emplastri* arte medica confecti [3] *sanitatis* rei naturalis eadem arte acquisitæ, [4] *humidi natu alis* in flore ætatis restaurati [5] *aquæ sursum contra naturalem cursum tractæ* [6] *Amuletorum, annulorum & characterum* naturalem vim habentium [7] *Lapidis denique philosophici* qui arte quidem fieri potest qua alia naturalia fiunt.

4 A difficiliore, quia ars res sæpe difficiliores facit; quippe ex *ouo galli* & *pilis equi in sterquilinio sepultis*, Basiliscos & serpentes facit, quod est quiddam difficilius quam communiter rem aliam naturalem sine vita fingere.

5 A veritate conficiendi aurum, quam veritatem, docti pii, sapientes probant, antiquitas affirmat, experientia non negat.

6 Ab ordine, & proportione, & opportunitate miscendi & applicandi actiua passiuis; vnde res sæpe naturales arte fiant, quæ naturæ vi per se fieri quidem non possunt.

Opp. *Si amico roganti morem in discutienda hac quæstione non gessisses, si animi ex animo non prædixisses sententiam; peterem certe vnde hoc virus hauseris, quod nunc in scholas philosophorum spargis. Profiteris te totum Aristotelis discipulum esse velleque haberi, quem tamen aperte sub hoc nomine nunc vulneras, imo quod deterius est, exhalas pestiferæ superstitionis vapores in animos iuuentutis; cum vanissima amuleta tua, venefìcia, carmina, characteres, figuras, aliaque monstrosa prodigia & prodigiosa monstra, nigra dæmonum arte confecta laudes. Da veniam, ferre non licet istas vanitates tuas, moneo ergo vt resilias ab hac hæresi, Diuumque Augustinum legas, qui vehementer in Porphyrium de hac ipsa causa disserit.*

Lib. 10. cap 11. de ciuitate Dei.

Resp. *Memineris (quæso) me quid animi sim de hac re proposuisse: quorsum ergo est hoc tonitru verborum? quem vulnerat hoc fulmen ineptæ orationis tuæ? Agnosco me totum Aristotelicæ doctrinæ professorem esse; qui probas abiurasse me illius disciplinam? Furentius humores biliosos eructas, meque corruptorem teneræ iuuentutis nominas. Perge vanissima (inquis) amuleta tua, veneficia, carmina, characteres, figuras, aliaque monstrosa prodigia & prodigiosa mõnstra, nigra dæmonum arte confecta laudas. Mendax es non laudo, sed (superstitione sublata) eorum vsum doceo. Da veniam (inquis) Quid petis veniã? non possum (inquis) vanitates istas ferre. Debaccharis; quæ sunt vanitates doce? Cupio, inquis, vt resilias ab hac hæresi. Semper in eodem luto hæres. Quænam est hæresis à qua me dissilire cupis? Lege, inquis, Diuum Augustinum contra Porphyrium. Legi diligenter & inuenio illum dæmonum artes & escas solum in istis condemnare, quas ipse etiam condemno, animoque detestor: teq; vanitatis & inconsiderantiæ accuso, qui aera tanto verborum strepitu sine vlla specie rationis verberasti: præsertim cum alia suscepta persona hæc disputandi causa proponam.*

Opp. *Age, quoniam me nulla specie aut vmbra rationis vsum fuisse ais, senties me armatum esse telis quibus te confodiam; sic ergo disputo. Ars imitatur naturam, ergo natura opus non præstat: argumentum sequitur, quia imitatio est studium efficiendi simile; at simile non est idem: ergo ars non idem facit cum natura.*

Imitatio quid.

Resp.

Resp. *Hoc telum obtusum est, & non configit. Scio equidem artem æmulam esse naturæ, eandemque efficere simile, sed hoc satis est, si illud simile quod efficit sit aliquando reale & physicum, tametsi non sit idem numero quod natura facit. Præterea ea vis est imitationis nõ nunquã, vt non solũ idem specie opus, sed etiam longe melius & excellentius faciat, quam ille potest cuius exemplaria & vestigia imitatur.*

Imitatio quãdoq; perfectior exemplari.

Opp.

Quid respondes Aristoteli, qui in textu hoc discrimen inter effecta artis & naturæ ponit, vt illa (nimirum effecta artis) externam causam, huius vero effecta (nimirum naturæ) internum principium habeant? ars enim extra opus, natura vero in ipsis rei naturalis medullis hæret. Concludo igitur quod ars nunquam possit rem naturalem efficere.

Resp.

Non ludis, nam in hoc argumento cardo quæstionis vertitur: distinguo igitur de arte, quod non omnis ars mechanica hoc præstet opus naturæ, sed illa sola quæ in defectione naturæ vim naturalem habet. Talis est, vt supra docui, medicina, quæ sæpe tabe propemodum exhausto iuueni nouas faculas nouosque spiritus reddit, in quibus nouum oleum vitæ, id est humidum (vt aiunt) radicale fere extinctum renascitur, quod in hyeme senectutis restaurari non potest. Similis est ratio agriculturæ, quæ sæpe rem naturalem facit.

Ars illa quæ rem naturalẽ possit efficere qualis est?

Opp.

Certe non ludam, acrius ergo hoc vulnus ingemino, teque tuo ipsius gladio iugulabo. Ais artem medicam nouos spiritus & vires addere, nonnumquam humidum fere extinctum restaurare. Vide quid dicas, & respondeas mihi, vtrum ars medica hæc faciat, cum omnes spiritus contabuerint, totumque humidum fuerit extinctum: si affirmes, ratio & experientia contrarium docent: nam ars à morte ad vitam, à priuatione ad habitum non potest reuocare: si neges, tum certe concludam non esse hoc opus artis, sed naturæ, quæ aliquantulum declinans artis opera adiuuatur, & non aliter quam flos in semine aut radice reflorescit.

Resp.

Cominus mecum iam pugnas, sed adhuc non vincis; nam etsi concedam non posse artem quicquam naturale efficere, si penitus natura deficiat, quoniam tamen ars hoc ipsum praestet, quod natura declinans vi sua nullo modo potest, a fortiore, ars agens primarium in hoc opere & effectu dici debet. Cum ergo hoc opus iam perfectum sit simpliciter naturale, idemque artis virtute non vi natura deficientis fabrefactum, contrarium tua conclusioni recte inferam, Artem posse rem vere naturalem efficere.

Opp.

Adhuc non cesso, non acquiesco. Si haec sint vera quae dicis, peto quam formam, quem motum rei naturali de nouo artis opera factae ars ipsa indit? restauratis spiritibus non noua forma induitur, sed eadem numero & natura manet. Idipsum de oleo vitae & humido naturali *dico: id enim penitus extinctum nulla artis virtute reuiuiscit; latet ergo scintilla naturalis, malis humoribus veluti cineribus sepulta & oppressa, quae iisdem humoribus aut sublatis aut diminutis, arte medica vires resumit, factaque flamma oleum vitae excitat, auget, nutrit, & conseruat. Hoc opus solius naturae est non artis: somnium ergo est quod nunc de artis virtute in rebus naturalibus efficiẽdis infers. Quicquid hoc loco de* spiritibus & humido naturali *dixerim, id ipsum de omnibus exemplis tuis iam dictum puta: quippe in illis etiam (si probe attendas) natura sola rei vere naturalis causa est, non ars, sit illa Magica aut Chymica, vt somnias.*

Resp.

Non suadeo vt cesses aut acquiescas, donec tibi satisfactum putes. Ad singula ergo respondeo, artem (vt ita dicam) naturalem *seu* mixtam *dare formam & motum naturalem; per artem* naturalem *seu* mixtam *intelligo illam, cuius vis insita & inserta est in re naturali subiecta virtuti sua. Hoc non dico quasi ars (quae est habitus actiuus aut factiuus mẽtis) vt forma aut materia, in re facta maneat: sed quia vis quaedam artis potentior aliquando natura in rem subiectam transeat, qua consopitam naturam saepe excitet, sepultam nonnunquam naturali forma & motus restituat, rem denique mutata specie non semel de nouo faciat. Exempla horum*

rum desiderari non possunt: *si* ægrum medicina curatum, *si* muscam hibernis niuibus attonitam, arte vitali motui restitutam, *si denique* ex pilis equinis serpentem de nouo genitum, *aut* ex flore vnius plantæ aliam alterius speciei arte creatam *spectes. Et certe in hisce omnibus & singulis dicere non debes esse naturæ opus, cum illa penitus deficiat. Est ergo opus artis, quæ in istis omnibus & singulis efficiendis primarium agens dicitur, quo suum esse habet.*

Opp.

Vis ea est natura in omnibus, vt ex simili generetur simile, at hæc vis negatur arti: ars ergo nihil commercii cum natura habet maxime in eo quo per motum res vere naturalis fiat. Monstri enim instar est, vt domus domum, nauis nauem *generet: cæterum si studium rerum naturalium percurras, mirum non est si* homo hominem, leo leonem *gignat; ratio est quia soli naturæ conceditur vis inducendi formam, arti vero tantum conceditur vis quædam artificem docendi modum, quo materiam sibi subiectam tractet.* *Simile simile generat.*

Resp.

Digredi & dissilire videris ab arte quam hoc loco intelligo. Omnem enim artem rem naturalem concipere, & conceptam generare non dico, sed eam solam quæ (vt supra) naturalis *dicitur, eademque non semper & necessario, sed aliquando, cum (scilicet) in agendo aut faciendo non committatur error. Quod vrges, vim generandi simile solummodo naturæ tribui, idipsum tecum affirmo; non tamen sequitur artem non posse rem vere naturalem efficere. Nam hoc axioma de effectu naturæ, non de ipso principio traditur; quippe natura, vt est principium, non habet vim vt aliud sibi simile principium generet. Non ergo requiritur hæc vis in arte, quæ est principium aliquando rei naturalis, sed requiritur in re ipsa naturali iam arte effecta: idque non in omni re naturali arte effecta, sed in ea solum quæ vim actiuam simile generandi habet. Nam vt inter effecta naturæ* cœlum *non* cœlum, lapis *non* lapidem *generat: ita inter opera artis,* domus domum, nauis nauem *non producit: sed arte naturali factus* serpens serpentem *generat.*

Omnis ars rem naturalem non generat, sed sola naturalis eaque tum demum cum non erret.

Simile generare simile quomodo verum sit.

Ars Chymica est aut

- Magica, q̃ dæmonū auxilio freta producit aurum, idemque aut
  - Verum, quod aliunde petit, vt solent necromantici, qui aut in mari immersum, aut in terra defossum in lucem trahunt, quod tamen se confecisse gloriose iactant.
  - Apparēs & adulterinū, idq; bifariam vel per
    1. Deceptionem visus, vt venefici & præstigiatores solent, qui lapidem aliquando apparens aurum efficiunt.
    2. Operationem indoctorum in hac arte, qui inaniter laborantes sæpe tincturam auri & argenti efficiunt, aurum vero ipsum non possunt, quia philosophiam non sapiunt.
- Physica, quæ demonstratur posse aurum verissime efficere
  1. Ab authoritate multorum antiquissimorū fideq; dignissimorum virorū, qui testantur fieri posse, factumq; fuisse.
  2. A consequentia necessaria, quia fieri potest arte vt causæ materiales auri & argenti (nimirum *Sulphur* & *Mercurius*) opportune accommodentur efficientibus causis, quæ nō possunt non producere effectum.
  3. A natura & proprietate ignis, qui calore suo geometrico omnes corruptas fæces & sordes rerum naturalium absumit, quintasq; essentias, partes puriores fouet, alit, & conseruat. Sic tartaro sulphuris consumpto purissimum aurum efficit.
  4. A probabilitate, quia ars æmula naturę res sępe vix minus difficiles factu quam aurū facit, puta *vitrum ex radicib. filicis, salem ex aqua, nitrum ex terra* aliaque multa vi & virtute ignis.
  5. Ab experientia, quia ex *stanno argentum*, ex *orichalco aurum* in parua quātitate quotidie vi ignis elicitur: ratio ergo non est, quin eiusdem virtute ex propria materia vtriusq; vtrūq; fiat.
  6. A dignitate & perfectione artis, quæ recte perfectrix naturæ in minimis non dicitur, si in maximis eandem ad viuum non imitetur.
  7. A difficiliori, quia Lapidem philosophicū fieri nō posse fatendū est, nisi omni antiquitati fidem detrahamus: at Lapis Philosophicus est & factu difficilior, & multo preciosior auro, vt R. Baconus, Agrippa, & alii philosophorū Antesignani docent.
  8. A contrario sensu quia omnis ratio in contrarium adducta facile refutari potest.

Opp. *Verum est illud quod dici solet*, littore disrupto Oceanum in immensa præcipitari flumina, *& certe non minus verum est*, vno absurdo date sequi infinita mendacia: *quid monstri narras? Lapidem philosophicum, aurumque Chymica arte fieri? Sophista es non Philosophus: nam contra te omnes vere philosophi contrarium dicunt. Thomas & Thomistæ, Scotus & Scotistæ, Reales, nominales, prisci & neoterici, omnes & singuli qui fidem & nomen in spaciis philosophorum quærunt: siste ergo pedem manũ de tabula; nam si pergas ignẽ gladio fodere, multos crabrones excitabis.*

Resp. *Iunceis non hastis, verbis non argumentis pugnas. Vt mare infra littora: ita oratio inter limites continetur mea. Mendacia fugio, monstrum non narro; affirmo* Lapidem philosophicum aurumque fieri. *Sophista non sum, Philosophus esse cupio; non mihi omnes fere philosophi contrarium docent; exercitus philosophorum (quos nominas) mecũ configunt. Non ergo sistam pedem, nec manum de tabula: sed pergam ignem gladio fodere, vt te crabronem excitem, aculeosque probationis videam.*

Opp. *Quid ludis? cur fallis homines? si ars Chymica tantæ virtutis sit (vt ais) cur ætatem non nominas in qua ex Chymico fornace aurum profluxit? cur non assignas locum? cur arte factum non ostendis aurum? Scio quid respondeas; aut in artifice, aut in materia, aut in fornace & follibus, aut in flãmis non bene temperatis fuisse erratum.*

Resp. *Ridicule. Non hoc loco quæritur* An vnquam fuerit confectum aurum? *(de quo tamen non dubito quin fuerit) sed An fieri omnino possit? fieri autem posse demonstramus: Multa enim (vt nosti) possunt fieri in rerum natura, quæ actu nunquam fiant. Hinc illa distinctio de propinqua & remota potentia rerum. Quæ addis vana sunt; nam aliter quam tu somnias respondebo.*

Multa possunt fieri in rerum natura quæ nunquam actu fiant.

Opp. *Haly, Guido, Agrippa, Baconus quos nominas, magici fuerunt, & è canone philosophorum dispuncti: puderet ergo philosophum ab illorum authoritate argumentum petere.*

Resp. *Magia est vel physica vel necromantica; priori modo hi magi potius, id est, sapientes, quam magici dicantur: posteriore vero modo, de Lapide philosophico & auro non*

Magia duplex est.

disputarunt: Recte ergo non facis, qui mortuos & defunctos in pace vulneras. Doctissimi viri fuerunt isti, & sapienter de istis miraculis naturæ disceptarunt, ut in hac nostra ætate Lemnius, Cardanus, & alii, quos etiam (si placet) magicos & necromanticos appelles.

Opp. *D. Thomas, 2. sent. dist. 7. q. 3. ar. 1. probat aurum Chymicum nō esse verum, sed plane fucatum & adulterinum: quia forma auri vi caloris ætherei à sole præsertim delapsi, non vi ignis artificialis, quo Chymici utuntur, fiat: Cum ergo causa sit adulterina, nempe ignis artificialis, aurum quod efficitur non potest esse verum. Præterea locus generandi auri est in venis & medullis terræ, quousque solis influentia pertingit: at locus est principium generationis, ut Aristoteles & Porphyrius docent; quippe res qualibet in proprio suo loco generatur & quiescit: Cum ergo aurum Chymicum extra locum naturalem fabricetur, videtur non esse verum.*

Resp. *Diuus Thomas arguit in quæstionem, non definit contrarium. Imo etsi difficile factu aurum chymicum esse putet, rem tamen impossibilem esse non arbitratur, ut constat ex eo Secunda secundæ, quæstione 77. art. 2. & etiam ex Alberto Magno lib. 3. de Mineralibus cap. 9. Respondeo igitur Patri venerando, multa fieri posse vi ignei caloris, quæ vi cœlestis caloris fiant: præsertim cum hi duo calores specie nō distinguantur. Ad illud quod addis de loco, ex eodem Patre dico, probabile id quidem esse, sed non ex omni parte verum: quippe natura non sic destinauit res in propriis locis generari, quin etiam aliquando vi artis, alio modo alibi generentur. Verbi causa:* lapidis *generandi locus naturalis est* centrum terræ, *at aliquando vi solis attracta viscosa materia, in* media regione aeris lapis *generatur. Sic illic* triticum, sanguinem, *aliasque res vere naturales congenitas, dilabi hac nostra ætate vidimus: & tamen nemo philosophorum existimauit illic naturaliter generari.*

Multa fieri possint vi ignei caloris, quæ vi cœlestis caloris fiant.

Lapis in media aeris regione generari potest. Senec lib. 3. nat. quæst. c. 25.

Opp. *Res qualibet excellens (ut ait Ægidius) unam certam & definitam ortus sui causam, modum, & locum habet: ergo aurum plures sui ortus causas, modos, & loca non habet. Antecedens probatur infinitis exemplis, sed unum sit instar omnium* Homo, *opus nobilissimum naturæ unā causam, unū modū, unū locū generationis habet, quæ mutari nō possunt.*

Homo nobilissimum naturæ opus.

Resp.

Resp. *Quamuis aurum inter metalla, ut homo inter animantia excellat, non tamen omni ex parte est similis utriusque ratio: nam in rebus inanimatis quæ minus excellunt, hoc axioma infirmum & defectiuum cernimus. Est enim* ignis elementaris *omnium primus, & tamen non solum in* suprema regione aeris, *sed aliquando etiam in* infima *ex actione alterius ignis, vel ex radiorum* solarium coitu, *vel ex* corporũ attritu, *vel denique arte, ut* vitri reflexu *generatur.*

Aurum inter metalla ut homo inter animalia, & vice versa.

Opp. *Ars non potest principia actiua passiuis sic applicare, ut effectus producatur: ergo ars Chymica non potest aurum progignere. Ratio sequitur, quia si non possit agentia & patientia principia coniungere, cum ex eorum copula & amplexu omnis effectus nascatur, nobile hoc opus naturæ nõ poterit efficere. Antecedens probatur, quia ars est externa causa & extra principia effectaque posita, imo nullum motum, nullam vim, nullam formam imprimit. Hæc enim solius naturæ opera & officia sunt, ut ex Aristotele constat, qui ideo artem* stolidam, segnem, & otiosam *nominat.*

Resp. *Satisfactum est huic argumento superius; iterum tamen refricabo memoriam tuam, & distinguam ut supra, de arte naturali, & intentionali. Neq; hoc mirum videatur tibi, quod artem naturalem appellem; cum tu ipse magiam naturalem, & naturalem philosophiam nomines. Dico igitur artem naturalem licet sit ipsa primario & per se in artifice, vim, motum, & formam in re vi sua effecta imprimere & consignare; idq; non semper violento modo, ut* in proiecto lapide, *in quo vis & motus ad tempus violenter manẽt, sed naturali, quando virtute artis artificisq; sapientia, agentia cũ patientib. ita copulẽtur & cotẽperẽtur, ut natura antea cõsopita, & nõ potis per se quicquã efficere ad cooperandũ cũ arte ab artifice excitetur: quemadmodũ in mutãda specie plantæ per surculum aut florem alterius arboris arte insertũ cõstat.*

Ars duplex naturalis & intentionalis.

Op. *Omnes artes (ut docẽt philos.) magnã lucẽ, vsũ & fructũ in experientia habẽt. quippe experiẽtia est & mater & filia sciẽtiæ: mater quia ab illa incipit, filia quia illã ꝓducit. A singulis enim rebus in sensu aut experientia positis, fluit si ortũ; & ad experientiam redit, si vsum spectes. At quot myriades Chymicorum inaniter spe vacui laborarunt? quamque serotinam pœnitentiã sine vllo effectu aut experientia artũ suæ*

Experientia mater & filia scientiæ.

coemerunt? quod vulnus nominis, laborum, fortunarum suarum proculdubio non accepissent, si ars Chymica meretrix non fuisset, quæ tot tantosque mortales fascinauit.

Resp. *Agnosco in experientia vsum artium potissimum eminere: non tamen artes omnes sunt æque faciles intellectu aut vsu cognitæ: neq; omnino vrget hoc argumentum, quod ideo ars Chymica sit vana, quod aurum Chymicum vbique in omnium thesauros non fluat: satis hoc est si hac arte fieri omnino possit: at posse ratione & argumentis suasimus. Ægre fortasse fers quod in crumenam tuam non fluat, credisq; nullũ omnino vsum artis esse, quia oculis non cernis aurum. Quasi vero non sint hodie permulta cognita quæ maioribus ignota fuerunt, & hodie multa obliuione sepulta quæ olim nota extiterunt. Maiores nostri antiquitus ignorarunt Typographicum prelum, ignorarunt, & feliciter ignorarunt certe tormentarium puluerem, ignorarunt artem ex cineribus conficiendi vitrum, ignorarunt longaui Tabaci fumum. Quid multis? & nos multarum artium vsum ignoramus, quarum illi fructum olim perceperunt. Cur ergo negas quin fieri possit, vt in hac ferrea ætate nos infelices hanc artem conficiendi aurum teneamus, quam fortunati patres maxima ex parte ignorarunt. Occultauit enim Deus mortalibus diu hoc mysterium, vt diutius salutis suæ mysteria studerent, quod auro Chymico fumoque suffocatus facile contemnit. Hæc scripsi (vt vides) non quod hanc auri sacram famem, siticulosam aut famelicam sitim aurum conficiendi probem, sed vt intelligas, arte & ingenio id fieri posse, quod experientia factum olim fuisse non negauit.*

Typographicũ prelum, tormẽtarium puluerem, & artem conficiendi vitrum ignorarunt antiqui.

CAPVT II.

Vtrum { *Mathematicæ ideæ seu formæ abstractæ sint simpliciter intentiones animi?*
Intellectus abstrahentis ideas sit fallax?
Astrologia, Musica, & Perspectiua, scientiæ sint simpliciter Mathematicæ? }

IActo nunc fundamento in definitione naturæ ne error in tractatione rerum naturalium sequatur, discrimen multiplex

multiplex inter Physicum & Mathematicum, (qui globos naturæ vertunt) opportune & prudẽter docet. Quamuis ergo, vt hic ait Philosophus, tam Physicus quam Mathematicus eadem contemplentur subiecta, (verbi causa) *lineas, extremitates, corpora*, eodem tamen modo vtrique non considerant. Mathematicus enim hæc omnia sine motu, physicus vero motui aliisque accidentibus subiecta considerat. Iterum Mathematicus formas à rebus abstrahit, abstractas definit, definitas ad vsum scientiæ accommodat, at physicus formas cum materia coniungit accidentia, vires, & proprietates in subiecta materia perpendit, ad motum omnia effecta naturæ refert. Præterea Mathematicæ formæ ideæ sunt, & intentiones quædam mentis: at formæ physicæ cohærẽt cum rebus quarum sunt formæ, neque ab illis auelli aut separari possunt. Postremo Mathematicus & Physicus in fine differunt, cum ille per operationem mentis ad solam abstractionem formæ, hic per motum rerum ad contemplationem primi motoris primæque causæ tendat. Ratio illa de mediis Mathematicis, nimirũ Astrologia, Musica, & Optica sciẽtia, (quæ ad motum, numerũ, visum referuntur) non est omittenda: nam hæ (teste Philosopho) sciẽtiæ sunt mediæ, id est, partim physicæ, partim Mathematicæ, & à simpliciter Mathematicis differunt: ergo multo magis Physica & Mathematica scientia, quæ simpliciter sic sunt & absolute differunt.

Mathematicus qui differat à Physico.

Lib. 1. Metap. cap. 10.

Mathematica media qua. lib. 1. Metaph. c. 10.

Hinc in textu dilabitur Philosophus ad aliam partem capitis, in qua probat, physici officium esse vtramque partem naturæ, id est, materiam & formam persequi & tractare. Argumentis quattuor vtitur, quorum primum sic se habet. 1. Omnes artes quæ rei naturalis considerationem suscipiunt, materiam simul ac formam persequuntur, vt in *medicina* & *agricultura* constat: ergo & Physica in re naturali perscrutanda materiam iuxta ac formam persequi debebit. Alterũ 2. argumentum est, quod artificis periti sit & materiam & finẽ suæ artis considerare: ergo physici est vna cũ materia formã definire: quia forma finis internus & perfectio rei naturalis dicitur. Tertium argumentum à comparatione mecha- 3 nicarum scientiarum cum physica petitur, hoc modo. In mechanicis artibus materia & forma proponuntur: ergo

Physici officiũ est tractare materiam & formam.

Forma finis & perfectio.

etiam in naturali philosophia, quam hæ artes plerúmque imitantur. In hoc tamē differunt, quod ars mechanica materiā præparet physica vero eādē præparetā inueniat. Cæterū hic obserua, quasdā esse artes quę tātū materiā parā; quasdā, quæ materiā paratam forma exornant, quasdam deniq; quæ materiam paratam & vestitam in vsum trahunt. Vltimum argumentum sic concludit, materia & forma sunt relata: ergo à physico simul tra . ari & demonstrari debent.

Artes mechanica imitatrices sunt natura Philos.

Artiū mechanic. differētia. 4.

Quæstio. 1.

Hactenus de textu; primam nunc aggrediar quęstionem, quæ est, *An mathematica ideæ sint simpliciter intentiones animi?* Lis magna est inter Platonē & Aristotelem de ideis, sæpeque eorum interpretes in varias sententias distrahuntur. Hinc Reales (vt ita loquar) philosophi nullas omnino Ideas, Nominales vero omnes admittunt. Sed media via est, eademque inuentu facilis. Distinguo igitur Ideas alias res seu reales, alias intentiones seu intentionales esse: Idearum realium vna prima & infinita est, quā diuinus Plato Deum, quam Aristot. primum motorem primamue causam nominat: aliæ vero reales Ideæ sunt finitæ, eædemque vel primi ordinis, vt spiritus nullis corporum vinculis impediti, quos *intelligentias*, & incórporeas substātias Arist. appellat, vel secundi ordinis vt *anima humana*, eiusdemque incorporeæ partes, quæ sub mole corporis pressæ & sepultæ aliquantulum obscurantur. Hæ omnes Ideæ res aut reales sunt (vt vides) eædemq; in essentia sua diuinæ & excellentes Ideæ sunt, quia sunt formæ sola mente conceptæ actus puri & simplices (vt aiunt) per se & vi sua subsistentes, de istis metaphysicus solus agit: & idcirco non ineptæ Ideæ metaphysicæ nominentur; quippe is solus has formas à rebus diuinis abstrahit, ipsasq; res diuinas (à quib. facta est abstractio) theorico intellectu comprehendit. O vim miram intellectus! O mentem diuinam hominis, quæ essentia pressa & finita, impressam Ideam infinitæ causæ ipsamq; causam infinitam percipit! Luce naturæ hoc cernit Philosophus, fide credit Christianus: sed (o nos miseros!) sic vbique viuitur, ac si non esset Deus cui crederetur. Pergo, Ideæ aliæ sunt alterius generis, quæ intentiones, seu intentionales vocantur: & harum aliæ sunt simplices, aliæ complexæ: simplices rerum simplicium, complexæ propositionum conceptus mentis opera

Ideæ Reales. Intentionales.

Idea metaphysica.

Ideæ intentionales sunt Simplices, Complexæ.

opera abstracti dicuntur. De complexis Ideis & intentionibus propositionum non est huius instituti dicere: simplices solum rerum conceptus formasque abstractas doceo. Hæ vero sunt aut primæ intentionis seu abstractionis, quales sunt conceptus rerum simplicium naturalium: vel secundæ intentionis seu abstractionis, quales sunt voces aut nomina illa, quæ secundo loco & ordine imponebantur rebus, vt *genus, species, differentia*, aliæque voces artis. Iterum vt ad viuum tandem pertingam, illæ ideæ seu formę simplices rerum sunt bipartitæ, vel sic in mente positæ vt cum rebus vnde abstrahuntur necessario cohæreant, & hoc modo physicæ ideæ: vel sic in mente positæ, vt in ea sola tanquam in subiecto suo conquiescant, & hoc modo Mathematicæ dicuntur. Physicus enim & Mathematicus (vt docet Philosophus in textu,) ideas & formas abstrahunt: sed ille cum relatione ad rem subiectam & motum, hic vero sine relatione, quippe in sola mente ideas abstractas tenet. Exempli gratia, physicus (mentis opera vsus) formam cœli abstrahit, abstractā in mente ita reponit, repositam in mēte discutit: sed ita abstrahit, ita reponit & discutit, vt ipsum cœlū cœliq; motū semper ad ipsam referat. Mathematicus vero nō sic suos numeros, figuras, globos & sonos concipit: quippe non respicit vtrum res vlla subiecta ideis & phantasmatibus animi respondeat; sin autem respondeat, non est proprium suæ artis eandem contemplari: proprium enim Mathematicæ artis est, ideas abstractas intimis animi obtutibus offerre, easdemque inter se vi mentis intuentis comparare. Hic tamen obseruandum est, Mathematicas artes in textu à Philosopho distingui, in Mathematicas simpliciter, & in Mathematicas ex parte: simpliciter Mathematicæ sunt vt Arithmetica & Geometria, quę præter abstractas formas & ideas nihil considerant: ex parte vero Mathematicæ sunt, vt Astrologia, Musica & Optica, quæ præter formas & ideas, motum, sonum, & visum spectant. Ex his iam tandem manifeste constat, ideas vere Mathematicas, esse simplices intentiones animi; non primas illas rerum metaphysicarum, in vllo genere aut modo, non illas rerum naturalium, non illas terminorum simplicium, aut propositionum dialecticarum, sed has postremo in loco tractatas,

Intentio duplex, prima, secunda.

Ideæ simplices Physica, Metaphysica.

Artes Mathematicæ simpliciter quadam, ex parte alia.

Ideæ mathematicæ sunt simpliciter intentiones.

quæ recte phantasmata mentis definiantur esse, non sine vsu artis: has dico simpliciter esse intentiones animi, pri-
1. mum, quia sunt in solo animo sine relatione vt superius do-
2. cui: tum quia rebus sæpe non omnino subsistentibus, ab animo non otiose finguntur: vt exemplares ideæ nauis, aut
3. domus, antequam domus aut nauis fiant. Insuper quoniam hæ ideæ verissimam essentiam idearum induunt, remque nullam per se & vi sua subiectam habent. Nam etsi aliquando ad vsum humani generis applicantur: hæc tamen applicatio non est Mathematicæ, sed plerumque mechanicæ, aut alterius artis proprium, vt cum domus aut pyramides ædificentur, iuxta earum formas in animo Geometræ prius fictas & conceptas quam res tales omnino extiterunt. Postremo nominis ratio hoc verissimum esse indicat quod doceo: quia
4. intentio animi proprie ea est, quam mens sola aut imaginatio arte directa fingit. Hinc ens rationis non rei dicitur: rationis, quoniam imaginatio in hoc opere non est vaga, non est futilis, non otiosa, sed rationis legibus adstricta: non fingens monstra, (vt frequenter in somno sensibus occlusis solet) sed ad nutum rationis ea formans quæ vsum habere possunt, si a potentia animi ad actum & opus deducantur.

Intentio animi quid.

Sequitur nunc alia quæstio, quæ recte adiunctum, (seu vt veteres loquuntur) corollarium alterius dici potest, *Vtrum intellectus abstrahentis ideas sit fallax?* Quid moror? fallax non est, nam vt natura nō est ideo habenda meretrix aut mendax, quia aliquando entia apparentia fingit, quales sunt *colores Iridis, halo, puteus, hiatus*, aliæque imagines & ideæ quæ cernuntur in nubibus: ita intellectus Mathematici nō est habēdus fallax, qui tales formas & idola à phantasia arte (vt ita dicam) regulata abstrahit. Quippe vt natura nō nisi radiis solis veluti directa illas formas apparentes facit: ita imaginatio Mathematici non nisi radiis mētis illustrata suas ideas format. Postremo vt est arcanus abditusq; vsus entium apparentium in natura, sicut *Iridis, halonis*, qui sunt *Mercurii* nunciiq; serenitatis aut tempestatis futuræ: ita mens docti & sapientis Mathematici, in suis ideis confictis multa artis mysteria tenet: sicut in regulis Arithmeticis de fractionibus numerorum, & in præceptis Astrologiæ de prædictionibus rerum futurarum constat. Quid plura? ita Philosophus hisce

Quæstio 2. Abstrahentium non est mendacium, huius c. text. 18.

Phantasia arte regulata.

hisce artibus delectatur, vt ex illis solum in præclaro & insigni opere demonstrationum omnia & singula exempla probationis petat. Vnde hoc vnum colligo & concludo, non esse fallacem aut falsum intellectum Mathematici abstrahentis ideas: nam si esset, tum certæ veræ ex illis demonstrationes non eminerēt: quippe ex falsis nil nisi falsum. Verus ergo est intellectus, vereque sunt ideæ, quia ab illis veræ demonstrationes fluunt. Nam verissimum est illud quod dici solet, *ex veris nil nisi verum concludi posse*. Præterea quoniā aliæ artes ex istis ideis Mathematicis abstractis singularem vsum petunt: vt *architectura* quæ Geometriam, vt *mercatura* quæ Arithmeticam, vt *agricultura*, quæ Astrologiam in multis obseruat & imitatur: certū est non esse tantarum veritatum mendax principium, id est, non esse intellectum Mathematici vanum, vnde tam certum, tam verum, tam indubitatum artifices fructum colligunt. Quid vrgeo exempla? Apelles, Zeuxis, Polycletus, Archimedes, quam famam posteris suarum artium & operum reliquissent, si intellectus Mathematici, exemplares ideas & proportiones docentis, penitus errasset? Chaldæos, Ægyptios, totumque mundum veterem appello ante diluuium: si rogauero vt ex historiis pyramidas aut pyramidum reliquias demonstrent, auditu mirabilia dicent: & credimus certe fuisse vera, quia verissimæ ideæ à Mathematicis tum fictæ eorum omnium extiterunt causæ. Si à minori vim his argumentis addere velis, sic arguas. Sensus non fallitur in obseruandis & distinguēdis suis obiectis, quæ sunt tamē abstractæ formæ: multo ergo minus intellectus Mathematici ratione instructus fallitur. Non ergo est fallax, non est falsus, non est inanis & otiosus animus Mathematici, qui tales formas & ideas fingit.

Non est fallax intellectus Mathematici abstrahētis ideas. Cic lib. 2. de Diuin.

Lib. 2 de An. cap. 6 lib de sens. & sensa. cap. 4.

Vltima huius capitis quæstio est; *Vtrum Astrologia. Musica, Perspectiua sint simpliciter Mathematica?* Simpliciter Mathematicas esse hoc loco negat Arist. magis tamen Mathematicas esse concludit quam naturales. Distinguendum ergo est, esse scientias proprie & exquisite Mathematicas, nempe Arithmeticam & Geometriam: esse vero & alias quæ medium locum tenent inter exquisite Mathematicam sciētiam & Physicam, seu naturalē, quales sunt Astrologia, Mu-

Quæstio 3. Astrologia, Musica, Perspectiua, non sunt simpliciter mathematica. mathemtica tamen potius quam naturales.

sica, & Perspectiua scientia, quæ superius nominãtur. Quod hæ scientiæ sint magis mathematicæ, suadeo ab enumeratione artium, ab opinione doctorum, à ratione subiecti,
1. medii, finis, à comparatione, & similitudine. Ab enumeratione artium, quia distinctione facta omnium scientiarum, hæ inter Mathem. ab omnib. enumerãtur. Ab opinione doctorũ, qui easdẽ inter math. mathematice tractarunt; quorũ
2. iudicio detrahere, est antiquitati & veritati derogare. A ratione subiecti, quia si per se considerẽtur hæ scientiæ, earum
3. subiecta sunt potius abstractæ formæ in mente quam in motu positæ. Nam quamuis Perspectiuus lineas existentes consideret vt sub aspectum cadunt, & Musicus numeros in sono, & Astrologus motus in cœlo: linearum tamen, numerorum, & motuum conceptus & phantasmata animo Mathematici impressa, sunt veriora magisque propria subiecta istarum artium, quam res in quibus motum & vsum habẽt. Potest enim esse Musicus quamuis non canat, potest esse Astrologus, quamuis cœlum oculis non cernat; nam satis est huic & illi, si animis subiecta suarum artium apprehendant, vt inde regulas, demonstrationes, conclusiones veras & necessarias efficiant. A ratione medii, quia media harum artiũ per media Geometriæ & Arithmeticæ (quæ scientiæ sunt in-
4. dubitanter mathematicæ) demonstrantur: at demonstrationes & scientiæ eo pertinent vnde media accipiunt, præsertim cum media sint formalia scientiarum principia. A ratione finis, quia finis harum trium proprius non est actio,

Arithmetica Geometria perfecta artes mathematica.


5. aut opus: sed idearum conceptarum sola inspectio aut demonstratio, vnde modus operandi nascitur: qui operandi modus potius ad aliam practicam scientiam, quam ad mathematicum intellectum spectat. A comparatione seu similitudine; quia vt dialectica scientia potius intentionalis, (vt aiunt) quam realis dicitur (quamuis entia rei in prædicamentis tractet:) ita Astrologia Musica & Optica sciẽtia, magis mathematicæ dici debent, licet aliquando physicam, & naturalem rerum considerationem proponant. Ratio est, quia vt dialectica proprie ens rationis respicit: ita hæ artes in animi conceptis ideis primo & per se versantur. Concludo igitur Astrologiam, Musicam, & Perspectiuam, mathematicas esse potius scientias quam physicas & naturales. Vsum

Dialectica scientia intentionalis.

tamen

tamen harum non nego, in motu, voce, aut sensu positum, si ad praxim manu artificis recte instructi perducantur. Sed vt gemma est pretiosa, vt aurum optimum metallorũ, quãtumuis in venis & medullis terræ delitescant sepulta, quæ effossa meliorem vsum habent: ita ideæ quamuis in altis mathematici intellectus recessibus reconditæ sint, propria tamen & insignia harum scientiarũ habentur subiecta, licet in actũ perducta digniorẽ fructum fortasse sortiantur.

Distinctio prima quæstionis. Vtrum ideæ seu formæ Mathematicæ sint simpliciter intentiones animi?



AA Intentionales, & hæ sunt aut

1 Complexæ, quales sunt *abstracti conceptus propositionum, & syllogismorum*, qui in mente positi hominem doctum & sapientem efficiunt. Intentiones hæ sunt entia rationis, quia res non sunt, & quia suum esse in solo intellectu habent. Sed de istis hoc in loco non disseritur, neque de illis in prima parte distinctionis.

2 Simplices, & harum aliæ sunt aut

1 Primæ intentionis seu abstractionis, & hæ sunt bipartitæ

1 Vel physicæ, quæ sic à rebus abstrahuntur vt cum illis necessario cohæreant. Quippe sic in animo concipiuntur, vt ad motum referantur.

2 Mathematicæ, quæ non à rebus semper, sed ab ipsa phantasia per mentem abstrahuntur, in qua sine relatione aut cohærentia rerum manent. Sic antequam *domus*, aut *nauis*, aut *pyramis* fiant, formæ seu ideæ *domus*, *nauis*, & *pyramidis* animo concipiuntur. Et hæ formæ seu ideæ verissime mathematicæ, nec non simpliciter intentiones dicuntur: vt antea in discursu accuratius & distinctius probatur.

2 Secundæ intentionis, quales sunt *voces artis*: quę vulgo *Nomina secundæ impositionis* dicuntur, vt *genus*, *species*, *differentia*, *proprium*, *accidens*.

Opp.

Aristoteles in textu nullam Idearum mentionem facit: ergo inanis & otiosa est ista de illis quæstio. Quorsum est illa pars distinctionis de ideis rerum metaphysicarum?

Resp.

Resp.

Quamuis (vt aiunt) explicite mentionem non faciat, implicite tamen facit, cum in consideratione formarum, discrimen inter physicum & mathematicum illud esse aperte doceat: vt ille naturales formas cohærentes cum rebus, hic vero formas abstractas à rebus menteque sola positas considerare dicatur. Ad tuum (Quorsum) *respondeo: illam partem distinctionis plurimum ad institutum valere: tum vt ipsa idea metaphysice melius intelligantur, tum etiam quia opposita pars diuisionis recte percipi non potest sine alterius oppositi cognitione iuxta illud, opposita iuxta se posita melius cognoscũtur, & iterum, oppositorum eadem est scientia.* Lib.8.Phys.c.1.

Opp.

Alia tradita est distinctio formarum abstractarũ, diuersa ab ista quam tu hic infers: ergo minus accurate à te distinguitur. Antecedens probatur, quia generatim formæ sunt vel primæ abstractionis, vt color in oculo: *vel vltimæ abstractionis, vt* coloreitas in animo, *si ita loqui liceat: loqui autem sic licet. quoniam* Orator *suum* Lentulum, *suamque* Lentulitatem *nominat.*

Resp.

Illa distinctio non est aliena à nostra, quippe in ea analogice comprehenditur: nam siue Ideæ sint primæ, siue vltimæ abstractionis, ad eas reducuntur, quæ ideæ simplices rerum simplicium nominantur.

Opp.

Omnes Ideæ sunt intentiones: ergo inanis est hæc distinctio, in qua aliæ intentionales, aliæ reales definiuntur esse: Antecedens cõstat, quia Idea definitur forma abstracta, in animo solo posita, quæ sic definita ens rationis non res, intentio rei non res ipsa dicitur.

Resp.

Vera hæc non est ideæ definitio à qua argumentum petis: quippe non solum separata rerum forma, sed etiam ipsa incorporea & separata substantia ideæ sæpissime à philosophis dicuntur, hinc (vt supra,) à Platone Deus prima Idea, ab Aristotele prima forma & causa dicitur. Deus prima Idea.

Opp.

Spiritus ipsi non sunt in animo sed spirituum conceptus.

Opp. *Numerus & magnitudo sunt subiecta speciesque Arithmetices & Geometriæ: sed numerus & magnitudo sũt res, non intentiones: ergo species mathematicæ non sunt simpliciter intentiones. Præterea animus ipse est numerus, vt in Metaphysicis docet Philosophus: est enim numerus numerãs, at animus non est intentio.*

Resp. *Numerus & magnitudo considerantur bifariam, aut physice, & sic res sunt in quantitate, rebusq; insunt, & si non insint non sunt omnino: quia* accidentium esse, est inesse: *aut mathematice, & sic species seu intẽtiones dicũtur solo animo conceptæ: Vel (si magis placeat) respondendum est: non numerum & magnitudinem, sed vtriusque species quæ sunt intentiones, esse subiecta istarum artium. Ad illud (quod addis) de numero numerante, respondeo animam numerãtem dici metaphysice quia est principium & causa numerandi.* *Numerus & magnitudo dupliciter sumũtur.*

Opp. *Sunt quædam mathematicæ scientiæ quæ res ipsas substantias tractant, vt Astrologia* cœlum, *sed substantiæ res sunt non intentiones: ergo mathematica illa non sunt simpliciter intentiones.*

Resp. *Vetus illud est, nimirum* id esse subiectum Mathematico, ꝙ est prædicatum physico: *nam Mathematicis accidentia (quæ enunciantur de subiecto physico) tanquã propria subiecta artium mathematicarum habentur. Exempli causa* corpus naturale *est subiectum Physices*, numerus, magnitudo *sũt prædicata eiusdẽ: hæc vero prædicata seu attributa Physices sunt quidem subiecta Mathematices: sed hæc obiter. Ad argumentum tuum sic nũc respondeo, nullas mathematicas scientias exquisite & absolute sic existentes, respicere substantiam: Astrologia vero & Musica in textu mediæ scientiæ inter mathematicam & physicã scientiã dicuntur.*

Opp. *Ideæ Mathematicæ non sunt omnino formæ abstractæ: ergo male sic definiuntur esse. Ant. prob. quia cum res omnino non sint, tales formæ finguntur: vt in animo Geometræ* idea dom⁹ *inest, antequã dom⁹ in rerũ natura appareat.*

Resp. *Abstractio mathematica est duplex, vel communis à rebus, vel propria à phantasia: satis est ergo si formæ mathematica ab imaginatione, arte directa, & regulata vi mentis petantur: nam sic exquisite & simpliciter intentiones sunt, & haberi debent.* *Abstractio mathematica, Cõmunis, Propria.*

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum intellectus abstrahentis mathematicas formas sit fallax?

Intellect° secundum facultates & officia distinguitur in

- Practicum seu agentem, qui est vel
  - Simplex, idemq; capax & discursiuus simplicium
    - Rerū.
    - Intētionum.
  - Compositus, capax & discursiuus
    - Propositionū.
    - Syllogismorū.
- Theoricum seu speculatiuū, qui species tantum animo conceptas percipit, easdemque abstractas vel à rebus ipsis, vel à phantasia, aliisque inferioribus potentiis animi intuetur: & hic intellectus fallax aut falsus non est, vt probatur
  1. A simili, quia vt natura nō fallit nec fallitur, cum in rorida nube *arcum* seu *iridem* suspendit varicolorem, quamuis in ea colores nō sint: ita hic intellectus nō est habendus falsus, qui tales formas in phantasia fictas ad vsum trahit.
  2. Ab vsu & opere aliarū artium, quę res veras efficiunt per istas ideas exemplares animo conceptas: quæ si essent falsæ aut fallaces, verissimorum operum causę esse non potuissent.
  3. Ab exemplis optimorum artificum operantium per istas ideas pręclara & excellentia in rebus effecta. Sic Archytas *columbam*, sic *Veneris statuam* quasi vitalem Dędalus, sic Archimedes *cœlum* quasi mobile fabricauit.
  4. A necessario, quia ab illis ideis animo cōceptis, optimæ demōstrationes, conclusiones & sciētię oriuntur: non ergo fallitur intellectus qui ratione directus has ipsas fingit.
  5. A probabili, quia intellectus mathematici est omnium acutissimus: verisimile est ergo quod non sit mendax.
  6. A minore, quia sensus non fallitur circa propria obiecta, ergo multo minus intellectus.

Opp.

Opp.

Fallax & falsus est intellectus qui aliter rē percipit quam est: sed intellectus mathematici abstrahētis ideas aliter rem percipit quam est: ergo intellectus mathematici abstrahentis ideas est fallax. Maior est Arist. quia veritas & falsitas intellectus & propositionis à re depēdent: minor probatur, quia mathematicæ formæ seu species ab imaginatione nō à re decerpta sunt, & sine relatione ad rem in animo solum abstracta manent. Lib. 3. Phys. c. 8 tex. 71.

Resp. *Parum attendis. nam siue intellectus à re siue à phantasia ideas abstrahat, verus tamen semper est: nam si à re directè abstrahat, aliter se res non habet ac imago rē animo repræsentet. Si vero à phantasia eximat, verus etiam est, quia secundum rationem & sciētiam easdem eximit, indeq́; veras & firmas demonstrationes infert. Cum ergo dicas veritatem intellectus & propositionis a veritate & falsitate rei pendere: agnosco hoc verum esse, si nomen rei generatim sumas: nam sic ipsa phantasia à qua abstrahuntur species res dici potest, ipsaque species quæ abstrahuntur, quamuis in animo solo sine relatione ad rem extrinsecus subiectam aut obiectam hæreant.*

Opp. *Intellectus percipit non ens: ergo est fallax. Antecedens probatur, quia mathematica idea est non ens: quia est neque substantia neque accidens. Argumentum tenet, quia de non ente nō est scientia nec demonstratio, & ex consequēti intellectus non potest esse verus qui illud concipit.* Lib. 1. Post. c. 2.

Resp.

Idea mathematica non ens reale est, sed ens intellectuale dicitur: estque accidens, quod phantasiam inchoatam, intellectum perfectum subiectum habeat. Cum ergo doceat Arist. de non ente non esse scientiam, intelligit non ens simpliciter & omnino, aut (si velis) de non ente non esse realem scientiam.

Opp. *Nihil est in intellectu quod prius nō fuerit in sensu: ergo intellectus Mathematici à sola phātasia suas formas nō abstrahit, sed potius à rebus pulsantibus sensum, per quē veluti per fenestram omnes species ad intellectū intromittuntur. Necesse est ergo vt sit falsus & fallax intellectus qui sine hoc ordine ideas concipit.*

Distinctio tertiæ quæstionis, Vtrum Astrologia, Musica & Perspectiua scientia, sint simpliciter Mathematicæ?

Mathematicæ scientiæ sunt vel

- Exquisite tales, quæ formas simpliciter abstractas animoque repositas tractant: vt *Geometria* & *Arithmetica*.
- Comparate & ex parte tales, quæ & res & species rerũ contemplantur: vt *Astrologia*, *Musica*, & *Optica* sciẽtia, quæ inter vere mathematicas sciẽtias & naturales, mediæ analogice dicuntur. Analogice (dico) quia eas videẽ magis esse mathematicas hic probat philosophus, quã physicas.
  1. Ab enumeratione artiũ, inter quas illę prædictæ vt mathematicæ recensentur.
  2. Ab opinione veterum, qui illas vt mathematicas tractarunt.
  3. A ratione subiecti, quia illarũ subiecta sunt ideæ, vt reliquarum, si proprie considerentur.
  4. A ratione medii, quia non minus certæ demonstrationes ab illis ducuntur quam ab exquisite mathematicis.
  5. A ratione finis, quæ est idearum (quas tractant) exquisita inspectio cognitioque: & in hoc solum à ceteris sunt distinctæ, quod hæ sæpius ad vsum & motum referantur.
  6. A comparatione, quia vt dialecticæ potius intentionalis scientia dicitur, tametsi res etiam consideret: ita *Musica* & *Astrologia* magis mathematicæ dici possunt quam naturales, licet res naturales earumque motum spectent.

Opp.

Mathematica scientia solam quãtitatem tractat: sed Astrologia substantiam: ergo Astrologia non est mathematica. Minor ex Aristotele docetur, vbi ostendit Astrologiam vertere globos cœli, eiusdemque motus, aspectus, & influentias demonstrare. *Lib. 12. Met. cap. 8.*

Astrologus cœli motus & aspectus, non corpus considerat.

Resp. *Naturam cœli non discutit Astrologus vt est corpus, sed illius motus & aspectus quidē considerat: quoniam vero magis animo hac comprehendat per species, quam definiat per motus, recte magis mathematica quam physica scientia dicitur.*

Opp. *Hæ scientiæ, scilicet* Musica, Astrologia, Optica, *eundem gradum abstractionis omnino habent cum Naturali philosophia: ergo magis videntur naturales quam mathematicæ. Antecedens probatur, quia à rebus ipsis immediate suas formas abstrahunt, vt naturales philosophi solent. Exempli causa,* Musicus *immediate à* sono, Astrologus *immediate à* motu, Opticus *immediate ab* oculo, *seu* radio oculari *suas formas colligit: sic* Physicus *immediate à* cœlo, *à* leone, *alijsque rebus sibi subiectis suas ideas petit.*

Resp.

Abstractio harum & naturalis philosophiæ valde similis.

Discrimen non est tantum in abstractione, sed etiam in tractatione rerum. Abstractio quidem similis est harum scientiarum cum naturali philosophia, sed tractatio valde diuersa: Quippe naturalis Philosophus has species abstractas semper ad naturam & motum refert, Mathematicus autem inde demonstrationes intellectuales, & axiomata vniuersalia mente sola percepta colligit

Opp.

Musica, Astrologia, & perspectiua *scientia à naturali philosophia pendent: ab illa ergo potius nomen habent, quam ab alijs quibus nihil acceptum ferunt. Antecedens patet, quia subiecta harum scientiarum res naturales sunt. Exempli causa:* cœlum *est subiectum* Astrologiæ, numerus sonorus, *est obiectum* Musices, Oculus *est subiectum* Opticæ *artis: at* cœlum, numerus sonorus, oculus, *sunt quidem res: ergo hæ scientiæ sunt magis naturales.*

Resp. *Remote quidem hæ scientiæ à physica seu naturali philosophia pendent, proxime vero ab animo seu intellectu, in quo vt in proprio subiecto insunt. Est enim intellectus & principium à quo fluunt, & subiectum in quo insunt non solū istæ scientiæ, sed etiam earū species circa quas versantur: magis ergo mathematicæ quam physicæ dici debent. Quod addis de* cœlo, numero, oculo, *subiectis harum trium scientiarum, nihil est: cum non probes illa ab his naturaliter tractari.*

ctari. Eadem enim possunt esse subiecta nomine diuersarum artium, sed non eadem tractandi ratio.

Opp. *Aristoteles in hoc cap. nominatim* Astrologiã, Musicam & Opticam *magis naturales appellat: ergo minus apposite defendis in quæstione, has esse magis mathematicas.* Tex. 20.

Resp.

Parum attendis, nõ dicit esse magis naturales quam mathematicas: sed comparatione facta ad Arithmeticã & Geometriã, (*quæ sunt exquisite mathematicæ scientiæ*) *docet esse magis naturales. Quasi diceret:* Astrologia & Musica *quæ motum* cœli & soni *spectant, sunt magis physicæ quam* Arithmetica & Geometria, *quæ simpliciter intentiones & species animo comprehensas docent.*

Opp. *Si* Musica, Astrologia, & Optica, *scientiæ sint mediæ* physicæ & *exquisitè* mathematicæ *scientiæ erunt cõtraria, eademque extrema: at Arist. in Eth. affines & cognatas omnes scientias esse concludit. Præterea si sint media, erunt media vel participationis vel abnegationis: at omnes scientiæ sunt distincta species vnius generis, quæ (vt docet Porphyrius) confundi aut commisceri non possunt.*

Resp. *Hæc omnia quæ dicis vera sunt in rebus aduersis, de quibus in Postprædicamentis & Topicis agit Arist. hæ vero scientiæ dicuntur mediæ rationis & respectus, non participationis aut negationis (vt ais:) quippe habita ratione nominis, magis huius quam illius nomen subire possunt. De loco ex Porphyrio in Communitatibus & differentiis prædicabilium adducto, respondeo, illum intelligi de formis absolute, essentialiter, & simpliciter distinctis, non de aduẽtitiis, quales scientiæ sunt.*

CAPVT III.

Vtrum
1. *Ad perfectam scientiam rerum necessario habenda sit cognitio omnium causarum?*
2. *Sit necessaria subordinatio causarum vsque ad primam & vltimam?*
3. *Causa naturalis necessario operetur effectum?*
4. *Causa finalis vllum esse reale habeat?*
5. *Exemplar sit causa, eademque potius formalis quam efficiens?*

se quatuor causarum genera concludit.

Sed nunc ad quæstiones discutiendas venio, quarũ prima est, *Vtrum ad perfectam scientiam rerum necessario sit habenda cognitio omnium causarum?* Quam cæca sit sapientia humana, & quam densis tenebris velisque obuoluta, ex hac vna quæstione de causis ad perfectam scientiam requisitis facile patebit, si recte discutiatur. Sed quis sum qui de causis loquar, quas sapientissimus Socrates ignorauit? Imo ignorarunt quidem sapientissimi viri causas, & tamen inde nomen sapientiæ iure vendicarunt, quod causas non ignorarint. Recõcilientur hæc duo, si supinam & simplicem ignorantiam distinguas: illam sapientes oderunt semper, hãc veluti labem naturę delentes industria, causarum docti euaserunt. Causarum docti (inquam) non quod cuiusque rei insitas & essentiales causas viderint, sed quoniam ex affectibus & proprietatibus, sine istiusmodi causis, res tales coalescere & constare non posse liquido obseruarunt. Nam vt planta in radice viuit, quamuis radicem altius in terra sepultã non videas: ita effectus in causa eminet, tametsi causam manifeste non cernas. Et vt florente visaque planta cognoscis necessario subesse talem radicem quæ talem plantam alat: ita cognitio effectus, necesse est vt intelligas talem fuisse causam, quæ talem effectum pariat. Sic ignota causa in se, nota est ex effectu: & quamuis in essentia sua plerunque ignoretur, in existentia tamẽ rerum quæ ab illa pendent intelligitur. Recte ergo concludi potest, quod ignota causa ignoretur effectus, imo potius quod ignotis omnibus causis ignorentur effectus, quamuis omnis nostra cognitio ex antecedenti cognitione, sensuumque plerunque obiectis, per fenestras veluti patentes in mentem immissis nascatur. Quid multis? Rerum scientia est duplex, vel perfecta vel imperfecta: ad illam causarũ cognitio necessario requiritur. Cognitio (inquã) nõ præcognitio, scientia nõ præscientia, nisi mẽtis intentionẽ intelligas, quæ sæpe immunis & libera à causis primis cognitionẽ incipit. Aquila. n. sic est, & radios solares penetrat. Quod omniũ causarũ cognitio ad pfectam rei scientiã requiratur, primũ sic pbo, ab enumeratiõe causarũ. Quia ad perfectã cognitionẽ rei requiritur vt intelligas ex quo res constet, tum vnde nomen & distinctionem habeat;

Quæst. 1.

Ignorantia duplex, supina, naturalis.

Ignota causa in se nota est ex effectu.

Lib. 1. Post. c. 14 & li. 3 de Ani. c. 8. & Cic. lib 1. Tusc. Quæst.

Scientia duplex.

Ad perfectam scientiã omniũ causarũ cognitio requiritur.

hinc vnde motum ſuſcipiat, poſtremo ad quem vſum deſti-
2 netur. Præterea cum idem ſit & eſſendi & ſciendi modus, & cum eſſe rei ſit vel eſſentiæ in materia & forma, vel exiſtentiæ in efficiente & fine, ſequitur hoc ipſum rem ſcire, cauſa-
3 rum omnium cognitionem vendicare. Deinceps quoniam plena & accurata rei cognitio ſit tā à priori per cauſas, quam à poſteriori per effecta naturæ & diſciplinæ ordine, conſtat à poſteriori non poſſe rem demonſtrari, niſi efficiens cauſa, cauſaque finalis intelligantur: quippe in illis vis tota exiſtē-
4 tię vertitur. Huc addo ab exemplo hoc vnum argumentum, & quæro an perfecte ſcias quid ſit homo? Philoſophus es & reſpondebis te ſcire. Cōcludo ergo te ſcire illius materiam, corpus ſcilicet ex quo conſtat, animam per quam diſtinguitur, motricem facultatem à qua mouetur, beatitudi-
5 nem ad quam naſcitur. Poſtremo ſic eſt in natura vt eſt in arte, ſed ad cognitionem rei artificialis requiritur omnium cauſarum cognitio: ergo ad cognitionem rei naturalis requiritur omnium cauſarum cognitio. Maior propoſitio cō-ſtat, quia ars imitatur & perficit naturam: minor probatur exemplis infinitis rerum artificialium, quæ ex cognitione materiæ, formæ, efficientis & finis cognoſcuntur. Vt nummus qui ex ære materia, ex figura Cæſaris forma conſtat, qui per efficientem cauſam, nempe artificem & inſculptorem formæ fit, & ad menſuram rerum commutandarum (non ad vſuram) tanquam ad proprium vſum & finem deſtinatur.

Quæſt. 2. Cauſarum ordo. Altera quæſtio eſt, *An ſit ſubordinatio cauſarū vſq; ad primā & vltimā cauſam omniū?* Ordo mirabilis rerum omniū eſt, maxime vero cauſarum: quippe aliæ aliis ita ſubiiciuntur, vt aliæ aliis videantur præeſſe. Eſt enim ſcala cauſarum, in qua ſunt fere infiniti gradus: nam infinitum principium ſeu cauſa cauſarum in primo gradu ſedet. Non poſſum eſſe multus. Subordinatio cauſarū hoc loco nihil aliud eſt quam ordo ſeu diſpoſitio, qua demonſtratur neceſſaria connexio relatioque cauſarum inter ſe, & dependentia (vt ita loquar) effectorum ab illis. Hæc ſubordinatio eſt duplex, vel directe ſecundum ſub & ſupra (vt cum ab infinitis cauſis per medias ad primas, veluti per rectas lineas fiat progreſſio) vel à latere, vt aiunt, cum ſe mutuo intuentur cauſæ, & à ſe inuicem

Cauſarum ſubordinatio, quid? & Quotuplex.

inuicem dependent, non tamen ſemper tam neceſſario ac illæ quæ directo ordine cohærent & ſequuntur. Quippe in illis neceſſitas abſoluta, in his neceſſitas (vt aiunt) conditionata eſſendi & cauſandi ineſt. Imo in his, præter neceſſitatem hypotheticam & conditionalem, ſæpe dignitatem, ordinem, aut alium reſpectum conſideramus: in illis, præter eſſendi neceſſitatem nihil. Adeſdum ſi vis eſſe fœlix, rerum cognoſcito cauſas, ordinemque cauſarum diſcito. Mentis hic acies intendenda eſt: nam ſapientum adhuc nemo cauſas vmquam niſi ſub velo & nube viderit: ſed vt per pulſum medicus cordis & arteriarum motum nouit, quamuis cor ipſum & arterias oculis nō viderit: ita philoſophus per indaginem rationis, cauſarum ordinem, neceſſitatem, & dignitatem intelligat, quantumuis earum occultas eſſentias per ſe non cernat. Nam vt viſa imagine impreſſa in cera, aut in auro inſculpta, ſtatim cognoſcis fuiſſe ſigillum, inſtrumentum, artificem, quamuis fortaſſe hæc ipſa nō videas: ita cum in effectis naturæ has vel illas proprietates aut differentias obſerues, concludas protinus has vel illas cauſas fuiſſe, quas nunc ſub pallio naturæ in ipſis effectis cernis. Pulchrum erit ac delectabile, ſi de hoc vno exemplo inſtar omniū mecum pauliſper cogites & mediteris. Videmus globum terræ immenſæ magnitudinis & pōderis in aere æquis quaſi lancibus immotum pendere, circumfluentem aquam, aeremque & ignem circumuolantem cernimus: altius aſcēdimus ad globos & choros cœli, quos ab ortu ad occaſum, ab occaſu iterum ad ortum, à meridie in ſeptentrionem, & ex aduerſo, per dies, per menſes, per annos, per ſęcula volui & cieri credimus. Temporum hinc mutationes, generationes rerum, viciſſitudines omnium in inferiori hoc circulo & theatro mundi obſeruamus. Penitius & articulatius deinceps hæc omnia comtemplamur. Et quærimus cauſam cur terra tanti ponderis ſic quaſi in medio pendeat, phyſicam cauſam ſub velo naturæ reddimus, quia eſt centrum mundi: metaphyſicam agnoſcimus, quia eſt ſcabellum Dei. Similiter de fluxu aquæ & humiditatis, de aeris motu & raritatis, de ſitu ignis & leuitatis, de curſu cœli & rotunditatis multa ſæpe quærimus, & non ceſſamus donec ex proprietatibus & accidentibus ad veras cauſas in penetralibus naturæ latētes per-

Neceſſitas duplex.

Terra cur quieſcat in medio pendula.

appetere formam, nec forma per se & vi sua perficere materiam possit, nisi vtręque efficienti alicui causæ subsint, quæ vim & virtutem mouendi vtramque ad aliquid efficiendum habeat. Hæc vero causa (vt supra docui) est actiua potentia naturæ, si physice: est potentia Dei, si Methaphysice ordinem & dispositionem causarum consideres. Nec huc *finem* excludo, si intentionem naturæ in essendo perpēdas: quippe actiua hæc potentia naturalis mouendi materiam & formā, ab intuitu quasi finis excitatur. Sic *materia formæ, forma efficienti causa* (nempe potentiæ naturæ,) *potentia naturæ Deo*, hæc omnia subordinantur *fini*, qui primū pulsum & motum in intentione facit. Nam quamuis Deus liberrimum Agens sit, & non alligetur fini, in ordine tamen & connexione causarum finem secundum prouidentiam singulis rebus efficiendis proponit: cuius vi cæteræ causæ ad vires suas exercendas secundum intentionem naturæ excitantur. Secundū intentionē naturæ (dico) quia natura in omni effectu intēdit finem, & propter finem intentū agit. Hinc constat esse quidem subordinationem causarum, vsque ad primam & vltimam causam omnium, si per primam Deum, & vltimā cuiusque rei propriam formam aut finem intelligas.

Tertia quęstio iā sequitur, q̄ est *Vtrum naturalis causa necessario operetur effectū?* Vt est subordinatio & cōnexio causarū: ita est q̄dam cōditio, vt hoc vel illo modo affectæ necessario ꝓducant effectū. Est. n. natura in suis causis potēs, efficax, & inuicta, qa nūquā frustra agit: & quāuis in particulari aliquando næuū patiatur, in vniuersali tamen nō errat: quia nō temere, nō casu, sed essentialiter & necessario agit. Vt est natura causarū naturaliū prima: ita sunt aliæ causæ quæ gnomonē, digitū, motumq; naturę è vestigio sequātur. Illa semper agit, & in essendo non fallitur: hæ igitur perpetuo agūt & necessario earū actionē sequuntur effecta. Vetus est axioma illud: *Posita causa sequitur effectus*: hoc si intelligas de causa *in motu ad effectū*, verū est, aliter fallax & incertū: qppe posita causa in potētia: nō semper & necessario effectus seqtur. Exēpli gratia, si sit *farina* nō est sēper *panis*, si sit *pannus* nō est sēper *vestis*: at si actu subiiciatur *ignis aquæ, aqua incalescet* necessario: hæc. n cōnexio & cōsecutio essētię est, & ꝓinde necessaria. Apposite hoc ipsū ꝓbat definitio causę, q̄

Quæst. 3.

Libr. 1. de Cæl. tex. 32. & Plut. lib. 3. Symp.

1

Li. 2. Phys c. 8. tex. 78. Posita causa in motu ad effectum, sequitur effectus.

Causa quid. definitur, *id cuius vi necessario elicitur effectus.* Hoc etiã cõ-
Causa & effectus relatiua. firmat relatio causæ ad effectum; sunt enim secundum esse relatiua, quorum natura est vt mutuo se ponant necessario. Deinceps hoc vrget intentio naturæ, quæ penitus frustrabitur si caussa necessario non operetur effectum. Hoc iterum, concludit ratio naturalis fati, quod postea definit Philosophus nihil aliud esse quam *necessarium & ineuitabilem nexum causarum cum effectis.* Hoc denique demonstrat in-
Fatum quid.
Cautiones in hac quæst. ductio omnium causarum, in qua materia, forma, efficiens, finis, & nulla non denique causa per se in actu & motu posita, suum effectum tanquam imaginem sui nobis in speculo repræsentat. Vnam vel alteram hoc loco cautionem adhibeo: primam nimirum vt causa sit in actu, secundam vt sit in motu, tertiam vt impetu contrarii non impediatur, quartam vt omnia recte disponantur in effectu. Propter defectũ primæ cautionis non sequitur, *Eclipsis solis futura est: ergo*
Motus denominatio a termino ad quem. *sol obscuratur.* Propter defectum secundæ non recte cohæret, *Semen est, ergo planta:* quia *semen* potest esse, tametsi nõ
Lib. 5. Phys. c. 1. sit in motu ad *plantam*: veruntamen si sit in motu ad *plantam*, ratio bene cohæret, quantumuis *planta* adhuc non sit: motus enim semper est denominandus à termino ad quem tendit, terminus autem ad quem tendit *semen* in hoc motu, *planta* est. Quid multis? propter defectionem tertiæ cautionis non recte concluditur, *Bene docet sapiens: ergo sapientes facit.* Ratio est, quia fieri potest vt auditores sint *stulti*: & non capaces sapientiæ, propter defectum quartę nõ est firma hæc consecutio, *Calor est: ergo visio*: quia fieri potest vt organum videndi, & media non bene disposita visum impediant.

Quæst. 4. De quarta quæstione quæ est, *Vtrum causa finalis vllum esse reale habeat?* pauca his adiungam, cum solum in hoc capite de causis agatur, & quid sit causa in genere, & quid in
Causa quid. specie breuiter demonstrabo. Est ergo causa *ens primum per se, cuius vi elicitur effectus. Ens* dicitur, rei non rationis: ens *primum* dicitur, respectu effectus, qui suam causam sequitur: *per se* additur, quia ab effectu non dependet: per *vim* in hac definitione potentia actiua in motu ad effectum, non passiua intelligitur: quia per illam potentiam se mouet causa, non mouetur. Causa sic definita diuiditur in internam &

exter-

externam. Interna iterum diuisa est in materiā & formam: externa vero in efficientem & finem. Materia hic vt in priore libro definitur *principium primum physicum cuiusque rei naturalis, ex quo per se res constat, & in quod tandem resoluitur*. Forma est principium quoque physicum, *quod materia perfectionem, rei composita nomen & esse distinctum & completum tribuit*. Sed attende quod forma informās, non forma assistens hoc loco definiatur. Caussa efficiens est *principium extra essentiam rei cuius est caussa, extrinsecus rem primum mouens* vt quidam definiunt: vel est (vt verbo definias,) externum principium motus, vt natura internum dicitur. Finalis caussa est *primum principiū intentionem caussa efficientis mouens*. Vel est *cuius gratia aliquid fit*, & *ad quod veluti ad quietis portum refertur*. De hac caussa iam quæritur, *Vtrum in se vllum esse physicum & reale habeat?* Non possum assentiri Scoto & aliquibus aliis illius fautoribus in hac quæstione, qui pertinaciter dicunt, finalem causam habere metaphoricum solum esse, non physicum & naturale. Nam siue finem rei factæ intelligas, quem veluti amicum agens diligit: siue finem rei intentæ & faciendæ, ad quē efficiens in agendo tendit: certum est rem quodammodo esse, esseque physicum aliqua ex parte vendicare. De fine rei factæ non est quod dubites, quippe est ipsa rei factę perfectio, vt *bonum naturale* vna cum re cohærens, vt forma naturalis quæ finis dicitur. Sed hic labor, hoc opus est, vt probemus rei intentæ seu faciendæ finalem caussam realem esse; per rem intentam seu faciendam, ens *in fieri* (vt aiunt) id est, rem inchoatam in motu, non perfectam in forma & statu intelligo. Huius quoque causa finalis non est simpliciter nō ens, aut intentio (vt ait Scotus.) Nam si sic esset, doceat quomodo excitaret efficientem caussam ad agendum & producendum effectum: quippe non ens nihil mouet, & intentio solū caussam effectricem intelligentem mouet: at omnis caussa efficiens in rerum natura non est intellectus, aut aliquid rationis capax (*Sol*. n. est caussa efficiens generationis) si ergo proprium sit finalis caussæ mouere efficientē caussam ad opus naturæ; probabile est finalē caussam simpliciter nō esse non ens aut intentionale aliquid, nisi finē ad solū intellectū aut rē aliam capacem rationis velis reducere. Præterea cum

Causa interna externa.
Materia quid.
Forma quid.
Forma informans, assistens.
Caussa efficiens quid.
Finalis causa.
Finis rei facta.
Finis rei intētā

esse rerum sit vel in actu per formā, vel in potentia per motū, quo natura ad rem intentā tendit: non video quin finem adhuc actu non existentē, physicā & realē dicā. Nā etsi actu non existat, subsistit tamen in propinqua potentia, in qua realē naturam habet. Nam vt *embryo* in vtero sepultus *homo* dicitur, non quod simpliciter sit in actu *homo*, sed quia potentia actiua naturæ non quiescit donec ad hominis formā venerit: ita finalis causa, adhuc in occulto naturæ quasi amplexu latens, realis dicitur, non ꝙ actu & simpliciter res perfecta sit, sed ꝙ natura quæ fine suo non priuatur ad eundē vergit. Et vt *homo* sic inchoate consideratus recte *non ens* aut mera intentio dici non potest: ita quidē finalis causa in proxima potentia eminens & emergēs, recte nihil, aut metaphorica vmbra & intentio appellari non debet. Deinceps arcanū naturæ consiliū hoc est, vt omnia & singula esse reale habeant in suis principiis, suisque etiam mediis: si ergo consideretur finis vel vt effectus in natura quæ est principium, vel vt causa mouens in potentia naturæ quæ est medium, negari non potest quin esse aliqua ex parte reale habeat. Porro quā absurdū hoc est, & in spaciis philosophorum inauditū, dicere finē omnino non ens esse, vmbram esse, nihil esse, solam metaphorā & intentionē esse? Imo vsurpatum & vulgare potius illud est, *finē ens esse, bonū esse, aliquid reale esse, primamq; rē in intentione, non intentionem esse*. Insuper finalis causa in obiectis mentis est ens intentionale, ꝙ per species intellectum mouet: ergo finalis causa in naturalibus rebus non potest non realis esse. Ratio sequitur, quia contrariorū contraria est natura. Huc addo, quod necessitas in operationibus naturæ magis dependeat a finali causa, quā ab alia vlla: quia nisi finis moueret efficientē causam, vt disponeret materiam ad formam, nullum opus naturale fieret. Consonū ergo rationi est, finalē causam aliquid realē in se habere: nā aliter entia magis à non ente quam ab ente dependerent. Postremo cum omnium philosophorum cōsensu Deus sit vltimus finis omnium, in quo oēs omnium rerum essentiæ vniantur: concludam finem rem esse optimam, siue primum (qui est Deus) siue proximum (qui est vniuscuiusque rei bonum & perfectio) consideres.

Embryo qui homo.

Causa finalis qui realis.

Finis primus in intentione, sed non ipsa nuda intentio.

Lib. 2. de Gen. & cor. c. 10. Huius lib. c. 9.

Quæstio 5.

Vltima quæstio est *Vtrum exemplar sit omnino causa? & si sit*

si sit, Vtrum sit magis formalis quam efficiens causa? Quanquam parũ aut nihil de ideis disserat philosophus, quoniam tamen hoc loco exẽplaris caussæ (quæ nihil aliud est q̃ idea) mentionem facit: arrepta occasione discutietur quid sit, & quomodo inter verissimas caussas annumeretur. Idea (vt D. Thomas definit,) est forma quã aliquid imitatur ex intẽtione agentis, & finẽ determinantis sibi. Est *forma*. i. nõ forma assistens vt *intelligentia*, nec forma informans vt *anima*, sed forma (vt ita loquar) designans modũ rei faciendæ. Hãc omnis artifex animo cõprehendit, priusquã ad opus se accingat, hanc cõprehensam in opere cõcinnãdo imitatur, hãc in imitando ad viuũ exprimit, sensibusq; quodãmodo externis offert. Nunc cũ quid sit exẽplar definitũ habeas, quale sit paucis accipe. Est quidẽ species in mente posita, eademq; potius intrinsecus cõcepta, q̃ extrinsecus obiecta mẽti. i. magis formalis q̃ obiectiua (vt aiunt.) Hanc opinionem ex hypothesi, & ex absurditate probo. Ex hypothesi, nã hoc dato, ꝙ exẽplaris causa sit solum species obiecta, necesse est vt res prius sint q̃ istæ species abstractæ animo concipiãtur: sed huic cõtrarium manifestũ est, cũ omnis artifex in opere producẽdo præconceptas species imitetur, easdemq; in opere facto exprimat delineatas. Ab absurditate hoc ipsum sic etiã probo. Si exemplaris caussa sit idea solum obiecta menti, quam in efficientiũ opere efficiẽs caussa imitatur, tum (quo nihil absurdius est, prima caussa. i. Deus à creatis rationem operandi sumeret, nec per se ad agendum sibi sufficeret (quippe necesse est secundum hanc opinionem, vt species exemplares quas efficiens caussa imitando sequitur, à rebus ipsis abstrahantur) at Deus nullis exemplaribus caussis, nullisque formis indiget vt crearet omnia, cum ipse sit prima caussa primaque forma omniũ. Sed breuitatis memor curro. Restat vt quomodo sit caussa, & ad quam speciẽ caussarum spectet breuiter dicamus. Exemplar quidẽ caussa est, quia actu mouet artificem vt concinnet & perficiat opus, ꝙ neque ars ipsa nec species nuda, sed speciei formalis cõceptus efficit: speciei formalis cõceptus (inquã) qui est simpliciter idea illa, de qua hoc loco distincte loquimur. Hoc n. conceptu mẽs mẽti loquitur, spiritus spiritib. arcana loquuntur: loquũtur (inquã) spiritus per ideas, quia sunt ideæ. Sed digredior: hoc exem-

Idea quid.

Idea forma designans modũ rei faciendæ.

Idea caussa est.

plar caussa est intẽtionis, caussa actionis, caussa operis, caussa imitationis, perfectionis caussa. Mẽtem.n.instruit ad motum, ad opus, ad exemplum, ad finẽ. Omitto verba doceoq; caussam esse, non solum quia omne opus artis ab illa depẽdeat, sed quia omne opus etiam naturæ in se illam quodam modo vt caussam cõtineat Est.n.in re qualibet naturali impressum sigillum Dei, quod speciem seu ideam quandam relinquit insculptã, cuius motu & instinctu omnia naturæ effecta officia sua libenter præstant, & velociter ad bonũ transcendens & diuinum tẽdunt. Hoc quod dico plane insinuat philosophus, cum nescius quomodo forma accedat ad materiam, diuinum quiddam illam appellet, imo cũ de forma humana agat, coactus est aperte dicere, *eam diuinitus dari*. Quid multis? has ideas in re qualibet ostendunt externæ species & formæ rerum, quarũ infinita varietas diuinitatem intus latere arguit. Ostendit etiam conatus rerum, quæ semper vi sua ad summam perfectionem tendunt: vnde ęgre ferunt tricas omnes & impedimenta quo minus optatũ hunc finem consequantur. A Platonis Tripode & oraculis hoc loco non arguo. infinitus essem si arguerem. Idea est caussa in Deo rei ũ, quia Deus ipse est idea: falleris ergo sponte (Aristoteles) cum fallaciter vrgeas præceptorem tuum, quasi diceret in mente diuina ideas speciesque varias latere, per quas veluti per exemplares imagines & idola mũdum finxerit & crearit. Non sic dixit Plato, sed hoc dixit & sensit, ideas diuinas esse effectrices rerum caussas: non quod sint exemplares imagines quas sibi proponat Deus vt imitetur, sed quia Deus ipse est idea prima, in qua omnes rerum omnium ideæ continentur. Et quid (quæso) tibi vis philosophorum princeps, cum in Metaphysicis tu ipse doceas, nõ esse accidens in Deo, omnesque rerum omnium essentias vniri in Deo? nonne idipsum loqueris? Idem certe loqueris, idemque intelligis, ipsamq; veritatem defendis: nã Theologi in hoc sensu ideas principes & primarias caussas rerum esse defendunt. Restat vt ad quam speciem caussæ pertineat verbo ostendam. Alii ad efficiẽtem causam, alii ad formalem magis spectare aiunt. Probabilis est in vtramq; partem ratio: firmior tamẽ eorũ disputatio, qui magis ad formalẽ quam ad efficientem trahant. Primum quia ipsa etymologia nominis formam signifi-

Idea causa multiplex.

In re qualibet naturali sigillũ Dei insculptũ.

Deus idea prima.

Aristoteles male reprehendit Platonem de ideis differentẽ. Li. 1. Eth. c. 6. & passim Plat. in Tim. & Phædone.

ſignificat: eſt enim idea forma. Tum quoniam rationem formæ induit, in diſtinctione rerũ: quot enim ſunt vel præconceptæ ſpecies, vel exemplares conceptus in animo artificis efformati, tot formæ in operibus arte iam factis apparebunt diſtinctæ. Prӕterea formæ realis notio (quam oculis cernere omnino non licet) per internam animo conceptam ideam & formam cernitur: magis ergo ad formam quã ad efficientem accedit. Non eſt minimi momenti authoritas Dionyſii de Diuinis nominib⁹, Boetii, Procli, qui ideas nũc formas ſine materia, nunc formas archetypas, nunc formales cauſſas nominant; efficientes vero aut raro aut nũquam: quamuis res eadem diuerſo reſpectu, & forma, & efficiẽs dici poteſt. Vt anima eſt forma hominis & efficiens cauſſa operis vel artis. Nam vt vnius & eiuſdem effectus plures per ſe poſſunt eſſe cauſſę; ita vni eidemque nonnunquam cauſſę plurium cauſſarum nomen, vim, & rationem ſubire conuenit. Hoc dico, quia exiſtimo non penitus abſurdam eorũ opinionem, qui ideas aliquando inter effectrices cauſas connumerãt: magis tamen eſſe formales concludo propter rationes quas nunc attulimus.

Cap 5. libr 1 de Trini. Res eadẽ diuerſo reſpectu eſſe poteſt & forma, & efficiens.

Quid ſupereſt? Oceanus certe multarum de Cauſſis quęſtionũ, quas multi Interpretes audito nomine *cauſſæ* apud Ariſt cerebroſe, non ex textu mouent, vt *An omnis cauſſa ſit nobilior effectu? An cauſſalitas ſeu cauſſandi ratio ſit relatio vel res qua determinatur cauſſa? An ſingulæ cauſſæ cauſſalitates vendicent? An cauſſæ cauſſis poſſint eſſe effectus? An Deus omnes cauſſas & cauſſalitates in ſuo eſſe conſeruet? An Deus cum ſecundis cauſſis ad quamlibet earum actionem eliciendam concurrat? An Deus prima motione cauſſas ſecundas ad agẽdum excitet? An aliquid fiat quod diuina põtẽtia fieri nõ poſſit?* Hæc omnia (inquam) & his ſimilia permulta lubens hic tranſeo, vel quoniam non appoſite & directe ex textu mouentur, vel quia ab aliis diſcutiuntur ad viuum, vel quia eorum aliquot ad Metaphyſicos, & Theologos potius quam ad phyſicos & naturales philoſophos pertinẽt; vel denique quia poſthac (ſi opportuna mihi ex textu alibi detur occaſio) vberius tractabuntur. Sed (vt cõcludam omnia) diligenter (ſtudioſe lector) aduertas, in toto ordine entium vnũ duntaxat eſſe cuius ſimpliciter nulla eſt cauſſa, ſed ipſum

Quæſtiones variæ mouẽtur ab interpretib. de cauſis.

Deus cauſſa prima.

est causa aliorum omniũ. Hoc Arist. ens primum, primam caussam, primum motorem, primam essentiam, ideam primam, mouens immobile, æternum, bonum incommutabile, verum, ipsumque Deum appellat. Cum de causis nunc ex philosophorum subselliis disputo, illorum subtilitatibus posthabitis, hanc sempiternam caussam solum esse & fuisse credo: à qua alia omnia principia & effecta post *non esse* inceperunt *esse*. Hæc caussa, vel Deus potius, cum sit summum bonum, & solum essentialiter bonum, dum nihil præter seipsum esset, vt bonitatem suam aliis communicaret diffunderetque latius, in *initio temporis* omnem creauit *rem*, & ex nihilo produxit *spiritus formasque simplices*, quas perpetuitate & immortalitate dotauit, vt ipsum laudarent. Creauit etiam molem quandam, vi sua rudem & informem, vt esset omnium producendorum commune subiectum & principium. Hanc *materiam* (sic enim appello) à se creatam in superiorem & inferiorem diuisit: illam raram & nudam, ab omni impetu peregrinarum impressionum immunem: hanc illius respectu densam, omnique mutationi obnoxiam fecit. In materia siquidem superiore formas perpetuas, orbesque distinctos produxit: *quos duobus luminibus magnis, sole & luna* aliisq; variarum magnitudinum innumeris stellis ornatos constituit: & ideo sic constituit, vt essent *in signa, & tempora, dies, & annos*, suoque motu, lumine, & influentia hæc inferiora regerent. In inferiore materia, primum simplicia corpora, *ignem, aquam, aerem*, & *terram* finxit, suis ornamentis decorauit. Ignem reliquit simplicem propter locum, motum, essentiam, quæ vitales spiritus viuentium non ferunt: aerem vero *volatilibus*, aquam *piscibus*, terram *plantis, aliisque animatis & inanimatis* impleuit: in quorum singulis veluti *semen & virtutem* reliquit, vt *sibi similia procrearent*. Post hæc omnia *corpus humanum ex limo terræ finxit, & spiritum immortalẽ* (*à se ex nihilo creatum*) *illi infudit* O nobile & diuinum opus Dei, cui globos cœli, omniumque operum, quæ fecit in seruitutẽ dedit. Sed ô ingratum animal! cur nõ agnoscis caussam creationis, dignitatis, fœlicitatis tuæ? Cur alias caussas ex philosophia humana sapientia quæris? O vtinam tamen crederes philosophiç, quæ tẽ docet (si illam audires) omnia quæ sunt, fuerunt, aut

erunt,

Creationis ordo.

Materia duplex.

Psal. 136 5. 9.

Gen. 1. 14.

Ignis cur simplex.

Gen. 2.

erunt, à Deo, vt à prima causa dependere, omnia in illo esse, omnia sine illo in nihilum commutari. Est enim caussa efficiens, vniuersalis, & (vt cum philosopho loquar) indepēdens omnium, quia finxit omnia; est caussa formalis omnium, quia formis à se creatis distinxit & ornauit omnia: est caussa exemplaris omnium, quia sigillo suo quasi impresso consignauit omnia: est denique caussa finalis, quia ad eum solum referuntur omnia. Hoc dico non quod existimem non esse secundas caussas, quas modo definiui, sed vt Deo soli, primæ caussæ omnium, iustas laudes persoluam, qui caussas secundas & effecta in vsum hominis ingrati dedit.

Distinctio primæ quæstionis. Vtrum ad perfectam scientiam rerum necessario habenda sit cognitio omnium caussarum?

Scientia perfecta duplex est, vel

- 1 Essentiæ solum, & sic non requiritur omnium caussarum cognitio ad perfectam scientiam rerum: quippe satis est materiam & formam scire, ex quibus definitio (in qua recte intelligitur essentia) constat.
- 2 Essentiæ & existentiæ simul, & sic ad perfectā sciētiam requiritur nō solum cognitio materiæ & formæ, sed etiam aliarum caussarum & proprietatū, vt accurata demōstratiō
  - 1 Ab imbecillitate intellectus humani, qui in corpore sepultus causas primas rerū nō percipit, nisi per proprietates & accidētia quæ propi⁹ ad sens⁹ accedunt, vnde plerunque nostra cognitio ortum originemque trahit.
  - 2 A natura demonstrationis perfectę, quæ est accuratæ sciētiæ caussa: quippe in illa nō solum requiritur definitio vt medium, sed etiam subiectum eiusdem medii, adeoq; extrema, quæ sunt proprietates quę de eodē medio demonstrantur. Vnde constat, nō solum partes definitionis (quę sunt causę à priori) sed etiam proprietates & accidentia necessaria (quæ sunt caussæ a posteriori) ad perfectam scientiam requiri.
  - 3 Ab enumeratione caussarum: quia nisi quis respondere possit ad interrogata de singulis causis, rem perfecte scire nō dicitur. Vt ex qua materia res fiat, per quā formā subsistat, à qua efficiente moueatur, ad quem finem destinetur.

Huius capitis sunt quatuor partes.

QVatuor sunt partes huius capitis, in quarum prima Arist. cur de causis agendum sit ostendit, in secunda causarum adiuncta & consequenti declaratia, n tertia causarum distinctiones tradit, in quarta ex præcedentibus quædam axiomata obseruatu digna colligit, infert, & concludit. Ratio cur hic agatur de causis est, quia hæc scientia physica est tota in indagine & contemplatione naturæ posita: at naturam in se & effectis suis accurate sine causarum cognitiōe nemo scire potest: est ergo necessario agēdum de causis. Causarum adiuncta in textu assignantur tria,
1 primum quod res quælibet naturalis ex variis causis constet,
2 secundum quod res aliæ aliis vicissim causæ esse possint, vt *medicina* est efficiens causa *sanitatis*, & *sanitas* itidem est finalis causa *medicinæ*,
3 tertium quod res vna eademq; sit aliquando contrariorum effectuum causa, vt *sol indurationis in luto, & mollitudinis in cera*. In tertia parte capitis, adhibentur speciatim causarū distinctiones, quæ maxime ad efficientes causas videntur referri: harum prima est quod causarum aliq sint generales, communes, seu remotæ, qualis *artifex* generaliter sumptus causa *domus* aut *vestis* dicitur: aliæ speciales, propriæ, & proximæ: sic architectus proxima causa domus, sutor proxima causa vestis nominatur. Secunda causarum distinctio est, q aliæ sint per se & vi sua, vt materia, forma: aliæ per accidens, vt efficiens, finis. Tertia est quod aliæ sint actu, quæ in operando vna cum effectis existant: aliæ potestate, quæ veluti intendāt futurum opus, vt Geometer, qui animo prius ideam exemplarem pyramidis fingit quā opus perficiat. Quarta denique est, quod causarum aliæ sint antecedentes, vt architectus qui præcedit domum, aliæ cōiunctæ, vt phlegma putrescens cum quotidiana febre, cum ardēte vero biliosus sanguis. Ex hisce iam positis & discussis hæc enunciata colligit Philosophus, nimirum in vnoquoq; genere causarum vnam primam esse: iterū meliores & perfectiores esse causas absolutas quam respectiuas, generales quam indiuiduas. internas quam aduentitias, actu subsistentes quā emergentes facultate. Et hęc summa textus est, si illud solum addas q prima parte huius capitis cōtinetur, vt quod omnis causa sit vel interna vel externa, illam philosophus in materiā & formam, hanc in efficientem & finem diuidit, solumque esse qua-

Causarum diuisio.

ſe quatuor cauſarum genera concludit.

Sed nunc ad quæſtiones diſcutiendas venio, quarũ prima eſt, *Vtrum ad perfectam ſcientiam rerum neceſſario ſit habenda cognitio omnium cauſarum?* Quam cæca ſit ſapientia humana, & quam denſis tenebris veliſque obuoluta, ex hac vna quæſtione de cauſis ad perfectam ſcientiam requiſitis facile patebit, ſi rectè diſcutiatur. Sed quis ſum qui de cauſis loquar, quas ſapientiſſimus Socrates ignorauit? Imo ignorarunt quidem ſapientiſſimi viri cauſas, & tamen inde nomen ſapientiæ iure vendicarunt, quod cauſas non ignorarint. Recõciliantur hæc duo, ſi ſupinam & ſimplicem ignorantiam diſtinguas: illam ſapientes oderunt ſemper, hãc veluti labem naturę delentes induſtria, cauſarum docti euaſerunt. Cauſarum docti (inquam) non quod cuiuſque rei inſitas & eſſentiales cauſas viderint, ſed quoniam ex affectibus & proprietatibus, ſine iſtiuſmodi cauſis, res tales coaleſcere & conſtare non poſſe liquido obſeruarunt. Nam vt planta in radice viuit, quamuis radicem altius in terra ſepultã non videas: ita effectus in cauſa eminet, tametſi cauſam manifeſte non cernas. Et vt florente viſaque planta cognoſcis neceſſario ſubeſſe talem radicem quæ talem plantam alat: ita cognitio effectus, neceſſe eſt vt intelligas talem fuiſſe cauſam, quæ talem effectum pariat. Sic ignota cauſa in ſe, nota eſt ex effectu: & quamuis in eſſentia ſua plerunque ignoretur, in exiſtentia tamẽ rerum quæ ab illa pendent intelligitur. Rectè ergo concludi poteſt, quod ignota cauſa ignoretur effectus, imo potius quod ignotis omnibus cauſis ignorentur effectus, quamuis omnis noſtra cognitio ex antecedenti cognitione, ſenſuumque plerunque obiectis, per feneſtras veluti patentes in mentem immiſſis naſcatur. Quid multis? Rerum ſcientia eſt duplex, vel perfecta vel imperfecta: ad illam cauſarũ cognitio neceſſario requiritur. Cognitio (inquã) nõ præcognitio, ſcientia nõ præſcientia, niſi mẽtis intentionẽ intelligas, quæ ſæpe immunis & libera à cauſis primis cognitionẽ incipit. Aquila. n. ſic eſt, & radios ſolares penetrat. Quod omniũ cauſarũ cognitio ad ꝑfectam rei ſcientiã requiratur, primũ ſic ꝓbo, ab enumeratiõe cauſarũ. Quia ad perfectã cognitionẽ rei requiritur vt intelligas ex quo res conſtet, tum vnde nomen & diſtinctionem habeat;

Quæſt. 1.

Ignorantia duplex, ſupina, naturam.

Ignota cauſa in ſe nota eſt ex effectu.

Lib. 1. Poſt. c. 14 & li. 3 de Ani. c. 8. & Cic. lib 1. Tuſc. Quæſt.

Scientia duplex.

Ad perfectam ſcientiã omniũ cauſarũ cognitio requiritur.

hinc vnde motum ſuſcipiat, poſtremo ad quem vſum deſtinetur.
2 Præterea cum idem ſit & eſſendi & ſciendi modus, & cum eſſe rei ſit vel eſſentiæ in materia & forma, vel exiſtentiæ in efficiente & fine, ſequitur hoc ipſum rem ſcire, cauſarum omnium cognitionem vendicare.
3 Deinceps quoniam plena & accurata rei cognitio ſit tā à priori per cauſas, quam à poſteriori per effecta naturæ & diſciplinæ ordine, conſtat à poſteriori non poſſe rem demonſtrari, niſi efficiens cauſa, cauſáque finalis intelligantur: quippe in illis vis tota exiſtētię vertitur.
4 Huc addo ab exemplo hoc vnum argumentum, & quæro an perfecte ſcias quid ſit homo? Philoſophus es & reſpondebis te ſcire. Cōcludo ergo te ſcire illius materiam, corpus ſcilicet ex quo conſtat, animam per quám diſtinguitur, motricem facultatem à qua mouetur, beatitudinem ad quam naſcitur.
5 Poſtremo ſic eſt in natura vt eſt in arte, ſed ad cognitionem rei artificialis requiritur omnium cauſarum cognitio: ergo ad cognitionem rei naturalis requiritur omnium cauſarum cognitio. Maior propoſitio cōſtat, quia ars imitatur & perficit naturam: minor probatur exemplis infinitis rerum artificialium, quæ ex cognitione materiæ, formæ, efficientis & finis cognoſcuntur. Vt nummus qui ex ære materia, ex figura Cæſaris forma conſtat, qui per efficientem cauſam, nempe artificem & inſculptorem formæ fit, & ad menſuram rerum commutandarum (non ad vſuram) tanquam ad proprium vſum & finem deſtinatur.

Quæſt. 2. Cauſarum ordo.

Altera quæſtio eſt, *An ſit ſubordinatio cauſarū vſq; ad primā & vltimā cauſam omniū?* Ordo mirabilis rerum omniū eſt, maxime vero cauſarum: quippe aliæ aliis ita ſubiiciuntur, vt aliæ aliis videantur præeſſe. Eſt enim ſcala cauſarum, in qua ſunt fere infiniti gradus: nam infinitum principium ſeu cauſa cauſarum in primo gradu ſedet. Non poſſum eſſe multus.

Cauſarum ſubordinatio. quid? &

Subordinatio cauſarū hoc loco nihil aliud eſt quam ordo ſeu diſpoſitio, qua demonſtratur neceſſaria connexio relatioque cauſarum inter ſe, & dependentia (vt ita loquar) effectorum ab illis. Hæc ſubordinatio eſt duplex, vel directe ſecundum ſub & ſupra (vt cum ab infinitis cauſis per medias ad primas, veluti per rectas lineas fiat progreſſio)

Quotuplex.

vel à latere, vt aiunt, cum ſe mutuo intuentur cauſæ, & à ſe inuicem

inuicem dependent, non tamen semper tam necessario ac illæ quæ directo ordine cohærent & sequuntur. Quippe in illis necessitas absoluta, in his necessitas (vt aiunt) conditionata essendi & causandi inest. Imo in his, præter necessitatem hypotheticam & conditionalem, sæpe dignitatem, ordinem, aut alium respectum consideramus: in illis, præter essendi necessitatem nihil. Adesdum si vis esse fœlix, rerum cognoscito causas, ordinemque causarum discito. Mentis hic acies intendenda est: nam sapientum adhuc nemo causas vmquam nisi sub velo & nube viderit: sed vt per pulsum medicus cordis & arteriarum motum nouit, quamuis cor ipsum & arterias oculis nō viderit: ita philosophus per indaginem rationis, causarum ordinem, necessitatem, & dignitatem intelligat, quantumuis earum occultas essentias per se non cernat. Nam vt visa imagine impressa in cera, aut in auro insculpta, statim cognoscis fuisse sigillum, instrumentum, artificem, quamuis fortasse hæc ipsa nō videas: ita cum in effectis naturæ has vel illas proprietates aut differentias obserues, concludas protinus has vel illas causas fuisse, quas nunc sub pallio naturæ in ipsis effectis cernis. Pulchrum erit ac delectabile, si de hoc vno exemplo instar omniū mecum paulisper cogites & mediteris. Videmus globum terræ immensæ magnitudinis & pōderis in aere æquis quasi lancibus immotum pendere, circumfluentem aquam, aeremque & ignem circumuolantem cernimus: altius ascēdimus ad globos & choros cœli, quos ab ortu ad occasum, ab occasu iterum ad ortum, à meridie in septentrionem, & ex aduerso, per dies, per menses, per annos, per sęcula volui & cieri credimus. Temporum hinc mutationes, generationes rerum, vicissitudines omnium in inferiori hoc circulo & theatro mundi obseruamus. Penitius & articulatius deinceps hæc omnia contemplamur. Et quærimus causam cur terra tanti ponderis sic quasi in medio pendeat, physicam causam sub velo naturæ reddimus, quia est centrum mundi: metaphysicam agnoscimus, quia est scabellum Dei. Similiter de fluxu aquæ & humiditatis, de aeris motu & raritatis, de situ ignis & leuitatis, de cursu cœli & rotunditatis multa sæpe quærimus, & non cessamus donec ex proprietatibus & accidentibus ad veras causas in penetralibus naturæ latētes per-

Necessitas duplex.

Terra cur quiescat in medio pendula.

appetere formam, nec forma per se & vi sua perficere materiam possit, nisi vtęque efficienti alicui causæ subsint, quæ vim & virtutem mouendi vtramque ad aliquid efficiendum habeat. Hæc vero causa (vt supra docui) est actiua potentia naturæ, si physice: est potentia Dei, si Methaphysice ordinem & dispositionem causarum consideres. Nec hic *finem* excludo, si intentionem naturæ in essendo perpēdas: quippe actiua hæc potentia naturalis mouendi materiam & formā, ab intuitu quasi finis excitatur. Sic *materia formæ, forma efficienti causæ* (nempe potentiæ naturæ,) *potentia naturæ Deo*, hæc omnia subordinantur *fini*, qui primū pulsum & motum in intentione facit. Nam quamuis Deus liberrimum Agens sit, & non alligetur fini, in ordine tamen & connexione causarum finem secundum prouidentiam singulis rebus efficiendis proponit: cuius vi cæteræ causæ ad vires suas exercendas secundum intentionem naturæ excitantur. Secundū intentionē naturæ (dico) quia natura in omni effectu intēdit finem, & propter finem intentū agit. Hinc constat esse quidem subordinationem causarum, vsque ad primam & vltimam causam omnium, si per primam Deum, & vltimā cuiusque rei propriam formam aut finem intelligas.

Tertia quęstio iā sequitur, q̄ est *Vtrum naturalis causa necessario operetur effectū*? Vt est subordinatio & cōnexio causarū: ita est q̄dam cōditio, vt hoc vel illo modo affectæ necessario ꝓducant effectū. Est. n. natura in suis causis potēs, efficax, & inuicta, q̄a nūquā frustra agit: & quāuis in particulari aliquando næuū patiatur, in vniuersali tamen nō errat: quia nō temere, nō casu, sed essentialiter & necessario agit. Vt est natura causarū naturaliū prima: ita sunt aliæ causæ quæ gnomonē, digitū, motumq; naturę è vestigio sequātur. Illa semper agit, & in essendo non fallitur: hæ igitur perpetuo agūt & necessario earū actionē sequuntur effecta. Vetus est axioma illud: *Posita causa sequitur effectus*: hoc si intelligas de causa *in motu ad effectū*, verū est, aliter fallax & incertū: qppe posita causa in potētia: nō semper & necessario effectus sequtur. Exēpli gratia, si sit *farina* nō est sēper *panis*, si sit *pannus* nō est sēper *vestis*: at si actu subiiciatur *ignis aquæ, aqua incalescet* necessario: hæc. n cōnexio & cōsecutio essētię est, & ꝓinde necessaria. Apposite hoc ipsū ꝓbat definitio causę, q̄

Quæst. 3.

Libr. 1. de Cœl. tex. 32. & Plut. lib. 3. Symp.

1

Li. 2. Phys. c. 3. tex. 78. Posita causa in motu ad effectum, sequitur effectus.

externam. Interna iterum diuisa est in materiã & formam: externa vero in efficientem & finem. Materia hic vt in priore libro definitur *principium primum physicum cuiusque rei naturalis, ex quo per se res constat, & in quod tandem resoluitur* Forma est principium quoque physicum, *quod materia perfectionem, rei composita nomen & esse distinctum & completum tribuit.* Sed attende quod forma informãs, non forma assistens hoc loco definiatur. Caussa efficiens est *principium extra essentiam rei cuius est caussa, extrinsecus rem primum mouens* vt quidam definiunt: vel est (vt verbo definias,) externum principium motus, vt natura internum dicitur. Finalis caussa est *primum principiũ intentionem caussa efficientis mouens.* Vel est *cuius gratia aliquid fit,* & *ad quod veluti ad quietis portum refertur.* De hac caussa iam quæritur, *Vtrum in se vllum esse physicum & reale habeat?* Non possum assentiri Scoto & aliquibus aliis illius fautoribus in hac quæstione, qui pertinaciter dicunt, finalem causam habere metaphoricum solum esse, non physicum & naturale. Nam siue finem rei factæ intelligas, quem veluti amicum agens diligit: siue finem rei intentæ & faciendæ, ad quẽ efficiens in agendo tendit: certum est rem quodammodo esse, esseque physicum aliqua ex parte vendicare. De fine rei factæ non est quod dubites, quippe est ipsa rei factę perfectio, vt *bonum naturale* vna cum re cohærens, vt forma naturalis quæ finis dicitur. Sed hic labor, hoc opus est, vt probemus rei intentæ seu faciendæ finalem caussam realem esse; per rem intentam seu faciendam, ens *in fieri* (vt aiunt) id est, rem inchoatam in motu, non perfectam in forma & statu intelligo. Huius quoque causa finalis non est simpliciter nõ ens, aut intentio (vt ait Scotus.) Nam si sic esset, doceat quomodo excitaret efficientem caussam ad agendum & producendum effectum: quippe non ens nihil mouet, & intentio solũ caussam effectricem intelligentem mouet: at omnis caussa efficiens in rerum natura non est intellectus, aut aliquid rationis capax (*Sol.* n. est caussa efficiens generationis) si ergo proprium sit finalis caussæ mouere efficientẽ caussam ad opus naturæ, probabile est finalẽ caussam simpliciter nõ esse non ens aut intentionale aliquid, nisi finẽ ad solũ intellectũ aut rẽ aliam capacem rationis velis reducere. Præterea cum

Causa interna externa.
Materia quid.
Forma quid.
Forma informans, assistens.
Caussa efficiens quid.
Finalis causa.
Finis rei facta.
Finis rei intẽtæ

esse rerum sit vel in actu per formã, vel in potentia per motũ, quo natura ad rem intentã tendit: non video quin finem adhuc actu non existentẽ, physicã & realẽ dicã. Nã etsi actu non existat, subsistit tamen in propinqua potentia, in qua realẽ naturam habet. Nam vt *embryo* in vtero sepultus *homo* dicitur, non quod simpliciter sit in actu *homo*, sed quia potentia actiua naturæ non quiescit donec ad hominis formã venerit: ita finalis causa, adhuc in occulto naturæ quasi amplexu latens, realis dicitur, non ꝙ actu & simpliciter res perfecta sit, sed ꝙ natura quæ fine suo non priuatur ad eundẽ vergit. Et vt *homo* sic inchoate consideratus recte *non ens* aut mera intentio dici non potest: ita quidẽ finalis causa in proxima potentia eminens & emergẽs, recte nihil, aut metaphorica vmbra & intentio appellari non debet. Deinceps arcanũ naturæ consiliũ hoc est, vt omnia & singula esse reale habeant in suis principiis, suisque etiam mediis: si ergo consideretur finis vel vt effectus in natura quæ est principium, vel vt causa mouens in potentia naturæ quæ est medium, negari non potest quin esse aliqua ex parte reale habeat. Porro quã absurdũ hoc est, & in spaciis philosophorum inauditũ, dicere finẽ omnino non ens esse, vmbram esse, nihil esse, solam metaphorã & intentionẽ esse? Imo vsurpatum & vulgare potius illud est, *finẽ ens esse, bonũ esse, aliquid reale esse, primamq; rẽ in intentione, non intentionem esse*. Insuper finalis causa in obiectis mentis est ens intentionale, ꝙ per species intellectum mouet: ergo finalis causa in naturalibus rebus non potest non realis esse. Ratio sequitur, quia contrariorũ contraria est natura. Huc addo, quod necessitas in operationibus naturæ magis dependeat à finali causa, quã ab alia vlla: quia nisi finis moueret efficientẽ causam, vt disponeret materiam ad formam, nullum opus naturale fieret. Consonũ ergo rationi est, finalẽ causam aliquid realẽ in se habere: nã aliter entia magis à non ente quam ab ente dependerent. Postremo cum omnium philosophorum cõsensu Deus sit vltimus finis omnium, in quo oẽs omnium rerum essentiæ vniantur: concludam finem rem esse optimam, siue primum (qui est Deus) siue proximum (qui est vniuscuiusque rei bonum & perfectio) consideres.

Embryo qui homo.

Causa finalis qui realis.

Finis primus in intentione, sed non ipsa nuda intentio.

1. lib. 2. de Gen. & cor. c. 10.

Huius lib. c. 9.

Quæstio 5.

Vltima quæstio est *Vtrum exemplar sit omnino causa?* &

si sit

si sit, Vtrum sit magis formalis quam efficiens caussa? Quanquam parū aut nihil de ideis disserat philosophus, quoniam tamen hoc loco exēplaris caussæ (quæ nihil aliud est q̃ idea) mentionem facit: arrepta occasione discutietur quid sit, & quomodo inter verissimas caussas annumeretur. Idea (vt D. Thomas definit,) est forma quā aliquid imitatur ex intētione agentis, & finē determinantis sibi. Est *forma*. i. nō forma assistens vt *intelligentia*, nec forma informans vt *anima*, sed forma (vt ita loquar) designans modū rei faciendæ. Hāc omnis artifex animo cōprehendit, priusquā ad opus se accingat, hanc cōprehensam in opere cōcinnādo imitatur, hāc in imitando ad viuū exprimit, sensibusq; quodāmodo externis offert. Nunc cū quid sit exēplar definitū habeas, quale sit paucis accipe. Est quidē species in mente posita, eademq; potius intrinsecus cōcepta, q̃ extrinsecus obiecta mēti. i. magis formalis q̃ obiectiua (vt aiunt.) Hanc opinionem ex hypothesi, & ex absurditate probo. Ex hypothesi, nā hoc dato, ꝙ exēplaris causa sit solum species obiecta, necesse est vt res prius sint q̃ istæ species abstractæ animo concipiātur: sed huic cōtrarium manifestū est, cū omnis artifex in opere producēdo præconceptas species imitetur, easdemq; in opere facto exprimat delineatas. Ab absurditate hoc ipsum sic etiā probo. Si exemplaris caussa sit idea solum obiecta menti, quam in efficientiū opere efficiēs caussa imitatur, tum (quo nihil absurdius est, prima caussa. i. Deus à creatis rationem operandi sumeret, nec per se ad agendum sibi sufficeret (quippe necesse est secundum hanc opinionem, vt species exemplares quas efficiens caussa imitando sequitur, à rebus ipsis abstrahantur) at Deus nullis exemplaribus caussis, nullisque formis indiget vt crearet omnia, cum ipse sit prima caussa primaque forma omniū. Sed breuitatis memor curro. Restat vt quomodo sit caussa, & ad quam speciē caussarum spectet breuiter dicamus. Exemplar quidē caussa est, quia actu mouet artificem vt concinnet & perficiat opus, ꝙ neqūe ars ipsa nec species nuda, sed speciei formalis cōceptus efficit: speciei formalis cōceptus (inquā) qui est simpliciter idea illa, de qua hoc loco definite loquimur. Hoc. n. conceptu mēs mēti loquitur. spiritus spiritib. arcana loquuntur: loquūtur (inquā) spiritus per ideas, quia sunt ideæ. Sed digredior: hoc exem-

Idea quid.

Idea forma designans modū rei faciendæ.

Idea caussa est.

plar caussa est intẽtionis, caussa actionis, caussa operis, caussa imitationis, perfectionis caussa. Mẽtem.n. instruit ad motum, ad opus, ad exemplum, ad finẽ. Omitto verba doceoq; caussam esse, non solum quia omne opus artis ab illa depẽdeat, sed quia omne opus etiam naturæ in se illam quodam modo vt caussam cõtineat. Est.n. in re qualibet naturali impressum sigillum Dei, ꝙ speciem seu ideam quandam relinquit insculptã, cuius motu & instinctu omnia naturæ effecta officia sua libenter præstant, & velociter ad bonũ transcendens & diuinum tẽdunt. Hoc quod dico plane insinuat philosophus, cum nescius quomodo forma accedat ad materiam, diuinum quiddam illam appellet, imo cũ de forma humana agat, coactus est aperte dicere, *eam diuinitus dari.* Quid multis? has ideas in re qualibet ostendunt externæ species & formæ rerum, quarũ infinita varietas diuinitatem intus latere arguit. Ostendit etiam conatus rerum, quæ semper vi sua ad summam perfectionem tendunt: vnde ęgre ferunt tricas omnes & impedimenta quo minus optatũ hunc finem consequantur. A Platonis Tripode & oraculis hoc loco non arguo. infinitus essem si arguerem. Idea est caussa in Deo rerũ, quia Deus ipse est idea: falleris ergo sponte (Aristoteles) cum fallaciter vrgeas præceptorem tuum, quasi diceret in mente diuina ideas speciesque varias latere, per quas veluti per exemplares imagines & idola mũdum finxerit & crearit. Non sic dixit Plato, sed hoc dixit & sensit, ideas diuinas esse effectrices rerum caussas: non quod sint exemplares imagines quas sibi proponat Deus vt imitetur, sed quia Deus ipse est idea prima, in qua omnes rerum omnium ideæ continentur. Et quid (quæso) tibi vis philosophorum princeps, cum in Metaphysicis tu ipse doceas, nõ esse accidens in Deo, omnesque rerum omnium essentias vniri in Deo? nonne idipsum loqueris? Idem certe loqueris, idemque intelligis, ipsamq; veritatem defendis: nã Theologi in hoc sensu ideas principes & primarias caussas rerum esse defendunt. Restat vt ad quam speciem caussæ pertineat verbo ostendam. Alii ad efficiẽtem causam, alii ad formalem magis spectare aiunt. Probabilis est in vtramq; partem ratio: firmior tamẽ eorũ disputatio, qui magis ad formalẽ quam ad efficientem trahant. Primum quia ipsa etymologia nominis formam signifi-

Idea caussa multiplex.

In re qualibet naturali sigillũ Dei insculptũ.

Deus idea prima.

Aristoteles male reprehendit Platonem de ideis differentẽ. Li 1. Ethi. c 6. & passim Plat. in Tim & Phadone.

significat: est enim idea forma. Tum quoniam rationem formæ induit, in distinctione rerũ: quot enim sunt vel præconceptæ species, vel exemplares conceptus in animo artificis efformati, tot formæ in operibus arte iam factis apparebunt distinctæ. Præterea formæ realis notio (quam oculis cernere omnino non licet) per internam animo conceptam ideam & formam cernitur: magis ergo ad formam quã ad efficientem accedit. Non est minimi momenti authoritas Dionysii de Diuinis nominib⁹, Boetii, Procli, qui ideas nũc formas sine materia, nunc formas archetypas, nunc formales caussas nominant: efficientes vero aut raro aut nũquam: quamuis res eadem diuerso respectu, & forma, & efficiẽs dici potest. Vt anima est forma hominis & efficiens caussa operis vel artis. Nam vt vnius & eiusdem effectus plures per se possunt esse caussæ: ita vni eidemque nonnunquam caussæ plurium caussarum nomen, vim, & rationem subire conuenit. Hoc dico, quia existimo non penitus absurdam eorũ opinionem, qui ideas aliquando inter effectrices causas connumerãt: magis tamen esse formales concludo propter rationes quas nunc attulimus.

Cap 5. libr 2 de Trini. Res eadẽ diuerso respectu esse potest & forma, & efficiens.

Quid superest? Oceanus certe multarum de Caussis quæstionũ, quas multi Interpretes audito nomine *caussæ* apud Arist cerebrose, non ex textu mouent, vt *An omnis caussa sit nobilior effectu? An caussalitas seu caussandi ratio sit relatio vel res qua determinatur caussa? An singulæ caussæ caussalitates vendicent? An caussæ caussis possint esse effectus? An Deus omnes caussas & caussalitates in suo esse conseruet? An Deus cum secundis caussis ad quamlibet earum actionem elicendam concurrat? An Deus prima notione caussas secundas ad agẽdum excitet? An aliquid fiat quod diuina põtẽtia fieri nõ possit?* Hæc omnia (inquam) & his similia permulta lubens hic transeo, vel quoniam non apposite & directe ex textu mouentur, vel quia ab aliis discutiuntur ad viuum, vel quia eorum aliquot ad Metaphysicos, & Theologos potius quam ad physicos & naturales philosophos pertinẽt: vel denique quia posthac (si opportuna mihi ex textu alibi detur occasio) vberius tractabuntur. Sed (vt cõcludam omnia) diligenter (studiose lector) aduertas, in toto ordine entium vnũ duntaxat esse cuius simpliciter nulla est caussa, sed ipsum

Quæstiones variæ mouẽtur ab interpretib. de caussis.

Deus caussa prima.

est causa aliorum omniū. Hoc Arist. ens primum, primam caussam, primum motorem, primam essentiam, idéam primam, mouens immobile, æternum, bonum incommutabile, verum, ipsumque Deum appellat. Cum de causis nunc ex philosophorum subselliis disputo, illorum subtilitatibus posthabitis, hanc sempiternam caussam solum esse & fuisse credo: à qua alia omnia principia & effecta post *non esse* inceperunt *esse*. Hæc caussa, vel Deus potius, cum sit summum bonum, & solum essentialiter bonum, dum nihil præter seipsum esset, vt bonitatem suam aliis communicaret diffunderetque latius, in *initio temporis* omnem creauit *rem*, & ex nihilo produxit *spiritus formasque simplices*, quas perpetuitate & immortalitate dotauit, vt ipsum laudarent. Creauit etiam molem quandam, vi sua rudem & informem, vt esset omnium producendorum commune subiectum & principium. Hanc *materiam* (sic enim appello) à se creatam in superiorem & inferiorem diuisit: illam raram & nudam, ab omni impetu peregrinarum impressionum immunem: hanc illius respectu densam, omnique mutationi obnoxiam fecit. In materia siquidem superiore formas perpetuas, orbesque distinctos produxit: *quos duobus luminibus magnis, sole & luna* aliisq; variarum magnitudinum innumeris stellis ornatos constituit: & ideo sic constituit, vt essent *in signa, & tempora, dies, & annos*, suoque motu, lumine, & influentia hæc inferiora regerent. In inferiore materia, primum simplicia corpora, *ignem, aquam, aerem, & terram* finxit, suis ornamentis decorauit. Ignem reliquit simplicem propter locum, motum, essentiam, quæ vitales spiritus viuentium non ferunt: aerem vero *volatilibus*, aquam *piscibus*, terram *plantis; aliisque animatis & inanimatis* impleuit: in quorum singulis veluti *semen & virtutem* reliquit, vt *sibi similia procrearent*. Post hæc omnia *corpus humanum ex limo terræ finxit, & spiritum immortalē (a se ex nihilo creatum) illi infudit* O nobile & diuinum opus Dei, cui globos cœli, omniumque operum quæ fecit in seruitutē dedit. Sed ô ingratum animal! cur nō agnoscis caussam creationis, dignitatis, fœlicitatis tuæ? Cur alias caussas ex philosophia, humana sapientia quæris? O vtinam tamen crederes philosophiæ, quæ te docet (si illam audires) omnia quæ sunt, fuerunt, aut erunt,

Creationis ordo.

Materia duplex.

Psal. 135 8.9.

Gen. 1. 14.

Ignis cur simplex.

Gen. 2.

erunt, à Deo, vt à prima causa dependere, omnia in illo esse, omnia sine illo in nihilum commutari. Est enim caussa efficiens, vniuersalis, & (vt cum philosopho loquar) indepēdens omnium, quia finxit omnia; est caussa formalis omnium, quia formis à se creatis distinxit & ornauit omnia: est caussa exemplaris omnium, quia sigillo suo quasi impresso consignauit omnia: est denique caussa finalis, quia ad eum solum referuntur omnia. Hoc dico non quod existimem non esse secundas caussas, quas modo definiui, sed vt Deo soli, primæ caussæ omnium, iustas laudes persoluam, qui caussas secundas & effecta in vsum hominis ingrati dedit.

Distinctio primæ quæstionis. Vtrum ad perfectam scientiam rerum necessario habenda sit cognitio omnium caussarum?

Scientia perfecta duplex est, vel

- 1 Essentiæ solum, & sic non requiritur omnium caussarum cognitio ad perfectam scientiam rerum: quippe satis est materiam & formam scire, ex quibus definitio (in qua recte intelligitur essentia) constat.
- 2 Essentiæ & existentiæ simul, & sic ad perfectā sciētiam requiritur nō solum cognitio materiæ & formæ, sed etiam aliarum caussarum & proprietatū, vt accurata demōstratio
  - 1 Ab imbecillitate intellectus humani, qui in corpore sepultus causas primas rerū nō percipit, nisi per proprietates & accidētia quæ propi⁹ ad sensu⁹ accedunt, vnde plerunque nostra cognitio ortum originemque trahit.
  - 2 A natura demonstrationis perfectę, quæ est accuratæ sciētiæ caussa: quippe in illa nō solum requiritur definitio vt medium, sed etiam subiectum eiusdem medii, adeoq; extrema, quæ sunt proprietates quę de eodē medio demonstrantur. Vnde constat, nō solum partes definitionis (quę sunt caussę à priori) sed etiam proprietates & accidentia necessaria (quæ sunt caussæ a posteriori) ad perfectam scientiam requiri.
  - 3 Ab enumeratione caussarum: quia nisi quis respondere possit ad interrogata de singulis causis, rem perfecte scire nō dicitur. Vt ex qua materia res fiat, per quā formā subsistat, à qua efficiente moueatur, ad quem finem destinetur.

quæ est mater scientiæ) oriatur. Hoc autem probatur

4 A comparatione modorũ tum essendi, tum sciendi, qui numero pares sunt, vt supra probatur. Est enim esse essentiæ & existentiæ.

5 Ab ordine duplici perfecte sciendi, scilicet naturæ & disciplinæ: qui omnes causas ad perfectam scientiam postulat.

6 Ab inductione exemplorum, de qua superius in discursu satis aperte diximus.

7 A definitione perfectæ scientię, quæ est per omnes caussas.

Opp.

Duæ solum caussæ sunt necessariæ ad perfectam essentiam rei: ergo duarum solum causarum cognitio ad perfectam scientiam rei est necessaria. Antecedens probatur, quia perfecta essentia rei in definitione cernitur, quæ solum ex materia & forma, aut illis adæquatis principiis (genere *nimirum &* differentia) *constat. Argumentum tenet, quia perfecta scientia eam proportionem & affinitatem cum essentia habet, vt ab iisdem omnino causis pendeat. Quæ res aperta est in demonstratione absoluta, quæ solummodo ex definitione medio termino constat.*

Resp.

Essendi & sciẽdi qui eadem ratio.

Etsi essendi (vt aiunt) & sciendi eadem sit ratio in genere, non tamen eadem est in specie. Nam in speciali essentia rerum non solum esse essentiæ, sed esse existentiæ considerari debet: præsertim in rebus naturalibus, de quibus hoc loco agitur. In illis enim non satis est scire materiam & formã, sed etiam quomodo hæc duo principia combinentur, & ad quem designentur vsum & finem: & hæc proprie absoluta & perfecta rerum per causas scientia dicitur.

Omnes causæ simplices sunt.

Opp. *Eo perfectior scientia est, quo simplicior: ergo perfectior est illa scientia quæ ex duabus, quam quæ ex omnibus causis constat. Antecedens probatur, quia demonstratio simplex est perfectissima quæ ex primis causis coalescit: argumẽtum sequitur, quia qualis est demonstratio, talis est scientia.*

Resp.

Resp.

Omnes causa simplices sunt: quãobrem earum multitudo nõ compositam scientiam reddit. Nam vt plura indiuisibilia puncta indiuisibili linea addita eandem lineam non efficiũt ampliorem: ita plures causa (qua sunt indiuisibiles vt & essentia sua) in demonstratione adhibita, scientiam magis cõpositam non faciunt, sed magis certam. Si ergo certam & perfectam scientiam rei desideres, quò plures causas noueris eo perfectiorem scientiam consequeris.

Opp. *Ordo procedendi in rebus sciendis ipsi comparatur scientia: at ordo procedendi in sciendis rebus perfectior habetur ille natura, qui à primis solum caussis pendet, quam alter ille disciplina, qui à causis fortuitis & aduentitiis nascitur: sequitur ergo illam scientiam esse perfectiorem qua ab ordine natura & primis caussis pendet: & proinde omnium causarum cognitio ad perfectam scientiam rerum non requiritur.*

Resp. *Idem saxum voluis. Sed respondeo, Philosophum magis laudare ordinem natura quam ordinem disciplina: quia ille à primis caussis, hic ab effectis causisque fortuitis procedit. Non tamen negat quin completior perfectiorque sit illa cognitio rei, qua omnium causarum cognitione redditur perfectissima.*

Opp. *Accidẽtia non sunt caussa sciẽdi: sed efficiens caussa & finalis sunt accidentia: ergo non sunt sciendi caussa. Maior Aristotelis est in Analyticis, minor illius est hoc loco, vbi docet efficientem & finem esse externas caussas.*

Resp. *Efficiens caussa & formalis sunt respectu materia & forma accidentia, simpliciter tamen sic dici non possunt respectu rei cuius caussa dicuntur. Praterea accidentia (vt docet Philosophus primo libro de Anima) plurimum ad sciẽtiam valent, maxime vt sunt caussa rerum ad quarum esse existentia necessario requiruntur, imo ad quarum esse essentia necessario requiruntur: quippe materia non potest disponi ad formam suscipiendam, nisi per motum efficientis causa qua illam mouet.* *Caussa formalis & efficiẽtis duplex respectus. Lib. 1. de Ani. cap. 11.*

Distin-

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum sit necessaria subordinatio caussarum vsque ad primam & vltimam?

Subordinatio caussarum sumitur vel

- Dialectice, pro ordine & dispositione causarum, eademque vel
  - 1 In recta linea, vt in *categoriis seu prædicamentis*, in quibus secundum sub & supra caussę ponuntur.
  - 2 A latere, vt differentiæ in iisdem prædicamentis, quę directe in linea & serie non ponuntur.
  - 3 Reductiue, vt proprietates & accidentia, quæ ad sua propria subiecta reducuntur.
- Physice, pro necessaria relatione & dependentia vnius caussę ab altera, siue esse rei internū siue externū respicias. ea autem subordinatio probatur necessaria
  - 1 Generatim, in causis & effectis totius vniuersi: quia prouida natura, vel potius naturæ author, sic omnia disposuit, vt causę causis subiicerentur, earúmque aliæ ab aliis penderent. Verbi gratia, omnes causę secundæ à Deo causarum prima pédent. Quippe sine ea nihil agunt, nihil mouent, perficiunt nihil, sic etiam inter caussas secundas, aliæ superiores vt *cælū, anima*: aliæ inferiores dicuntur, quæ iisdem in causando subordinantur, vt *elementa in generatione mixti*.
  - 2 Speciatim, in quatuor generibus caussarum, quarū necessaria est connexio, nō solum ad essentiam rerum absolutam, sed etiam ad scientiā rerū perfectam, vt in priore quæstione probatur: vnde firma argumenta & præsidia huius quoque caussę petantur, præter ea quę in demonstratione eiusdem nunc pertractaui.

Opp.

Cum subordinatio caussarum ea dispositio & relatio sit, vt inferiores caussæ non possint quicquā efficere aut caussare (vt aiunt) nisi superiores confluant & cōueniant: videtur quidem mihi hoc nihil aliud concludere, quam quod Deus (prima caussa omnium) ita agentibus caussis secūdis alligetur.

tur, ut necessario cum illis agat: sed Deum ulli necessitati alligare, cum sit liberrimum agens, est absurdum: ergo talis & tam necessaria non est subordinatio caussarum ut hic demonstras. Maior constat ex definitione subordinationis, & ex enumeratione causarum quæ in unam primam desinunt: minor Arist. in 7. & 8. Physic. aliisq; locis quamplurimis, ubi Deum actu infinitum liberrimumq; principium esse probat.

Deus quam sit liberum agens, qui dicitur agere necessario.

Resp. Resoluitur hic nodus in expositione quæstionis cum demonstratum sit esse quidem categoricam necessitatem seu absolutam, & hypotheticam seu conditionatam: illa in Physicis, hæc in Metaphysicis cernitur. Alii vero respōdent Deum cum secundis causis agere quidem necessario, sed non inuite non coacte: uult enim sic caussas secundas ordinari, ut sibi ar gendi vires acceptas ferant, & à se una cum illis agente operationes recipiant. Ut ergo animus humanus in motu corporis humani necessario agit, & tamen immunis est à motu naturali: ita Deus quidem agit aliis caussis agentibus necessario, & tamen liber est motor & author omnium. Quia ut animo se subtrahente, corpus omnesque eiusdem vires, motus, & actiones cessant: ita Deo cessante agere, languent, nutant, pereuntque omnia. Hinc constat necessitatem dependendi in secundis caussis esse, eandemque absolutam, necessitatem vero in Deo agendi libertatem esse: quia potest cum illis agere vel non agere, ut sibi in diuina prouidentia visum fuerit: uult tamen agere ut ordo & dispositio rerum per caussas obseruetur.

Necessitas in Deo agendi libertas est.

Opp.

Caussæ omnes rerum diuersarum sunt, at res natura, proprietate, & definitione distinguuntur: ergo & earum caussæ, ex quo necessario sequitur, quod talis de qua loqueris non sit subordinatio caussarum, id est, relatio & dependentia: quippe quæ natura differunt, mutuo à se inuicem non dependent.

Resp. Res considerari possunt duobus modis, vel speciatim & sic natura, proprietate, definitione differunt, causasq; distinctas habent proximas sui procreatrices: vel generatim & sic non semper distinguuntur. Verbi gratia homo & bellua, quamuis specie differant, generibus & differentiis superiorum in prædicamento consentiunt: caussæ igitur inferiores à superioribus in genere a se mutuo dependere possunt, licet in specie considerata distinguantur.

Respectu caussarum duplex rerum consideratio.

Opp.

Causa res absoluta sunt: ergo earum non est relatio. Antecedens est Aristotelis in Topicis, vbi docet effecta dependere à causis, causas vero non dependere ab effectis, sed per se & vi sua subsistere. Ratio tenet, quoniam causa non sint relata, vel secundum esse, vel secundum dici, cum non sint in praedicamento relationis.

Quousque patet nomen subordinationis.

Resp. *Hoc nomen subordinationis non tam stricte sumitur, vt omnia quae à se mutuo dependent ad praedicamentum relationis pertrahantur: satis est si sit talis ordo & connexio causarum in actiua potentia sua producendi effecta, vt inferiores sine superiorum influentia nequeant eandem potentiam exerere & exercere. Sic planta non viuit, non crescit, non conseruatur, si sol nō influat, & (vt superior causa) anima vegetatrici, caussa inferiori vires concedat.*

Opp. *Si sit subordinatio caussarum ad primam, tum probabile est quod omnes secundae caussae sic dependeāt à prima, vt sine illa nec esse, nec agere, nec conseruari omnino possint, sed hoc non videtur verum: ergo talis non est subordinatio. Maior constat, quia in essentia aut existentia omnis relatio inest: minor probatur, primum respectu primae caussae, non respectu caussarum secundarum. Respectu primae caussae, quia vt domus & semel perfecta est & conseruatur absente artifice; ita cessante Deo operari, aliae caussae manent. Praeterea videtur aliquid detrahi diuinae maiestati, si ponatur cūm omnibus caussis in agendo concurrere, cum persaepe actiones secundarum caussarum sint malae, vt in vitiosis & sceleratis hominibus. Postremo si prima caussa ad omnem actionē concurreret, frustra agendi vim propriam singulis rerum caussis dedit frustraque etiā dicitur per medias & secundas caussas agere, cum ipsa per se necessario agat. Respectu caussarum secundarum hoc ipsum probatur, tum quia caussa qualibet suam propriā vim essendi & agēdi sibi datam & concessam habeat, tum quoniam ideo caussae dicantur, quia per se subsistentes conseruarent effecta, nō opus est ergo alio praesidio post primam creationem quo fulciantur.*

Resp.

Deus concurrit cum omnibus

Omnium philosophorum & Patrum calculis firmata est haec sententia, nimirum Deum cum omnibus caussis secundis ad o-

ad omnem actionem confluere. Est enim Deus vbique per potentiam, præsentiam, & essentiam: quia sibi omnia subdit, vniuersa intuetur, perque singulorum essentias commeat illabiturque. Nullus enim locus eius præsentia, nullus locus eius essentia, potentia, prouidentia vacat. Videt omnia, est totus oculus, operatur omnia, est totus manus, est totus vbique, recteque pes totus à Diuo Bernardo dicitur. Quid multis? Cœlum & terram implet, est totus Deus. Hic Deus, hæc prima caussa cum omnibus caussis necessario in stadio mũdi currit, aut certe reliquæ caussæ claudicant, cadunt, metamque suam non attingunt. Respondeo ergo ad partes argumenti, quod similitudo tua inter artificem & Deum, domum & opus Dei non teneat: quia artifex est caussa finita & mortalis, Deus vero caussa actu infinita omnium, à qua vt omnia & singula dependeant maiestas postulat. Quod ais, ergo, derogare à maiestate diuina, sic res ab illa dependere, erras: quod addis de actionibus malis, respondeo, Deum non esse authorem mali, authorem tamen esse iustitia si male agas: non facit malum culpa, sed parat tibi malum pœna. Deus est tibi iustitia, si male: est clementia si bene viuas: agit tamen perpetuo sed non semper in eundem finem: nam si malum committas vertit in bonum. Postremo, quamuis singulis causis vires proprias agendi dederit, non tamen has dedit sine sua prouidentia fatali, qua eas in tali actione continet & conseruat. Nam vt fons dat riuulis aquam, motum & fluxum, ita tamen vt riuuli nec moueri nec fluere sine fonte possint: ita Deus dat quidem secundis causis vim & naturam agendi, ita tamen vt (cessante Deo operari) omnes caussæ in operando cessant. Nihil addam de reliquis partibus argumenti quas adfers: nam si attentius consideres quæ à me in postremo dicuntur loco, tibi satisfactum plane & aperte videas. Huc omnia tendunt in hac quæstione, vt perdiscamus, Deum in omnibus tum caussis tum effectis lucere: non quod caussæ secundæ omnino per se non agant, sed quod à Deo (primo essendi fonte) hanc vim essendi & agendi illas petere & habere videntes, illi soli omnem honorem tribuamus.

causis secundis ad omnes actiones.

Deus vbique.

Deus concurrit ad actionem nõ ad malum in actione.

Opp.

Actiones primæ, & secundarum caussarum sunt numero,

subiecto, natura distincta: ergo earum non est subordinatio necessaria, hoc est, necessaria relatio & dependentia. Antecedens probatur, quia actiones primæ causæ sunt immanētes & metaphysicæ: actiones vero secundarum caussarum sunt transeuntes & naturales. Argumentum tenet: quoniam relata mutuo definiuntur. Præterea si primæ caussæ subordinentur cætera, necesse est vt prima caussa agat mediate aut immediate cum illis: non mediate, quia prima caussa nō alligatur mediis: non immediate, quia inter finitum & infinitum, metaphysicum & physicum non potest esse vlla actionis immediata proportio.

Lib. 1 de Cal. text. 52.

Rēsp. *Per subordinationem hoc loco non solum intelligitur caussarum dispositio secundum sub & supra (vt aiūt) in linea aut serie prædicamentali, vt inferiores directe superioribus subiiciantur: sed etiam ordo, relatio, aut connexio diuersorum principiorum, concurrentium ad producendū effectum, & sic quæ subiecto, numero, natura differunt, relatione & ordine aliquando consentire possunt. Quod addis de immanente & transeunte actione, dico præpotētis Dei actiones esse immanentes si essentiam, transeuntes si influentiam spectes. Postremo affirmo cum philosopho, Deum immediate agere cum secundis caussis, quod si non fieret, sequeretur non posse Deum actionem particularem rei aut caussæ impedire, nisi per obiectum contrarii: at (fatente Philosopho) ignis aliquando deuolat deorsum, & terra sursum, ne admittatur vacuum. Imo (vt sacra philosophia docet) ignis in fornace Babylonica, veluti oblitus naturæ suæ, viros inter flammas ambulantes non tetigit: immediate ergo Deus impedit, & proinde immediate mouet naturalium caussarum actiones.*

Dei actiones qui immanentes & transeuntes.
Lib. 2. Met. c. 2.
Deus immediate agit cum secundis caussis.
Dan. 3.

Distinctio tertiæ quæstionis. Vtrum naturalis caussa necessario operetur effectum?

Caussa naturalis cōsideratur vel
- Respectiue idque vel in
  - 1 Relatione seu subordinatione ad primā causam, & sic ex necessitate hypothetica seu conditionata producit effectum, pro arbitrio & imperio primi motoris, promouentis vel impedientis actionem.
  - 2 Oppositione contrarii, atque ita non semper & necessario producit effectum.

Absolute

Absolute in se, & sic secundum actiuam potentiam virtute primę causę concitatam necessario operatur effectum: quod probatur

1 A definitione causæ, quę est *ens illud cuius vi elicitur necessario effectus.*

2 A relatione caussę ad effectum, quia caussa & effectus sunt relata, quorum vnum actu positum alterum necessario ponit.

3 Ab intentione naturæ, quæ cum caussis nunquam frustra agit, & per consequens operatur seu producit effectum.

4 Ab interpretatione fati, quod definitur à philosopho necessaria & ineuitabilis connexio caussarum cum effectis, quæ connexio esse non potest si caussa necessario non producat effectum.

5 Ab inductione & exemplis omnium caussarum, quarum nulla non (obseruatis quibusdam conditionibus) producit effectus.

Cautiones in hac quæstione sunt, vt caussa

1 Sit in actu posita.

2 Sit in motu.

3 Contrarii impetu non impediatur.

4 Vt omnia recte disponantur in effectu.

Opp.

Elephantes loqueris, mures & minuta animantia profers. Dixisti te solum de mysteriis abditis philosophia acturum: cur istas nugas vendis, quasi ignotum sit nobis illud tritum & vulgare axioma, quod caussa posita ponatur effectus? & quid quasi aliud in hac quæstione doces?

Resp. *In minutissimis granis sæpissime mirabilis virtus latet: praeceps est iudicium tuum priusquam cognoscas scopum. Non hoc loco (vt tu somnias) diuendo nugas, non crambem bis coctam aut rem notam propono, sed in hoc verbo quæstionis* (necessario) *quaero an sit in caussis naturalibus aliquid quod potentiam manumque (vt ita dicam) na-*

Caussa & caussalitas quid differunt.

tura excitet ad operationem effectus? Hoc aliquid *multi non causam sed causalitatem nominant. Causa res est quæ efficit, causalitas (vt aiunt) est efficiendi seu causandi ratio, quæ neque res ipsa, neque causa, neque relatio causæ, sed modus causæ dicitur.*

Opp.

Necessitas nulla absoluta ab accidente nascitur, sed causalitas seu modus causæ in producendo effectu est accidens: ergo nulla necessitas ab ea oritur, & ex consequenti necessario causa naturalis hoc modo considerata non producit effectum. Maior propositio nota est, minor constat, quia res & modus rei differunt.

Resp.

In causis naturalibus considerantur alsoluta natura & relatio.

In causis naturalibus considerantur duo, absoluta natura & relatio, seu operatio effectus. Quamuis ergo causa & modus causæ in absoluta natura differant: in relatione tamen & operatione effectus, modus necessitatem potest imponere. Nam vt solis natura & modus quo lumen fundit natura distinguuntur, modus tamen est causa in sole illuminandi media, & efficiendi effecta, eademque simpliciter necessaria: ita fit in omni naturali causa relationeque eiusdem causæ: quæ duo etsi natura differant, simplex tamen necessitas in motu & progressu ad tertium ab vtroque oritur.

Opp.

Causa & causalitas non sunt coniugata re.

Causa & causalitas sunt coniugata: ergo re sunt eadem, vt Philosophus 2. Top. probat. Antecedens patet, quia nomine & sensu coniungatur.

Resp.

Voce, non re ipsa & sensu sunt coniugata, quamuis sint nonnulli qui existiment causalitatem nihil aliud esse quam primam potentiam cuiusque causæ, quæ prima potẽtia re eadem est cũ causa: sed aliud hoc loco defendimus, eandẽq; non esse potentiam aut causam, sed modum vtriusque, vt motus est in generatione plantæ, qui nec semen nec potentia seminis recte appellari potest.

Opp. *Multa sunt causæ sine effectis: ergo non est necessitas operandi effectus. Antecedens probatur, qui causæ ordine naturæ priores effectu dicuntur: & si sint priores, sequitur esse*

esse posse sine effectis: necessario igitur non operantur effectus.

Resp. *Causa considerantur vel in actu, vel in potentia, idq; vel in motu ad effectum, vel in subsistentia sua: si in actu & motu considerentur, absoluta & simplex est necessitas producendi effectus, vt supra demonstraui.*

Opp. *Natura est absoluta causa, & tamen sape in suis effectis producēdis fallitur: ergo generatim de omnibus causis naturalibus non tenetur quaestio. Antecedens constat, quia natura sape monstra parit.* *Huius lib. c. 8.*

Resp. *Natura est causa: & consideratur vel in specie, & sic nunquam fallitur, vel in numero & particulari, & sic aliquando fallitur. Sed vt vna hirundo non facit ver: ita vna defectio aut error natura vniuersalem natura legem non conuellit* *Natura in specie non fallitur.*

Distinctio quartæ quæstionis, Vtrum causa finalis vllum esse reale habeat?

Finis est vel rei factæ, vel intentæ à natura: & vtroque modo accepta probatur esse ens reale

1 Quia vt est rei factæ perfectio ens actu reale existit, vt *beatitudo in homine.*

2 Quia vt est rei intentæ scopus, mouet naturam, eiusdemque potentiam ad actum excitat, quod est opus rei, quippe non ens hoc non pręstat.

3 Quia etsi actu absolute & simpliciter finis non existat in potentia, tamen rei ad se motæ & allectæ subsistit aliquo modo, in qua realem naturam habet, vt *vita in radice planta aut semine adhuc sub cespite latente & sepulto.*

4 Quia vt embryo homo dicitur, quamuis reuera homo nō sit donec inducatur forma: ita finis in vtero veluti naturæ delitescens res dicitur, tametsi absolute & perfecte sic non sit, donec natura scopum in effectu producendo attigerit.

5 Quia absurdū & inauditum est apud philosophos audire finem vmbram non ens, intentionem metaphysicam, aut nihil appellari, cum sit reale illud bonum ad quod natura in omni actione tendit.

6 Quia natura maxime dependet à finali

causa, quod certe non fieret, si finis omnino quiddam intétionale aut metaphysicum esset.

7 Quia Deus Opt. Max. finis omnium est, & nemo est tam impius qui Deum rem esse per se subsistentem neget.

Opp. *Quod non est, realem essentiam non habet: sed finis non est: ergo realem essentiam non habet. Assumptio probatur, quia finis secundum Aristot. est in sola intentione, at esse in intentione non est realiter esse, sed mente sola apprehendi.*

Resp. *Tota hac ratiocinatio falsa est si de fine rei factæ disputes (est enim finis res facta ens actu existens) sed si de fine rei iam in motu ad finem disseras, interpretationem adhibemus, nimirum eundem non solum in recessu mentis delitescere, sed realiter in rei potentia* (ut vita arboris in radice) *permanere: quamuis ergo non actu & complete existat finis, realiter tamen & inchoate emergit, quod satis est ad realem essentiam finis demonstrandam.*

Opp. *Motus finis est metaphoricus & intentionalis: ergo finis essentia non est realis. Antecedens constat, quia umbra rei adhuc non existentis animo apprehenditur, puta sanitatis quia hic motus excitatur. Et vetus illud est, quod à non ente aut entis umbra ens verum non oriatur. Non est ergo hic motus realis, qui ab umbratili entis fumo & fuco nascitur. Pone exempli causa sanitatem in mente sanantis vel ægrotantis finem esse, adhuc nec medicus, nec æger eandem realiter, sed eiusdem animo imaginem & umbram tenet.*

Finis realiter delitescit in ipsa potentia entis.

Resp. *Cum umbra ludis, & nomine Metaphora atque intentionis te ipsum fallis: nam fieri potest, ut aliquid sit umbra in conceptu mentis & tamen res ipsa potentia entis. Da veniam teipsum iugulandi tuo ipsius exemplo. Intemperie corporis laborans, accersis medicum, sanitatem quaris: peto à te (si sanitas, hoc est, temperies & eucrasia humorum, in potentia natura adhuc languentis non emergat) quorsum medicum consules? quorsum medicinam sumes? Non est ergo sanitas in ægroto penitus extincta, neque recte sola intentio, umbra, metaphora, aut non ens dicitur: sed ut vita in semine*

non

non actu apparet, realiter tamen in eo inest, adeoque eminet si mandetur terra: ita sanitas in corpore morbis afflicto non cernitur, tamen in humorum potentia docili ad sui conseruationem delitescit: & quod de sanitate dico, id ipsum de omni fine quoad entis rationem dico.

Opp. *Motio finis nihil aliud est quam impressio suæ notitia in agēte intellectu efficientis causæ, qua impressione excitatur efficiens ad amandum & desiderandum finem: sed talis impressio seu præsentatio est intentionalis: ergo motio finis est intentionalis, cum sit immanens actio mētis. Sed qualis est effectus talis est causa eiusdem: ergo si motio sit intentio, motio eiusdem erit intentio.*

Resp. *Tu disputas quasi non esset finis omnino nisi respectu intellectus, quod est plane falsum. Nam res qualibet naturalis, quamuis careat intellectu, mouetur ad finem bonumq; suum. Præterea illa impressio, aut imago insculpta in mente efficientis causæ arguit realem essentiam finis, præsertim cum ad amorem ac desiderium eandem pertrahat. Postremo ista impressio non est in omni efficiente causa: nam Deus est efficiens causa omniū, diciturq; agere, disponere, & conseruare omnia propter finem, & tamen nulla in eo mouens impressio, aut impressa motio finis est.* Lib. 1. Ethi. c. 1.

Opp. *Multa sunt causæ finales rerum metaphysicarum, aut ipsarum intentionum, quæ in animo solo subsistunt, vt finis philosophiæ contemplatio dicitur: sed tales fines nullum esse reale habent: ergo omnes causæ finales esse reale non habent. Assumptio probatur, quia tales fines sunt ipsæ intentiones entiaq; rationis, quæ realem essentiam non sortiuntur.*

Resp.

Non vulneras, quia scopum & vinum quæstionis non attingis, quippe de finalibus causis physicis hoc solum loco agitur. Insuper & illud etiam nego quod insinuas, res nimirum metaphysicas in solo animo contineri, finesque intentionales solum habere. Sunt enim nonnullæ res metaphysicæ extra intellectum positæ, quæ suam subsistentiam realem habent, vt spiritus omnesq; incorporeæ substantiæ. Postremo licet intentionem ipsarum finales causæ videantur esse solū intentiones aut entia rationis, esse tamen realem suo subiecto aliquo modo habēt, cuius subiecti proprii fines dicūtur

Vt contemplatio sapientia est finis philosophia, qua contemplatio in animo res quadam dicitur, tum quia in reali subiecto sedet, nempe animo, tum quia circa reale obiectum versatur, nempe sapientiam, qua virtus realis dicitur.

Distinctio quintæ quæstionis, Vtrum exemplar sit omnino causa? & si sit, Vtrum sit magis formalis quam efficiens causa?

In hac quæstione cōsiderari debent:

1 Definitio exemplaris, nempe vt sit *forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, & finem determinantis sibi.*

2 Distinctio formæ in formantem, assistentem, designantem modum rei. Forma formans est, vt *anima*, assistens, vt *intelligentia*, designans modum rei vel actionis, vt hoc loco *exemplaris causa.*

3 Ratio mouendi, non materialiter sed formaliter: vel ex conceptu mentis in hominibus, vel ex instinctu naturæ in aliis rebus, quæ æternam quandam speciem diuinitatis in se latentē habent, qua ad officium præstandum mouentur, quaq; motæ ad primam causam (quæ illam speciem motumque impressit) tendunt.

Affectio seu qualitas exemplaris causæ, & sic magis formalis quam efficiēs aut finalis causa esse probatur.

1 Quia est ipsa forma designans modum actionis, vt in definitione constat.

2 Quia ex intentione animi varias species & formas producit, vt patet in omnibus rebus artificiosis, quæ ex imitatione exemplaris causæ animo artificis impressæ fiunt.

3 Quia distinctionē, ordinem & concinnitatem rerum menti obiicit: quæ tria potius formalem causam quam efficientem arguunt.

4 Quia generatim philosophi diuinum exemplar in omnibus rebus insculptum esse docēt, quod *exemplarem speciem*

&

& *formam* nominant, quæ quidem specie res naturaliter ad ordinem, & decorum, & perfectionem mouentur: quæ etiam sunt argumenta formæ.

5 Quia consensu optimorum philosophorũ potius ad formalem quam ad efficientem & finalem causam destinatur, vt superius demonstratum est.

Opp. *Quemadmodum se habet sigillum ad figuram quam exprimit: ita se habet exemplar ad effectum quem artifex producit: sed sigillum effectiue exprimit figuram: ergo exemplar effectiue producit effectum: & per consequens potius ad efficientem quam formalem causam reduci debet. Maior est Philonis Iudæi de Ideis.*

Resp.

Comparatio omni ex parte non tenet: nam sigillum non determinat modum actionis, vt exemplar seu idea animo concepta, quæ veluti manum & mentem artificis sigillum moueat.

Opp.

Exemplaris causa idea quædam definitur esse, sed idea reiicitur à Philosopho, ergo etiam exẽplaris causa secundum illius opinionem nulla est: & proinde otiosa est hoc loco de illa disputatio.

Resp.

Idea qualis ab Aristotele reiicitur.

Exemplaris causa idea quidem est, non separata sed coniuncta, non vaga sed animo artificis infixa, quam Aristoteles non negat: imo illud quoque agnoscit, quod sit in re quauis naturali diuinum quiddam, & hoc formam appellat: non eam naturalem quæ ex potentia materiæ elicitur, sed proculdubio occultam illam & latentem, quam prima causa sigillo & diplomate quasi suo in rebus singulis obsignauit. Hinc omnia naturalia ordinem, decorum, & perfectionem sequuntur, nõ tam vi sua quam motu istius exemplaris causa, cuius veluti pulchritudine oblectantur.

Oppo.

Ridiculum est exemplarem causam in singulis naturæ

effectis ponere, cum eorum infinita sensu, mente, ratione careant: nam quomodo expertia rationis stolidaq; simulachra naturæ specie diuina ornentur aut capiantur? Somnium ergo hoc est quod de ideis & exemplaribus causis in omnibus naturæ effectis inaniter & otiose fingis.

Lib. 1. Ethic. cap. 1. Lib 2. de Ani. c. 4 lib. 2. Phys. T 14.

Resp. *Quomodo (quæso) Philosophum intelligis in Ethicis, docentem* omnia in rerum natura appetere bonum? *quid? an omnia naturæ effecta sensum, rationem, aut appetitum habent? Dic iterum quid sibi velit Arist. cum doceat naturam in omnibus agere propter finem. Quid? an natura intellectum habet quo finem apprehendat? Cur* araneam, hirundinem, formicam, *prudentia animantia nominat? anne hæc bruta animalcula sapiunt? Quid moror? vt in istis, ita in omnibus dico naturam naturantem sapere, quæ species tales in singulis veluti symbola & imagines sui insculpsit, naturalem amorem impressit, quo res omnes præter* ingratum hominem *mirifice mouentur redire ad causam formatricem sui: præter* ingratum hominem *(dico) quia immanius exemplum monstrosæ ingratitudinis non est, quam vt is qui præ cæteris suam Dei imaginem infixam habet (nempe* animam, *eandemque* ratione, intellectu, memoria, voluntate *præditam) sic brutis affectibus manciparetur, vt Deum authorem sui non agnosceret: quem cælum, terra, omniaque naturæ opera agnoscunt, & suo more venerantur.*

Homo ingratū animal.

Opp.

Quicquid primum mouet efficientem ad agendum est finis: sed exemplaris causa primum mouet efficientem causam ad agendum: ergo exemplaris causa est finis. Maior ex definitione finis petitur: minor exemplo artificis probatur, qui primum ad opus faciendum exemplari idea animo concepta mouetur. Conclusio ergo recte sequitur, quod exemplar potius ad finalem quam ad formalem causam pertineat.

Resp.

Finis ad agendū. Exemplar ad imitandum mouet.

Aliud est mouere primum ad agendum, aliud est mouere primum ad imitandum: finis quidem ad agendum mouet, mouendi modum autem exemplar docet, vrgetque ad internum conceptum animi extrinsecus exprimendum: at iste tam conceptus animi quam concinnata species magis ad formalem

malem quam ad finalem aut efficientem causam tendunt.

Opp.

Sunt quædam diuinæ ideæ effectrices rerum: nam intelligentia & spiritus, *ideæ a philosophis dicuntur: ergo quædam exemplares causæ potius ad efficientem causam quam ad formalem spectant. Antecedens constat, quia spiritus motores cœlestium sphærarum rerumque inferiorum definiuntur esse.*

Resp.

Exemplaris causa non materialiter, sed formaliter hoc loco sumenda est, id est, non pro diuinis illis rebus quæ metaphysicæ ideæ nominantur, sed pro formis aut animo conceptis diuinitus, aut rebus naturalibus impressis: Vnde motus & modus imitationis nascitur, Vt supra satis explicatum fuit. At tales formæ internam causam potius formalem, quam efficientem aut finalem imitantur. Ex his hunc Vsum quæstionis colligo, quod philosophi sub Vmbris radios solis Viderint, docuerintq; lucem obuelatæ Veritatis. Nam etsi quomodo sit Deus totus in toto mundo, & totus in qualibet parte, non aperte demonstrauerint, (quis enim potest demonstrare?) agnouerunt tamen in omnibus & singulis naturæ operibus Deum essentialiter inesse: cum in omnibus & singulis speciem exemplarem & Ideam impressam quasi chyrographū bonitatis suæ inesse Voluerint. Et quid est (quæso) hæc exemplaris forma aut idea nisi ipse Deus, cum (Vt docet Philosophus) in Deo nullum accidens aut mutabilis affectio inesse possit? O diuinam philosophiam, studiumq; Veræ sapientiæ! quæ sunt hæc mysteria & oracula quæ doces? Quid? an in cœlo, in terra, in omni naturæ partu, prole, & effectu inest idea & imago Dei? An ipse Deus? An Deus totus & indiuisus? An Deus Vt substantia subsistens, non Vt accidens inhærens aut influens? Credo hæc omnia Vera esse quæ doces: & quia doces acquiesco, Vlteriusq; non quæro: quia demonstras Deum esse Vnam, immensam, indiuisam, incommutabilem, infinitam, sempiternam substantiam quæ nusquam & vbique *est: nusquam, quia nullo loco circumscribitur: & Vbique quia omnem locum maiestate complet.*

In Deo nullum accidens inest.

Deus nusquam est circumscriptiue & vbique complsitiue.

CAPVT IIII.

An { *Fortuna & casus omnino inter causas rerum annumerentur?*
In æternis aliquid vnquam præter intentionem naturæ contingat, & temere vel casu fiat? }

NE quicquam aut omittatur negligentius, aut leuius frigidiusque tractetur quam par est, de causis (in quibus tanquam in cardinibus globus vniuersalis naturæ voluitur) addit Philosophus superiori enumerationi causarum calculos quosdam suæ aliorumque opinionis de casu & fortuna, mouetque dubia in hoc capite de illis tria. Primum *Vtrum sint*? tum *Vtrum sint causa cœli*? postremo *Vtrum diuina aliqua natura prædita?* Quoad primum (scilicet, *An casus & fortuna sint?* disserit in contrariam partem, & duobus syllogismis non esse demonstrat hoc modo. Si casus & fortuna essent, illorum vi vtique aliquid fieret: sed cum omnia quæ fiunt certa quadam & definita ratione & causa fieri videantur nihil eorum vi fit: ergo casus & fortuna non sunt. Iterum, si casus & fortuna essent, haud dubie veteres illorum meminissent: at nemo veterum de illis inter causas rerum mentionem facit: ergo casus & fortuna nō sunt. Refellit ordine has duas rationes, primum nominatim tangendo quosdam veteres philosophos, qui casum & fortunam esse insinuarunt: tum concludendo, rationem ab authoritate negatiue ductam non esse formalem: postremo argumenta inferendo, quibus vrget aliquid temere & casu euenire posse. Hæc ita in textu constant, vt Soli lucem adderem, si filum aut telam longiorem interpretationis attexerem. Alterum in textu dubium (scilicet *An casus & fortuna sint in cælo?*) verbo resoluit, docetque indignum esse vt cœlum & vniuersalis natura (diuinissima cum sint) vilissimis & despectissimis causis (quales sunt casus & fortuna) subiiciātur. Vanissimam ergo opinionem & somnium Democriti, Leucippi, & aliorum concludit esse, qui ex æternis fortuito & temere conglobatis cœlum coaluisse inaniter censue-

Cœlum non subiicitur casui.

censuerunt. Vltimum dubium (nimirum *An in casu & fortuna insit Numen?*) expositionem, vt multi volunt, apud Philosophum incertam hic habet: sed si hoc & alterum caput subsecuturum legant, liquido patebit, Aristotelem in ea sententia fuisse, vt fortunam non Deam sed vmbram vanissimam inter causas rerum esse existimaret: quippe (vt ait) occulta & inuoluta ratio fortunæ mortales aliquando latens, non est nota diuinitatis vllius, sed magnę inconstantiæ & vanitatis. Quamuis ergo poetæ fortunam vt Deam adorent verbis, Deam tamen cæcam, incertam, mutabilem & inconstantem esse iudicant: iuxta illud Ouidii:

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxq; loco. *Ouid. lib. Trist.*

Hactenus de textu: retexam nunc pensum quod mihimet imposui, vnamque aut alteram quæstionem (more Peripateticorum) breuiter in vtramque partem absoluam. Vna est, *An fortuna sit omnino inter causas annumeranda?* *Quæst. 1.* Anceps sum animi quid de hac ancipiti causa dicam: si affirmem causam omnino esse, Theologos: si negem, quosdam philosophos infestos video. Mediam ergo tenebo viam, ita tamen vt dextrum pedem & vestigium in semita veritatis figam, adeoque concludam fortunam & casum respectu solius ignorantiæ humanæ in contingentibus, causas nominari: non per se & vi sua sic esse vt appellantur. *Fortuna qui causa.* Quippe in illis quæ de improuiso & contingenter respectu nostri eueniunt, alia causa diuina latet, quæ veluti fatale filum & sceptrum naturę tenet, quo omnia & singula prouide disponũtur, fiuntque necessario. Hinc sapienter philosophus hic docet nec in cœlo, nec in rebus vllis diuinis, nec in æternis, nec in aliis quibuscunque: certo numero, motu, ordine, essentia definitis regnare fortunam: sed solum in illis quæ vago & ancipiti quasi feruntur motu, volubilesque rotas & gyros in tenebris suæ ignorantiæ (vt Sisyphus suum saxum) versant. Omitto verba: vanissimaque fictione poetarum, opinioneque quorundam delirantium philosophorum relicta, resoluo nodum, & dico fortunam realem non esse omnino (secundum Aristotelem) causam. *Non est causa realis.* Nam quamuis in textu eandem causam per accidens appellet, protinus tamẽ animad-

uertendum est, hanc clausulam *per accidens* innuere nobis eãdem esse vmbratilem non realem, fucatam non veram & naturalem causam. Cæterum quoniam temporum cæcitas Hypsea cæciores Deos Deasque finxerit, inter quos Fortunam in cœlo vt Iouis filiam Pindarus collocauit: sic enim ait Iuuenalis

Satyr. 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam cœloq; locamus:

mirum non est si Aristoteles aliquid de iure sapientiæ suæ concedat superstitiosæ ætati, & furenti multitudini, quæ eum aliter vt hæreticum & blasphemum in suos Deos cum Socrate condemnasset. Verum enimuero tam abest ab opinione, vt credat fortunam esse deam, aut causam omnino: ac ille qui plane contrarium docet, quod dum argumentis probem, diligenter attende. In 6. Ethicorum aperte dicit Philosophus, ibi esse minus fortunæ vbi est plus sapientiæ, Quasi diceret, si præsit sapientia, non est omnino fortuna, Fortuna enim stolida causa est, & fauet fatuis: stolida (inquam) causa est, id est, reuera nulla, inconstans, vaga anceps, incerta, omnibus ignota. Hoc ipsum apposite concludit argumentum in textu, nimirum omnia & singula in rerum natura certis & definitis causis omnino constare. Explodenda est ergo fortuna, quæ Protheo mutabilior, contra naturam, rationem, prouidentiam catulos cæcos parit. Præterea cum Aristoteles pertinaciter defendat fatum (id est) necessariam connexionem causarum, non video quomodo versatilem rotã aleamq; fortunæ admittat. Deinceps, cum non dissentiat ab aliis Philosophis, asserentib. omnia & singula à diuina prouidentia pendere: manifeste constat, illum noluisse mutabilem fortunam inter certissimas causas annumerari. Postremo, cum omnia appetant bonum, cum natura in omnibus agat propter finem, cum omnia deniq; certam essentiam, proprietatem & scopum habeant; à philosophia alienum, planeq; absurdum esse puto, vitream fortunam vt causam rerum & actionum humanarum dominam principiumq; assignare. Quid? an prorsus in nullo sensu fortunam & casum esse existimas? an ab omni ordine & serie causarũ illã penitus exterminas? Ingratus es Aristoteli, quẽ vbique tanti facis: nam is disertis verbis ait in textu, multa

Vbi plus sapientiæ, ibi minus fortunæ.

Explodenda fortuna est.

esse

esse & fieri casu & fortuna. Si multa sint & fiant ab illis, negandum nō est eadem inter causas annumerari posse: quippe res solum sunt & fiunt per causas. Verbo respondeo, me eodem sensu cum illo vtrunque admittere. Cum ergo ait multa esse & fieri per casum & fortunā, ꝑ *esse* non internā essentiam, & per *fieri* non necessariam cohærentiā aut existētiam rerum intelligit. Sunt ergo multa, & fiunt à casu & fortuna, id est, videntur multa esse & fieri ab illis: nam vtique agentibus ex proposito, ignota causa, quæ aliter præter expectatum eueniunt ascribuntur fortunæ. Sed error hic est in causis inueniendis cæcutientis hominis, non error naturæ, quæ alium sæpe præter spem agentis intendit finem, aliamque causam latentem in suo sinu tenet. Quid moror? *fortunæ casusq;* nomen cum Aristotele retineo: cum poetis autem numen in illis, id est, aliquid diuinum non agnosco. Causas etiam illas appello, sed veras & effectrices esse nego: nam vmbræ sunt & phantasmata rerum, quæ nobis (ignorantibus infinita oracula mysteriaque naturæ) videntur esse causæ, cæterum non sunt: nam vel occultissimis euentis præter expectationem agentium intentionemque naturæ contingentibus, digitus motoris est, qui nihil fortuna & temeritate, sed omnia prouidentia & libera necessitate facit, disponit, dirigit. Hoc dico, non quod omnia ex necessitate fatali cū Stoicis fieri existimē (sunt. n. multa q̄ fiunt libere) sed qa est in primo agente libera necessitas, & in agentibus secundi ordinis necessaria libertas, vt ea quæ aguntur, & fiāt libere, & tamen fiant necessario. Exempli gratia, agricola *ex proposito* defodit terram *præter intentum*, incidit in serpentem, primum opus fuit *liberum*, alterum (si vulgi sequaris opinionem) fuit *fortuitum*, *necessarium* tamen, si causam primam sic volentem & disponentem spectes. Esto igitur, sit fortuna in raro contingentibus & agentibus ex proposito: esto etiam, sit casus in permultis naturæ euētis, vt si *fiat monstrum* aut *sursum feratur saxum*: esto (inquam) & sint & dicantur causæ: sed memineris ignorantiam humanam matrē & nutricē harū causarū semper fuisse, quia alias veriores causas nō sapit: quas si saperet, proculdubio ista idola (*fortunā* & *casū* scilicet) non adorasset. Prudens. n. est qui fortunā contemnit, sapiens aūt cui nihil subito & improuiso euenit,

Quomodo multa sint & fiant casu & fortuna.

Fortunæ nomē admittimus: numen reÿcimus.

Ignorantia humana fortunæ mater.

Quæstio 2.

Altera dubitatio in hoc capite est, *Vtrum in æternis effe-ctisque natura aliquid præter intẽtionem naturæ contingat?* Cum nihil (vt ita loquar) in vniuersa & immensa repub. naturæ sit, quod ab interiore ac diuiniore regia primi Imperatoris, illud ipsum iubentis aut permittentis non fluat: vix dignor nomina *fortunæ* & *casus* in catalogum causarum apud philosophos asciscere: disputandi tamen causa de illis sic loquar, vt Philosophus de *vacuo* & *infinito* loquitur. Sunt enim multa reuera, sunt etiam multa opinone entia: in illis subsistentiam, in his apparentiam solam essentiæ videas, in vtrisque autem discussis, ingenii & philosophiæ vsum. Sed vt vera sunt approbanda: ita sunt fugandæ vmbræ & laruæ rerum, quibus tanquam idolis Solis aut Lunæ in aqua transparentibus, mortalium animi sæpe falluntur. Et sic sane sunt casus & fortuna: sic (inquam) sunt, vt imagines aut vmbræ Solis aut Lunæ. Nam sunt reuera entia, non sunt causę, sed vt Sol per se est causa suę imaginis: ita primus motor rerum est causa istorum euentuum, mortalibus præter propositum & expectationem contingentium. In æternis ergo nõ sunt casus & fortuna: quod argumentis sic probo. Quicquid casu & fortuna fit, id temere fit: quicquid temere fit, id sine prouidentia fit: sed nihil sine prouidentia diuina fit, ergo nihil casu aut fortuna fit: si nihil omnino, certe non in æternis quæ natura sua propius ad Deum accedunt. Præterea, si quid casus & fortuna in æternis & diuinis fieret, sequeretur Deum esse aliquando causam per accidens: quod impium est asserere. Primum, quia omnis causa per accidẽs habet meliorem causam ad quam reuocetur, tum quia causa per accidens (vt hic docet Philosophus) inscienter in effectum incurrit, quod neutiquam diuinæ maiestati conuenit: cum omnia quæ sunt, quæ fuerunt, aut sunt futura vno intuitu contempletur, iuxta illud Boetii loquentis de Deo.

Entia quæ reuera sunt, habent subsistentiam: quæ opinione, apparentiam tantum.

Fortuna & casus vmbræ sunt non vera entia.

Quæ sunt, quæ fuerant veniuntq;
Vno mentis cernit in ictu,
Quem (quia respicit omnia solus)
Verum possis dicere solem.

Porro (vt vtar argumento Philosophi in textu contra Empedoclem) absurdum plane videtur esse, rerum caducarum & muta-

mutabilium gubernationem naturæ aut menti aſcribi, rerum autem æternarum gubernationem aſcribi fortunæ: præſertim cum hæ illas naturæ dignitate, loco, ordine, proprietate, fine longe ſuperent & excellant. Quid addam de naturæ euentis, quæ Ariſtoteles ipſe fatetur eſſe certa, & ab aleis omnibus fortunæ caſuſq; libera? quippe (vt ait) ex certis cauſis pendent, & in illis natura (quę eſt certiſſima cauſa) propter certum & definitum finem perpetuo agit, ſuoque voto nunquam fruſtratur. Quid ergo ſupereſt iam quo fortuna & caſus imperarent? certe nihil: nihil certe ſi gnomone veritatis & philoſophiæ directus veriſſimas rerum cauſas quæras. At ſemper Cramben bis coctam apponis mihi, vrgeſq; Ariſtotelem nominare, diſtinguere, definire fortunam & caſum, eademq; inter cauſas annumerare. Ego vero iterum atque iterum reſpondeo, inter cauſas per accidens non per ſe annumerare ſecundum vulgi opinionem, non ſuam. Cęterum (vt aliquantulum de iure meo diſſiliam) non nego quin in aliquo ſenſu concedat vtrumq; eſſe: nimirum cum aliquid præter efficientis ſcopum nec neceſſario, nec euidenti cauſa antecedente contingat. Hinc (vt poſtea declarabitur) diſtinguit Philoſophus quędam in rerum natura fieri vel neceſſario, vel contingenter: neceſſario, idq; vel ſimpliciter & abſolute, vt fatalia, vel hypothetice & cum conditione, vt communi ordine & curſu effecta naturalia. Contingenter quædam etiam fieri dicuntur, quorum factorum nobis nulla videtur eſſe neceſſitas, vt *è nube hac fulmen decidere, ex illa aliquando ſanguinem:* itidem *hunc hominem* naſci *pulchrum, illum deformem*. Sed attende: quamuis hæc nobis (ignorãtibus cauſas proximas & immediatas rerum) ignota & occulta ſint: certũ eſt tamen ſubeſſe cauſas, ex quibus neceſſario fiant. Contingentes autem hæ cauſæ dicũtur reſpectu noſtri, eædẽq; (vt diſtincte loquar) aut fortuna aut caſus, fortuna cũ pręcedit intentio: caſus quem nulla præoccupat deliberatio. Huc ergo tendit hæc tota mea de fortuna & caſu diſceptatio, vt intelligas omnia ad gloriam & maieſtatem primæ cauſæ referri debere, neque in hac vniuerſitate rerum quicquam temere & otioſe fieri. Sed ô vanitatem noſtrorum temporum, in quibus ſæpius & ardentius nomen fortunæ quam numen diuinæ ſapientiæ inuo-

Fortuna cauſa per accidens Huius lib. c. 6. Plato apud Plutarch. lib 11. de Plac. phi. cap. 29.

Fortuna & caſus differentia. Huius lib. c. 16.

catur! Sic enim est vox votumq; hominis. O vtinam rerum affluentia cum Crœso, sermonis elegantia cum Crasso, imperii magnitudine cum Cæsare, rerum gestarum gloria & fœlicitate cum Alexandro essem conferendus! nunc miser sum, infortunatus sum, sub infœlici cœli aspectu sydereque infesto natus. Cur hic ad regnum, cur ille ad rastrum destinatur, si in rebus humanis non imperet, non dominetur fortuna? Salue Bona Dea Fortuna, verte rotam & me nũc in illa pendentem miserum beatum effice. O immanem idololatriam! idololatriam dico, quia tũ vere idololatria cõmittitur, cũ nihil sit quod adoretur. At fortuna nihil est, nihil est casus: in illis ergo inuocandis & adorãdis blasphemia cõmittitur. Omitto ista, & ad distinctionẽ quęstionũ venio.

Fortunam inuocare idololatria est.

Distinctio primæ quæstionis. Vtrum fortuna & casus omnino inter causas rerum annumerentur?

Philosophorum opinio multiplex est de fortuna & casu, nam alii

- 1 Cum poetis delirant, ponẽtes fortunã esse Deam, & in rebus tum humanis tum diuinis Dominam.
- 2 Cum Empedocle in cosmopœia, & cum Democrito aliisque philosophis minoris famæ, ex incerto concursu atomorum fortuito & temere discurrentium omnia in infinito spacio fieri: non tamen sic facta gubernari arbitrantur.
- 3 Cum Socrate & Platone omnino non esse existimant, quoniam (vt docent) nihil sine prouidentia diuina euenit, nihilq; fit nisi ex certis causis semper notis naturæ, quamuis aliquando ignotis nobis.
- 4 Cum multitudine putant omnia contingentia & accidentia esse fortuita, & in illis omnibus fortunam & casum emergere, causasq; esse.
- Cum Aristotele fortunam & casum ponunt causas esse, sed neque respectu naturæ, neq; respectu diuinę prouidẽtię, sed respectu solũ ignorantiæ humanæ, & hoc
  - 1 A sufficienti enumeratione causarum, tum internarum, tum externarum, quibus res omnes actionesq; rerum absoluuntur: ergo non opus est his causis: nam *frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora*
  - 2 A definitione fortunæ, quæ manifeste notat nobis, eandem non esse ens rei vel rationis: & idcirco non posse esse causam.
  - 3 A relatione rerum omnium ad primã causam, quæ nihil sinę sua prouidentia, certisq; causis (licet

nobis

nō per se sed per accidens. non vere & simpliciter, sed secūdum opinionem: & probatur hoc modo

nobis ignotis) fieri permittit.

4 A connexione fatali causarū cum effectis, quę esse non potest, si fortuna & casus inter veras causas annumerentur. *Huius lib. c. 6. T. 65.*

5 A comparatione eorum qui ponunt & negant fortunam esse: nam poetæ mendaces ponunt, negant autem sapientes philosophi.

6 A conditione & lege causarū per accidens, quæ est vt *reducantur ad causas per se*: sed fortuna & casus reduci non possunt ad causas per se, scilicet ad materiam, formam, efficientem, finem. Absurdum enim est dicere, fortunam esse materiam, aut formā, aut efficiētē, aut finem, quia hæ oēs causę certæ sunt certumq; motum, ordinē, & naturam habent.

7 A contradictione naturæ & diuinæ prouidentiæ, quæ omnia numero, ordine, & pondere disponunt & agunt: a fortuna & casus hunc numerum, ordinem, & mensuram peruertunt: absurdum est ergo istas causas ponere, nisi respectu ignorantiæ: quæ est priuatio omnis scientiæ & sapientiæ, quæ ignorantia, quæ priuatio luscos, & cæcos inter mortales alit, inter quos fortuna & casus, id est, vmbræ causarum dominantur.

8 A proportione & similitudine, nam vt *colores Iridis*, aut *idola solis & lunæ* videntur simpliciter res esse, & tamen non sunt: ita ignorātibus rerum causis, fortuna & casus videntur quidem esse causæ: sed reuera non sunt. Officium ergo philosophi est, ignotis causis rerum nō temere ad fortunam & casum confugere: sed ad diuinam prouidentiam, quæ vanissimas istas vmbras, colores & imagines causarum: neque in caducis neq; in æternis dominari sinit.

Opp. *OEdipus es planeq; ænigmata de fortuna & casu*

loqueris. Nunc enim fortunam affirmas esse, nunc negas: nūc iterum nescis quid defendas: sed in hoc quod sis anceps animi quid dicas, quid neges, quid concludas, fortunam respectu ignorantia tua manifestissime ponis.

Resp.

Praceps & pracox es sermone tuo, & dum videris tibimet conclusisse fortunam, plane aliter contra spem & expectationem tuam conclusisti: nā id in me reprehendis quod in te ipso non cernis. Accusas enim ignorantiam meam, & nemo prater teipsum dilaudat sapientiam tuam: sic dum aucupari cōtendis nomen sapientis, in contrarium nomen ignari incidis. Et quid hoc aliud est quam fortunam casumq; defendere respectu ignorantia tua, non mea? Sed esto, mallem confiteri veram ignorantiam, quam profiteri vanam scientiam. Respondeo ergo ad argumentum, nempe me non vacillare opinione mea, sed mihimet constare in hoc, fortunam & casum non esse veras aut reales causas: dici tamen causas solum respectu ignorantia humana, qua alias latentes causas rerum effectrices in plurimis euentis sapissime non cernit.

Fortuna & casus qui causa.

Opp.

Si Aristoteles non defendat fortunam & casum, iniuste alios accusat in hoc capite philosophos, qui eorum nullam mentionem facit: frustra etiam eadem inter causas enumerat, distinguit, definit, eorumq; proprietates & differentias explicat: iniquus ergo videris esse interpres Aristotelis, qui contrarium defendit.

Resp.

Sic defendo, vt Aristoteles defendit. Sunt enim quadam entia opinione hominum, qua definiuntur, vt infinitum, vacuum, quadratura circuli: *sic casus & fortuna, ignotis pro propriis causis, definiuntur vt causa. Quemadmodum ergo (lite inter philosophos exorta) atomi definienda sunt, ne argumentorum vmbris decepti, ex atomorum confluxu pracipitiq; eorundem concursu mundum nasci & formari credant: Ita aliis ponentibus casum & fortunam, negantibus aliis, vtraq; definienda sunt, ne meretriciis causis pro veris acceptis, in infinita absurda ignorantes ruant, putentq; cum infortunatis fortuna catulis se esse beatos, cum vmbras vitrea fortuna capiant, quas qui capiunt, capiuntur.*

Meretricia causa pro veris quandoque accepta.

Opp.

Opp. *Aristoteles positiue non negatiue concludit, esse fortunam & casum: hallucinaris ergo qui negatiuam partem solum inferas.*

Resp. *Ponit ex aliorum, negat ex sua opinione: contentus est admittere nomē vtriusq;. & loqui cum multitudine, censet autem cum sapientibus rem nullam nomini respondere.*

Opp. *In Ethicis diuisit Arist. bona in bona animi, corporis, & fortunæ. Vt ergo sunt illa bona simpliciter entia res: ita eorum causa sunt simpliciter entia res: & ex consequenti casus & fortuna sunt simpliciter entia res, quia bona fortunæ sic sunt, vt de* diuitiis, honore, fama, miseria *constat. Probatur antecedens ex primo Ethic. Argumentum tenet, quia qualis est effectus talis est semper causa in genere entis: si ergo bona fortunæ sint entia res, fortuna ens res erit.*

Bona triplicia. lib. 1. Ethic c. 8. & Plato apud Laert lib 3.

Resp. *A non causa ad causam disputas: quippe bona fortunæ non dicuntur quia eorum fortuna sit causa, sed quia causa cur hic sit diues, ille miser nonnunquam ignoretur: fortunæ tamen bona nominantur, quia multitudo credidit fortunam esse eorum causam, quod sapientes nunquam crediderunt: nam si credidissent, Aristoteles certe bona fortunæ deberi soli virtuti non docuisset, non docuisset Orator diuites solum sapientes esse, quibus nihil temere & fortuito contingit.*

Cic. Paradox. 6.

Opp. *Si non sint fortuna & casus, redde causam cur* lupus hanc ouem *non* illam *è grege raperet. Redde rationem quomodo* monstrum *in rerum natura fieret. Redde causam cur* gemini ex eisdem parentibus suscepti, sub eodèm cœli aspectu nati, eodem momento in lucem editi, sub iisdē præceptoribus educati, alios aliosque sequerentur mores, rerumque euenta plane contraria cernerent.

Resp. *Nihil vrges: nam dico semper aliam fortasse ignotam subesse causam. Redde (inquis) rationem, redde causam: quid si non possim? exinde concludisne aliam causam non esse? Si dicam ad partes argumenti tui, lupum hanc non illam ouem è grege rapere, quia in hanc non illam feram sensus mouebat: si dicam monstrum vel ex defectu, vel ex excessu, vel ex mala dispositione & situ materiæ nasci: postremo si di-*

Monstrum vnde oriatur.

cam geminos non eadem morum aut actionum sequi vestigia, quia hic magis fortasse patrem, ille matrem sequatur, probabiles hæ causæ sunt & naturales: at sane à sapientibus tradi possunt meliores. Quid ergo opus est fortuna & casu, si aliæ caussæ assignari possint? At possunt. Cæterum si non possent, (cum intellectus hominis sit sepultus in carcere, & tanquam noctua in sole) certissimum tamen est nihil prorsus sine prouidentia diuina posse euenire, quæ causas certas euentorum nobis incertorum nectit, & sapientibus nonnunquam aperit: multa autem occultauit sapientibus, vt sapiétes agnoscerent vnum solum sapientem esse.

Opp.

Sacra philosophia videtur approbare casum & fortunam: ergo male defendis contrarium. Antecedens probatur ab exemplis Tobiæ forte capientis piscem, cuius intestina medicamento essent patri, & sponsæ futuræ. Itidem ab exemplo filiorum Iobi, in quos epulantes repentino casu corruerant ædes. Multa alia omitto exempla, ex quibus euidenter cõstat, in sacris oraculis insinuari approbationem fortunæ.

Tob. 6. 2.

Iob. 1.

Resp.

Te ipsum iugulas: nam apertissime appositissimeq; nostras confirmas partes: nimirum omnia à diuina pendere prouidentia, & nihil à casu, nihil à fortuna. Lege iterum loca, & in priori exemplo iussum, in posteriori permissum diuinum fuisse intelliges. Quippe Angelus bonus iussit Tobiam vt hoc faceret malos autem spiritus permisit Deus Iobi mactare filios, vt serui sui patientiam inde magis, veluti aurum *in* flammis *penitius probaret. Proficiscuntur ergo omnes euentus fortuiti à diuina sola prouidentia sic decernente, vel sic permittente, vt hæc exempla liquido & accurate docent.*

Distinctio secundæ quæstionis Vtrum in æternis aliquid præter naturæ intentionem contingat, vel temere & casu fiat.

Tria

Tria in hac quęstione considerāda sunt, nimirum

- 1 Aeternorum distinctio: sunt autem æterna vel
  - 1 Absolute accepta, eademque simpliciter in subsistentia sua, & sic solus *Deus æternus* dicitur, cui omnia nota sunt & præsentia, & proinde nulla fortuita, nulla contingentia, ignota nulla.
  - Cōparate eadēmq; vel per
    - 1 Participationem, vt *intelligentiæ* quas philosophi ab ab æterno fuisse credunt.
    - 2 Constitutionem, vt *cœlestes sphæræ*, quas propter excellentiam formæ nec incepisse nec corrumpi posse affirmant.
    - 3 Successionē, vt *indiuidua rerum naturalium*, quarum perpetua generatione (vt docent) in æternum continuatur mundus.
- 2 Intentionis naturalis interpretatio, quæ sumitur duob. modis, aut pro
  - 1 Præscientia, consilio & prouidētia Dei, qui a philosophis *Natura naturans* dicitur: & sic omnino nō est audiendum nomen fortunæ & casus.
  - 2 Inclinatione aut dispositione naturali, qua res quęlibet tendit secūdum vim & proprietatem suam ad bonum seu finem & perfectionem: & sic etiam fortuna non cernitur in euentis naturæ.
- 3 Quid sit *præter naturæ intentionem aliquid contingere*: contingit autē aliquid præter intētionem naturæ vel
  - 1 Cum prima causa mediis non alligata, absoluta sua potentia vtatur, ordinemq; physicæ naturæ inuertat, vt *sursum ferri terrā, deorsum volare ignem, solem immotum stare.*
  - 2 Cum vnum intendat natura, aliud autem vel ex defectu materiæ, vel ex abundantia, vel ex mala dispositione & ordine coacta sit producere. Vt in defectu *Cyclopem*, in abundantia *Briareum*, in mala dispositione partium *deformem & gibbosum Thersiten*.
  - 3 Cum homo aliquid agere conetur impulsu naturæ, vt *edere*: & aliquid præter intentionem animi sequitur, vt *suffocari*.

Opp. CASVS *inconstans es, & multa incerta de casu & fortuna loqueris. Quid moror? modo conclusisti omnino nec in aeternis, nec in caducis naturae effectis esse* casum & fortunam: *nunc vero tribus modis posse aliquid praeter intentionem naturae temere & fortuito euenire doces. Si hoc non sit vacillare, doce me quid sit constantem esse, & tamen tam diuersa, tam contradicentia concludere: contradicentia dico: quia esse & non esse fortunam, plane contradictionem in verbis docent.*

Fortuna & casus sunt & non sunt qui.

Resp. Casus *sum re & nomine constans, tamen* Casus *fortunae & temeritati obnoxius libenter esse nollem. Sed ludo. Respondeo igitur esse & non esse fortunam diuerso respectu: esse respectu ignorantiae quae alias causas non nouit: non esse, respectu prouidentiae quae omnes causas cernit & disponit. Si vrges aliquid fortuito & temere euenire respectu naturae, quia praeter intentionem naturae, aliquando numerus aut ordo partium in homine principe animantium deficit aut abundat: dico non temere & fortuito naturae quicquam contingere, si proprie* contingentiam *definias. Rationes huius assertionis duae sunt, prima quia natura physice aliam intentionem nō habet, quam vt subiiciatur primae causae, quae sic illam aliquando operari iubet: secunda quia ex certis causis talis effectus nascitur, licet illae causae sint minus notae nobis: Realiter ergo non sunt casus & fortuna: apparēter sunt, vt superius demonstraui.*

Opp. *A Scylla in Charybdim incidis: nam dum insinuas respectu solum ignorantiae humanae dici,* re non esse fortunam *omnia contingentia respectu naturae negas: sed hoc est aperte contra Aristotelem, qui disertis verbis ait,* multa in rerum natura casu, & fortuito euenire.

Resp. *Nihil probas, nisi fortunam & casum caussas esse probes istorum euentuum qui ordine nobis incerto & ignoto fiunt. Agnosco equidem aliquando rerum species motusque naturae à prima causa mutari, non tamen sine mediis causis nos latentibus, nisi miraculose mutari penitus agnosco. Vt cum praeter expectationem Ezekiae, quindecem anni adderentur illius vitae, quindecem gradus Solem naturale principium vitae reuocauit Deus.*

2. Reg. 20, 1. Esai. 38. 8. &c.

Opp. *Opportune de sole mentionem facis, in quo naturae*

intentio

intentio est ut perpetuo circa terram centrum universi volvatur: sed praeter intentionem hanc natura, ut exemplum tuum docet, reuocatus est ab hoc cursu & motu suo, ipsaque natura fallitur: sequitur ergo contra quaestionem in aeternis aliquid praeter intentionem naturae aliquando contingere. Idem argumentum valet in exemplo & historia Iosuae, cuius iussu sol in medio coeli praeter intentionem naturae immotus per integram diem stetit. Iof.10.12.

Resp.. *Miracula haec sunt, non sunt communis naturae effecta: fiunt enim quaedam praeter communem & usitatum naturae cursum, sed non sine causis, ut* sursum ferri terram, ignem deorsum, *ne admittatur vacuum. Et haec naturae effecta dicuntur, quamuis eorum causae nos prima fortasse inspectione lateant. Fiunt etiam quaedam immediate a potentia Dei, & haec vere miracula dicuntur, ut* ex nihilo creare mũdum, *ut* augere oleum & farinam viduae Sareptae, augere panes & pisces quibus tot millia hominum pascebatur. *Sed attende quod etiam in miraculis saepissime Deus utitur mediis, ne cum idololatris fortunam & casum ignotis caussis adoremus. Sic* hominem finxit, *sed* ex luto, limoque terrae. *O miram potentiam Dei! sic visum restituit, sed* puluere & sputo *suo. O magnam potentiam Christi, qui cum ex se omnia possit, infimis tamen creaturis usus, mysteria facit, ne nos mediis contemptis (in quibus illius honor lucet) salutem & gloriam sine mediis vendicemus.*

Miracula quae immediate fiũt a potentia Dei. *1. Reg.17.9.* *Matt 14 19.* *Gen 27.* *Iob 9.6.*

Deus est Deus ordinis. *Media non negligenda.*

Opp.

In aeternis per successionem (.i in rebus singulis) saepissime natura errat, (ut docet Philosophus) ergo in aeternis aliquid praeter intentionem naturae potest euenire. Ratio tenet, quia res singulae sunt aeternae successione, aliter mundus non esset aeternus (ut defendit Arist.) Quid multis? error naturae peccatum est: at peccatum natura non intendit: si ergo erret natura, idipsum necessario praeter intentionem naturae euenit.

Resp.

Natura non errat, si vel suus ipsius motum, vel primae causae mouentis nutum sequatur, videtur tamen errare a suo communi cursu, ordine, & stadio quod percurrit, cum aliud iubente aut permittẽte prima causa, faciat. Facit tamen & non sine caussis, ut obediens primi motoris ancilla facit. Ac dices

Cur Deus hominem peccare permittat.

quod Deus naturam errare, hominem peccare permittat, non cogat. Iniqua est hac comparatio tua, cum in natura sit sola potestas faciendi quod Deus iubet, in homine vero voluntas resistendi: naturam ergo errare non sinit: hominem autem peccare aliquando permittit, vel vt conuersum pœniteat facti: vel vt impius, persistens pœnam damnati sentiat.

Opp. *Video difficillime te à peruersa opinione tua amoueri posse. Medicus es, & sæpe contendis curare patientem: at falleris nonnunquam opinione tua: quia præter spem & expectationem tuam contingit, vt moriatur patiens. Quid? an hic euentus est fortuitus respectu ignorantia tua?*

Resp. *Respondeo ex poeta.*

Non est in medico semper releuetur vt æger
Interdum docta plus valet arte malum.

Li. 1. Top. c. 2.

Medicus sum, studeoque semper curare patientem, at fallor sæpe opinione mea. Quid? an hinc concludis fortunam esse, meque ignorantia arguis? Attende, vt orator nõ semper persuadet, non quod sit indoctus, sed quia minus dociles aut attentos auditores habet: ita medicus non semper curat, non quod sit ignarus, sed quia morbos incurabiles aliquando tractet.

CAPVT V.

Vtrum
- *Fortuna sit alia causa, à causa agente secundum propositum, cui aliquid euenit præter intentum?*
- *Aliqua causa assignari possit cur alius alio fiat fortunatior?*

DIsputandi causa (vt adolescentulorum ingenia magis acuantur) Aristotelis hoc loco vestigia sequar, & ancipiti significatione fortunæ casusque nonnihil ludam. Ludam inquã, nam serio (cũ philosophus Christianus sim) has causas, vel potius causarum vmbras pro non causis, habendas esse puto. Si hic vrgeas me inaniter & otiose idcirco tẽpus consumere dũ de his quæ non sunt, acsi essent, copiose disputẽ: respondeo me nihil minus agere aut conari: sæpe enim de his quæ non sunt, aut quæ apparent solum, insignis

& præ-

& præclara philoſophorum inſtituitur decertatio, indeque vſus elicitur haud contemnendus. Exempli cauſa, Dialectici de *ente & non ente*, philoſophi de *infinito*, & *vacuo*, Mathematici de *conceptis animi formis*, Metaphyſici de *ideis ſeparatis rerum*, de *nihilo* ex quo Deus omnia creauit Theologi non ſine fructu diſputant. Diſcuſſo enim non ente, quid ens ſit liquidius luciduſq; conſtat, vt fructuoſus ille locus Topicus à *Contradicentibus & diſparatis* docet. Agam ergo de fortuna & caſu, vt philoſophus de *atomis*, de *iridis coloribus*, de *ideis Platonis*, de *vmbris corporum*, de *æternitate rerum animo concepta* agit: id eſt ſic agam, vt ea quæ non ſunt (quamuis videantur eſſe) inter ea quæ reuera ſunt non numerentur, magiſq; aurum eſſe eorum quæ ſunt, veluti probatum eluceſcat. Omiſſis verbis, in hoc capite Ariſt. primum quæ vis & natura ſit fortunæ & caſus inquirit, tum quę ſint eorum adiuncta oſtendit: Poſtremo eadem in partes diuidit. Vt ordine hæ omnia conſtent, quatuor diuiſiones eorum quæ fiunt in textu adhibet Philoſophus: quarũ prima eſt, quod eorum quæ fiunt alia ſemper eadem lege & modo eueniant vt *dies exorto ſole nox eodem occumbente*: alia non ſemper ſed plerunque, vt hominem bipedem naſci: alia inſolenter & raro, vt *ſtellam crinitam* apparere. Altera diuiſio eſt, quod eorum quæ fiunt alia ſuſcipiantur propter finẽ, vt *medicinam capere propter ſanitatẽ*, alia non propter finẽ, *vt barbam otioſe vellicare aut demulcere*. Tertia diuiſio, quod eorum quę fiunt propter finem, alia agantur animi iudicio, vt quæ homines cauſa aliqua inducti aggrediuntur opera ſeu negotia: alia ſimplici naturæ ductu ſinę conſilio aut iudicio, vt omnes belluarum & rerum naturalium actiones, quæ carent ratione. Poſtrema diuiſio eſt, quod eorum quæ fiunt, alia à certis cauſis, alia ab incertis & impropriis pendeant, qualia ſunt illa quæ ab improuiſo & inopinato præter expectata euenta è ſuperioribus cauſis oriuntur.

Quomodo agit de fortuna & caſu.

Eorũ quæ fiũt. 1 Alia ſunt ſemper, frequẽter, Raro. 2 Alia ſunt propter finem Otioſa. 3 Propter finẽ, alia conſilio fiunt. Alia ſimpliciter natura ducta. 4 Alia à certis cauſis, alia ab incertis.

Ex his diuiſionibus natura ſeu definitio fortunæ & caſus elicitur: nam à poſtrema diuiſione in qua dicit Philoſophus quædam ab incertis & impropriis cauſis pendere, vtriuſq; genus cognoſcitur, nempe cauſa impropria: (hic) quæſo obſerua quod Ariſt. caſum & fortunam cauſas improprias nominet: ex reliquis tribus diuiſionibus colliguntur differentiæ.

Fortuna & casus differẽtia. Nam vbi prima diuisione dicitur, quod quædam *raro eueniant*, prima differentia: vbi in secunda dicitur quod quædã *propter finem fiant*, altera differentia: vbi denique dicitur in tertia diuisione, quod *quadam animi iudicio, quadã sine iudicio & consilio agantur*, tertia differentia notatur. Nam quæ præcedente consilio aguntur, fortunæ: quę sine iudicio præcedente fiunt, casus euenta appellantur. Hinc emergunt definitiones casus & fortunæ in textu. Est ergo fortuna *causa per accidens seu aduentitia in iis rebus quæ propter finem (praeunte deliberatione) raro fiunt:* vel accuratius (si placet) definiatur: hoc modo. Fortuna est *caussa per accidẽs in raro & non necessario contingentibus cum vnum agitur ex proposito, aliud vero non intentum ex insperato euenit.* Casus quoq; est *causa per accidens in iis ẽt rebus quæ raro fiunt, sed sine praeunte deliberatione.* Fortuna est *caussa per accidens non per se, impropria & separata non propria, in raro cõtingentibus, ex parte consecutionis*, vt inuenire thesaurũ, *non ex parte temporis vt* fieri eclipsim solis, *praeunte deliberatione alterius* scilicet intenti operis, *alio vero contingente præter expectationẽ & intentionẽ agentis.* Similis est interpretatio alterius definitionis quæ de casu datur, præterquã quod in hoc differant, quod fortuna sit in animatis solum & agentibus cũ intentione, sensu appetitu, aut consilio: casus vero in inanimatis & agentibus solum ex instinctu naturæ. Sequuntur in textu adiuncta fortunæ & casus, primum fortunã esse infinitam, quia infiniti euentus fortuiti vbiq; ex infinitis fere occasionibus emergunt. Vt in forum proficisci, & vel in hostem, vel in amicũ, vel in foueam, vel aliud bonum vel malum præter expectationem incidere. Secundum adiunctum est fortunam esse causam abditam & obscurã propter ignorationem, quæ maxime fortunam peperit, & propter euentorum varietatem, incertitudinem, & inconstantiam: nihil enim est tam incertum ac fortuna, quæ tantum constans est in leuitate. Tertium est nihil proprie à fortuna fieri, fieri autem multa dicuntur, quia aliæ propriæ ignorãtur causæ. Amplector te (philosophorum princeps) quia aperte iam loqueris & veritati cedis: sed perge. Quartum (inquis) adiunctum est, fortunã esse à ratione penitus alienam & aduersam, id est (si loqui velis quod vere sentias) cæcam, otiosam

Fortuna definitio 1.
2 Cic. lib. 2. de Diuinat. Casus definitio.
Fortuna & casus differentia alia.
Fortuna adiuncta.
1. Infinita.
2. Obscura est.
3. Causa est nullius propria.
4. Agit sine ratione.

otiosam & insanam. Addis argumentum singulare, quia ratio, inquis, est in his quæ frequenter fiunt: fortuna ergo, quę solum in raro & incerto ordine contingentibus versatur, ratione per se omnino caret, licet ille qui agit deliberationem capiat. Huc Pacuuiani versiculi apud Ciceronem 2. Rhetoricorum spectant.

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi.

Saxoque instare globoso prædicant volubili:

Ideo quo saxum impulerit, eo cadere fortunam autumāt.

Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernit quo se applicet: insaniam autem aiunt quia atrox, incerta, instabilisque sit: brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere. Quintum adiunctum est, fortunam nunc prosperam seu bonam, nunc aduersam seu malā appellari, cum aliquid boni aut mali euidenter & conspicue nobis eueniat. Hinc mutationes quædam magnæ aut paruæ in vita humana cōtingunt: nam secundæ fortunæ aura fortunatos in portum, aduersæ flatus & procella miseros in Orcum trahit. Attēde hic, Philosophum non definire fortunam esse caussam boni & mali: cum modo negauit esse omnino caussam, sed hic loqui secundum vulgi opinionem, quod omnia illius temporibus aruspicum, flaminum, & coniectorum calculis, sortibusque fortunæ temere ascripsit. Quod probo ex vltimo adiuncto seu corollario quod est, *prosperitatem esse instar fortunæ*, id est, incertam, variam, cæcam, inconstantē, iuxta illud quod dici solet: *Fortuna est vitrea, quæ cum splendet frangitur*: Verbosior in textu exponendo fui, tum quia pauciores quæstiones mouentur, tum etiam, vt ex longiore discursu intelligatur aperte quid Aristoteles de casu vere senserit.

5. Nunc prospera, nūc aduersa appellatur.

Lege Stobæum sermone 103. de fortunæ inconstantia.

Quæstio prima quam tracto est, *Vtrum fortuna sit alia caussa a caussa agente secundum propositum, cui euenit aliquid præter intentum?* Ne nimis steriles in tanta fœcūditate & segete disserendi simus, fontibus apertis riuulos altius fluere & manare nunc permittemus. Acre quidem est certamen inter philosophos, *An fortuna sit anima humana, seu potentia aliqua eiusdem intendens aliquid, quod aliud insperato assequitur? &c. An casus sit forma rei inani-*

Quæst. 1.

mata naturaliter agẽtis, cui præter intentũ finẽ aliud præter inclinationẽ euenit? Da veniam (per benigne Lector) vt à me ipso paulisper dissiliã, tibiq; ampliorẽ disserẽdi cápũ aperiã. Dico igitur, & dico cũ subtili Scoto, aliisq; eiusdẽ farinæ expositorib. Philosophi, fortunã nihil aliud esse q̃ *volũtatem aut intellectũ humanũ, agentẽ aliquid cũ deliberatione ex intento, cui aliquid euenit præter intẽtionẽ insperato.* Dico iterũ, & cũ doctiss. Scoto dico, casũ nihil aliud esse q̃ *formam rei naturalis inanimata, agentẽ ẽt propter aliquid, cui præter hunc motũ, cursum, aut inclinationẽ naturæ, aliud non naturaliter intentũ cõtingit.* Et certe, si quid omnino sit fortuna & casus, aut hæc sunt, aut nihil sunt. Nã qd agit in homine cũ deliberatione, quid finẽ intendit in illo nisi sola anima? Quid agit in re naturali, quid mouet in illa nisi sola forma? Sed fortuna est agens in homine cũ deliberatione: & casus est agẽs in re naturali sine deliberatiõe, cui præter intẽtionẽ seu inclinationẽ alii effectus non intenti obtingũt. Est ergo fortuna in homine nihil aliud quã anima: est casus in re naturali nihil aliud quã forma. Nihil aliud (inquã) quam anima aut forma intendens hoc, inueniens illud: & certe nõ est mirũ, si tũ anima in homine, tũ forma in re naturali aberrent & fallantur si particulares actiones (quarũ sunt principia actiua) respicias: quippe actiones hæ vtriusq; sunt numero infinitæ, natura variæ, effectu ancipites & incertæ, earumq; exitus & euentus nonnunquam longe incertissimi.

Fortuna quid.

Casus quid.

Fortuna qui anima hominis.

Casus qui forma rei naturalis dici possit.

Sed vt articulatius hoc ipsum probetur, argumenta pauca ad formam dialecticam concinnabo. Primum erit ab hypothesi necessaria hoc modo Si fortuna sit causa agens cum præcedente deliberatione, cui præter intentionem aliquid de repentino accidit, & si nihil sit in homine præter animam quæ talis causa agens esse potest: sequitur necessario animã dici posse fortunam. Similiter de casu & forma in re naturali dicitur. Præterea ab inductione aliarum causarum omnium hoc ipsum demonstrari põt, quia earum nullæ cũ ratione aut consilio agentes falli possunt præter animam: est ergo anima sola in homine talis causa, quã philosophus fortunam nominat. Si de antecedẽte dubites, percurras causas quæ cum ratione agunt, Deũ scilicet, intelligentias, oẽsq; spiritus & incorporeas substantias. Si dicas Deum fortunam

esse,

esse, impius es, si intelligentias, spiritus, & incorporeas substantias, indoctus es: quippe hæ caussæ non discussiua ratione, sed intuitiua euenta futura vt præsentia vident. Nihil ergo illis ex insperato aut de improuiso euenit, nihil incertũ. Par ratio effingi potest de forma in omni re naturali inanimata, cũ inclinatione & instinctu suo ad hoc vel illud, subiectum (in quo est) moueat, cuiq; aliud præter hanc inclinationem contingat, vnde casus, i. causa sine ratione agens dicitur. Nã forma inanimata sine ratiõe: anima humana cum ratione agit. Hoc porro confirmat & concludit definitio vtriusq;, quam Iudocus Eysennacensis non contemnendus philosophus tradidit, Fortuna, inquit, est nihil aliud quã intellectus hominis humanarum operationum existens effectiuum principium, cui ex proposito vnũ effectum producere intendenti, alius quispiam notabilis bonitatis vel malitiæ insperato euenit. Casus vero, inquit, est forma substantialis in re naturaliter, & non secundum propositum seu deliberationem agens, vt puta forma bruti vel lapidis cui similiter inopinato & præter intentionem effectus quispiam notabilis bonitatis vel malitię obtingit. Hactenus ex Iudoco qui Scotum & Petrum Tartaretum sequitur. Hæc vtriusque definitio liquido demonstrat, animam dici posse fortunam, formam rei inanimatæ dici posse casum: si authoritati subtilissimorum philosophorum credas: magis tamen, vt ad me ipsum redeã, credendũ est veritati, quæ illas metaphoricas & vmbratiles causas nõ agnoscit; vt venerãdus vir Baptista Mãtuanus l. 2. de patientia c. 6. luculẽter docet. sed pergã.

Casus vnde dictus.

Fortuna quid.

Casus quid.

Quamuis anima humana sit certissima, & diuinissima forma substantiaque hominis: potest tamen non incõmode dici causa per accidens alterius non intenti effectus, qui ex actione humana tendente ad alium finem euenit. Nam vt *sol* est causa per se *luminis*, causa vero per accidens *caecitatis*, si forte intentius quis intueatur *solem*: ita anima humana est vera forma, & causa p se hominis, est ẽt causa per accidẽs alterius effectus, puta inuenti thesauri: si homo aliquãdo illius instinctu se moueat ad fodiendã terram, aut diruẽdum ædificium ruinosum, in quo auaritia incognitum sepeliuit thesaurum. Postremo, euentus fortuiti hoc esse verum manifeste docent, qui ad aliam nullam causam tam

Quomodo sol causa luminis & caecitatis.

proprie reduci &reuocari possunt, quam ad animam humanam aut eius primarias partes, nimirum intellectum & voluntatem, quæ non semper prouide & sapienter agunt. Vnde tales euentus improuisi sæpissime contingunt, qui euentus fortuiti rectissime dicuntur. Verum enimuero si referantur ad causam à qua intenti, præuisi, præcognitique sint, non effectus fortuiti: sed necessarii dicuntur: puta si referātur ad *Deum* aut *Angelos bonos* vel *malos*, qui frequenter iussu diuino istiusmodi effectus inexpectatos producunt. Vt cum gloriam inanem aucupatus est Herod. subito & de improuiso percussus est ab angelo obiitque ignominiose. Multa sunt exempla in sacra philosophia, vt Danielis trium puerorum, Petri: qui per angelos bonos (præter expectationem) liberati sunt: at neque Deo, neque spiritibus nomen fortunæ attribuendum aut assignandum est, sine magno scelere & flagitio impietatis. Illi.n. sæpe intendunt hæc vel illa fieri, quæ contra aut præter naturæ impetū, appetitum, motum, & cursum fiūt. Sic quamuis respectu hominis ignorantis futurum, aut respectu naturæ alium intendentis effectum, id quod euenit sit fortuitum: respectu Dei tamen, spirituumq; qui illius iussum exequuntur, id ipsum est quidem necessarium. Quippe Deus per spiritus, essentia per reflexum & influentiam à Deo, futura vt præsentia vident.

Act.12.23. *Dan 6.* *Dan.3.* *Act.12.*

Quæst.2. Accedo nunc ad alteram quæstionem, quæ est *Vtrum aliqua causa naturalis assignari possit, cur vnus alio in hac vita sit fortunatior?* Nihil fortunæ ascribo Christianus, Philosophus autem loquar cum Philosophis: ita tamen vt echo Aristotelis & imitator fiam, qui potius ex aliorū quam ex sua ipsius opinione loquitur, cum rotas fortunæ vertat.

Cur vnus alio fortunatior. Dic ergo Arist. quomodo tu fortunatior in Philippi regia aliis Philosophis extitisti? quæ causa est cur Alexander discipulus tuus potentior, augustior, imperiosior aliis regibus mūdi fuit? Si certas causas ipse redderem: philosophia te illum magnificentia animi diuini extulit. Sed esto alias causas ab arcanis & abditis naturæ thesauris eximendas video, quibus probem vnum alio fieri posse fæliciorem.

Fortunatus quis. Fortunatiorem hoc loco intelligit philosophus, eum, qui bonis fortunæ (vt aiunt) aliis ornatior splendidiorq; in theatris & comœdiis huius mundi viuit.

Bona fortunæ quæ. Bona fortunæ sunt (si definias)

externa

externa,& apparentia illa ornamenta humanæ vitæ, quæ sine succo,& radice virtutis (non aliter ac folia in autumno) cadunt: qualia sunt *diuitiæ, amici, honores, imperia*, aliæque fluētes & refluentes amœnitates vitæ, quæ recte pilæ fortunæ dicuntur. Sed ad rē: vis vt vno verbo dicā tibi causam cur vnus alio sit fortunatior? veriorē certe dare non possum quā quod vnus alio sit stultior & ignorantior. Nā vt est in prouerbio *fortuna fauet fatuo*. Imo fortuna a philosopho causa stolida,& cæca dicitur: *Stolida* quia magis fauet spuriis sui simillimis, *cæca* quia indignis (quales sunt inepti & ignorantes) sua munera dextra largissime, doctis vero & sapientib. sinistra parcissime distribuit. Sed (Deus bone) quot hodie sedentes & ambulātes in lubrica via fortunæ videas, in semitis vero virtutis ferè nullos! Si vnquā verū fuerit illud prouerbiū, nunc pro oraculo habeatur. *Stultorū plena sunt omnia*. Cū scoriā pro auro, vmbrā pro corpore, echo vanitatis pro voce virtutis, puluerē vitreę fortunę, pro lapide philosophiæ gēmisq; solidæ sapientiæ capimus: & (quod omnium maxime nos demētiæ arguit) cū capti simus non cauemus, sed præcipites (versa fortunę rota) deteriora sequimur, cæcamq; Deam fortunā semper veneramur. Sed o Cæca ætas! *Stultorum omnia plena.*

Dic vbi Cæsar est clarus imperio?

Verum sororum tuarum. i. veterum ætatum folia, verte volumina. O quot Cæsares ambitiosos, quot Alexandros, quot Imperatores & Imperia, quot reges & regna, quot Proceres & sceptra quot potentes & alta pallatia sub rota fortunæ, ruïnosa & sepulta videas? Cur ergo illam Deam esse somnias, quam meretricē pellacem noueris? Sed o cæcitatem ambitiosam,& ambitionē cæcam istius ætatis, in qua à domina casta ad scortum, id est, à prouidentia diuina ad fallacem fortunam, à præpotenti Deo ad Plutum diuitiarum idolum vertimur: sed quid ago? rem agam,&alias inuita Minerua causas ostendam, cur alius alio fortunatior in hac vita fiat. Christiani philosophi causam vnā docēt, nempe prouidentiam Dei, quæ in singulis rebus disponendis sollicita est. Hanc ipse Arist. non negat, tametsi alias causas insinuet, inter quas (vt ait in lib. de Bona fortuna) quædā occulta qualitas est in animo huius non illius hominis: occulta (inquit) qualitas, quę magis hunc quam illum ad hoc vel illud agen- *Fortuna meretrix.* *Causa cur alius alio fortunatur.*

agendum̃ (vnde fit fortunatior) prouocat. Hanc qualitatem̃ naturalem impetum nominat, eundemque proprium & peculiarem magis huic quam illi. Hoc (inquit) impetu, hac qualitate motrice animus huius magis quã illius mouetur, occulte incitatur trahiturque ad aggrediendum illud opus, in quo palliata fortuna prospera & secunda latitat. Vnde vir ille aggrediens id operis, alio non aggrediente fortunatior redditur. Nam sæpe sub cespite latet ridetque fortuna, & in
4 sterquilinio (tali dea dignissimo sepulchro) viuit. Aliam caussam tradit philosophus, ipsam nimirum animã humanam, quæ quodam respectu (vt ante edocui) caussa per accidens, ipsaq; fortuna dicitur. Vt ergo in extasi homo positus, aut furore correptus, aut sepultus somno, sępissime diuina mysteria & videt & loquitur, quæ ad se rediens aut vigilãs nõ meminit: &, vt idẽ vigilans sæpe abdito instinctu naturæ mouetur ad ea faciẽda de quib. somniauit, vnde beatior efficitur: ita animus fortunati in corpore sepultus, cernit quidẽ permulta bona, q̃ nõ intelligit futura, at (quasi vigilãs) occulto mentis impetu ad ea aggredienda impellitur, vnde aliis fortunatior fiat. Ratio huius rei est, q̃a animus humanus in se sapit: quamuis corporis mole oppressus frequenter ignoret euentum, qui motum, instinctum, aut impetũ suũ occulte sequitur. Quippe animus est perfectio corporis, & illius impetus in multis ad meliora mouet, tametsi (eiusdem lumine nube corporis obscurato) nõ semper perspiciat q̃ ex actis & intentis euentura sint bona. Exempli caussa, *Vir pius intẽdit in solitudine, & contemplatione vitam agere: at ex opinione virtutis (præter intentionem) trahitur in theatrum mũdi, vt sceptrum teneat.* Intẽdit (vt vides) ex occulto animi motu solitudinẽ vitæ: at regnũ tenet: fortunatior hinc est vt vulgus putat. At multo beatior esset, si intendẽs regnũ, eremũ salutasset: vita n. theorica beatior actiua dicitur. Adhuc aliã caussam assignant philosophi, scilicet concursum multarũ caussarum, quæ veluti benigno aspectu hominem fortunatum respiciunt, istæ caussæ dici possunt exempli gratia, *Deus, cœlum, spiritus*, aliaq; externa quæ hunc magis q̃ illũ mouent ad intentum opus, vnde fortunatior existat. Sic piscatores Milesii partim animi impetu, partim dęmonis instinctu mouebãtur, tum cũ tripodẽ aureum fortunatissimi capiebãt.

O quam

Anima humana fortuna dicitur.

Anima perfectio corporis.

Vita theorica ĩ actiua fælicior. Li.10. Eth.c.7.

O quam multi hodie piſcatores eſſent, ſi tripodes aureos caperent! imo contenti eſſent Petri piſciculos capere ſi in eorum branchiis argenteum ſtaterem caperent: at ſi caperent neque *Deo*, neque *Cæſari* quicquam perſoluerent. Sed o infortunatos Mileſios piſcatores, qui captum tripodem aureum vt Deum coluiſtis! Cæterum cur vos accuſo, cum hodie vbiq; per mare per terras curramus, vt auro capto fortunati ſimus, aurumq; pro Deo habeamus? Poſtrema cauſa cur alius alio fortunatior euadat, eſt bonus Genius, qui(vt quidam ſapientes philoſophi defendunt) bona fortunæ virtutis imperio ſubigit, & certe ſi æquis lancibus res ponderetur, *honor, diuitiæ*, aliaque ornamenta vitæ: non naturæ, non fortunæ, ſed ſoli virtuti debentur. Sunt enim propriæ bonorum poſſeſſiones, malorum autem rapinæ & ſpolia. Colamus ergo virtutem, quæramus ſapientiam, caſum & fortunam contemnamus.

Non hos quæſitum munus in vſus. Virg. Æneid. 4.

Diſtinctio primæ quęſtionis. Vtrum fortuna ſit alia cauſſa à cauſſa agente ſecundum propoſitum, cui aliquid contingat præter intentum? Vel vt quidam mouent, Vtrum ſit ipſa anima humana vnum intendens, aliud præter expectationem inueniens.

In hac quęſtione diſcutienda cõſiderari debent

- 1 Diſtractio interpretum & philoſophorum in definiẽda fortuna, quorũ alii definiunt eam.
  - 1 *Diuinum quiddam, principium actionum humanarum* eamq; *deam audacter* & imote appellant.
  - 2 *Diuinam prouidentiam ignotam hominibus, quæ ſingulis cauſas rerum, & effectus ad placitum diſponit.*
  - 3 *Cauſam per accidens, metaphoricam, incertam, cæcam, variam, motricem, & effectricem rerum contingentium, ſed raro & ſine ratione.*
  - 4 *Cauſam per accidens in iis rebus quæ fiunt raro, alicuius finis gratia, præeunte deliberatione.*
- 2 Diſtinctio finis q ad meliorẽ interpretationẽ huius definitionis dicitur vel
  - 1 Intentus idemque
    - 1 Per ſe & ſic dupliciter vel
      - 1 Pręexiſtente idea ſeu deliberatione in animo. Verbi gratia, cũ Architectus ſit ædificaturus domũ primũ deliberat & idea cõcı

pit animo ad cuius exéplar opus facit.
2 Præexistéte naturali inclinatione, & sic res quælibet naturalis dicitur habere intentũ finẽ, vt lapis quiescere in centro.

2 Per accidens idemque etiã vel secundũ
- 1 Deliberationem, quæ fallitur cũ aliud agenti cõtingit quam q̃ intendit: & hic effectus fortuitus dicitur.
- 2 Inclinationẽ quę finem intentũ naturalem non assequitur, & iste effectꝰ casus nominatũ.

2 Non intẽtus idemq;
- 1 Secũdum propositũ qui fortuitus à fortuna.
- 2 Sine proposito qui casualis à casu nominatur.

3 Expositio cõtingentiũ raro, quæ bipartita sũt vel respectu
- 1 Temporis & sic omnia fortuita euẽta dicuntur. Nam eclipsis Solis & Lunæ aliaque multa naturæ euenta raro contingunt, & tamen non ad casum aut fortunam referuntur.
- 2 Consecutionis inexpectatę & præter intentionem agentis, & sic raro contingentia fortuita (si præcedat deliberatio,) casualia si non præcedat dicuntur.

4 Confirmatio opiniõis seu positionis in qua dicitur, quod fortuna sit anima, hæc quidem opinio ꝓbatur
- 1 Ab hypothesi seu consecutione necessaria, quia si fortuna sit causa agens cum præeunte deliberatione cui intendenti vnum, aliud prętet intentionem obtingit: & si sola anima humana sit talis causa quæ cum deliberatione agit, necessario sequitur animã humanam dici posse fortunam.
- 2 Ab enumeratione aliarum causarum tũ in animatis tum in inanimatis quæ sensu, appetitu aut impetu naturali agunt, non autem cum ratione.

3. Asimi-

3 A similitudine, quia vt ignis est causa per se caloris, per accidens autem incendii, quo deuastantur ædes: ita anima per se causa formaque hominis est, per accidens vero est causa effectus, qui præter expectationem & intentionem agentis euenit.

4 Ab authoritate omnium ferè Thomistarum & Scotistarum, qui diuerso respectu hoc nomen fortunæ animæ ascribunt.

5 A comparatione, quia non minus anima hominis dici potest fortuna respectu humanarum actionum, quam forma rei naturalis inanimatæ dici possit casus, si quid præter inclinationem eiusdem formę occurrat.

Opp.

Captus es, nam aliud stans aliud sedens cogitas; Infestus modo fuisti fortunæ, & CASVS casum exterminasti, nunc vero mutato consilio fortunam animam humanam, casum formam naturalem esse definis.

Resp. *Verbis otiose ne teratur tempus, attentius quæso audi quid dixerim. Si inquam fortuna sit omnino causa quæ cum deliberatione agat, haud dubie nihil aliud est quam anima humana, quæ sola cum deliberatione agit. Si quid cõtra attuleris ingeniose, pro viribus respondebo.*

Opp. *Fortuna non potest esse causa certa, sed anima humana est causa certa, ergo anima humana non est fortuna. Maior ex definitione fortunæ constat. Assumptio probatur, quia anima humana est constans, certa, & distincta forma essentiaque hominis.*

Resp. *Satisfactum est huic rationi superius, vbi docueram animam esse certam causam hominis, incertam autem fortuiti euentus, quem parit sed non intendit.*

Opp. *Anima non videtur esse caussa omnium effectuum fortuitorum, quia sæpe intendens anima bonum incidit in perniciem. Exempli causa non raro contingit hominem in itinere malique nihil cogitantem, fulmine ictum perire. At si anima sit caussa istius effectus, videatur præceps in suam perniciem ruere suique interitus esse caussa.*

Resp. *Non attingis vivum, est enim anima causa istiusmodi euentus non per se, sed per accidens, id est, quasi diceres, fortuita & remota causa. Nam vt persistam in exemplo tuo, anima est proxima causa itineris vel ambulationis est vero per accidens causa necis, quippe si non ambulasset homo, percussus fulmine non periisset.*

Op. *Fodiens est aliquando causa inueniendi thesauri, sed anima nō est fodiēs, ergo anima nō est causa inuēti thesauri, id est, effectus fortuiti. Maior constat, quia si homo non foderet, aurum defossum non inueniret, hinc à quibusdam non anima, sed proxima caussa agens fortuna dicitur.*

Resp. *Proxima caussa agens cui aliquid præter intentionē raro & derepente euenit, fortuna dici potest, vt fossor terræ. Verum quia animæ soli debetur omnis deliberatio quæ proprie requiritur ad fortuitum effectum, igitur primario hoc nomen fortunæ anima humana habet.*

Lib. 2. de Ani. cap. 5.

Opp. *In æternis & diuinis (vt ante docet Philosophus) nō est fortuna. sed anima humana est æterna & diuina. ergo anima humana non est fortuna. Maior propositio est perspicua in præcedenti capite, assumptio est etiam nota in cap. 5. lib. 2. de anima.*

In internis nihil fortuitum respectu essentiæ, non existētiæ.

Resp. *In æternis & diuinis nihil est fortuitum respectu essentiæ suæ, at respectu existentiæ motusq́; externi esse potest, non quod ipsa æterna aut diuina mutentur omnino, sed quod eorum actiones aliquando aliter contingant quam natura intentio postulat. Sic etsi anima in sua subsistentia sit simplex, firma, eademque perennis & æterna: secundum actum tamen & existentiam in corpore, nonnunquam vnum proponit, aliud succedit. Respondent alii, animam considerari duobus modis, vel absolute vt est spiritus, vel comparate vt est actus. Priori modo non est fortuna, quia est æterna & diuina, altero vero modo potest dici fortuna, quia corpore extincto desinit esse actus in existentia sua, & quodammodo mortalis & caduca habetur.*

Anima consideratur dupliciter.

Op. *Fortuna est (vt in textu docet Philosophus) res occultissima. ergo definiri non potest, quia lex vna definitionis est, vt sit perspicua: si definiri non potest, frustra tota hæc de illius definitione instituitur disceptatio.*

Resp. *Fortuna dicitur occultissima, non quod non possit à no-*

à nobis definiri aut cognosci : sed quia ignotum est operanti quid eueniat fortuito, quod non sit intentum ab eo.

Opp. *Vnius rei est vna definitio, sed multiplex fortunæ traditur definitio, ergo fortuna non recte definitur.*

Resp. *Etsi responderi possit quod fortuna sit multiplex, vnam tamen hic differendi caussa definitionem fortunæ defendimus, in qua dicitur caussa per accidens ad excludendas caussas per se; secundum propositum. ad remouenda ea quæ non agunt cum deliberatione, qualia sunt inanimata, belluæ, infantes. Quippe hæc neque fortunata neque infortunata dici possunt, cum secundum deliberationem non agant.*

Opp.

Si anima sit (vt dicis) fortuna, cur anima infantis excluditur, cum anima infantis non minus sit anima quam anima Platonis.

Resp.

Respondeo igitur, animam infantis excludi, quia vsu rationis caret, requiritur enim vt in fortuna præcedat deliberatio, quæ est actio animæ perfectæ. Licet ergo anima infantis non sit minus anima quã anima Platonis quoad essentiã, nõ tamen sic est quoad existentiam vsumque rationis. At anima posteriori, non priori modo, fortuna definitur, vt superius satis demonstratum fuit. *Anima infantis cur excludi- tur à fortuna.*

Opp.

Rectius fortuna in abstracto id definitur esse, quod fortunatum in concreto dicitur quam quod non dicitur, sed homo fortunatus dicitur non anima hominis, ergo potius homo quam anima hominis definitur fortuna. Maior probatur, quia fortuna & fortunatum sunt coniugata quorum si vnũ conueniat alicui, idem alteri conueniet.

Resp.

Nomen fortunæ sumitur hoc loco non stricte vt fortunatum sed fuse vt tam fortunatum quam infortunatum denominat; fortuna ergo & fortunatum non sunt vera coniugata. Præterea etsi denominatio fortunæ communiter homini vt subiecto conueniat, anima tamen vt caussa conuenit. *Fortuna conuenit homini vt subiecto anima vero [?] sa.*

Distinctio secundæ quæstionis. Vtrum causa naturalis assignari possit, cur vnus alio sit fortunatior?

Ad meliorem intellectum huius quæstionis quidam interpretes tractát

1 Adiuncta fortunæ quæ sunt numero 5, nimirum

1 Fortunam dici infinitam, quia infiniti fere sint illius effectus in actionibus humanis, vt liceat videre in Olympo & theatro mundi.

2 Fortunam esse admodum obscuram, abditam & latentem causam quam ignorantia causarum genuit.

3 Nihil quodammodo à fortuna fieri, id est, manifeste, vt ab aliis causis rerum.

4 Fortunam esse à ratione auersam & alienam iuxta illud. Ratio & fortuna aduersantur.

5 Fortunam esse raro prosperam bonis, malis autem sæpe, quia est cæca rerum causa.

2 Diuisiones rerú quæ fiunt quarum

1 Est, quod aliæ semper eodem modo fiant, vt calor accenso igne, splendor exorto sole; aliæ non semper sed plerumque, vt hominem bipedem; aliæ insolenter & raro vt hominem monopodé, aut monoculum nasci.

2 Quod aliæ propter finem, vt ambulatio propter sanitatem; aliæ non propter finem vt barbam demulcere.

3 Quod aliæ, factæ propter finem, animi iudicio, aliæ sine animi iudicio suscipiantur; illæ rationis nutum in homine, hæ naturæ impetum & motum sequuntur.

4 Quod aliæ à certis, propriis, & definitis causis, aliæ ab incertis, impropriis, & indefinitis pendeant. Ex hisce diuisionibus rerum, non solum melius accuratiusque intelligi potest definitio fortunæ superius posita: sed etiam illius partitio in bonam & malam iam pertractanda.

3 Rationes. Vide in seq. pag. signum ⁂

⁂ 3 Ratio-

* * *

5 Rationes quibus probatur quod alius sit alio fortunatior, quæ quidem rationes illā partitionem fortunæ in bonā & malam maxime respiciunt. Harum rationum

1 Prima ducitur ab adiuncto fortunæ vbi dicitur cæca, inconstans, stolida causa rerum. Hinc plerūq; & veluti libenter stultos & ignaros fortunatiores, doctos & sapientes inuite beatos facit. Stultitia ergo & ignorantia, quę sunt mater & nutrix fortunę, causæ sunt primariæ bonæ fortunæ. cōuenit enim tali matri & nutrici tales filios catulosque alere & enutrire.

2 Secūda ducitur ab occulta qualitate animi mouente hunc magis quam illum ad hoc vel illud agendum, vnde commodum sequitur: hanc qualitatem impetum Aristoteles definit.

3 Tertia ducitur à concursu adiuuantium causarum, quæ vnitæ vim fortunæ fortiorem reddunt.

4 Quarta ducitur ab aspectu meliore Cœli sub quo quis nascitur. Vnde Astrologi diuinant & augurantur, hunc magis quam illum fortunatū esse; vt nati sub sole honorifici, nati sub Mercurio eloquentes & diserti euadant.

5 Quinta ducitur ab occulto motu animæ quę in essentiæ suæ lumine multa cernit, ad quæ agenda corpus per appetitum mouet, vnde nonnulla prę-ter expectationem aliquando eueniunt.

Opp. *Hæc tota disputatio superstitiosa est & impia, cū omnia & singula à prima causa & illius prouidentia dependeát. Nam, vt Arist. docet, prouidentia Dei singula disponit, omittit nihil, ignorat nihil, nihil non pro suo arbitrio facit.* *Et Sen. epist. 76.*

Resp. *Consentio tecū & libēter latū vnguē nō dissilio. Christianus sum, humiliterq; agnosco nihil sine prouidentia Dei omnino fieri. At cum philosophis iam disputo, qui præter hāc primam secundas causas singularum rerum, actionum & effectorum quærunt: quas quærentes & non inuenientes hoc idolum in templo Deorum suorum erexerunt; sed perge & contra probabiles causas assignatas disputa.*

Opp. *Insinuas occultam qualitatē, quā impetū naturalem Arist. appellat esse causam cur alius alio fortunatior euadat, ex hac positione sic arguo. Si occulta qualitas sit causa aut est ex parte corporis, aut ex parte animi: nō ex parte corporis, quia corpus nullā qualitatē habet motricē sui cū ratione aut cōsilio, quod ad fortunā requiritur. Quod vero nō sit ex parte animi, sic etiá pbo, quia si esset ex parte animi, aut erit ex parte intellect⁹, aut ex parte voluntatis: quod nō sit ex parte intellectus, sic doceo (quia authore Arist.) Eth. 6. vbi est maxim⁹ intelle-*

ctus, ibi est minima fortuna, & vbi est minim⁹ intellect⁹, ibi est maxima fortuna. Quod deniq; nō sit ex parte volūtatis sic demōstro: quia potest similis act⁹ volēdi in duob. simul esse, & tamē vnus eorū assequitur effectū, alter vero nō assequitur. Si ergo ista qualitas, qua motrice ali⁹ alio fortunatior fit, non sit in animo aut corpore, sequitur aliā inueniēdā esse certiorē.

Qualitas qua efficit aliū alio fortunatiorem cui inhaeret.

Resp. Est aliquid q̄ vrges & libēter respōdeo, hāc qualitatē motricē hui⁹ magis quā illi⁹, ad hoc magis quā illud faciēdū, vnde vn⁹ alio fortunatior efficitur, partim esse in animo, partim in corpore: in animo primario p inhaerentiā: in corpore secundario p influentiā. Animā n. primū mouet, tū impetū in corpus facit, ideq; cogit hoc potius quā illud agere. Quod vrgeas ideo nō esse in corpore, quoniā corpus sine ratione agit: at ratione agere requiri ad fortunā aus: dico corp⁹ humanū agere cū ratione respectu animi, cui oēs suos motus acceptos refert. Quod vlterius vrgeas idcirco non esse in animo, quoniā ex Arist. cōstat maximū intellectū fugare fortunā, minimū intellectū alere: locū hūc admitto, & tamē dico nō probare q̄ velis; nā illic insinuat Philosophus esse quidē fortunā respectu ignorātiae intellectus, minus aūt regnare fortunā vbi sapiens intellectus regnat. Caeterū hoc nō concludit, quo minus sit occulta qualitas impetusq; in mente, quo homo magis ad hoc quā ad illud agendū incitetur. Sed pergā, & vbi in postremo doceas volūtatē nō esse causam, quoniā duo simul agētes possunt habere similē voluntatē, qui tamen nō eundē assequantur effectū, vnde alii fortunatiores habeantur: dico parem voluntatē nō esse causa, sed impetū voluntatis qui est occulta qualitas voluntatis magis hunc quam illum mouens.

Op. Si sit haec qualitas naturalis, aut sequitur speciē humanā aut nō: si sequatur speciē humanā, cur omnes eodē modo non sint fortunati: si non sequatur speciē, recte non efficit fortunatos, quia sine ratione est, quae semper ad actionem praeeuntem fortunae euentum necessario requiritur.

Resp. Sequitur speciem haec qualitas naturalis, sed secundum magis & minus, & vt vna materia est aptior quā alia ad recipiendam impressionem formae: ita vnus homo citius quā alter impetum impressum sentit, sequiturq; occulta vestigia fortunae, quae non aliter trahit aptiorem quam magnes ferrum, in quo qualitatem sequacem inuenit.

Opp.

Opp. *Cæli siderumq; aspectus fortunatiorem alium alio efficit: ergo non solum a fortuna homines fortunatiores dicuntur. Antecedens Haly & Guidonis authoritate probatur, qui asserunt sub sole natos fortunatiores esse, quam qui sub Saturno aut Ioue nascuntur. Ratio est, quia alia sidera & aspectus suam lucem, gloriam & influentiã à sole habent, eorumque vires & influentia tum meliores sunt, cum directe solem principem planetarum intueantur. Qui ergo in proprio motu solis sub aspectu vel simplici vel coniuncto geniti editique sint, (modo non sit torvus aspectus aliorum siderum impedientium benignitatem solis, proculdubio (vt aiunt) magni viri & fortunati fiunt. Præterea non solum hoc ascribitur astrorum viribus, sed etiam dæmonibus seu intelligentiis assistentibus astris, qui animos hominum ad dignissimos motus & affectus rerum maximarum trahunt.*

Resp. *Haly & Guidoni multũ attribuo, propter insignem eorum in astrologia sapientiam plus tamen Arist. qui à cælo nomen fortunæ abigit, maxime autem veritati, quæ ex libro naturæ hoc nomen penitus expungit. Sed esto, philosophorum more disputemus. Concedimus ergo in cælo siderumque benigno aspectu latere adiutricem caussam melioris fortunæ; nam vt sol est auri genitor: ita cum sit præcipua caussa generationis, suos filios auro & honore plerunq; ornat, id est, inclinat sub suo aspectu natos ad magna & excelsa tentanda; nõ tamẽ hinc concludes cælum aut solem esse caussas per accidens aut producere incertos fortuitosq; euentus rerum. Vbi addis non solum sidera, sed etiam sideribus affixos dæmones hoc ipsum efficere, quia vt sidera immediate in materiam, ita dæmones immediate in formam agunt. Respondeo me non esse ea opinione, vt sentiam Dæmones seu intelligentias sideribus assidere: cum vero hoc probaueris, aliud accommodabo responsum, interim hoc accipe, quod si sint assistentes spiritus, non illos temere aut fortuito sed scienter & necessario agere: vtpute semper dependentes à prouidentia Dei.*

Astrorum aspectus qui cõcurrat ad hominem fortunatiorem efficiendum.

Op. *Fortuna est mancipium virtutis, & illius bona sunt ornamenta & possessiones debita virtuti: virtus ergo videtur esse causa cur alius alio fortunatior existat. Pæterea vt*

est in prouerbio. Audaces fortuna iuuat timidosque repellit. Audax ergo prudens, politicumque ingenium, videtur esse caussa fortunatiorem efficiendi. Liquido constat hac omnia esse verissima, qua vrgeo, quoniam vbique pusillanimes & meticulosos, squalidos, pannis annisque (vt loquitur poeta) obsitos, audaces vero & confidentes votis maximis potiri & optata ferre.

Fortuna ancilla virtutis sed proterua.

Resp. *Si negarem virtuti debere ancillari fortunam, iniustus, si iterum inficias irem audaces promoueri iustosque repelli, insanus essem. Quippe illud ratio, hoc experientia docet. Sed ad argumentum respondeo, fortunam esse ancillam quidem virtutis, at proteruam: qua ratione effectus superantis rationem, brutis potius hominibus & iniustis honorem, diuitias & opes tribuit. Dico igitur virtutem esse caussam beata vita non iniusta fortuna constantis & interni honoris, non fluentis & externi applausus popularis, quo hodie infiniti non aliter quam aues esca aut pisces hamo capiuntur, captique pereunt.*

Opp. *Natura est aliquando causa vt alius alio sit fortunatior, ergo male nomen fortuna ab arce natura exterminatur. Antecedens probatur, quia vi natura fit aliquando vt quis pulcher, aut imperatoris filius nascatur, qua bona inter bona fortuna annumerantur, quibus ornati homines fortunatiores habeantur, quamuis ha quidem bona non sint semper in potestate nostra.*

Resp. *Hac exempla bonorum sunt in iis qua minus proprie dicuntur bona fortuna. Nam Venus seu pulchritudo externa naturalem formam, & esse filium ipsam naturam sequitur, esse autem filium imperatoris non est semper fortunatum esse, quia (vt poeta ait.)*

Horat lib 2. Carm. Od. 10.

Sapius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsa grauiora casu,
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulmina montes.

Postremo vbi insinuas omnia bona fortuna esse in potestate nostra, toto cœlo erras. nam si essent, nulli pauperes, nulli infelices, nulli miseri & infortunati essent.

Lib. 2. de Gen. & Cor. cap 10.

Opp. *Vitium aut vitiosa vita nos solum miseros facit, ergo virtus seu studiosa vita nos solum fortunatos reddit: ra-*

tio sequitur: quia contrariorum contraria est ratio. Antecedens probatur, quia affluentes bonis fortunæ: si sint iniusti, valde miseri & infortunati sunt, quia tadis & furiis scelerum suorum dies noctesq; torquentur & vulnerantur: at studiosi & iusti viri (omnibus fortunæ bonis spoliati) liberi sunt, nihilque omnino timent nectare enim virtutis vitaque integritate in perpetuum delectantur.

Resp. *Iterum tecum consentio, dextras ergo per amice hic coniungamus. Loquamur cum philosophis, & argumenta vltro citroque discutiamus: sed eo tendat tota disputatio, vt veritate cognita, vmbra quæ nos ignorantes fallunt, mundumque sæpe in pistrinum malumque iocularetrahunt, penitus abigantur. Certum est hoc nomen fortunæ fefellisse multos, qui crediderunt philosophorum principem in eodem numen coluisse, sed errarunt. nam nihil in fortuna tale esse Philosophus vnquam somniauit. Si (inquit) sit causa, cæca est, stolida est, incerta est, addam & ipse (vt tecum conspirem) nulla est.* *Nomen fortunæ multos fefellit.*

CAPVT VI.

Vtrum { *Casus & fortuna ad causam efficientē reducātur?* / *Sit fatum, idemq; imponens necessitatem rebus?* }

PErgam & sequar Philosophum, tametsi libentius illius vestigia vrgerem in alia via, sed festino; Duo in hoc capite demonstrantur: Primum quid inter casum & fortunā intersit, deinde ad quod causarum genus vtrumq; reducatur. Ad pleniorem horum intellectum docet Philosophus, nomen casus sumi duobus modis: vel fuse, pro omni extranea & aduenticia causa, & sic fortunā complectitur, vel stricte pro ea causa quæ è regione opponitur fortunæ, & sic hoc loco tractatur, Distinguitur à fortuna variis in textu modis, qui omnes modi eo relabuntur, quod casus in naturalibus rebus inanimatis, expertibus rationis versetur: fotuna vero in animatis, voluntariis intellectu iudicioque præditis, iisdemque capacibus prosperitatis, libertatis, & beatitudinis, vt exēpla luce clariora in textu docent. Hinc res aliæ naturales animatæ, vt plātæ; sensibiles vt belluæ; inanimatæ vt lapides; actu vsuque rationis carentes vt infantes, & insani *Casus sumitur dupliciter.* *Fortuna & casus quomodo differant.*

proprie fortunæ non dicuntur: quia hæ omnes non sunt capaces prosperitatis, nisi fortasse lapides aræ aut templi dicas esse fortunatos, quia sacris vsibus destinentur. Casum ex aduerso ostendit Philosophus conuenire istis modo enumeratis, scilicet non capacibus prosperitatis, naturalibus, inanimatis, belluis, infantulis, & insanis: quippe res istæ naturali potius impulsu, quam ratione aut consilio agunt: si quid ergo præter intentionem naturæ illis obtingat, casus dicitur. Exempli caussa, si equus ab hoste captus vinculis disruptis ad potestatem sui domini redeat: aut si lapis cadens ab arce occidat virum. De genere caussæ ad quod casus & fortuna reducuntur, pauca addit Aristoteles: docet vtrũque, quoniã sunt causæ per accidens, reduci debere ad causam p se; hanc vero caussam per se efficientem nominat, quod probat ab argumento sumpto à comparatione hoc modo. Ad idem caussæ genus pertinet fortuna & casus, ad quod mens & natura pertinebant & referrentur: sed mens & natura ad caussam efficientem pertinent, ergo fortuna & casus ad genus caussæ efficientis necessario pertinebunt. Maiorem probat, tum quia fortuna animam & deliberationem, Casus naturam impulsumque naturæ solum requirit; tum quia fortuna & anima, re subiecta sint eadem, nisi dissimilitudo effectorum inter illa discrimen pariat. Similiter de casu & natura dicendum est. Hinc, vt opinor, Scotus aliique interpretes collegerunt superius discussam quæstionem; *Vtrum fortuna sit anima humana, & an casus sit forma, prout anima & forma non pro formantibus & definientibus caussis, sed efficientibus principiis actionum sumantur?* Nam sic accipi possunt, si non ad res quas constituunt, sed ad actiones, quas pariũt, referantur. Exempli gratia, anima est caussa formalis hominis, est vero efficiens ambulationis, in qua forte præter intentionem euenit, vt in amicum aut in hostem incidas: sic caussa per se hominis, sic caussa etiam per accidens fortuiti effectus dicitur.

Anima quomodo caussa efficiens.

Quæstio. 1.

Ex his emergit prima quæstio huius capitis, *Vtrum casus & fortuna ad efficientem caussam reducãtur?* Morandum non est, reduci Aristoteles dicit, idque probat tum hic tum alibi plurimis rationibus: sed quoniam est quæstio non magni momenti, ad pauca capita restringam omnia;

&

& accedam ad alteram quæstionem communiter hoc loco ab interpretibus motam, nimirum, *Vtrum sit fatum seu fatalis necessitas in rebus actionibusque rerum?* Quod casus & fortuna reducantur ad efficientem caussam probatur duobus modis, generatim & speciatim: generatim hoc modo; omnis caussa per accidens reducitur ad caussam per se: sed fortuna & casus sunt caussæ per accidens; ergo reducuntur ad aliquam caussam per se; ad aliam vero quam efficientem reduci non possunt, quoniam extrinsecus mouent, ergo ad efficientem reducuntur: speciatim hoc ipsum probatur negatiue aliis generibus caussarum remotis, nempe materia, forma & fine, idque hac ratione.

Fortuna & casus reducuntur ad caussam efficientem.

Fortuna & casus non sunt materiales caussæ, quia ex illis nihil coalescit, sunt enim simpliciter caussa externæ, effectusque eorum externi, at sic in materia non est.

Præterea non sunt caussæ formales, quia rem nullam definiunt, formant, distinguunt.

Postremo non sunt caussæ finales, quia omne destinatum ad aliquem finem intentum, est gratia illius finis: sed effectus temerarii & fortuiti (quatenus sunt tales) non intenduntur (eueniunt enim præter intentum) igitur casus & fortuna non sunt caussæ finales, sequitur ergo ad efficientem caussam solum reduci.

Ad efficientem dico, quia sunt caussæ extrinsecus mouentes, & agentes aliquid, non vt materia, non vt forma, nō vt finis, sed vt principia motus, eademq; non interna sed externa, quæ etiam non per se vniuoce, sed per accidens analogice caussæ definiuntur esse. Ceterum duo hic scrupuli eximendi sunt; quorum primus est, quomodo fortuiti effectus non destinentur ad finem, cum omnia præter Deum finem habeant. Alter, quis vsus sit eorum effectuum, si ad nullum finem referantur, cum in fine vsus rerum singularum cernatur. Ad primum respondeo, respectu Dei tales effectus certos esse & ordinatos ad finem; (nihil enim est respectu Dei fortuitū, nihil incertum, contingens nihil) at respectu secundarū causarū propinque & particulariter agentiū propter finē, quib. præter intentionē animi aut inclinationē naturæ, istiusmodi contingūt, non est omnino finis ad quē destinantur. Ad alterum respondeo, quod postquā effectus

Fortuiti effectus ordinati sunt ad finem respectu Dei.

fortuiti ſint producti, tum non eſt abſurdum dicere quod ordinentur ad finem bonum & vſum: vt poſtquam theſaurus ſit inuentus, poteſt deſtinari ad ſuſtentationem vitæ. Sed hactenus de caſu & fortuna, nunc de eorum oppoſito, nempe de fato pauca adiungam.

Quæſtio 2. Quæſtio eſt an ſit? in qua quæſtione diſcutienda quid ſit & quæ illius conditiones, breuiter docebo. Quamqnam hæc quæſtio inſinuari videtur potius ab Ariſtotele in præcedentibus capitibus vbi diuiſionem rerum variis modis factarum tradit, oportunius tamen perſpicuitatis cauſa hoc loco tractatur, quia plena fortunæ & caſus cognitione iam habita, neceſſitatis & fati (quæ quodammodo illis opponuntur) accuratior habeatur cognitio. Quippe vt eſt populariter dictum, oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Sum tamen equidem totus hic anceps, an omnino quid dicam, an ſilentio rem tantam tranſiliam. Sed quoniam Ariſtoteles in diuiſione effectuum alios raro caſu & fortuna, alios ſemper & immutabili neceſſitate fieri docuerit: coactus ſum inſinuatione hac neceſſitatis & fati, pauca de vtroque, ex philoſophiæ oraculis humanis dicere. Relinquo hic poetarum fictiones de fato & Parcis nentibus aut abſcindentibus fila humanæ vitæ: relinquo etiam Stoicorum nimis ſtrictum iudicium de fato, quod omnem libertatē naturæ aut voluntatis in agendo ſuſtulit. Relinquo inquam hæc commenta hominum, quamuis in iſtis bene intellectis, diſcuſſis & applicatis ingenium, & vſum ſpectare liceat.

Fatum opponitur fortunæ.

Cic lib. 3. de Nat. Deor. Senec. epiſt. 77.

Opiniones de Fato. 1. Omiſſis verbis quidam aut nimis ignaui aut nimis diſſoluti fatum, omnemque neceſſitatem à rerum natura ſuſtulerunt: ſomniantes omnia temere aut caſu fieri. Sed iſti ſuæ ignorantiæ tenebris ſepulti ſunt, & fatum iam ſentiunt quod negarunt.

2. Alii iſtis infeſti ita fati legibus omnia aſtrinxerunt, vt omnem naturæ & libertatis voluntatem tollerent. Iſti enim definiebant fatum ineuitabilem ſeriem & veluti ſerpentinam catenam rerum omnium, tum humanarum tum diuinarum, naturas, vires, proprietates, conuoluili (vt ita loquar) & inexplicabili amplexu ſuo implicantē. Sed iſti Ariſtarchi, & cenſores rerū vinculis ſuæ catenæ ſtricti & oppreſſi perierunt.

3. Alii deinceps mediam quaſi viā tenentes, fatum, ordinem, & prouidentiam primæ cauſæ, re-

ſpectu

ſpectu ſpecierum in quouis genere, non reſpectu rerum ſingularum, definierunt. At iſti quoque opinione falſa decepti, non aliter ac fumi euanuerunt. Alii denique oppido quærẽtes & mordicus ſerioque tenentes veritatem, ſic fatum admittunt, vt neque rerum contingentium, neq; humanarum actionum delectum, neq; naturæ motum & ordinem, neque diuinarum cauſarum influentiam, & impulſum, neque Dei primæq; cauſæ potentiam, prouidentiam, aut præſcientiam negent: docentes minime conuenire ſecundum philoſophos, vt fatum vere definitum impediat, aut de medio tollat modum agendi in generibus ſingulorũ, aut in ſingulis generum (vt aiunt) imo fatum philoſophicum in nullis cauſis ſtadium currendi impedit, in nullis modum agendi tollit. Omnes enim cauſæ aut agunt ex libertate, aut ex naturæ impulſu, aut fortuito & caſu, aut ex ſe & neceſſitatis motu. Sed hæc præclara agendi varietas ad ornatum totius vniuerſi plurimum conducit. Abſurdum ergo eſt talem cauſam addere, quę hanc varietatem, ordinem & decorum è rerum natura tollat. Nam quid hoc aliud eſt, quam excellentem ornatum ſyderum à cœlo, multiplices formas à mundo, varias voces à concentu muſico, perſonarum multitudinem à theatro publico ciuitatis tollere? Imo etiam hoc addo, quod hoc nihil aliud ſit quam diuinæ maieſtati plurimũ derogare, quæ vniuerſa & ſingula, maxima varietate veſtiuit & decorauit, legeſque ſanxit, vt alia libere, alia contingenter, alia ſecundum naturæ motum, alia neceſſario & ſecundum fatalem curſum, omnia denique & ſingula ad primi motoris nutum agant. Et ſic quidem agere eſt ad primi motoris gloriam & honorem agere. Ratio eſt, quia ſic omnia numero, pondere, ordine & menſura diſpoſuit, iuſſitque vt in perpetuum ſingula in ſua ſpecie eundem ordinem & legem naturæ inditæ obſeruarent, niſi ipſe author primuſque motor ex infinita potentia commutaret. Hæc dico ne ignorantes, aut inconſiderati, exiſtiment me ſtatim omnes alias cauſas motuſque rerum tollere, cum fatalem neceſſitatem in cauſarum numerum & catalogum intriuerim, quaſi fieri non poſſit vt diuerſo reſpectu eadem res & neceſſario & contingenter fiat. Ex his iam poſitis facile elicitur neceſſaria definitio fati, nempe vt ſit *immobilis & immutabilis*

4.

Omnis cauſa agit libere. Aut Naturaliter. Fortuito. Neceſſario.

Fati definitio.

inhærens rebus mobilibus dispositio; per quam diuina prouidentia suis quaque nectit ordinibus; Breuius autem sic. *Fatum est ordo caussarum secundarum diuinam prouidentiam necessario exequentium.* Melius accuratiusque priorem intelligeres definitionem si mecum consideres, quid inter fatum & diuinam prouidentiam discriminis à philosophis ponatur. Vt vero hoc intelligas, attende, quod caussarum dispositio, seu ordinatio, considerari possit bifariam, vno modo prout in Deo est, & sic diuina prouidentia dicitur, definiturque ratio ordinis in diuina æternaque mente subsistens. Alio modo prout est in caussis secundis, positis, directis, dispositisque a Deo ad effecta producendā; & sic fatum esse definitur, quod fatum ordo seu dispositio immobilis dicitur respectu primæ caussæ, seu motoris; (id est Dei) cuius decretum immobile & immutabile habetur: non autem respectu caussarum secundarum, rerumque ab illis effectarum. quæ quidem mobiles dicuntur esse, qua in se spectatæ mutationi sunt obnoxiæ, & in hanc vel illam partē cadere quidem possunt. Nihil enim est in essentia sua simpliciter immutabile, nisi solus Deus, qui, vt docet Philosophus, mutare potest omnia, ipse vero mutari non potest: cum totus substantia sit, omnique affectione & accidente careat. Quod additur in definitione, hunc ordinem seu dispositionem nectere caussas, effectaque, intelligitur respectu Dei, qui omnia, quæ facienda statuit, illius interuentu reipsa perficit. O admirabilem potentiam Dei, quæ sapienter & suauiter omnia ordinibus suis disponis, & vniuersa cum singulis, summa cum infimis, æterna cum caducis, simplicia cum mixtis, mobilia cum immotis, calida cum frigidis, sicca cum humidis (quid moror?) diuina cum humanis perpetua lege & fatali catena prouidentiæ tuæ deuincta ad teipsam trahis, solum autem hominem relinquis libertati suæ, qui allectus, vocatus, impulsus, non vult venire! sed quo rapior? Agnosco vim fati his dictis meis, liber sum & tamen loquor coactus.

Prouidentia & fatum qui differant.

Caussarum ordinatio dupliciter consideratur.

Deus solus simpliciter immutabilis.

Iuuenal. saty. 7. *Sydus & occulti miranda potentia fati.*

Prima caussa primum mouet mentem, mens cordis affectū, cordis affectus linguam soluit, lingua soluta calamum, hæc

verba

verba docuit. O hominem ingratum animal! cur negas, fatum, cur diuinam prouidentiam negas, imo cur ipsum Deum negas? Omnia fato inhærenti & influenti diuinæ potentiæ cedunt & obsequuntur. O miserum animal cur vtrique resistis? cur reluctaris? Sed redeo ad fatum quod est ordo seriesque caussarum, cum caussa caussam ex sese ordine præscripto á prima caussa gignit: vt videre licet in primo mobili, quo diuina lege perpetuo circum terram mouetur; ipsum deinde orbes inferiores rapit, hoc motu subinde astra circumuecta, elementorum qualitates mutant, elementa denique naturæ vi in vnum coacta, corpora mixta gignunt rerumque omnium caducarum varietatem, & alterationem in hoc inferiori mundi globulo efficiũt. Quid multis? Hoc fatum necessitatem habet, quæ necessitas est modus agendi ordinatus in rebus; Sic cœlum perpetuo circumuoluitur, sic astra in inferiora suas vires imprimunt; sic elementa in se inuicem commutantur & transeunt, sic animata quæque in suo genere sibi similia & cognata generant, sic inanimata proprium motum immutabiliter obseruant. Non ero multus: sic sol non potest non lucere, sic ignis non potest non vrere, sic aqua non potest non humectare; sed attende, hæc necessitas non est tam simplex, tam absoluta, tam immutabilis, quin primæ caussæ nutu alterari possit. Nam (sacra philosophia testante) Sol stetit in medio cœli per integrum diem Iosua pugnante: retrogressus est quindecim gradus ægrotante Ezechia, dens leonis non laniauit Danielem: flamma ignis seruorum Dei in fornace non consumpsit vestes. Infinita sunt exempla, quibus lapides sine sensu excitentur, vt credant Deum esse, quem tamẽ esse si concedat homo, in illum tamen non credit, id est, vita non exprimit, quod lingua profitetur. Concludam: fatum est (vt vides) connexio secundarum caussarum præuisâ à Deo, secundum quam Deus sinit res ipsas euenire.

Fati qualis necessitas.

Hæc est mutatio a Deo. *Iosf. 10 12.* *2. Reg. 20 11.* *Dan. 6 12.* *Dan. 3 25.*

Hinc oritur dubitatio, *Vtrum scientia & præscientia Dei imponant necessitatem rebus?* Vt verbo respondeam, dico non imponere; nisi hoc modo intelligas, vt res naturales illum motum & ordinem necessario sequantur & obseruent, quem ipse in prima creatione præscripsit Deus. Nam sic vult, vt sponte, contingenter, fortuito, na-

Præscientia Dei non imponit necessitatẽ rebus.

turaliter aut alio quouis modo agentia necessario agant. Si vero de humanis actionibus tantum hic dubites, respondeo hominem relictum esse libertati suæ. Nam vt inuitus nemo fit fœlix: ita coactus nemo fit miser. Præscientia ergo Dei non imponit illius actionibus fatalem necessitatem (vt Stoici somniarunt) Huius rei quidam hanc rationem reddunt, quia illum in creatione liberum principium suarum actionum naturaliter effinxit: deditq; voluntatem vt bonum vel malum, virtutem vel vitium, vitam vel mortem, salutem vel perniciem, libertatem vel seruitutem, gehennam vel cœlū, & perennem gloriam eligat: ita tamen vt bonum, virtus, vita, salus, libertas. cœlum, a Deo eidem concedātur, propriisque viribus ab illo non acquirantur. Nam vt sol effundere lumen dicitur in aerem, qui natura sua capax est luminis: ita Deus effundere salutem dicitur in hominem qui natura sua capax est salutis. Et vt aer est quidem aptus ad lumen vel tenebras, magis tamen & vi sua tenebricosum corpus existit. quod sine splendore solis illustrari non potest: ita homo est quidem aptus tum ad virtutem tum ad vitium, magis tamen ex lapsu propensus ad perniciem, corrigi non potest sine cœlesti lumine, quo quisque in hunc mundum veniens illustratur. Vt verum sit illud quod Propheta habet: Salus tua ex me, perditio tua ex te (o Israel.) Sed attende, non est vt hinc colligas vllam necessitatem huius vel illius effectus ex præscientia Dei. Nam hoc vel illud non facit homo, quia præsciuit Deus. Sed quia hoc vel illud facturus est homo, præsciuit Deus. Non est ergo ex præsciētia Dei necessitas rebus imposita: ex prouidentia autem est dispositio necnon necessitas: necessitas inquam, sed quæ necessitas? necessitas, vt res agant suo ordine, vt ipsa diuinitus disposuit ad conseruationem sui: non vt agant extra hunc ordinem ad perniciem suam, quam nunquam præscripsit Deus, tametsi permiserit aliquando. Est enim Deus author vitæ, non mortis: conseruationis, non interitus: virtutis non sceleris. Quippe illius nihil aliud est, quam salus, scelus tuum est o homo, si perniciose viuas. Ne dicas ergo stulte, ne dicas impie, Deus præsciuit hoc futurum, ideoque non possum aliter ac perniciose viuere, non possum non perire. Erras blaspheme, malicia tua peperit

De' non est author mali.

Salus à Deo tantum.

pecca-

peccatum, non præſcientia Dei: is enim ſemper ambabus (vt aiunt) manibus tibi offert ſalutem. O Hieruſalem Hieruſalem quoties volui te congregare, vt gallina pullos ſuos? ſed noluiſti. Caue ne oblatæ ſalutis præmiũ perdas, & recuſatæ pœnã audias & ſentias. Caue (inquã) ne vrgeas ſæpius patientiam Dei, nam leo conculcatus furit. Iterum tibi dico ac iterum hoc ipſum inculco, perniciem tuam ex te eſſe non à Deo. Nemo enim niſi qui ſponte male vixerit, in Orcum à Deo mitttitur. at ſi mittatur, gehennam meritus: hoc tamen noui quod Deus ſit ſemper miſericors, ſemperque iuſtus, qui diligit electos ſine cauſſa, & odit reprobos ſine culpa. Quid plura de fato, de neceſſitate, de prouidentia, & diuina præſcientia dicam? Philoſophorum eſt cauſſas ſecundas quærere, attingere diuinas, primaſque oraculis veritatis ipſiſque Theologis, luminibus Eccleſiæ diſcutiendas relinquere: Quibus in hac re vt in omnibus aliis (de quibus ſcribo) libentiſſime ſubſcribo. Non equidem ſine lucerna ſcripſi, quæ ſcripſi: at homo ſum, & errare poſſum. Cenſuræ igitur Eccleſiæ ſcripta aut mutanda, aut corrigenda, aut delenda committo & commendo mea.

Matth. 23. 37.

Deus diligit electos ſine cauſa: & odit reprobos ſine culpa.

Diſtinctio vtriuſque quæſtionis in vna tabula.

Vtrum { *Caſus & fortuna ad cauſam efficientẽ reducãtur?* / *Sit fatum, idemq́ue imponens neceſſitatem rebus?* }

Quoniam oppoſitorum eadem eſt ratio quoad doctrinã; fortunam, & fatũ (quæ ſunt oppoſita) in vna tabula veluti in vno ſpeculo coniungimus, contuẽda ſunt ergo fortuna & fatũ oppoſita.

1 Origine, quia fortunæ effectrix eſt ignorantia humana, effectrix autem fati diuina prouidentia.

2 Effectis quia fortunæ effecta ſunt contingentia, fati effecta ſunt neceſſaria.

3 Ordine, quia fortuna agit modo incerto, fatum autem ſeu prouidentia ordine certiſſimo.

4 Tempore, quia fortunæ effectus cõtingunt raro, fati autem effectus ſemper, cum fatum ſit connexio *ſecundarum cauſarũ, ſemper agentium & exequentium voluntatem primi motoris.*

5 Subiecto, quia fortunæ ſubiectum reſtringitur ſolum ad agentia cum ratione: fati autem ſubiectum omnia naturæ effecta, cauſas, & principia continet.

6 Definitione, quia est fortuna *causa per accidens, fatum causa per se.*
7 Relatione, quia fortuna ad aliam causam priorem (vt antea probabatur) reducitur: fatum autem, (vt pro diuina prouidentia sumitur) ad priorem causam seipsa reduci non potest.
8 Perfectione, quia fortuna est cæca, inconstans, imperfecta; fatum autem est causa omnium perfectissima, siue in Deo consideretur vt *prouidentia,* siue in natura vt *causarum connexio.*
9 Vsu, quia fortunæ vsus exiguus aut nullus est: fati autem eximius & singularis; nempe vt sciamus vnam causam causarum esse, quæ ipsam naturam, principiaque naturæ regit, dirigit, disponit, imperio, nutu, ordine, ad suum esse, bene esse & conseruari (vt aiunt.)

Argumenta in primam quæstionem. Vtrum fortuna & casus ad efficientem caussam reducantur?

Opp.

Fortuna antea definitur esse anima agens cum ratione, casus vero forma sine ratione; reducuntur ergo potius ad formalem caussam quam ad efficientem. Antecedens patet, tum ex definitionibus vtriusque quas attuleris; tum ex textu Aristot. in hoc capite, vbi dicit fortunam & animam realiter esse idem; ratio tenet quoniam anima & forma, formalia principia sunt rerum in quibus insunt.

Fortuna quomodo reducitur ad animã.

Resp. *Anima & forma, formalia sunt rerum principia quas definiunt; efficientia autem actionum quas res ipsa ab illis formata pariunt. Verbi gratia. Anima est forma hominis, sed efficiens caussa risus. Fortuna non ad animam formam respectu constitutionis, sed ad animam efficientem, respectu actionis & effectus, quæ præter intentionem fiunt, reducitur, & sic casus ad formam.*

Opp. *Fortuna & casus videntur magis reduci ad materialem caussam quam ad efficientem ob duas caussas, tum quia sunt caussa infinita (vt in textu docet Philosophus) vt ipsa materia, tum quia monstra sunt à casu, quæ potius ex defectu, aut excessu, aut ex mala dispositione materiæ fiunt, quam ab efficiente caussa, quæ ordine naturæ agit.*

Resp.

Resp. *Etsi materia, fortuna & casus dicantur caussæ infinita, confusa, indeterminata, non tamen fortuna & casus reducuntur ad materiam. Quia licet fortuna & casus sint caussæ indefinita, & indeterminata, respectu effectus non intenti, sunt tamen caussæ definita respectu effectus intenti. Ad alteram partem argumenti respondeo, excessum, defectum, aut dispositionem materiæ non esse caussam monstrorum, nisi sine qua non, sed subesse aliam actiuam quæ ex hac abundantia, defectione, malaue dispositione monstra & portenta efficit, ad eam ergo potius caussam effectricem & motricem quam ad immobilem materiam, fortuna & casus reducuntur.*

Fortuna & casus qui causa indeterminata.

Opp. *Idem dicitur casus & natura in textu, sed natura dicitur solum de materia & forma: ergo si idem sit casus ac natura, necessario reducetur ad materiam aut formam potius, quam ad efficientem caussam.*

Resp. *Casus & natura idem sunt re subiecta non autem respectu actionis aut effectus, vt supra de anima & forma edocui: quæ (vt illic demonstraui) respectu rerum à se definitarum formalia principia, respectu autem actionum & effectuum à se non intentorum, fortuna & casus nominantur*

Casus & natura quomodo conueniunt & differunt.

Opp. *Si casus & fortuna sint efficientes caussæ, aut destinantur ad aliquem effectum vel non: si destinētur, tum non sunt casus & fortuna, quæ caussæ definiuntur indefinita & ad nullum effectum destinata. Si vero non determinentur ad effectum, tum nihil producunt, quoniam productio determinatum effectum arguit.*

Resp. *Casus & fortuna sunt quidem (vt supra docui) caussæ indeterminata respectu non intenti finis: at partim respectu actionis intenta partim respectu aliarum causarum concurrentium caussæ determinata ad hunc vel illum effectum, aut finem dicuntur; verbi gratia, inuentio thesauri, quando quis fodit terram, prouenit partim ex effossione terra, partim ex eo quod alius ibidem suum sepeliuit idolum.*

Opp. *Omnes caussæ & effecta, Deum caussam finalem habent; ergo casus & fortuna ad Deum vt ad finem reducuntur. Antecedens probatur: quia Deus est, vnde omnia suum esse quoad naturam, & bene esse quoad finem habent.*

Resp. *Si Deum, prouidentiã, aut fatum respicias, fortuna & casus omnesque fortuiti & casuales effectus Deum finem habent. Sed attende, respectu Dei & diuina prouidentia, contingentia hac nõ dicuntur, quia nihil contingit Deo omnino, qui videt, regit & disponit omnia: sed (vt supra demonstratum est,) dicuntur fortuita, respectu caussarum secundarum agentium suo ordine, virtute, proprietate, quibus nonnunquam prater intentum finem aliquid contingit: & sic quãuis finis caussa agant, finem tamen non consequuntur.*

Fortuitum nihil respectu Dei.

Argumenta in secundam quæstionem, Vtrum sit fatum idemque imponens necessitatem rebus?

Opp. *Temere & inconsiderate condemnas illos, qui fatum negarunt esse: nam diuus Augustinus, Ambrosius, Gregorius, aliique sanctissimi patres negant: imo illos fatuos existimant, qui aliquid esse definierunt.*

August. lib. 5. de ciuit. Dei. cap. 9.

Resp. *Sanctorum patrum authoritas fatum damnat, si sumatur pro necessitate ineuitabili illa, qua rerum contingentiam & actionum humanarum libertatem tollit: non autem reiicit illam connexionem & ordinem secundarum caussarum exequentium voluntatem Dei. Hac enim rectissime stare potest, vt ipsa contingentia necessaria, si diuinam prouidentiam, cui nihil est contingens: non necessaria, si ipsorum existentiam spectes. Sic enim disponit Deus, vt alia contingenter, alia necessario agant: non quod quicquam sit contingens respectu Dei, sed quod is talem naturam permultis indiderit, vt si proprio impulsu agant contingenter agere proprie dicantur.*

Fatum quale damnatum à sanct. patribus.

Opp. *Contraria in vna definitione contineri non debent: sed sunt contraria in definitione fati, ergo definitio fati non recte assignatur. Maior est Arist. 6. Top. Minor probatur, quia fatum dicitur ordo immobilis rebus mobilibus inhærens. at qui fieri possit vt immobile mobili inhareat adhuc nõ video.*

Resp. *Contraria in definitione nulla inesse debent si ad idem referantur, sed ad diuersa relata inesse possunt. Sic fatum dicitur immobilis ordo respectu Dei, mutabilis tamen respectu rerum, qua comparatione facta ad Deum mobilem mutabilemq; naturam habent. Nam quamuis cælum, anima,*

Contraria qui possint esse eadem definitione.

ma, intelligentia, spiritus, aliaque fere infinita non mutentur, si tamen cum prima caussa, summa & diuinissima substantia conferātur, nanos & nanias mutabilis naturæ in illis videas; vtpote quæ stabilitatem, constantiam, & æternitatem soli Deo acceptam ferant. Naui naniaq; natura.

Opp. *Aristoteles nullam hic fati mentionem facit; cur ergo moues quæstionem?*

Resp. *Implicite (vt aiunt) eiusdem hic mentionem facit, cum in diuisione effectorum alia contingenter, alia simpliciter necessario, alia medio quodam modo euenire demonstret. Alibi autem in multis suorum operum partibus aperte fatum nominat & definit, hic tamen oportune tractatur, vt ex fortunæ tractatione, tanta res plenior limatiorq; habeatur cognitio.*

Opp. *Fatum in Deo prouidentia est, in caussis autem necessitas eandem prouidentiam exequendi, sed in caussis non est agendi necessitas, ergo in caussis non est fatum. Assumptio probatur, quia necessitas impulsum arguit in caussis, quo violenter & coacte agant (at omnes caussæ teste Philosopho) naturaliter, & quasi sponte suum officium agunt. nam naturali instinctu id appetunt agere quod agunt.*

Resp. *Necessitas (vt ita dicam) libera in caussis secundis est, non vt resistant imperio primæ caussæ; sed quoniam eam naturam, proprietatem, & dispositionem naturaliter inditam habent, vt veluti libenter & sine impulsu imperanti obtemperent. Imperium enim primæ caussæ in secundas non est tyrannicum, sed ciuile; non ad perniciem rerum, sed ad conseruationem; non per impetum & impulsum, sed per æternam legem, in qua obseruanda necessitas & libertas recte constare possunt.* Imperium primæ caussæ in secundas.

Opp. *Conceditur à Philosopho quod omnia absolute & simpliciter dependeant à prima caussa, sequitur ergo quod omnia absolute & simpliciter agant ex impulsu illius caussæ: Deus enim omni actioni praeest. Falso igitur hoc loco defendis libertatem, & ridicule liberam necessitatem ac libertatem necessariam infers.*

Resp. *Absolute & simpliciter dependere à Deo, quoad esse, & bene esse rerum, non arguit omnem libertatem tolli à rebus, cum rebus quibusdam eam naturam dederit, vt libere* Necessaria libertas, & libera necessitas possunt simul constare.

& tamen necessario suum officium præstent. Doceat te Philosophus hoc vnum, quod sint quidam spiritus quas intelligentias vocat, assistentes orbibus cælestibus, qui libere intuentes maiestatem primi motoris, mouent, vertuntque suas sphæras sine omni defatigatione in sempiternum. Est enim Deus (vt ait Philosophus) rector chori, quo primum mouente, omnia suo ordine mouentur, non coacte & tamen necessario. Vt ergo boni viri iustorum principum legibus obtemperant necessario & tamen libere: ita legibus æterni regis regum, res omnes obsequuntur & libere & necessario. quia tali caussæ, regi & motori seruire vera libertas dicitur. Non est ergo absurdum aut ridiculum (vt ais) liberam necessitatem & necessariam libertatem ponere.

Opp. *Libertas arguit aliquid fieri sine Deo, sed nihil fit sine Deo, ergo non est libertas omnino. Maior constat, quia libertatis comes indiuisa est electio agendi vel non; minor probatur, quia Deus omni actioni præest.*

Resp. *Libertas non arguit aliquid fieri sine Deo, cum Deus libertatem dederit; & certe nihil fit sine Deo vel mouente in bonis, vel permittente in malis: malum autem ipse non facit, nec est author aut motor mali.*

Nihil fit sine Deo.

Opp. *Vt sol est caussa fætoris in sterquilinio, ita Deus est caussa peccati in pernicioso homine; ergo est caussa mali quod negas.*

Resp. *Sterquilinum est caussa fætoris non Sol; fætor enim non solis effectus, sed putrida materia, quæ male radiis solis calefacta olet: ita Deus non est author peccati in scelerato homine, sed corruptio illius voluntatis quæ non coacta sed libere eligit malum.*

Deus non est author vel motor alicuius mali.

Opp. *Si non sit fatalis necessitas peccandi, & si Deus non sit author peccati; non videtur Deus infinitus, & omnipotens, vt in 7. Phy. docet Philosophus: sed hoc est impium cogitare: ergo est fatalis necessitas ex prouidentia diuina peccandi, & est Deus ipse author peccati.*

Resp. *Blasphemiam tuam patienter non audio. si (inquis) non sit fatalis necessitas peccandi, Deusque non sit author peccati, Deus omni actioni non præest; & non est omnipotens. Audi pessime: est fatum (de quo loquimur) ordo; & fatalis necessitas non est sine ordine: at peccatum est ordinis obliqui-*

Peccatum est ordinis obliquitas.

obliquitas, extra dispositionem diuinæ prouidentiæ. Præterea infinitas & omnipotentia Dei in essentia, ordine, & conseruatione rerum cernitur, non in pernicie ad quam peccatum tendit. Permittit tamen Deus aliquando obliquitatem ordinis permittit peccatum, non autem omnino cogit ad peccandum. Fatum enim in Deo consideratum, est prouidentia, quæ est ratio ordinis non obliquitatis; absit, absit ergo vt dicamus fato aut fatali necessitate nos ad peccandum a Deo incitari; Deus enim est omnipotens in bonis quæ sunt, non in malis quæ priuationes bonorum definiuntur esse.

CAPVT VII.

Quid & quotuplex sit caussa? &, Quo sensu omnis caussa nobilior suo effectu dicatur?

CVm generatim satis de causis egerit Philosophus, nunc speciatim de numero & natura illarũ disputat. Rationes, cur tam multus sit in demonstratione causarum, sunt, quoniam illæ quidem cognitu habentur omnium difficillimæ, & quoniam ex illis res omnes naturales constant, & quoniam Philosophus haberi non debet sine cognitione earum, & denique quoniam in illis cognitis vera sapientia inest, quæ honorem & admirationem philosophis sapientiæ studiosis maximam secum apportat. Textus Aristotelis non est intellectu difficilis hoc loco: Quatuor (inquit) sunt causarum genera, quæ ex quadruplici quæstione constant, scilicet ex quo, per quod, vnde, & quorsum seu propter quid. Ex quo, materiam; per quod, formam; vnde, efficiẽtem causam; quorsum seu propter quid, finalem docet. Hæc omnia exemplis docet Philosophus, vt si quæratur cur Thebani Phocensibus bellum intulerunt? respondetur, quoniã Phocenses spoliarunt templum Apollinis. Hic belli efficiens tangitur, nempe spoliatio templi; si respondeatur bellum fuisse gestum propter imperium, finis innuitur. Si quæratur cur lectus computrescat, & reddatur ratio, quia ex ligno constat, insinuatur materia: si quæratur, cur linea sit recta, & dicatur, quia mediũ habet nõ discrepans ab extremis, assignatur forma. Sed quid in istis populariter notis, & a me superius satis notatis hæreo?

Cur adeo multus in demonstratione causarum Arist. 1. 2. 3. 4.

Causarum genera quatuor.

Sequitur in textu dubitatio, *Vtrum omnium caussarum scientia ad Philosophum pertineat?* Si generatim nomen

An omnium caussarum co

gnitio ad philosophum pertineat? Philosophus sumitur dupliciter.

philosophi consideretur, omnium causarum indago tractatioque ad illum spectat, si vero speciatim pro physico & naturali doctore sumatur, tum eas solum caussas tractat, quæ principium motus & quietis respiciant. Hoc manifestum reddit ex distinctione scientiarum, quarum aliæ (vt ait) res penitus à motu alienas contemplantur, vt Metaphysicæ: aliæ res à motu subiectas, non tamen interituras vt Mathematicæ; aliæ denique res motus participes & caducas vt Physicæ, de quibus proprie naturalis philosophus disputat. Res vero tales omnes & singulæ ex aliquo nascuntur principio, quod materia; perficiuntur per aliud quod forma; sortiuntur motum ab alio, quod efficiens caussa; ad aliud referuntur, aut propter aliud fiunt, quod finis dicitur. Hinc liquido constat, philosophum recte dici, qui in istis generibus caussarum accuratissime peruestigandis versatur. Quod sequitur in textu de ordine & dignitate caussarum, verbo sic breuiter exponi potest. Materia est prima caussa, si generationem & subiectum; forma est prima, si dignitatem & internam perfectionem; efficiens est prima, si operis aut operantis motum & executionem; finis est prima, si propositum & intentionem spectes. Sed attende; quod fini maximus debeatur principatus & honor, nam materia formæ expers rudis est, forma si desit efficiens iacet sepulta; efficiens caussa, nisi finis cupiditate moueatur, manet otiosa. Postremũ quod in textu agitur, est caussarũ comparatio, ex qua Philosophus ostendit, quomodo caussæ in caussas transeant, vt vna eademq; diuersis nominibus insigniatur; sic forma & finis sæpe idem dicuntur, forma enim omnis fere actionis proximus finis est; sic natura naturalium, anima animalium, forma, finis & efficiens 2. lib. de anima à Philosopho nominatur. Verum ne erres, hic finem proximum, non remotum intelligas. & hæc de textu.

Causa dicitur quadrupliciter.

Finalis causa dignissima.

Fortuna & finis sæpe idem.

Causa sumitur tripliciter.

Quæstio est, *Quid & quotuplex sit caussa, & quo sensu omnis caussa nobilior suo effectu dicatur?* Ne sim molestus verbis, rem toties inculcatam breuissime attingam. causæ nomen fuse, stricte, & medio quodam modo sumitur; Fuse, & sic definitur ens positiuum, aut priuatiuum cuius vi vtcunque elicitur effectus. Hoc modo nomen caussæ se extendit ad res & intentiones; ad caussas per se ponentes aliquid,

quid,& ad cauſſas per accidens; quales ſunt fortuna,caſus, priuatio, aliæque vmbræ cauſſarum, quæ cauſſæ *ſine quibus non* à philoſophis nuncupantur. Stricte hoc nomen cauſſæ ſumptum definitur,vt ſit actus, ordo, vel relatio efficientis ſolum, & ſic cauſſam agentem ſolam complectitur. Medio denique modo hoc nomen acceptum definitur, id quod reddimus,cum propter quid res quæque ita ſe habeat, inquiratur: magis proprie, ſic; cauſſa eſt quod tribuit eſſe rei: vel (ſi placet) hoc modo; cauſſa eſt ad quam aliud ordine naturali ſequitur. Actum non agam, omitto definitionem; diuiſionem hoc loco traditam à re mobili ſubiecta cauſſis ſic probo. Ens mobile (vt aiunt) eſt ſubiectum phyſices, ſed ens mobile neceſſario habet materiam, quia eſt mobile in potentia ad formam; ſimiliter habet formam, quia illius motus eſt ad ipſam formam; habet etiam cauſam efficientem, quia motus eſt actus mobilis à mouente; poſtremo habet finem, quia in eo & mouens & mobile perfectionem inueniunt. Reliquas rationes demonſtrandi hunc numerum cauſſarum taceo, teque (ſtudioſe lector) ad alia loca,in quibus vberius tractatæ ſunt, refero. Internæ duæ ſunt, materia & forma: externæ quoque duæ,efficiens & finis. Aliæ quæ ſunt,aut ſunt fucatæ, aut ad has reductæ, aut plane nullæ.

Cauſarum duæ interna, externa duæ.

Vt de hac definitione,& diuiſione cauſſarum: ita de comparatione earum cum ſuis effectis Laconica breuitate vſus dicam. Cauſſa igitur conſiderari poteſt duobus modis, vel in cauſſando (vt aiunt) eſſeque aliis tribuendo; vel in proprio ſubſiſtendi modo. Si priori ratione conſideretur, eſt quidem omnis cauſſa nobilior ſuo effectu. Ratio eſt, quoniam nobilius eſt dare & tribuere aliquid, quam accipere; ſed omnes cauſſæ dant tribuuntque aliquid: ergo omnis cauſſa hoc modo accepta eſt nobilior effectu. Poſteriore vero ratione,ſi comparentur cauſſæ cum effectis,ordine,dignitate,perfectione,ſæpiſſime vincuntur ab illis. Sic materia ignobilior eſt forma compoſitoque, quorũ vtriuſq; eſt cauſſa,vt ſuperius conſtat. Sed hic ſuboritur ingenioſa quæſtio, *Vtrum forma ſit ignobilior compoſito?* Ignobiliorem eſſe defendo, quam opinionem tribus argumentis confirmo.Primum erit ab intentione naturæ,quæ ſemper ad totũ

Cauſa dupliciter conſideratur.

Cauſa omnis qui nobilior effectu.

Forma eſt ignobilior compoſito.

fertur; alterum à perfectione totius, quod partes cõtinet, & aliquid amplius in essentia sua: tertium ab authoritate Philosophi, qui docet totum suis partibus perfectius & absolutius esse; cui sententiæ annectit rationem, quia totum est quiddam completum & per se subsistit, cui per se actiones & proprietates attribuuntur, quæ partibus attribui & assignari non possunt. Hinc perspicuum est, quod licet omnis forma sit nobilior effectu, quoad modum causandi (vt aiunt) quoad modum subsistendi, tamen effectus nonnunquam nobilior perfectiorque sua causa esse potest. Cæterum si relicta comparatione caussarum cum effectis, accedas ad comparationem causarum cum causis inter se; certum est formam nobiliorem esse materia, & finem omnes causas perfectione & dignitate superare. Nam si materia ad formam comparetur nihil est; quippe forma quiddam diuinum est, materia quasi fæx & hypostasis naturæ; forma est actus, materia pura potentia; forma perfectio rei, materia prope nihil (vt Aristoteles fatetur.) At de finalis causæ excellentia quid dicam? Satis est si dicam esse perfectionem omnium reliquarum causarum. Nam quorsum materia si non sit forma? quomodo accedit forma, si efficiens consopitam materiam ad eam appetendam non excitet? Quorsum hæc omnia, si non sit finis ad quem referantur singula? Hinc incipit operari natura, huc tendit in opere, hic desinit in operando, in hoc portu quiescit, perficitur, & conseruatur: est ergo finis caussa omnium nobilissima.

Forma dignior est materia.

Finis perfectio reliquarum caussarum omnium.

Quid restat? vnum, vt pari breuitate hic doceam, quid sibi velit Aristoteles in textu, cum dicat *esse aliquod mouens immobile*. Ambagibus relictis, Deum intelligit, qui mouet omnia, ipse autem moueri non potest. Quod Deum intelligat, ex distinctione tradita triplicis scientiæ euidenter apparet. Vna inquit scientia (nempe Metaphysica) de re mouente immobili; altera de re mobili sed non interitura, vt Mathematica; alia de re mobili ortus interitusque particepe, vt naturalis philosophia tractat. Et quæ res (obsecro) mouet, ipsaque non mouetur, præter solum Deum? Sed si plura de hac re legere desideres, refero te ad Collegium Conimbricense, in quo multa oracula & mysteria primæ philosophiæ, ex occasione horum verborum (vt opinor) reserata videas.

Deus mouens immobilis.

deas. Verbi causa, *Vtrum Deus cum secundis causis ad omnẽ actionem & effectum concurrat?* & *si concurrat, quomodo cum illis operetur? an mediate vel immediate?* Iterum, *An praeeunte motione, causas secundas ad agendum excitet? An illius actio ad causæ secundæ actionem determinetur?* Hæc & similia plurima ab illis subtiliter, copiose, & accurate demonstrata omitto, vel quoniam (vt hic ait Aristoteles) eorum tractatio potius ad Metaphysicum quã Physicum pertinet, vel quoniam ab eodem Collegio vberius & limatius tractantur, quam hæc epitome philosophiæ feret: vel denique quoniam decretum initio est, & in duobus postremis libris physic. & etiam in libris Metaphysic. (si Deus mihi vitam indulserit) plura de Deo, vt est primus motor & caussa, agere. Nunc obiter cum Aristotele demonstro, vanissimam esse illorum opinionem, qui potius quam velint Philosophum per mouens immobile Deum intelligere, cœlum intelligunt; quod (vt aiunt) mouet alia corpora inferiora, sed ab alio corpore inferiore moueri non potest. Cæterum quã ridiculum hoc sit, & quam absurdum, cum cœlum sit per se mobile, nemo est tam imprudens qui non viderit. Non cœlum ergo, sed cœli motorem, ipsum Deum hoc loco à Philosopho intelligi confidenter affirmo: & sic ad distinctionem eorum quæ à me hoc capite mouentur accedo.

Distinctio dubitationum in hoc capite motarum.

Vtrum
1. *Caussa bene definiatur?*
2. *Recte in quatuor genera diuidatur?*
3. *Sit omnis caussa nobilior suo effectu?*
4. *Forma sit ignobilior composito?*
5. *Per mouẽs immobile in textu intelligatur* De⁹.

Multas quæstiúculas satis antea notas, sed hic tactas a Philosopho, in vnã tabulam cogo, vt lector ad interpretes qui illas fusius tractant, refer. Tractant ergo in hoc capite

Causæ definitio, q̃ est vel
1. Communissima, vt conuertatur cum principio. sitq; ens illud p̄ ̃ positiuum, aut priuatiuum, reale vel intentionale, quo posito aliud vtcunque sequitur.
2. Strictissima, vt sit principiũ actiuum & motiuum solum eius quod fit, & hic solum ad efficientẽ causam spectat.
3. Media, vt sit res illa quæ tribuit esse essentia vel existentia rei.

Causæ. Vide in seq. B.

B

Causæ diuisio in sola quatuor genera, scilicet *materiam, formam, efficientem finẽ,* quæ probatur

1 A cõstitutione rei, in qua spectantur
- 1 Essentia, ad quam requiruntur *materia* & *forma.*
- 2 Existentia, ad quam requiruntur *efficiens* & *finis.*

2 A ratione *entis mobilis,* quod est subiectum Physices. in quo mobili primũ spectatur *potentia,* hinc *materia* tum *actus,* hinc *forma,* tum *motus,* hinc *efficiens causa,* postremo *perfectio,* hinc *finis* eminet.

3 A comparatione modorum sciendi & essendi, quia tot modi sunt demonstrandi, quot sunt essendi; sunt autem modi demonstrandi quatuor; duo ab internis qui *priores,* duo ab externis qui *posteriores* dicuntur: illi *materiam* & *formam,* hi *efficientem* & *finem* continent.

Causarum cum effectis quoad dignitatẽ comparatio, quæ est duplex vel

1 Quoad modum causandi (vt aiunt) & sic omnis causa est nobilior suo effectu, quia nobilius est dare esse quam accipere.

2 Quoad modum subsistendi in esse completo, & sic nonnunquam effectus est excellentior nobiliorq; sua causa.

Dubitatio de forma *An sit nobilior composito?* tenetur negatiue, quia

1 Compositum est finis naturæ, forma autẽ medium quo hunc finem acquirat.

2 Compositum est totum, forma autem pars.

3 Compositum est ens completum, & omnibus suis numeris perfectum; forma autem esse cõpletum non habet nisi in composito.

4 Composito actiones, officia, proprietates attribuuntur, quæ non attribuuntur formæ.

Relatio causarum inter se, & sic forma est nobilior materia, finis nobilior forma, perfectiorque omni causa, nisi cum causa efficiente prima, id est, cum Deo comparetur, qui hoc loco mouens immobile à Philosopho dicitur: mouens quia mouet omnia, immobile, quia nec moueri nec mutari potest. Est enim liberrimum Agens, & infinitum: liberrimum, quia sine omni necessitate agit: agens, quia id vere agens definitur quod est purissimus actus, nullamque repassionem aut resistentiam suæ actionis habeat: infinitum, quia nec tempore, nec loco, nec natura, nec vllo rerum ambitu comprehenditur, plene tamen in omnibus continetur. O admirabilem naturam Dei, quæ tota vbique est, & tamen nusquam! quæ à cœlo non capitur, & tamen in *animula homuncionis* (quæ tantam maiestatem non colit) commoratur!

Argumen-

Argumenta in definitionem caussæ.

Dub. 1.

Opp. *Caussa est æquiuocum : ergo non recte definitur. Antecedens probatur, quia caussis per se & per accidens nomen caussæ conuenit, non autem definitio, quia caussæ per accidẽs non sunt istiusmodi, à quibus res & effecta pendent.*

Resp. *Argumentum hoc fallax est, à mutatione suppositionis; nam in maiore communiter, & in probatione presse nomen caussæ sumis. Communiter accepta caussæ omni generi caussarum conuenit, stricte vero sumpta non conuenit causis per accidens. conuenit autem secundum nomen & definitione caussis per se.*

Opp. *Sunt quædam quibus definitio caussæ conuenit, quibus definitum non conuenit : ergo non bene definitur. Antecedens probatur, quia relatis & priuationi conuenit definitio caussæ; quippe vnum relatum per se dependet ab alio, & generatio dependet à priuatione, nomen autem caussa nec priuationi, nec relationi conuenit: relatum enim non est caussa correlati, nec priuatio caussa generationis, vt Aristoteles docet.*

Resp. *Dependere hoc loco considerari potest duobus modis, vel simpliciter, sine adiuncto seu additamento (vt aiunt,) & sic correlatum à relato, & generationis subiectum a priuatione dependent: vel cum adiuncto, vt illud quod dependet, aliquid ab eo à quo dependet semper accipiat, vel quoad esse existentiæ, vel quoad esse essentiæ, & sic proprie hoc loco caussa definitur.* *Dependentia duplex est.*

Argumenta in secundam dubitationem, An quatuor sint causarum genera?

Dub. 2.

Opp. *Casus & fortuna sunt caussæ (vt fatetur Philosophus.) exemplar etiam caussa est, quia animum artificis ad opus mouet; Deus caussa est, quia mouet omnia; hæ tamen caussæ sub his non continentur : ergo ista diuisio non est bona: Antecedens probatur, quoniam casus & fotuna sunt (vt superius probatum est) caussarum vmbra, exemplar autem idea, seu mera intentio, Deus extra omnes limites naturæ, quem ad numerum caussarum cogere aut coercere est infinitati & maiestati iniuriosum.*

Resp. *Vno verbo resoluitur hic nodus, si dicas reduci hæc omnia (excepta exemplari caussa) ad efficientem caussam, exemplaris autem caussa ad formalem refertur. Rationes probationis nullæ sunt. nam licet fortuna & casus dicantur vmbræ, si tamen sint caussæ vt quidam philosophi defenderunt, reducuntur illæ quidem ad efficientem caussam, quia mouent ad agendũ. Et similiter etsi Deus sit extra omnes limites naturæ, comparatione tamen facta ad res finitas, quæ per se ab illo pendent, caussa recte dicitur efficiens vt mouet; finis vt perficit terminatque omnia, sed de his supra iã satis, cum de caussis in genere iam disputauerim.*

Dub. 3.

Argumenta in tertiam quæstionem, An omnis caussa si nobilior effectu?

Opp. *Potentia materiæ est caussa formæ, sed forma est nobilior ipsa materia, eiusdemque potentia, ergo caussa non est nobilior suo effectu. Minor constat quia ex potentia materiæ educitur forma: Minor est Aristotelis hoc loco, vbi formam perfectionem materiæ esse demonstrat.*

Forma ex potentia materiæ.

Resp. *Primum dubitatur, Vtrum potentia materiæ sit caussa formæ, nam etsi forma educitur fluitque ex potentia materiæ, non tamen hoc efficit materia, sed alia motiua & actiua caussa, cuius vi materia iners ad appetẽdam formam excitatur. Verum si concedatur esse caussa formæ, tum eo sensu est nobilior forma quo Arist. caussam suo effectu nobiliorem esse concedit, scilicet in modo caussandi, id est, attribuẽdi esse suo effectui. In hoc ergo quod materia aut potentia materiæ tribuat esse formæ, & forma accipiat, cum nobilius sit dare quam accipere, materia recte nobilior forma, omnisque caussa nobilior suo effectu dicitur. Cæterum si in modo subsistendi vtrumque comparetur, tum forma quidem nobilior est sua materia, quia est actus perfectioque materiæ, & quia nobiliorem subsistendi modum vindicat.*

Forma perfectio materiæ.

Opp. *Non est omnis causa nobilior suo effectu, ergo quæstio non recte defenditur. Antecedens probatur, quia sic cultura terræ esset nobilior fructu, aut pecunia nobilior philosophia. Hoc scilicet posito, quod aliquis philosophetur aut concionetur propter pecuniam; cui sic philosophanti aut concionanti*

cionanti aucupium pecunia caussa est, qua ad hoc vel illud opus mouet.

Resp. *Per nobilitatem caussa hoc loco non intelligitur perfectio natura in vltimo actu, sed inchoatio rei effecta vel efficienda. Agnosco effectum esse quidem nobiliorem sua caussa si perfectionem operis consideres aut subsistendi modum. Sed exempla tua nihil probant; quia pecunia non est caussa philosophandi proprie, nec cultura terra pariendi fructum: hic vero agitur de caussis proximis & propriis, qua in modo essendi principatum tenent.*

Argumenta in quartam quæstionem, Vtrum forma sit ignobilior composito? tenetur affirmatiue? Dub. 4.

Opp. *Si forma sit ignobilior composito, vno eodemque spiritu contradicentia loqueris: nam modo defendebas omnem caussam esse nobiliorem effectu, nunc autem idipsum negas, cum formam, qua est caussa, ignobiliorem esse suo composito defendas.*

Resp. *Otiosus es & ad idem non disputas. defendo equidem diuerso respectu caussam effectu, & effectum caussa nobiliorē esse: rationes cur formam ignobiliorem esse composito dixerim, in tabula distinctionis quare.*

Opp. *Quicquid facit tale, illud ipsum est magis tale. sed forma facit compositum tale, id est, nobile & perfectum: ergo forma est quiddam magis tale, id est, quiddam nobilius & perfectius composito. Maior est Aristotelis. Minor probatur, quia forma, vt docet Philosophus, est quiddam diuinū, & est ea caussa, qua dat nomē, esse, & bene esse composito.* Lib. 1. post c. 2.

Resp. *Totam suam perfectionem compositum forma non fert acceptam; materia potentiaque materia (vnde forma ipsa nascitur) aliquam partem huius perfectionis vendicat. Quamuis ergo forma faciat tale, id est, (vt ais) nobile compositum, quia dat nomen & esse, non tamen simpliciter, complete, & absolute hoc facit sine materia, qua pars existens etiam compositi, toti aliquam partem perfectionis addit.*

Opp. *Materia est mater imperfectionum, causaq; corruptionis & mutationis in composito, ergo nullā eidem impertiit perfectionē. Antecedens est Aristotelis in primo lib. Phys.* Materia mater imperfectionū. Lib. 1. Phys. c. 8. & 9.

vbi comparationem inter materiam & formam facit; illic enim formam rem pulchram, & diuinam, materiam rem turpem, segnem & inertem nominat.

Materia nutrix etiam accidentium quæ ornant compositum.

Resp. *Vt materia dicitur nutrix multarum imperfectionum: ita est mater formarum omniumq; accidentium, quæ vestiunt ornantque compositum. Consideratur ergo materia vel per se, & sic est res segnis, iners & otiosa: vel in motu ad compositum per actiuam potentiam efficientis caussæ, & sic appetēs forma, compositum vna cum forma perficit, idemque perfectum veluti ædificium natura conseruat, in quo cum forma vt vir cum amica inhabitet, donec vipera naturæ, id est, priuatio, inuide & malitiose diuortium faciat. Si ergo materia vel in motu ad formam, vel in ipso composito vna cum forma consideretur perficiendi suum modum peculiarem habet, totiusque operis aut ædificii naturalis, id est, compositi iam concinnati fundamentum dicitur.*

Materia sumitur dupliciter.

Priuatio vipera naturæ.

Dub. 5.

Argumenta in vltimam quæstionem. Vtrum per mouens immobile à Philosopho intelligatur Deus aliudque nihil?

Opp. *Si authoritati crederes, probarem cælum potius quam Deum à Philosopho hoc loco intelligi; quippe cælum primo de cælo & 8. Physic. primum mouens dicitur: ratio est, quia omnia inferiora suo raptu, lumine & influentia mouet. Quod vero sit immobile sic probo: quia cælum agit, vt docet Philosophus, sed non repatitur, nullum enim est agens quod vim in cælum imprimat. His consideratis & ponderatis, inducor vt credam cælum potius quam Deum intelligi, cum hoc in loco solum de caussis naturaliter mouentibus disserat.*

Cælum non repatitur.

Resp. *Quorsum tantopere desudas vt probes philosophum potius cælum quam Deum hoc loco intellexisse? quasi vero vbique de Deo, de Deo vno, de Deo infinito, immenso, incommutabili, de Deo motore primo caussaque prima non agat. Quid opus est verbis? falsum est fundamentum probationis tuæ. Nam quamuis ex instituto solum de caussis naturaliter mouentibus hoc loco agat, obiter tamen de prima caussa agit, vt ex diuisione rerum & scientiarum constat.*

Opp. *Aliquid est mouens & immobile præter Deum, vt spiritus, anima, idea, omnisq; incorporea substātia: hæc enim mouent*

mouent & non mouentur, quia passibilem naturam nō habent, aliud ergo præter Deum per mouens immobile à philosopho intelligi potest.

Resp.

Agnosco spiritus, & incorporeas substantias esse quidem caussas mouentes, non tamen agnosco easdem immobiles esse: quippe tametsi actu non mutentur, eam tamen naturam habent, vt & moueri & mutari queant. Nihil enim simpliciter præter solum Deum mouens immobile dici vere potest. Vsus horum omnium est, vt in hac scala philosophica caussarū, per gradus veluti ad primam caussam ascendamus, ibiq; discamus secundas caussas nullas esse, si prima non sit, non inuocetur, non adoretur Deus.

Spiritus non sunt immobiles.

CAPVT VIII.

Vtrum { *Natura agat propter finem?* / *Bruta animantia solo naturæ instinctu ferantur ad finem?* / *Natura intendat monstrum?* }

PHilosophatur Aristoteles, veluti in circulo, qui est perfectissima figura, quippe ad idem punctum à quo incepit, iam tandem redit: nempe ad naturam quam in vestibulo huius libri definiuit. Alia quæ interponuntur capita, sunt quasi sphæræ in quibus inferiores caussæ per se & per accidens lucent, quarum influentia in effectis producendis natura perpetuo vtitur. Hæ enim caussæ foris & intus contingenter & vi sua omnia naturæ opera complent, ornant & perficiunt. Paulo supra hoc vt confessum & ab omnibus sapientibus concessum assumpserat Philosophus: naturam scilicet indesinenter agere, alicuius boni gratia: nunc vero vt maiorem fidem orationi adhibeat, idipsum vltro citroq; in vtramque partem argumentis allatis discutit. Et primum illorum opinionem refellit, qui excepta sola materia, hoc vel illo modo affecta, omnia temere & casualiter fieri somniarunt. Dixerunt enim quidam pluuiam non decidere vt fruges crescant, sed quia ingens copia vaporum vi solis sur-

Methodus Ar. in hoc libro.

Omnia non fiunt casu.
Pluuia cur decidat.

ſum rapta, pondere iam quaſi grauida facta, non poteſt non in terram deorſum cadere, fruges autem creſcere fortuito & caſu, voluerunt. Similiter ex maiori & minori copia materię euenire autumarunt, vt dentes in anteriore parte oris, graciles & acuti: in poſteriore vero parte molares, denſi, & ampli per accidens gignerentur. Sed inepta & abſurda eſt hæc ſententia, vt hic docet Philoſophus, vbi hæc duo exempla in aduerſarios ingenioſe retorquet. Quippe non ſolum neceſſitas materiæ, ſed neceſſitas etiam diſpoſitionis & formæ in illis ſpectãda eſt: vt terræ fructus ex pluuia, dentiumque vſus ex præſcripto naturæ conſtet. Si ergo ſæpius pluat in hyeme aut incaleſcat æſtate, nõ eſt rarum, caſu hoc factũ eſſe nemo ſapiens credat: at ſi ſole ſub cane exiſtente inſolentius pluat, aut ſi hyme æſtus feruentior vrgeat, tum præter intentionem naturæ aliquid contigiſſe dicatur. Longior fortaſſe videar in textu exponendo quam oportet: prima igitur quæſtione diſcuſſa, reliquam partem capitis explicabo.

Dẽtes acuti & molares ex præſcripto naturæ.

Quomodo aliquid præter intentionem naturæ accidit.

Quæſt. 1.

Prima quæſtio eſt, ***An natura ſemper agat propter finem?*** Argumenta quibus affirmantem huius quæſtionis partem corroborat Ariſtot. quinque ſunt. A contrario, à neceſſario, à comparatione, ab exemplo, ab intentione naturæ. A contrario hoc modo. Quæ fiunt à natura, temere & caſu non fiunt, quæ ergo fiunt à natura ad finem certiſſimum deſtinantur. Altera ratio à neceſſario ſic ſe habet. Neceſſaria & certa eſt actio naturæ, neceſſario ergo agit natura propter finem. Tertia ratio à comparatione ſic formatur: Ars agit propter finem: ergo natura, quippe ars imitatur naturam. Quarta ab exemplis ſic eſt. Hirundo ſuum nidum, aranea ſuam telam, formica ſuum aceruum, fingit, texit, accumulat: ſed hæc bruta animantia ſolo naturæ inſtinctu hæc faciunt: ergo natura in illis ſapit & propter finem agit. Poſtrema ratio ab intentione naturæ, ad hunc modum inſtitutum concludit. Natura in generatione cuiuslibet rei intẽdit formam, ergo agit propter finem: eſt enim forma finis eſſentialis & interna perfectio rei. Hactenus in textu Ariſtoteles. Hiſce argumentis interpretes alia non minus valida & firma addunt: nimirum quod natura per media agat, & proinde propter finem: media enim ad finem tẽdunt: & iterum

Natura agit propter finem.

1 2 3 4 6

Forma interna perfectio rei.

quod

quod natura diuinæ prouidētiæ ministra sit, & proinde propter finem agat. Adhuc, quod natura sit principium motus, 6
in inchoatione, quietis in fine & perfectionē: siue ergo mo 7
ueat, siue moueatur, propter finem & quietem agit. Postre- 8
mo cum natura, (excepta prima caussa) omnium sit nobilissimum agens, absurdum erit si propter finē non agat. Trāsco libens illlam rationem ab inductione singulorum effe- 9
ctuum, quorum quilibet ad finem proprio instinctu naturę fertur: at ferri non potest, si natura actiuam appetendi finis potentiam singulis non indidisset. Non est ergo negandum illud naturæ in genere, quod in specie singulis naturæ effectis concedis. At vrges illud, quod in textu vrget Aristoteles, nimirum si natura semper propter finem ageret, non adeo in suis operibus à fine aberraret: vt in procreatione monstrorum luculenter constat: ergo non semper propter finem agit.

Natura diuinæ prouidentiæ ministra.

Sed hic noua suboritur quæstio, *An natura intendat monstrum?* quā postremo loco huius capitis tractabo: postquam aliam obiter notatam quæstionem de admirabili instinctu & prouidentia naturę in brutis quibusdam animantibus breuiter attigerim.

Sit ergo secunda quæstio, *Vtrum bruta animantia prudentiora* (vt hirundo, aranea, formica, apis,) *solo instinctu naturæ ferantur ad finem?* Quod bruta animantia ferantur ad finem nemo mortalium est (vt opinor) qui negat, si consideret serio quantus sit eorum in fœtibus generandis labor, quantus & quam plenus ingenii sit in iisdem educandis amor, quantum & quam mirabile sit in multis corū operibus cōficiendis artificium, decus & splēdor, quæ in quærendo cibo industria, quæ in specie conseruanda sollicitudo, quæ arma, astus, insidiæ, strategemata in repellendo hoste & declinando malo. Liquidum (inquam) & perspicuum est hæc omnia solo naturæ imperio, nutu, impulsu ab illis fieri, fieri (inquam) propter finem. Sed propius accedo ad institutum meum. Omitto hic Porphyrii, Pythagoræ, & Plutarchi ex gymnasiis philosophorū explodēda deliramēta, & sōnia, qui rationē, orationē, & prudentiam in belluis posuerūt, indigna. n. sunt ista phantasmata quæ in philosophorū scholas & subsellia inducātur. Dico igitur bruta solo instinctu na-

Quæst. 2. Bruta agunt propter finem.

Non est ratio in brutis.

Agunt solum instinctu naturæ.

turæ ad opus, ad intentionem operis, ad finem, & perfectionem finis moueri. Sed hic labor, hoc opus est, vt intelligatur quid sit iste instinctus impulsusque naturæ. Ambagibus non vtar, est naturalis impressio influentis primæ causæ cuilibet naturæ speciei diuinitus insita, qua veluti manu ad opus & finem faciendum & acquirendum suo ordine excitatur, dirigitur, adiuuatur. Quum ergo quatuor sint gradus rerum, quarum aliæ solum suum esse vt *lapides*, aliæ esse & viuere vt *plantæ*: aliæ esse, viuere, & sentire vt *belluæ*: aliæ esse, viuere, sentire, & sapere, vt *homines* naturaliter habere dicuntur. Considerandum est instinctum nobiliorem pro ordine, & gradu, cuilibet speciei naturæ concedi. sic quia plantæ nobilius esse habent, nobiliorem etiam instinctum habēt: sic belluæ instinctum nobiliorem plantis. sic homo nobilissimum & diuinissimum (vt princeps omnium) sibi cōcessum habet: Sed nimium peruersi sumus & eundem mouentem ad bonum opus & finem nō sequimur. imo in hoc deteriores belluis, eundem quantum in nobis est supprimimus, contrariosque motus auide aucupamur. Sed esto, hic afflatus, hic impetus, hic (vt proprie loquar) instinctus cum brutis (maxime cum ingeniosis) ad necessarias eorum functiones administrandas peculiari modo concurrit. Quod hinc probo, quoniam (vt antea probatum est) nulla omnino natura, nulla naturæ species, nulla actio naturæ, nullus naturæ motus, nullus effectus esse potest sine peculiari influxu Dei motuque diuinæ prouidētiæ: quæ rerum singularum & actionum singularum curam in ordine & dispositione habet. Hic ergo Deus, hęc causa omnium, hic omnium motor & autor singulis naturę operibus & effectis, varias proprietates, & proprias varietates operādi dedit: in quib. admirabilis virtus diuinæ prouidentiæ vt *Sol in cælo* lucet. Si ergo fatum sit in reb. i. ordo & dispositio influens à Deo, & inhęrens rebus naturalib. vt necessario exequantur id quod naturaliter à primo ortu insitum inditumque est, & illud quoque quod iussum & mandatū est, tametsi aliquando sit contra naturæ motum, vt *Solem stare, terram moueri, monstrum fieri*. Sequitur ab ingeniosis & prudentib. istis animalculis obstupenda hæc opera fieri non posse sine speciali instinctu pulsuque naturæ, quæ proprietatem illis dederit, vt hoc vel illud

Naturæ instinctus quid.

Rerum quatuor sunt gradus.

Prouidentia diuina quadruplex.

illud facerent. Vt ergo distinguitur prouidentia diuina in generalem, particularem, specialem, singularem, vt omnia & singula genere, ordine, specie & numero conseruentur: ita ab eadem prouidentia hic instinctus, generatim, particulatim, speciatim & singulariter fluit, variasque virtutes rebus omnibus & singulis concedit. Et quamuis generalis prouidentia creationem omnium, particularis conseruationem, specialis distinctionem specierum, singularis præcipuã delectionem hominum præ omnibus respiciat: est tamẽ à speciali prouidentia talis influentia vel ipsis belluis nonnunquam cõcessa, vt in eis eorumque operibus, artem diuinam ipsumque Deum esse cogantur Athei confiteri. Sed dæmonibus istius mundi obsessi & fascinati, singularem hũc pulsum & instinctum quo Deus illos præ omnibus mouet, non sequentur. Hunc afflatum & instinctum synodus philosophorum (cui præest Aristoteles) agnoscit in trito & vulgari illo axiomate viz. *Opus naturæ est opus intelligentiæ*, non quod natura physica in omnibus operibus vt *homo intelligat*: sed quod instinctu diuino moueatur nonnunquam ad hoc vel illud opus, in quo est summa admiratio: vt in *fabrica humani corporis*, in *formatione fœtus*, aliisque infinitis miraculis naturæ, quę sine Deo & diuino instinctu, fieri non possunt.

Athei coguntur in obstupendis naturæ operib. Deum fateri.

Opus naturæ est opus intelligentiæ.

Sed accedam propius: in brutis animantibus proculdubio, maxime in prudentioribus, hic instinctus est qualitas quædam eorum phantasiæ à prima caussa in origine & creatione superaddita, quæ veluti ars naturalis brutorum dici seu nominari potest. Quod sit phantasia in brutis, nemo sapiens negat: cum Arist. 3. de anim. idipsum plurimis argumentis confirmet: at si sit phantasia, vel est actiua, vel est otiosa; Otiosam si dicas esse, frustra illis concedi ais, cum ab actiuo principio detur, cumque sit prima potentia animę in iis qua & appetunt naturaliter bona, & declinant mala: si actiuam (vt oportet) cõcedas esse, tum quæro an formatam, vel rudem, & informem esse existimes? si rudẽ & informem i. omni imagine, idea, & typo vacuã esse dicas: peto vlterius quomodo ad hoc potius quam illud sese inclinent, quomodo ab hoc potius quam ab illo diffugiant? Si autẽ formatam in illis phantasiã esse concedas (vt oportet) tum instinctum

Phantasia in brutis.

Lib. 3. de Ani. cap. 11.

hunc necessario qualitatem esse diuinitus inditã & impressam fateris, qua mouentur belluæ & naturali veluti æstimatione instruuntur, tum ad eligenda bona & fugienda mala, tum ad obstupenda opera sæpe facienda, in quibus imitandis sapientia humana attonita obstupesit. Huic opinioni fauere videtur D. Thomas vbi docet, bruta accipere à principio naturalem æstimationem ad noxia salutariaque dignoscenda propriaque opera præstanda. Huc addo mirum artificium, alacritatem, industriam, quibus solertia & ingeniosa bruta animantia in operibus perficiendis vtũtur: quæ necessario arguunt instinctum & inclinationem hanc adiectã esse eorum naturæ à primæua origine, qua veluti gnomone vel potius solari radio primæ caussæ ad finem assequendum diriguntur. Nam aliter (vt ab exemplis paucis disputem) omnino non video quomodo ictus *lupus fluuiatilis* ad *Tencham* medicam confugeret, quomodo *ceruus* vulneratus *dictamnum* in ferro expellendo à vulnere salutarẽ herbã eligeret, quomodo *aquila* laborans partu, *aetiten* inueniret lapidẽ pretiosũ quo acceleratur partus. Intelligo quomodo, *Crocodilus oua sua* in loco ab influxu Nili inundãtis tuto deponeret, quomodo *aranea* suam telam in locis electis texeret: quomodo apis suũ fauũ, hirũdo suum *nidum*, *formica* suum *aceruum* conficeret? Desinam sciscitari, quomodo, nam modum in istis inuenire non possum. Si peterem quomodo *elephas literas discat*, *si* quomodo *Luscinia* (teste Aristotele) *suos pullos vocem ad numeros modulari doceat*: si quomodo *Picus* (vt ait Ælianus) *herbam qua extrahit ferrũ* reperiat: aut *mustela* pugnatura aduersus serpentẽ *rutam* edendam præsciat. Desinam (inquam) diutius rogare quomodo, quia modus vnus relinquitur, nempe instinctus diuinitus impressus, qui in brutis animantib. qualitas naturalis à prima origine dici potest, qua in omni opere faciẽdo mouentur, diriguntur, adiuuantur, (vt superius docuimus) non autem instinctus ille qui solum à secũdis causis nascitur, stupidus, iners, immobilis, vt quidam non indocti volunt. Sed miror horũ in hac assertione peruicaciã: nisi existiment, nos hoc loco docere innatas imagines & ideas in phantasiis belluarum, quas humanæ menti non concessit Aristoteles: sed hoc non docemus, arbitramur tamen illarum phãtasias seu

inter-

internos ſenſus, non eſſe vacuos occulta qualitate cuius ſunt participes, quam qualitatem inſtinctum definimus. Attende quæſo, hæc qualitas actiua eſt, & phantaſiam excitat, quæ excitata ſpecies varias concipit, quæ ſpecies conceptæ operationes producunt naturales in appetendo, fugiendo, perſequendo: & certe hocipſum inſinuat Ariſtoteles libro 3. de anima. capite tertio vbi docet id cuius ductu bruta operantur, eſſe imaginationem, quæ ad iudicium boni aut mali eligendi vel fugiendi terminatur. Eſto, igitur ex conceſſo ſic diſputo: Phantaſia in belluis obiiciendo appetiui quid conueniens, quid contrarium ſit docet: ergo hæc phantaſia non eſt omnino vmbra aut inanis & otioſa imaginatio, ſed mota & inſtructa, idque vel aliunde vel ex ſe, vtroque modo. inſtructam dico aliunde, ſcilicet, ab influente inſtinctu, ex ſe, ab actu, quo ſpecies nouæ generantur, quarum impulſu ad opera rapiuntur. Da veniam ergo (nobile Collegium Conimbricenſe) vt à veſtra ſententia parum quamuis inuitus diſſiliam, verbaque hæc in veſtro concilio non probem, vbi definiatis inſtinctum actualem ab ipſa potentia phantaſię, cum qua (vt dicitis) concurrit prima cauſa, nõ peculiari motu, ſed generali influxu. Quid? an non concurrit prima cauſa cum omni motu, actu, & opere agentium naturaliter? Affirmaſtis ante contrarium, & docuiſtis ſapienter, nihil genere, ſpecie, aut numero. cõfuſe, diſtincte, aut definite fieri, ſine ſpeciali cura, prouidẽtia, & influẽtia Dei: & eqdẽ credo hoc verũ eſſe: quia Deus eſt, ſine cuius prouidentia nec hõines, nec bellue, eſſe, viuere, mouere, aut quicquã operari poſsũt.

Lib. 3. de anim.

Nihil fit ſine ſpeciali prouidentia Dei.

Prolixior ſum quam decreui, paucis perſtringam omnia: ſi inſtinctus iſte in brutis nihil aliud ſit quam operatio phãtaſiæ, determinata ad iudicium conuenientis & commodi, mouenſque appetitum ad fugam aut perſecutionem: quæro primum quid moueat phantaſiam nudam, inertem, & conſopitam ad operationem? tum quæro quid phantaſiam & operationem ad iudicium boni & mali ducat? hinc quæro qui ad tantam varietatem operum, & tam variam excellentiam varietatis phantaſiam brutorum excitet, ſi vna ſit ſola phantaſia omnium & ſingulorum (vt iſti docent,) ſi vnus ſit inſtinctus communis, ſeu vna operatio, vt inſtinctum definiunt? Quid? an vna phantaſia *bombicis* texen-

tis *sericum*, & *aranea* texentis *telam*, & *hirundinis* struẽtis nidũ, & *canis* quærẽtis *prædam*? Ludũt profectò qui varios ꝑ specie instinctus nõ defendũt: nã ipsi coguntur huic quęstioni sic respondere: Quemadmodum hominis cogitatiua potentia propter cõiunctionem cum gradu discursiuo eam prærogatiuam obtinet, vt discurrat circa multa singularia: ita phantasias brutorum specie differentium, quia oriuntur à formis diuersarum specierum, sortiri vim efficiendi tam varias & tam discretas partes, veluti artes faciendorum operum. Bene est, hoc aliquid est quod concedunt nobis, nimirum bruta habere varias quasi sortes in generatione, pro diuersitate specierum. Vrgeo ergo & iterum iterumque peto, vnde has sortes habeant? certę ab ea caussa vnde suas species sortiuntur: idque non communi & generali (vt aiunt) influxu, sed speciali instinctu:, cuius actiua virtute species variæ non solum in hominum, sed etiam in brutorum phantasiis efformantur, efformatæque offeruntur appetitui, qui statim ad actum & opus festinat, prout ab eodem instinctu naturali distinctè excitatur. Sic *hirundo* (exempli causa) primũ singulari instinctu mouetur vt *lutum arenosum* eligat, cuius aspectu imaginem illius in phantasiam admittit, cum æstimat conueniens sibi vt idem ad hunc vel illum *locum* iudicio quasi prælectum deferat, subinde præhabita quasi deliberatione, lutũ vnguiculis suis artificiose *temperat* & *componit*: hoc sæpe agens *nidum* veluti castrum suis pullis adhuc non natis pręparat. Caussa huius actionis est instinctus, subiectum phantasia, medium imago, instrumentum viscosa arena, opus ipsum nidus, finis vt sit domus suis pullis adhuc non natis: quos partos alere & conseruare, ipsa natura instinctu non communi sed speciali docuit.

Varii instinctus sunt pro varia specie.

Quæst. 3.

Satis hæc de secunda quæstione: ad tertiam nunc venio, quæ est *An natura intendat monstrum*? In hac quæstione tria demonstrabo: primum quid sit mõstrum, tum an monstrũ intendat natura, postremo quod respectu primę caussæ nullum omnino sit monstrum, nullum portentum aut prodigium præter peccatum. Monstrum vt multi definiunt, est

Monstri definitio.

1 *error particularis naturæ, casu contingens, vel ex abundantia, vel ex defectione materiæ, vel ex vitioso ordine & dispositione partium*: Est, *error*, quia aliud fieret: est *error particularis*

laris natura, quia vniuersalis natura non errat: *casu contingens*, quia aliud fit quam intenditur: ex *abundantia*, vt in tricipite: *ex defectione*, vt in monopede: ex *vitioso ordine partium*, vt in gibboso. Monstrum alii definiunt, & nō male, hoc modo. *Monstrum est effectus naturalis, à recta & solita dispositione secundum speciem degenerans.* Dicitur *effectus* quia à natura particulari, vt à caussa nascitur: dicitur *naturalis* analogice, vel ex parte, quia materiam subiectam habet: *à recta dispositione declinans dicitur*, quia rectus naturæ ordo non obseruatur: *à solita dispositione degenerans* definitur, ne ea quæ vsu frequenti naturaliter fiunt pro monstris habeantur, vt olim *gigantes* (testante sacra philosophia) & *Pygmæi*, quorum tota cohors pede non est altior vno: *vt sciopedes* (testante D. Augustino) qui vmbra pedum totum corpus tegunt. Itemque alia permulta quę olim non raro fiebant, at nunc (quia insolito modo eueniunt) pro monstris rectissime habeantur. Hinc adiicitur particula illa *secundum speciem*, quia quælibet species certam & distinctam vendicat non solum totius, sed etiam partium dispositionē, à qua si deflexerit natura, notabili aut insigni aliquo vitio monstrum peperisse dicitur. Verum vt leuissima vmbra aut defectio artis imaginem deformem non reddit: ita minutula defectio naturæ monstrum non efficit. Cæterum si eminentior & apparentior sit error, monstrosum aliquid arguit: siue sit in parte vt in *monoculo*: siue sit in toto: verbi gratia, si *mulier canem* aut *serpentem* pareret. Hoc si contingat non solum monstrum est, sed *portentum*, sic dictum, quia semper aliquid præsagit & *portendit* mali. Quippe (vt ait philosophus) si quid aut præter aut contra naturā euenerit, aliquid potius mali quam boni expectandum est. Ratio in promptu habetur, quoniam vt cauendum est ab illis quos male signauit natura, quia plerumque sunt mali: ita tum maxime cauēdum est, cū hederas malorum imminentium ipsa natura suspēdit, notatque per mōstra, ea quę sunt futura mala. Hanc rem exemplis & historiis non conabor probare, ne sim infinitus; sunt enim in annalibus omnium ætatum & temporum grauidæ historiæ, matres & nutrices talium prodigiorum, ex quibus maiores nostri nō salutem sed perniciem, non res secundas sed ruinas emergere & pul-

2

Gigantes.
Pygmæi.
Lib. 16 de ciuitate Dei.

Leuis error naturæ non facit monstrum.
Monstrum in parte, in toto.

Monstrum aliquid portendit mali.

Bos agnum peperit Nic. Li. 3.

lulare prædixerunt. Sit vnum exemplum instar omniũ. ***Bos agnum*** peperit (vt scribit Nicephorus) prodigium hoc fuit. Nam paulo post Hierosolyma sancta ciuitas deuastata cecidit. Sed quid ab exemplis disputo? argumentis agam. ***Cometa*** nunc pestem, nunc bellum, nunc famem, nunc principum mortem arguit (vt docet philosophus) & tamen ***cometa*** minus fatale prodigium est quam monstrum quod in terris nascitur: quippe ***cometa*** ordine naturæ, ex elatione halituũ; monstrum autem sine ordine naturæ, ex mala dispositione humorum & partium oritur. Imo hoc addo, quod si sit ex eclipsi solis aut lunæ effectus malus, multo magis ex apparitione monstri. Si somnies te in somno videre *leporem*, aut *mustellam*, vel putes te *dentes perdidisse*, protinus vehemẽter times, & aliquid mali tibi hoc somnium ominari existimas. Quidnam ex somnio (quod est vana imago phantasiæ) aliquid mali prodire præiudicas, *& tricipitem Cerberum*, aut tale prodigiosum monstrum, natum ex fœmina nihil diuinari mali existimas? Prima caussa (quæ hoc iussit fieri) vt signum & symbolum mali futuri dedit, secundæ caussæ ordine suo inuerso, legibusq; concussis veluti obstupescũt. Cur ergo hodie tot vbique gentium monstris natis & visis, intrepide & sine omni expectatione malorum viuimus.

Cometa mali potius quam boni nuncius. Luca. li. 1. Cic. lib. 2. de Nat. Deo. Suet. Tranq. in Iul. Cæs. ca. 88. Et in Nerone c. 36. Et in Vespa. c. 23 Sene. li. 7. Nat. Quæst. ca. 17. Eclipsis solis & lunæ malũ omen. Vrstit. in pur. bacc. Luca. li. 1. Ægyptii vates apud Q. Curt. lib. 4.

Monstrum quibus modis nascitur.

Sed hæc omitto, & probo ***naturam omnino monstrũ non intendere***. Verum vt hoc accuratius intelligas, paucis accipe præcipuos illos modos quibus monstrum nascitur. Primus est ex defectu aut imbecillitate formatricis facultatis, quæ languens aliquando membratim & articulatim corporis partes non distinguit. Secundus est ex vitio materiæ, idq; trifariam, vel cum abundet, vel cum deficiat, vel cũ male disponatur. Tertius est ex parte vteri, aut nimis lati, aut nimis stricti, vel male locari. Quartus est ex parte primarũ qualitatum intentius aut remissius agentium in conformatione fœtus. Exempli caussa, si *calor sursum* nimium ab *hepate* aut *corde* in *caput embryonis* fumulos transmittat, fieri potest vt *infans barbatus* prodeat: sicut in Lusitania nõ multis hinc annis contigisse constat. Similiter ex deficiente calore, & abundãte humore, fieri potest vt infans nascatur canus. Quintus est ex parte cœlestis aspectus, vt videre licet sępem

1
2
3
4
5

Infans barbatus.

Infans canus.

pe in grandinib., in quib. nonnunquã figuras hominũ aliarũque rerum impressas & cælatas videas. Sic cœlũ nõ semel sanguinem, triticum, aliaq; (vt docet experientia) pluit. Sextus est ex parte imaginationis, quæ formatricẽ virtutẽ nonnunquã à naturali forma ad monstrosam figurã trahit. His positis facile probatur, ꝙ natura non intendat monstrum. *T.82.* Nam cum monstrum nihil aliud sit quã error naturæ, ob aliquod impedimentum à fine suo deficientis, constat eadem monstrum non intendere, cum non intendat à suo fine aberrare. *Natura non intendit monstrũ.* Præterea quoniam natura est principium motus & quietis in re naturali per se, & nõ per accidens: deficeret penitus ab essentia & perfectione, si monstrũ intẽderet: quippe hoc modo nec esset caussa motus in re naturali, nec esset caussa per se & vi sua: sed per accidẽs, temere, & casu, quo modo omnia mõstra fiunt. Deinceps quoniã certa est actio naturæ, semperq; destinata (vt superius docuit Philosophus) ad finem, absurdum est si natura monstrum intenderet. Nã sic illius actio certa & incerta, per se & per accidens, necessaria & fortuita, ad finem directa & fine destituta, vacua & inanis esset. Porro, cum natura sit secunda caussa respectu Dei, eiusdemq; intentio semper ad motum nutumq; primæ caussæ flectatur: cumque in confesso sit apud omnes philosophos, Deum non intendere monstrum: sequitur necessario, naturam illius ancillam monstrum non intendere. *Natura Dei ancilla.* Adhuc vt artifex semper conatur effingere suum opus sine labe, vitio, & errore: ita natura nititur & contendit suum effectũ producere sine deformitate: non ergo intendit monstrũ. Adde hoc vnum, si natura intenderet mõstrum, aut esset natura naturans (vt aiunt) aut natura naturata: at natura naturans (vt in confesso est) non intendit: si vlla ergo natura intendat, natura naturata intẽdit. Veruntamen hæc neque vt est vniuersalis, neque vt est singularis intendit mõstrum: ergo nulla intendit: non vniuersalis, quia (vt docet philosophus) Deus & natura vniuersalis nihil temere, nihil casu, nihil frustra agũt: nõ particularis, quia intẽdere monstrũ est mutare naturam *Intendere mõstrum quid.* indiuidui, suæq; speciei vim quandã inferre. Demiror ergo quid sibi velit Collegiũ venerabile illud, ꝙ distinctione noua inuenta, de caussa impedita, & de caussa impediẽte, naturam monstrum intẽdere confidenter defendat. Quasi vero

abundans materia duo capita vnius indiuidui, aut deficiens vnum pedem intenderet. Cum Aristoteles hoc loco & aliis quam plurimis aperte dicat, monstrum *casu non naturæ euenire*, id est, quasi diceret, monstrum præter intentionem naturæ omnino fieri: nam tum casu aliquid verissime fieri dicitur, cum aliud præter intentionem naturæ nascitur.

Quando aliquid fit casu.

Deus non intẽdit monstrum.

Quid restat? nihil certe nisi vt probem, *Deum non intendere monstrum*. Et quid (quæso) aliud est Deum intendere monstrum, quam Deum aliquid imperfectum, mancum, & mutilatum intendere? sed cum omnia illius opera bona, pulchra, perfecta & completa sint, manifestum est illum nõ intendere monstrum. Præterea cum respectu diuinæ prouidentiæ nihil fiat fortuito & casu; cumque monstrum (vt hic docet Philosophus) omnino temere & casu fiat: liquido constat Deum idipsum non intendere. Deinceps licet aliquando multa in omni fere specie vbique, præter cursum ordinemque naturæ communis faciat, in quo facto particularem naturam errasse dicimus: hæc tamen respectu illius intentionis & sapientiæ perfecta sunt, dici non debẽt monstra: quandoquidem ipse cum secundis caussis concurrat ad istiusmodi præstanda & perficienda opera. Huc si adiicias illud argumentum, Deum scilicet nunquam falli posse, resque adhuc non subsistentes ab illo ac si iam essent præsciri: absurdum & impium erit docere quod monstrũ intendat, cuius creatio errorem arguit. Si vrgeas, Deum id intendere quod præter naturæ intentionem accidit, sed hoc esse monstrum: ergo Deum intendere monstrum: Respondeo monstrum non esse respectu Dei, sed perfectum quoddam opus quod intendit, at respectu ordinis particularis naturæ: ideo monstrum esse dicitur: quia præter intentionem eiusdẽ generetur. Postremo qui fieri potest vt Deus dicatur mõstrum intendere, cum sit prima caussa, actuque infinita, quæ omnes caussas secũdas regat, flectat, moueat, pro liberrima volũtate & imperio suo, vt omnes philosophi cõfitentur? Non sunt ergo caussæ impeditæ vel impedientes respectu Dei, vt quidã incaute loquũtur. Caussæ. n. quib. ille vtitur sunt verissimæ caussæ, ad hunc vel illum finem destinatæ, quæ si p̃ter motum definitum, & distinctum ordinem cõmunis naturæ agant, mõstrum nobis videtur fieri: at illi qui hoc iussit fieri,

Ob.

Sol.

Monstrũ nullum respectu Dei.

fieri, cuique notæ sunt caussæ, non item. Is enim istiusmodi præter communem cursum & intentionem naturæ factis, potius clementer præmonere contendit de futuris malis, quam monstrum intendere. Præmonere dico mortales vt à sceleribus & flagitiis suis (quæ sunt respectu Dei monstra) tandem dissiliant. Cum enim facti simus ad imaginem Dei, in qua est nulla labes, nulla deformitas: perpetratis peccatis monstra ipsi sumus. Quippe peccatum est plane monstrum quod Deus non fecit, & tamē omnia fecit. Omnia fecit quæ non negant Deum: sed peccatum est negatio Dei: qui enim peccat, sine Deo viuit. Quippe Deus æterna lux est, peccatum tenebræ, Deus ens totum, peccatum nihil, & tamē idolum hominis. Nihil, quia nihil ponit, sed priuat spoliatque hominem eo principio in quo sunt omnia bona: idolū, quia hoc monstrum totus fere mundus colit & veneratur. Monstrum dico, quia illud vere monstrum est, quod sine Deo, sine luce ex deformitate constat. Quid dicam plura? Deus non agnoscit monstrum præter peccatum, quantumuis nō desint qui illum monstrum intendere, nec non cum caussa impedita & impediente concurrere affirment. At (vt modo dixeram) caussæ impeditæ seu impedientes nō sunt respectu Dei, sed perfecta media & instrumenta quibus operatur voluntatem suam, cui præter intentum nihil potest contingere, nihil casu aut fortuito euenire. Inter omnia ergo effecta naturæ, nihil malum, nihil fœdum, nihil imperfectum, si in suo genere consideretur: at si cum nobilioribus conferatur, videtur sic esse: nō quod ita reuera sit in natura sua, sed quod comparatione facta inferiorem gradum subsistēdi habeat. Verum vt obscuritas noctis & vmbræ gratiam luci: vtque colores atri decorem & venustatem imagini addunt: ita effecta naturæ indigniora totius vniuersi excellentiam & dignitatem augent, quamuis sint in comparatione nobilissimarum partium imperfectiora.

Peccatum mōstrum deforme.

Peccatum quid nihil.

Peccatum Idolum.

Distinctio quæstionum in hoc capite motarum?

Quoniam hæ tres q̃stiones ré vnam maxime vrgent, nimirum naturam agere propter finé, easdem in vna tabula comprehendã. Dico igitur naturã agere propter finem

- Generatim in omnibus: hinc prima est quæstio, *An natura agat propter finem?* quæ probatur
  1. A contrariis, quia fortuna & natura sunt contraria, sed illa temere & incerte agit: ergo hæc ad certum finem destinatur.
  2. A necessario, quia nihil est magis necessarium, in naturali causa rerum quam vt perficiat sua opera: quod quidē non potest, si non appetat finem in quo est perfectio.
  3. A comparatis, quia vt ars appetit finem, ita natura: sed ars in omnibus proponit finem: ergo similiter natura.
  4. Ab exemplis, vt inductione rerum singularum, vt *hirundo in conficiendo nido*, *apis in formando fauo*, *aranea in texenda tela*: similiterque res omnes & singulę in suis actionibus intendunt finem: ergo tota natura intendit finem.
  5. Ab intentione, quia in generatione cuiuslibet rei agit propter formam: sed forma est internus finis rei: ergo agit propter finem.
  6. A modo agendi: quia natura semper mediis vtitur, quæ media sunt propter finem.
  7. A prouidētia diuina quam natura sequitur: sed illa semper agit propter finem: ergo & natura.
  8. A definitione naturæ, quæ est vt sit principium motus & quietis: sed quies est finis: ergo.
  9. Ab absurdo: quia absurdum est vt tam nobile agens ac natura careret fine.
- Speciatim in animalibus, maxime vero in illis quæ à philosopho in 1. Met. ingeniosa & prudentia di-
  1. A definitione instinctus, qui est *impressio influentis primæ causæ, cuilibet rei naturali diuinitus insita, qua ad opus & finē excitatur, dirigitur, adiuuatur.*
  2. A distinctiōe instinctus, siue sumatur p̄ impressione diuinitus insculpta, siue pro imaginatione formata, certum est bruta sine istiusmodi impulsu & ductu cuntur.

Lib 1. Met. c. 1. Cotta apud Cic. lib 3. de Nat. Deo.

cuntur Hinc est secunda quæstio, *An bruta animantia solo instinctu naturæ ferantur ad finem?* quod probatur

non posse tam miranda facere.
3 Ab electione boni, & fuga mali, quæ sapientiam influentem arguit: maxime in illis brutis animantib. quæ magna & mira agũt.
4 Ab inductione & narratione multorũ quorũ variæ & occultę proprietates operãdi, digitoquasi instinctum solum diuinitus impressum euidenter demonstrant.
5 A testimoniis philosophorum, qui dicunt non sensu, non ratione, sed instinctu ad certum finem bruta animantia ferri.

Singulariter in mõstris, in quib⁹ pducendis naturæ cum vniuersalis, tũ particularis agit ppter finem; sed particularis errat, vnde mõstrũ nascitur. Hinc tertia oritur quæstio, *An natura intendat monstrum?* in qua q̃stione spectantur.

Definitio mõstri, vt sit *error naturæ particularis casu cõtingens*: vel vt sit *effectus naturæ a recta & solita dispositione secundum speciem degenerans.*

Ratio multiplex monstri generãdi quę est
1 Ab imbecillitate formatricis virtutis.
2 A vitio materiæ, in excessu, defectu, aut mala dispositione.
3 A parte receptaculi, nimis læti aut stricti.
4 Ex parte primarũ qualitatu, intensius aut remissius agentium.
5 Ex parte aspect⁹ mali.
6 Ex parte imaginatiõis

Probatio q̃ natura nõ intendat mõnstrum.
1 A definitiõe naturę, q̃ nõ esset veru principiũ causa materque omnium effectorũ, si monstrum intenderet.
2 A definitiõe mõstri, q̃ est *error*, sed natura non intendit errare.
3 Ab oppositiõe, qa q̃ fit casu, natura non intẽdit: sed mõstrũ fit casu: ergo natura non intendit monstrum.
4 A certitudine actiõis naturalis, q̃ se ũdũ ordinẽ principiorũ pcedit: & pinde natura nõ intendit eundem ordinem violare.

5 A prouidentia diuina, motrice naturæ, quę non intendit monstrum.

6 A Comparatione artis, quæ tametsi solum imitetur naturam, errare nõ intendit: ergo multo minus natura quæ illam docet.

7 Ab absurdo, quia natura naturans, id est Deus, & natura naturata, id est, causa proxima rerum naturalium, sunt certissima agentia, quæ falli non possunt.

Argumenta in primam quæstionem, quæ est, An natura agat propter finem?

Opp.

Aliæ rationes & argumenta assignantur tum à philosopho, tum ab interpretibus, quibus hanc quæstionem probant. Ergo videris leuiter caussam tanti momenti & põderis trãsilire. Antecedens constat, quia ab ordine, varietate, & pulchritudine vniuersi efficacissimam, probant naturam non posse non agere propter finem. Nam quæ pulchritudo, quæ varietas, quis ordo, si non sit finis & vsus ad quem destinentur?

Resp.

Naturã agere propter finẽ probat Mundus minor.

Cumulus ingens esset si omnes articulatim caussas, & probationes huius quæstionis in vnum cogerem & coaceruarem: capita solum & fontes tetigi ad quos reliqua reducantur. Si vis tamen vt accumulatius agam, has iterum caussas in specie trado: primam à mirabili varietate, secundam à singulari pulchritudine, tertiam ab æterno ordine, quartam à firmissima stabilitate, quintam à diuina cõsensione rerum: quæ omnia arguunt commune aliquod bonum, ad quod (vt ad finem) res omnes physicæ in choro naturæ conspirantes reducuntur. Est enim hoc bonum naturæ conseruatio, cuius desiderium & appetitio veluti temperiem, fœdus, & amicitiam parit: vt alta cum imis, summa cum mediis, firma cum infirmis, æterna cum caducis, vniuersa cum singulis vehe-

menter

menter in conseruatione totius consentiant, quod fieri non potest si natura in illius finem non appeteret. Si vrgeas vt vlterius agam ab exemplis rerum, solum hominem minorem mundum *tibi propono, in cuius anatomia nullam partem sine vsu, nullam potentiam sine fine proprio à natura formatam videris. Addo brutorum animantium quorundam mirabilem amorem, artem, industriam, addo elementorũ qualitates, vires, loca, ordines, commutationes, addo denique cæli immensitatem, motum, lumen, influentiam, venustatem, aspectum multiplicem, imperiũ quo hæc inferiora regit: quæ omnia luculenter volumina nobis ostendunt, in quibus scriptum est, Deum & naturam in omnibus propter finem agere.*

Opp. *Si natura semper agat propter finem in operibus suis, a fine non erraret: sed errat, vt in monstris contingentibus luculenter constat: ergo natura semper non agit propter finem.*

Resp.

Vt grammaticus non est habendus indoctus, aut medicus imprudens, quãuis ille non semper recte scribat, hic non semper infirmum sanet: ita natura artifex rerum nõ est habenda expers finis, quamuis semper in particulari actione, & opere finem non assequatur. Respondeo ergo naturam non vniuersalem sed particularem aliquando errare, at particularis naturæ error vniuersalis naturæ arcem non concutit. *Lib. 1. Top. c. 1.*

Opp.

Natura non cognoscit finem: ergo non agit propter finem. Ratio tenet, quia vt docet Philosophus in Ethicis, duo requiruntur in agente propter finem, nimirum finis cognitio, & mediorum quibus acquiritur comparatio: quibus addi potest consultatio de mediis aptis & idoneis, quorum ope finis comparatur.

Resp.

Cognoscere *hoc loco* finem, *est eam habere proprietatem vt non desinat agere donec ad finem perueniat: quamuis ergo natura non intelligat, naturæ tamen ductor authorque Deus intelligit, cuius nutum & instinctum sequitur: quod est satis.* *Natura quomodo cognoscit finem.*

Opp. *Si natura propter finem agat, cur hominem principem omnium suorum operum nudum, infirmum, inermem,*

miserũ præ aliis brutis animãtibus fecit? cur lusum & quasi pilam fortunæ fecit? Videtur quidem in hoc non egisse propter finem, cum dignissimis effectu maxima debeantur beneficia. Oceanus hic fluit orationis, sed vix riuulos aperiam.

Natura mater no nouerca hominis.

Resp. *Inepte quidem agis: te nudum fecit vt ingenio, te infirmum vt ratione, te inermem vt prudẽtia teipsum ornes, armes & defendas: mentem & imperium mentis tibi concessit: est ergo mater, non nouerca natura. Quod te miserum esse exclames, memineris nullũ esse miserum nisi peccãtem: quippe nulla est miseria nisi peccatum, tu ipse hausisti venenum, serpentem aspice inuenisti remedium*

Opp.

Cicer. lib. 1. Tus. Q.

Multa sunt in rerum natura quorum nullus est vsus, vt bestiolæ in diem viuentes, & herbæ noxiæ, *vt* toxica venena, *vt* monstra, *vt* fæces terræ, *vt* spuma maris, *vt* tempestates, fulmina, terræ motus, & *sexcenta alia: videtur ergo natura in omnibus non appetere finem.*

Resp.

Lib 3 de Ani. T 4. Pla lib. 3. Symp. Quæst. 1.

Indignus es qui in artificis excellentis officinam ingrediaris, si omnia instrumenta condemnes quorum vsum non cognoscis. Imprudens homo, Deus & natura nihil frustra agunt si tales sint bestiolæ, *quæ cum sole nascantur & cum sole cadant, vita breuitatem ostendunt tua:* herbæ noxiæ, venena, monstra, *aliaq; infinita quæ tibi videntur mala, infaustũ lapsum sequuntur tuum: vsum tamen habẽt pœnæ si male, salutis si bene & beate vixeris. Nam vt ex* vipera mithridatum *optimum arte conficitur: ita ex nocentissimis effectis naturæ, quæ sunt in sua specie perfecta, & in toto vniuerso pulcherrima, singularis sæpe vsus colligitur: quem tamen tu ideo condemnas quoniam eundem non cognoscis.*

Mithridatum optimum ex vipera.

Opp.

Illud proprie non fit propter finem à natura, quod nihilo minus fieret, si natura finem non intenderet: sed sic multa naturæ effecta fiunt: ergo natura non semper & in omnibus agit propter finem. Minor probatur, quia si natura in foliis sursum, & radicibus deorsum generandis finem non intenderet, sic tamen hæc fierent: quoniam in illis calor sursum, in his frigus deorsum fertur. Similiter si natura frugum fertilitatem in pluuia non intenderet, pluuia tamen ex neces-

sitate

stitate materiæ, id est, nubis iam grauida factæ eueniret. Nubis enim vaporibus plena, radiisque solis dissoluta, ex necessitate in terram propter grauitatem & pondus ruit: nec non sæpe præter intentionem naturæ sterilitatem gignit. Huc adde illud de dispositione dentium, in qua non tam intentio naturæ, quam necessitas materiæ spectanda est, vt hi acuti & graciles, illi crassi & maxillares fiant.

Resp.

Istis omnibus satisfactum est in textu, nimirum hæc euenire non posse si natura finem non intenderet. Ad rationem igitur dico, materiam nihil ex se posse facere (est enim segnis & otiosa caussa rerum) in illa ergo necessitatem ponere producendi effecta, est plane absurdum. Quippe si non sit actiua potentia virtusque naturæ, qua excitetur materia, nec calor ascendit vnde flores & folia: nec frigus descendit, vnde radix & vita: nec guttatim cadit pluuia, vnde fœcunditas & abundantia efficiuntur. Habet enim natura in hisce omnibus intentionem, habet finem, quem non ex necessitate materiæ, sed ex dignitate formæ, & viuacitate (vt ita loquar) potentiæ tandem assequitur. Vbi dicis aliquid sæpe præter intentionem naturæ contingere, exempli caussa sterilitatem *non semel ex abundante* pluuia: *respondeo hoc contingere per accidens, non per se, quod vniuersalis naturæ intentionem non tollit.*

Materia per se segnis.

Pluuia est caussa sterilitatis per accidens.

Argumēta aduersus secundam quæstionem, quæ est Vtrum bruta animantia solo naturæ instinctu ad finem ferantur?

Opp.

Sensu & phantasia bruta animantia feruntur ad finem: ergo non solum instinctu mouentur. Antecedēs constat, quia sensum & phantasiam habent, vnde appetitus naturalis boni aut mali nascitur: argumentum tenet, quia hoc verbum solum *excludit alia.*

Lib. 3. de Ani. c. 11.

Resp. *Nomen* instinctus *motum sensus & phantasiæ, & etiam quiddam vltra comprehendit, nempe actiuam virtutem influentem primæ caussæ, qua res qualibet ad suum finem acquirendum mouetur, dirigitur, & ad-*

Instinctus quid significet.

iuuatur, vt superius docui. Hoc ego verbum solum *non exclusiue (vt aiunt) sed inclusiue sumitur: quasi diceres bellua solo instinctu, id est, motu sensus, phantasia, & diuina potentia ad suum opus & finem mouentur: nam instinctus horum trium motum & impulsum continet, si fuse & ample sumatur.*

Opp. *Semper inhaeret scrupulus ille animo, quomodo bruta animantia aliaque res naturales agant propter finē, cum non cognoscant finem, neque deliberent de mediis quib. eundem consequantur.*

Resp.

Triplex est gradus agendi propter finem.

Triplex est gradus progrediendi ad consequendum finem, primus eorum quae non solum apprehendunt finem sub ratione boni, sed etiam cognoscūt rationem, & proportionem mediorum ad eundem obtinendum: sic homo & spiritus agunt propter finem. Secundus gradus est eorum quae solum materialiter per se concipiunt finem sub ratione boni naturaliter conuenientis, & sic ceruus siticulosus aquarum fontes appetit. Caeterum attende, quoniam prima caussa influit in omnia & singula naturae effecta, additur quaedam occulta qualitas seu instinctus sensus & phantasia brutorum animantium, quo semper diriguntur, & quo saepe instructa, mira & obstupenda agunt. Tertius gradus est eorum quae non omnino cognoscunt finem, agere tamen propter finem dicuntur, quia nutum & instinctum sui motoris semper obseruant, & ad illum finem tendunt ad quem ab illo diriguntur. Neque hoc mirum videatur tibi: nam vt sagitta, licet sit motus sui ignara, tendit ad scopum ad quē impetu & directione iaculantis dirigitur: ita insensibilia & inanimata natura opera, quamuis sint vita, sensus, & rationis expertia, feruntur quidem ad illud bonum, ad quod (instinctu & dispositione primae caussae mouentis) in prima sui origine destinantur: ratio est, quia sunt instrumenta Dei. Longior sum quam velim in hac responsione mea, vt intelligas omnibus pro dignitate gradus & essentia digniorem concedi influxum seu instinctum naturae. Exempli gratia, hominibus dignissimum, vt ratione & consilio agāt: brutis animantibus digniorem quam plantis, quia nobiliores potentias vitae, sensus, phantasia habent: plantis etiam digniorem quam lapidibus, quia propius in fa-

cultate

cultate vita ad primam caussam veniunt. Instinctus ergo nō unus numero est in omnibus effectis natura, sed varius & multiplex, idemque excellentior vel ignobilior, pro gradu essentia vel existentia sua.

Opp.

Vnum scrupulum tollendo alium difficiliorem infers. Vtrum sit hac doctrina consentanea Aristotelis doctrina, cum recurras ad primam caussam seu Deum, à quo istos tam varios instinctus petis? Nam ridiculum est si quarenti cur lapis descendat, respondeas quia sic mouetur instinctu prima caussa, quando reuera mouetur pondere & grauitate sua, cuius impetu deorsum vergit, vt ignis sursum volat alis quasi leuitatis sua. Aut ergo concedendus est delectus in animatis & ratione carentibus, aut alius inueniendus est modus quo ferantur ad fines.

Resp.

Consentanea est hac doctrina Aristoteli, qui aperte in multis locis recurrit ad primam caussam, vt in libro secundo de Generatione capite secundo, vbi scribit naturam non esse sine ratione, intelligit rationem qua dirigitur. Et libro primo de Cælo naturam & Deum iungit, docens ibi Deum & naturam nihil frustra agere. Quasi diceret, natura nihil incassum agit, quia diuina sapientia ductu dirigitur & mouetur. Iterum libro duodecimo Metaph. capite decimo, duplicem ordinem statuit, vnum in natura, alterum in Deo, illum autem ab hoc pendere illic manifeste insinuat. Sed quid moror? lege librum de Mundo. de quo si dubites, lege in eandem penitus sententiam capite secundo primi libri Polit. & libri secundi de partibus animalium Capite decimo tertio, lege octauum librum Physicorum & decimū Ethicorum, satis est si hoc vnum legas, quod Deus sit infinitus actus in omnibus & singulis, vt in 7. & 8. Physic. docet. Ad rationem igitur dico, quod ista directio prima caussa non sit superuacanea, cum nihil possit in finem tēdere nisi prius sic ordinetur: at omnis ordinatio ab intellectu est, & sic opus natura est opus intelligentia, quia est opus Dei. Quod insinuas sublato hoc impulsu prima caussa moueri, tamen res naturaliter, vt lapidem deorsum, ignem sursum pondere & leuitate sua: dico, & vere dico, sublato impulsu prima caussa, id est, influente illius proui-

Aristot sape recurrit ad primam caussam.

Lib 1. de cælo. T. 32.

Lib. 12. Meta. c. 10.

Lib. de Mundo.

Li. 11. polit. c. 2.

Lib. 2. de part. Ani ca. 13.

Natura opus quis opus intelligentia.

dentia, non solum non sic moueri, sed etiam omnino non esse, quia omnes omnium rerum essentiæ in prima caussa secundum Aristotelem vniuntur. Non ridicule igitur quærenti cur lapis deorsum tendat, respondetur, quia sic mouet Deus; nam etsi per formam propriam aut grauitatem executrices caussas sic moueatur, primario tamen ad hunc motum à prima caussa destinatur.

Grauitas & leuitas executrices caussæ.

Opp.

Quid respondes Thaleti, Pythagoræ, Anaxagoræ, Plutarcho, viris magnæ authoritatis, qui brutis rationem ac ingenium attribuunt? non est leuis aut contemnenda eorum authoritas: videntur ergo bruta animantia non solo instinctu ad finem moueri.

Plut. lib. 5. De pla. phil. c. 20.

Resp.

Agnosco mirabiles & obstupēdas sæpe actiones brutorum, quæ sine ratione, arte, & prudentia non videantur fieri, quibus spectatis doctissimi isti viri acuerunt ingenia sua, vt probarēt scilicet belluas ingenium, sermonem, rationem habere. Hoc quidem (vt opinor) non fecerunt, quia vere ex animo sic esse censuerunt, sed vt quid possit humani ingenii acumen in re probabili explicanda ostenderent. Nam certum est nec hirundinem *architectum, nec* aranean *textorem, nec* leonem *imperatorem, nec doctum* elephantem, *nec* canem *medicum esse, quamuis* hirundo *ædificet,* aranea *texat,* leo *imperet, literas cognoscat* elephas, canis *sanet. Hæc enim omnia non arte sed motu naturæ, primoque instinctu phantasiæ agunt.*

Pl. li. 8. c. 1 est in elephantis inquit intellectus patrii sermonis

Opp.

Si instinctus brutorum sit nihil aliud quam influens operatio phantasiæ, definita ad iudicium cōuenientis, determinantisque appetitum ad fugam vel prosecutionē: quare quomodo tanta rerum varietas oriri possit, vt singula fere indiuidua singularum specierum varias phantasias, varios motus, varios fines haberent? Vnde mihi videtur, quod neque sit vna in belluis phantasia, neque vna motio seu instinctus quo mouentur, sed varia species seu idea impressa aut innata, quibus (velati exemplaribus) ad agendum propter finem instruuntur.

Resp. *Non sum ea opinione, quod sit vnus instinctus numero*

*mero in omnibus brutis animantibus, neque quod sit vna phantasia solũ sed multiplex, quæ varios istos motus ad multiplicia opera & fines eadem trahit: sed quod sint exemplares in illis species aut ideæ, vel impressa, vel innata, libenter non concedo, ne multum à dignitate animæ humanæ detraxisse videar, quam Arist. in primo ortu hominis rasam tabulam, id est omni imagine & idea vacuam arbitratur esse. Verumenimuero, vt istiusmodi species in brutorum internis sensibus non relucere existimem: ita istum instinctum diuinitus concessum, inanẽ & otiosum non esse puto, sed actiuam qualitatem & [illegible]idam, quæ radiis suis illustrans informãsque phantasiam, appetitum ad opus incitat. Nam vt cera existens per se omnis forma vacua, sigillo impresso facta est figurata: ita phantasia brutorum per se existens quasi rasa tabula, per influentem & inhærentem instinctum redditur imaginibus plena & ornata, quibus distincte ad varia & miranda opera commouetur. Hoc non dico, quasi defenderem bruta exemplares ideas in suis operibus producendis (vt artifices) imitari: sed quia hoc instinctu iam mouente, naturalis qualitas seu proprietas data cuilibet animanti, tum magis ad proprium opus & peculiare excitetur. Quippe a*ranea *hanc naturalem proprietatem habet, vt fibratim con*texat telam; *sed nisi hæc proprietas instinctu radioque primæ influentis caussæ moueatur, bestiola in rudiore tela sine arte latet.*

Instinctus vnus non inest omnibus.

Bruta non habent innatas ideas.

Lib. 11. post c 1.

Opp.

Quid ais de venatico cane, *qui nunquam edoctus videtur suam prædam non sine discursu persequi & insectari? Arist. certe cum multa brutorum opera considerasset, coactus est rationem quandam & prudentiam eorum aliquot concedere, vt in primo Metaph. constat, vbi quæritur* An ratio sit in belluis? *cuius quæstionis partem affirmantem defendit.*

Lib. 1. Met. c. 1. & Li. 6 Eth c. 7. & Lib. 2. de Fin & Valla. Lib. 2. de Volup. c. 38.

Resp. *Quod quæris de* cane, *de aliis quamplurimis quærere licebit, quæ omnia & singula videntur quidem cum ingenio & ratione agere, sed non agunt, quia mente & intellectu carent. Vbi vrges philosophum, quasi diceret coactus rationem esse in belluis, distinguimus esse quidem in belluis rationẽ, id est, non sine ratione ductuque prima causa*

Ratio qualis in bruta.

influentis agere. Est ergo ratio in belluis, non sua, non propria: inest tamen ratio: id est, dispositio primi motoris, quæ proprie instinctus naturalis dicitur, Neque videatur mirum Lib. 1 pol. ca. 3. *cum dixerim rationem non propriam esse in belluis; nam ut seruus, quamuis sit natura homo, instrumentum animatum rationis non suæ, sed alienæ compos dicitur: ita multo magis belluam instinctu actam impulsamque ad opus, participem rationis non propriæ, sed altioris naturæ non inepte dicimus. Quippe ut seruus est instrumentum imperātis: ita est bellua, omnisque effectus naturæ instrumentum primi motoris, cui imperanti continuo perpetuoque obsequuntur.*

Argumenta in tertiam quæstionem, An natura intendat monstrum?

Opp.

Quamuis natura non cognoscat finem, ducem tamen habet dirigentem qui falli non potest: non ergo destituitur suo fine, & per consequens non fit monstrum: nam fieri mõstrum est falli naturam. Neque est quod hic respondeas falli particularem naturam, quippe illa quoque instinctu primæ caussæ mouetur, finemque suum assequitur: nam aliter curam omnium & singulorum non haberet Deus, si vniuersalem naturam sine errore dirigat, & singularem erroribus infinitis subiiciat.

Resp.

Deus singulis præest prouidētia singulari. *Scio grauiores quosdam philosophos hic defendere, Deum solum communi influxu & generali instinctu cum caussis agentibus concurrere: sed huic opinioni non subscribo: existimo enim singulis præesse prouidentia sua singulari. Sed hinc concludis monstrum fieri, aut falli naturam, quia monstrum est erratum naturæ. Respondeo monstrum fieri respectu particularis naturæ intendentis alium effectum, non autem monstrum fieri respectu Dei sic disponentis naturam. At dicis, non falli particularem naturam quia à Deo dirigitur. Hoc nego, quia id semper non patet naturæ quod a Deo intenditur: iubet Solem stare, moueri terram, monstrum est, si particularem naturam in suo stadio currentem spectes: at monstrum non est, quia omniscius author omnium, caussas huius*

statio-

stationis & illius motionis non ignorat.

Opp. *Naturam intendere monstrum, nihil aliud est quã naturam terminari ad tale producendum: sed natura producens monstrum terminatur ad productionem monstri: ergo natura sic terminata intendit monstrum. Maior constat, nam intendere est nõ cessare, donec illud produxerit ad quod determinetur, vt in omnib. naturæ effectu patet: minor non eget probatione.* *Intendere mõstrum, quid sit.*

Resp.

Respondeo, naturam ex se non esse determinatam ad tale erratum: imo hoc profluit ex alio impediente naturam, vel ex aliquo intentiore concurrente & intendente oppositum: neque hinc fas est vt dicas, caussam illam aut impedientem aut cõcurrentem intendere erratum, imo potius intendit rectum. Nam vt Albertus ait, cum ex omni constellatione cæli fiant monstra, constellatio rectum intendit, nõ monstrum: sic non monstrum respectu cõstellationis sic influentis in materiam, sed respectu naturæ particularis ad alium finem secundum naturalem cursum contendentis, impedita tamen: quia potentior caussa, nempe aspectus cæli, aliam formam intendebat.

Opp.

Aliud à Deo fieri, aliudque à natura intendi, est naturam Deo opponere: sed hoc est absurdum, cũ Aristoteles agnoscat naturam esse ancillam & instrumentum Dei: Cæterum id ipsum contingit in producendo monstro, quod recte (vt ais) fit à Deo, & tamen à natura non intenditur: imo fit præter, aut potius contra intentionem naturæ.

Resp. *Aliquid probasses, si probasses naturam reniti aut pugnare contra voluntatem Dei: aliud quidem fit aliquãdo à Deo, aliud intenditur à natura: sed iubente Deo natura obtemperat, moueturque ad illam formam aut finem ad quam Deus eandem non inuitam trahit.*

Opp. *Homo nequam rem habens (contra naturam) cum lutulenta sue, intendit contra naturã humanam mõstrum, si is corrupta phantasia intendat generare porcum; ergo natura aliquando intendit monstrum.* *Monstrum ex indiuiduo diuersa speciei quomodo oriatur.*

Resp. *Sardanapalus ista intendit facitque peccatũ, quod est monstrum; at porcum ex sue generare, non est intendere*

monstrum. Nam etsi horrendum sit scelus quod committitur effectus tamen est natura quem gignit, si nefrens ex sue generetur. Nam quamuis indiuidua diuersarum specierum coeant, quod est monstrum, res tamen quæ generatur, existens vnius speciei indiuiduum, monstrum dici potest. Verum si (vt aliquando iusto iudicio Dei fit) cōplicata aliqua natura prodeat, partim humana specie, partim belluina constans, monstrum est: & quia raro, & quia præter intentionem naturæ eueniat.

Natura complicata monstrum.

Opp.

Monstrum definitur defectio, imperfectioque naturæ: *sed mulier est quædam defectio imperfectioque naturæ: ergo mulier est monstrum. Maior est Aristotelis hoc loco, qui monstrum sic definit. Minor est quoque illius in primo Politicorum, vbi fœminam viro subiectam esse probat, quia est imperfectio naturæ. Agenti enim patiens, perfecto imperfectum naturæ ordine (vt ait) subiiciendum erit.*

Libr. 1. de Gen. Ani. ca. 20. & li. 2. de Gen. Ani. c 3.

Resp.

Pudet me tam leui & triuiali argumento respondere. at ne in re minima deficiam, deficienti & languenti huic rationi sic respondeo: scilicet duplicem esse defectionem aut imperfectionem rerum, vel in humoribus, vel in partibus: imperfectio in humoribus non facit monstrum: in partibus vero si sit insignis, facit. At fœmina est quædam imperfectio naturæ in humoribus, vt vides, idque solum comparatione facta ad virum qui agens principium dicitur, non autem est fœmina in se imperfectio vlla, sed excellens opus naturæ, comes vitæ, solatium viri. Vt ergo luna est stella perfecta, quæ tamen cum sole comparata imperfectior dicitur: ita fœmina forma pulchra & speciosa est, sed cum viro comparata cui subiicitur, impotentior dici potest. Quod dixerim imperfectionem in partibus esse monstrum, animaduertendum est me insignem & deformem imperfectionem intelligere, vel in raritate, vel in redundantia, vel in transpositione, vel in notabili deformitate partium, quæ decoru & ordinem naturalem non sequitur.

Rei duplex est defectio.

Fœmina non est monstrum.

Opp.

Caussa impediens in generatione monstri intendit monstrum, sed caussa impediens in generatione monstri est sæpe

ipsa natura: ergo ipsa natura aliquando intendit mõstrum. Maior constat in hoc exemplo: sit caussa impedita homo semper intendens generare hominem: sit vero caussa impediens abundans materia, quæ fortasse duo capita, aut tres pedes intendit producere: sed hæc materia est natura (quippe natura in materiam & formam diuisa est) ergo natura intendit monstrum.

Resp.

In monstri generatione consideratur tria.

In generatione monstri considerãtur tria, caussa impedita, caussa impediens, ipsaque deformitas quæ monstri nomine appellatur. Agnoscis tu quidem caussam impeditam semper agere secundum legem ordinemque naturæ, & mõstrum non intendere, similiter quod caussa impediens non intendat monstrum sic probo, quia rectum est quod intendit respectu sui: rationem duplicem reddo, tum quoniam instinctu primæ caussæ dirigitur, quæ falli non potest, tum etiam quoniam ad hunc finem & non ad alium suapte natura destinatur: respectu ergo impedientis caussæ monstrum dici non debet.

Monstrum non intendatur ne à caussa quidem impediente.

Opp.

Fit monstrum non nisi ex naturalibus caussis: ergo natura intendit monstrum. Antecedens probatur, quia caussa impediens & caussa impedita sunt naturalia. Præterea, quid aliud est intendere naturam aliquem effectum, nisi ad illius effectionem inclinare? sed natura inclinatur ad effectionem monstri: ergo monstrum intendit.

Resp.

Monstrum fit præter intentiõ naturæ.

Aliud est fieri aliquid cum intentione & ordine, aliud est fieri præter intentionem & ordinem naturæ. Dico id ipsum quod sæpe dixeram, fieri quidem monstrum ex naturalibus caussis, scilicet ex materia & forma, non tamen debito modo & ordine quem natura postulat & intendit, propter concurrentes aut intercurrentes caussas, quæ ordinem naturæ peruertunt & impediunt. Non est ergo satis ad effectionem monstri inclinare, nisi ipsa inclinatio naturæ sit recta, effectioque rei secundum leges naturæ ordinata.

CAPVT IX.

Vtrum { *Maior sit necessitas vnius caussa quam alterius; maxima autem finis?*

MVlta de principiis, multa de caussis, multa de caussarũ connexione cum effectis, multa denique de vtriusque relatione ad finem egit Philosophus: hoc ergo est nũc epiphonema, hæc catastrophe huius libri, nimirum in principiis & effectis, in caussis & caussarum (vt ita loquar) catenis, absolutam necessitatem esse, sine qua vniuersi machina & structura ruit. Sed hic oritur quæstio, Vtrum hæc necessitas subsistendi in rebus, potius materiæ quam fini sit ascribenda? Certarunt veteres philosophi omnino assignandam esse materiæ non fini, quod probant exemplo ædificandæ domus, quam ideo sic ædificari dixerunt, quia fundamentum (propter lapidum grauitatem) imum locũ, parietes & tecta (propter lignorum leuitatem) locum supremum occupant. Respectu ergo materiæ hoc vel illo modo affectæ, omnem in rebus subsistendi aut essendi necessitatem posuerunt: sed hunc errorem in textu corrigit philosophus, statuens duplicem necessitatem esse, vnã absolutã, ex hypothesi alteram: vtramque in rebus physicis inesse putat, hãc respectu materiæ, illam respectu formæ, quæ nomine finis hoc loco definitur. Exempli caussa, concedit necessitatem esse materiæ in domo, & serra, sed ex hypothesi: nã si non esset materia, nec domus nec serra fierent: absoluta autem necessitas (inquit) in fine seu forma cernitur, à qua actum subsistendi ipsa materia habet. Argumentum quo hoc confirmat est à similitudine desumptum in disciplinis, in quarum demonstrationibus præmissæ locum materiæ, conclusiones locum finis tenent: at in istis demonstrationibus conclusio necessitatem absolutam veritatis, præmissæ necessitatem hypotheticam & (vt aiunt) conditionatam habent. Similiter ergo in materia non est absoluta necessitas, sed in forma aut fine, quam simpliciter & absolute materia sequitur. Nam si ponatur finis, necessario ponuntur media: vt posita forma quæ est finis generationis, necessario ponitur materia quæ est propter formam, si vero sit materia, non necessario est forma; necessitas

Necessitas duplex.

Forma nomine finis definitur.

Forma & finis maior necessitas est quam materia.

necessitas ergo absoluta est respectu formæ, non respectu materiæ: respectu (inquam) formæ quæ finis hoc loco dicitur: nam forma est finis & perfectio rei. Sed vt est absoluta necessitas respectu formæ, quia posita forma ponitur materia: ita est ex hypothesi necessitas respectu materiæ: quia forma sine materia esse non potest, vt lectus non est sine ligno, serra non sine ferro: at lecti serræque absoluta necessitas in distincta forma, vsu, & fine cernitur. Sic domus necessitas non est in lapidibus aut lignis, sed in fine, qui est protegere & conseruare homines contra iniurias cœli, cuius contrarium inepte quidam (vt videtur) Philosophi ætate defenderunt. Conclusio hæc est, caussas omnes, maxime caussas necessitatis philosophis disquirendas esse, idque non tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ & finis. Docet enim Aristoteles physicum magis circa finis & formæ, quam materiæ considerationem versari: tum quia illa est causa huius, tũ quia in ratione seu definitione magis vtimur forma quã materia: vt in naturalibus & arte factis constat. Hoc tamen dicit, non quod existimet materiam non esse necessariam in definiendis rebus, sed quoniam formam magis esse necessariam putet, cum non solum nomen, sed etiam differentiam essentialem rebus definitis addat.

Materia qualis necessitas.

Explicato iam textu, quæstio nunc vna vtcunque discussa articulatius prosequenda est, *Vtrum maior sit vnius caussæ necessitas quam alterius, maxima vero finis?* Comparatio necessitatis hoc loco est inter materiam & finem: verũ quoniam per finem non solum externam perfectionem rei, sed etiam internam formam aperte hic philosophus intelligat, cum formam finem nominet, cumque sub nomine materię (vt est in motu) efficientem caussam nonnunquam insinuet: abs re non est, in comparatione omnium causarum mouere hanc quæstionem, An maior sit necessitas vnius caussæ quam alterius, maxima vero finis? Distinctio necessitatis ex ipso textu constat: aliam nimirum esse absolutam, aliam conditionalem seu hypotheticam. Necessitas quidem est in omnibus caussis, siue essentiam, siue existentiam spectes: de materia & forma non omnino est controuersia, cum res quælibet naturalis ex illis constet: de efficiente quoque & fine lis esse non debet, si consideres naturam

Quæstio.

Necessitas est in omni genere caussæ.

ipsam à philosopho effectricem caussam, Deumque finem omnium appellari. Ea enim omnia necessaria dicuntur, *sine quibus res esse absolute & simpliciter non possunt*: sed sine omnibus & singulis caussis res absolute & simpliciter esse nō possunt: ergo omnes & singulæ caussæ sunt necessariæ. Assumptio probatur, quia sine intentione finis non mouetur natura, sine actiua potentia naturæ non mouetur materia, sine motu materiæ non acquiritur forma, sine acquisitione formæ res nulla naturalis constituitur: proinde sine omnibus & singulis caussis res absolute & simpliciter esse non possunt. Intentio naturæ finem, actiua potentia materiam, mouens efficientem caussam, appetitus formæ materiam, perfectio materiæ formam esse necessariam arguit.

Necessarium quid.

Finis ergo est necessarius, quia ab illo incipit natura: efficiens caussa etiam necessaria, quia per illam (segnem aliter & otiosam) materiam mouet natura: materia ipsa est necessaria, quia ex illa res constat: forma denique est necessaria, quia per illam res definitur. Sic (vt vides) omnes caussæ sunt necessariæ, at sic necessariæ, vt aliæ aliis magis minusq; necessariæ dicantur. Nam si compositionem spectes materia, si definitionem forma, si motum efficiens caussa, si vsum finis magis necessarius dicitur, vt quidam non indocti philosophi hunc locum interpretantur.

Caussa alia alia magis necessaria.

Verum cum Aristoteles simpliciter in absoluta necessitate finem materiæ anteponat, quid per finem intelligat quærendum est. Quippe si per finem externam illam caussam intelligat, quæ in sola intentione animi aut naturæ latet, suumque esse adhuc reale non habet, videtur id affirmare quod est rationi & philosophiæ plane contrarium. Nam qui fieri potest, vt id quod metaphoricum solum, aut saltem intelligibile solum esse habeat, magis habeatur necessarium quam aliud vllum principium, quod per se & vi sua subsistentiam habeat? Ambagibus relictis, dico per finem hoc loco præcipue formam essentialem intelligi, & sic magis quiddam necessarium quam materia aut efficiens caussa dicitur: quia illius necessitas est simplex & absoluta, materiæ autem & efficientis caussæ necessitas ex hypothesi & conditione.

Per finem hic Aristoteles intelligit caussam formalem.

Porro

Porro vt amplius & ſubtilius ſecundum veritatem hanc quæſtionem defendas, affirmo finem, licet non ſumatur pro forma, magis tamen eſſe neceſſarium quam aliam cauſam vllam, excepta prima, quæ & efficiens & finis omnium dicitur. Ratio vna (qua hoc ipſum probo) eſt, quia finis ſiue ſit internus vt forma, ſiue ſit externus vt vſus rei, primum principium eſt quo mouetur natura ad aliquid producendum, ſine quo motu nihil omnino fit aut fieri quidem poteſt. Sequitur ergo finem eſſe maxime neceſſarium, & pręcæteris cauſſis in eſſe rei primum quaſi pulſum, motum & principatum habere: & quamuis modo videbaris obiicere, finem eſſe ens ſolum intelligibile & metaphoricum: non oblitus prioris meæ de fine opinionis dico, finem & in ipſa natura, & in prima cauſſa, & in potentia actiua mouẽte naturam habere eſſe reale, licet perfecte non exiſtat, donec res actu ſuum vſum habeat. Sed hæc obiter: pergam. *Finis maxime neceſſaria cauſſa.*

In fine non ſolum eſſe ſuum per intentionem naturæ, ſed bene eſſe ſuum per abſolutam perfectionem res quælibet phyſica habet: ſed magis neceſſaria eſt illa cauſſa quæ & eſſe & bene eſſe, quam quæ nudam eſſentiam tribuit: ergo finis quam aliæ cauſſæ eſt magis neceſſarius. Maioris probatio perſpicua hinc eſt, quia magis id neceſſarium eſt quod & hominem, & hominem beatum facit, quam quod hominem ſolum, aut rationale facit. Si dicas hoc loco, beatum eſſe hominem nihil ſpectare ad eſſe hominis: reſpondeo ſpectare, & ad eſſe, quia primum intenditur, & ad bene eſſe, quia ſine hoc fine homo non perficitur. At iterum dices, me non philoſophice diſputare: iterum reſpondeo me non latum vnquem (vt aiunt) à philoſophia diſcedere, quæ docet hominem nihil aliud eſſe quam formam ſuam, id eſt, mentẽ, cuius obiectum eſt bonum, finiſque proprius ſummum & incommutabile illud bonum, à quo omnia & eſſe, & bene eſſe habent: Deum intelligo, quem Ariſt. ipſe veriſſimum finem mentis in decimo Ethicorum inſinuat eſſe. Nam aliter quorſum theoricam vitam meliorem eſſe practica ſeu actiua ait, in ſubiecto, obiecto, medio & fine: id eſt mente, veritate, ſapientia, Deo? eſt enim contemplationis ſubiectum mens, obiectum veritas, medium ſapientia, finis ipſe *Cic. Som. Scip. Li.10. Eth.c.7.* *Li.10. Eth.c.7. Vita contemplatiua, Actiua.*

Deus: vt vitæ actiuæ subiectũ naturalis appetitus, obiectum moralis virtus, medium ciuilis prudentia, finis ethicę virtutis actio. Adde quod illic philosophus addit, excellere vitam contemplatiuam, quia in ea omnia, (subiecta, obiecta, media, fines) æterna & diuina sunt: in vita autem practica caduca & moritura. Adhuc non videris ad idem disputare: nam etsi hæc omnia verissima esse concedam quæ dicis, Deum esse proprium finem mentis, à quo esse & bene esse habeat: hoc tamen non probat, omnia à fine externo suum esse aut bene esse vendicare. Imo probat, quia Deus non est internũ principium omnium, & tamen ab illo effectiue esse, ab illo etiam finaliter bene esse habent. Neque ad illud confugiam asylum, vt dicam finem externum esse de essentia compositi non simplicis subiecti, vt agricola docte in libris Inuentionis defendit. Per simplex subiectum exempli caussa *hominem*, per compositum *hominem prudentem* propono. Vt ergo comparatione facta prudentia non est de essentia hominis, at de essentia (vt ait Rodolphus) hominis prudentis dici potest: ita finis quamuis non sit de essentia rei simplicis acceptæ, rei tamen actu & vsu existenti intrinsecus quodammodo accommodatur & conuenit. Sic fœlicitas est de essentia fœlicis, tametsi non sit hominis si simpliciter & per se consideretur. Ad hoc (inquam) profugium non conuolo, quantumuis institutum recte & accommodate probet, sed illud semper vrgeo, intentionem naturæ in generatione rerum naturalium primum à fine excitari, sine qua intentione caussa tum conceptionis tum partus (vt ita loquar) res naturales nec in vtero formari, nec in lucem produci possunt: est ergo maxima præ cęteris caussis finis necessitas, vtpote in qua cæteræ suã consequentẽ necessitatẽ habeant.

Deus non est internum principiũ omnium.

Finis necessitas qualis.

Hactenus de necessitate finis: non opus est plura de comparatione reliquarum caussarum agere, cum constet eius caussæ necessitatem maiorem esse, quæ propius ad finem accedat, eamque magis imitetur: sed forma propius ad finem accedit, eamque magis imitatur: ergo formę est maior necessitas quam materiæ aut efficientis. Semper tamen excipio primam efficientem caussam, à qua omnia principia, caussæ, & effecta pendent. Postremo maior est necessitas efficientis quam materiæ, quia maior est necessi-

1 *Necessitatis ordo in caussis.*

necessitas mouentis quam mobilis: sed efficiens causa est mouens, materia autem mouetur: ergo maior est necessitas efficientis quam materiæ. Propositio constat, si à prima caussa mouente seu primo motore incipias, & ad infimam causam motricem venias. Semper enim inuenias maiorem & dignitatem & necessitatem in mouente quam in mobili, tum quia illud agens principium, hoc patiens subiectum dicitur, tum etiam quia in illo est potentia, in hoc impotentia naturalis inest. Omitto reliqua quæ in hac causa dici possent, solumque hoc vnum in conclusione addo: finem in o-
mnibus maxime necessarium esse, eundemq; spectandum, 1
considerandum, diligendum, quia omnia quæ sunt, sunt 2
propter finem. O vtinam homo hoc vnum ex philosophia tum diuina tum humana disceres, omnia scilicet esse propter finem, hominem autem esse propter Deum! Sol, cœlum, elementa, omniaque quæ in eo sunt subiiciuntur tibi (o ingratum animal) etiamsi tu non subiiciaris Deo: finis eorum es, & ad tuum bonum tendunt, Deus autem est finis summumque bonum tuum: hunc si diligas beatus es, si contemnas miser in sempiternum eris.

Necessitas & dignitas maior in mouente quam in mobili.

Distinctio quæstionis in hoc cap. propositæ, Vtrum maior sit necessitas vnius causæ quam alterius: maxima autem finis?

In expositione hui⁹ quæstionis distinguunt interpretes necessitatem. vt alia sit
- 1 Absoluta, eademque duplex vel
  - 1 Infinita, fatalis & diuina, respectu omnium tum causarum tum effectuum, & sic est simpliciter absoluta necessitas ponendi Deum, sine quo omnes caussæ secundæ & effectus cadunt.
  - 2 Finita. & sic est
    - 1 Ab intentione naturæ, quæ primum & simpliciter in generatione rerum à fine incipit.
    - 2 Ab appetitione rerum, quæ semper & necessario ad finem & formam tendit.
    - 3 A connexione & subordinatione causarũ, quæ esse non potest si non sit finis in quo connectantur.

maior necessitas formæ & finis, quá materię & efficiétis: quod probatur

4 A definitione effectuum, in qua maior est vsus formæ quæ finis dicitur quam materiæ.

5 A cognitione necess ria, quę maxime à fine pendet, cum in fine essentia & scientia coniunguntur.

6 A perfectione, quia materia est terminus à *quo*, finis autem terminus *ad quem*, in quo quies & perfectio rei cernitur.

7 A suppositione, quod sit magis necessarium bene esse quam esse, sed bene esse est à fine.

8 A comparatione, quia vt est maior necessitas in *vsu dom⁹* quam in rebus à quibus construitur: ita est maior necessitas finis, in quo stat⁹ & vsus, quam aliarum caussarum, in quibus solum ipsa species cernitur.

2 Ex hypothesi, seu conditionata, cuius consideratio duplex est, vel

1 Generalis, vt omnes causę inter se comparantur, & sic maxima est necessitas finis, maior formæ quam materiæ aut efficientis naturalis: *naturalis* dico, quia effi. iens caussa prima & Metaphysica est omnium necessaria: quia sine ea res omnino nec esse, nec bene esse possunt.

2 Specialis, vt materia cum forma aut fine comparatur: & sic ex hypothesi materia dici potest magis necessaria quam forma aut finis, quia est primum principium generationis; Verum si absolutam necessitatem spectes, forma est magis necessaria, quia propius ad finem accedit: est quoque maior necessitas efficientis caussæ quam materiæ, quia maior est necessitas mouentis quam mobilis, vt *artificis* qui format, quam *lapidis, ligni, & cæmenti* quæ arte copulantur, vt *domus* ex illis fiat at maxima necessitas est in *vsu & fine domus*, vt homo ab iniuria cœli & hostis protegatur.

Opp.

Opp. *Est necessitas absoluta omnium causarum, ut concedit Philosophus: ergo inanis est ista disceptatio de maiore & minore, de simplici & hypothetica necessitate rerum. Antecedens probatur, quia est fatum, id est, absoluta necessitas caussarum, ut antea demonstratum est.*

Resp. *Alio sensu fati necessitas, alio sensu caussarum necessitas definitur. Fatum enim ex euentu necessitas dicitur, quia rebus imponit necessitatem: necessitas autẽ causarum hoc loco pro absoluta vel comparata conuenienti vel potius (ut loquar cum veteribus) causandi ratione sumitur: & sic sumpta necessitate fieri potest comparatio, quanam caussa sit magis, qua minus, qua maxime necessaria.* *Necessitatis causarum & fati discrimen.*

Opp. *Fatum est caussa maxime necessaria: sed fatum non est finis: ergo finis non est caussa maxime necessaria. Maior constat, quia fatum est diuina prouidẽtia, quæ est caussa maxime necessaria, cum omnia ab illa dependeant.*

Resp. *Dubitatur utrum fatum sit caussa, cum potius ordo & dispositio caussarum quam ipsa caussa dicatur. Sed esto, sit caussa ut pro diuina & æterna lege prouidentia sumitur, quid hinc concludis? hoc scilicet, quod sit maxime necessaria. Agnosco lubens, quia semper (ut superius docui) caussam primam excipiendam puto.*

Oppo.

Materia duplici de caussa est magis necessaria quam finis, primum quia est internum principium omnium quæ fiunt, tum quia est subiectum primum in quo aliæ causæ continentur: sed finis est externum quiddam, & ultimum quod acquiritur: ergo maior est necessitas materiæ quam finis. Maioris probatio ex eo liquet, quod maior sit necessitas interni quam externi, substantiæ quam accidentis, cum illud constituat & definiat, hoc vero fortuito contingat.

Resp.

Est finis duplex, internus qui forma, externus qui accidentalis & aduentitia rei perfectio dicitur: etsi respondere possim ad argumentum tuum, per finem intelligi hoc loco formam: dico tamen necessitatem hic non tam in essendo quam in causando à Philosopho insinuari. Cum ergo causalitas (ut ita loquar) omnium primum à fine per intentionem naturæ sumatur, maxima necessitas ipsius finis *Finis duplex.*

habetur. Quamobrem tametsi materiam internum & primum principium omnium quæ generantur, omniumque reliquarum causarum primum subiectum concedat: maior tamen finis necessitas est, quia à fine hæc omnia operari natura incipit: imo frustra hæc omnia sunt, si non sit finis ad quẽ vt ad scopum in omnibus & singulis natura feratur.

Opp.

Maior est necessitas entis quam non entis: sed materia & forma sunt entia, finis autem adhuc non acquisitus est non ens: ergo maior est necessitas materiæ & formæ quam finis. Propositio nota est, quia non entis habetur nulla necessitas, quippe illius quod non est, nullus est vsus. Assumptio probatur, quia finis est in sola intentione naturæ.

Resp.

Finis est ens reale.

Ad minorem respondeo, finem non esse non ens: nam siue finem intentum, siue finem acquisitum intelligas, ens reale est, vt superius demonstraui. De fine acquisito constat: si vero de fine intento dubites, dico eundem realiter esse in actiua potentia naturæ, vt fœtus in vtero matris, quamuis actu non existat: nihil est quod de formis obiicias. nam forma in textu pro fine habetur.

Opp.

Maior est necessitas materiæ quam formæ: ergo male in generali comparatione causarum docetur, esse maiorem necessitatem formæ quam materiæ. Antecedens probatur, quia forma naturalis (vt docet Philosophus) è potentia materiæ educitur: cum ergo materia sit causa formæ, maior illius necessitas esse videtur.

Li.1.Phys.c.9.

Resp.

Hoc argumentum tenet, ac si diceres domum extrui super fundamentum: ergo maiorem esse necessitatem fundamenti quam domus. Neq; hoc semper verum est quod ais, formam educi ex potentia materiæ: anima enim humana (vt ait Philosophus) diuinitus accedit, neq; est per se organica: imo hoc dico, formæ generationem esse diuinam, vnde Philosophus ipse formam quiddam diuinum appellat. Cum ergo dicas educi illam è potentia materiæ, non video quomodo id probes, cum materia insulsum & otiosum sit per se principium, nullamq; actiuam potentiam, sed simpliciter passiuam habeat:

Lib.1. de Part. an.c.11.

Li.1.Phys.c.9.

habeat: potius ergo ab actiua potentia & intentione naturæ quam à potẽtia materiæ formam educi vere existimet. Vnde maior necessitas formæ esse colligitur quam materiæ, quia ad illam intentio naturæ, vt ad finem, naturali impetu & amore rapitur.

Forma non elicitur è potentia materiæ.

Opp.

Maior est neßitas efficientis caussæ quam reliquarum: ergo apta non est ista in contrarium sensum causarum comparatio. Antecedens probatur, quia efficiens in generatione rerum naturalium est primum mouens: nam quamuis à fine operari primum incipiat natura, primum tamẽ mouens naturam est efficiens caussa: vnde rectè à philosopho primũ principium motus seu mutationis definitur esse. Vt ergo in ædificatione domus est maxima neceßitas artificis, qui primum intendit, mouet, & componit omnia: ita in generatione rei naturalis est maxima neceßitas caussæ efficientis, quæ primum materiam quasi consopitam excitet ad opus.

Huius lib. c. 3. T. 29.

Resp.

Primum quod mouet naturam est finis, non efficiens caussa: nam natura ad operandum nõ mouetur, donec operandi finis proponatur: at proposito fine in intẽtione, efficiens caussa naturam ad intentionis effectum acquirendum mouet: sic & finis & efficiens caussa rectè prima principia motus dici possunt, at finis in intentione, efficiens caussa in mutatione rerum. Sed hic attende, me semper primam caussam efficientem Deum excipere, qui respectu potẽtiæ suæ caussa efficiens, respectu bonitatis finis rerum omnium dicitur. Hunc Deum effectorem admiremur, eumque conseruatorem in perpetuum sempiternis & diuinis laudibus hymnisq; veneremur.

Finis & efficiẽs prima principia motus.

Finis libri secundi.

LIBRI TERTII
CAPVT I.

Vtrum { *Ignorato motu ignoretur natura?* / *Continuum & successiuum sint de natura motus?* }

Diuisio lib. 3.



EFINITA natura, & causis rerum copiosè à Philosopho demonstratis, nunc sequitur vt de naturæ affectionibus propriisq; adiunctis pauca dicantur. In tertio ergo hoc libro sunt duo tractatus, in quorum 1. de motu, in 2. de infinito, tum ex sua tum ex aliorum opinione disputat Philosophus. Primus tractatus *De motu* tria habet capita, in in quorum primo primum hoc docet, nimirum ad naturalẽ philosophum spectare vt motum probe cognoscat & definiat: quod probat hoc enthymemate. Ad Physicum pertinet definire naturã: ergo ad eundem ẽt pertinet motum definire. Consequentia tenet, quia cognosci aut definiri non põt nisi per motũ: ignorato igitur motu necesse est ignorari naturam. Huic conclusioni in textu alia succedit, nempe ad Physicum ẽt spectare, vt *infiniti, vacui, loci,* & *temporis* accuratã scientiam teneat. Ordine hæc singula distincte sic probat, & primũ de infinito: quia considerato motu necesse est considerari ea quæ sequuntur motũ: at motũ sequitur continuũ, (est. n. vt ait Philosophus mot⁹ de numero cõtinuorũ) ergo ẽt motũ sequitur infinitũ: nã *cõtinuum est q̃ diuidi põt in infinitũ.* Secundo hoc ipsum probat de loco, vacuo, & tẽpore, quæ sunt externę affectiones naturæ, idq; ad hũc modũ. Si pertineat ad Physicum definire motũ, necesse est vt locũ, vacuum, & tempus ẽt definiat: quia motus naturalis sine loco, vacuo, & tempore esse non potest. Non sine loco & tẽpore secundum veritatẽ, quia nihil mouetur in puncto loci aut in momento tẽporis: sine vacuo, secũdum celebriorem opinionem veterum philosophorum, quos in hoc libro refellit Philosophus. Expositione iam facta quibus de rebus sit a-

Motus cognitio necessaria est Physico.

Lib. 2. Moral. ad Eude. cap 5.

sit acturus in hoc libro, accedit propius ad definitionem motus, ad cuius accuratiorem inuestigationem tres vtiles diuisiones tradit. Prima est, quod entium quędam sint actu, quædam potentia. Secunda, quod entium alia sint in prędicamento substantiæ, alia in prædicamento quantitatis, alia in prædicamento qualitatis, & sic in cæteris categoriis apud dialecticos notis, in quibus omnia *qua sunt*, cōtinētur. Tertia est, quod entium relatorum alia ex elatione & submissione, alia ex efficientia & perpessione æstimentur. Prima diuisio hunc vsum habet, vt intelligatur motus esse ens partim in actu, partim in potentia. Ex secūda colligitur in quibus prædicamentis inueniatur motus, nempe in substantia, quantitate, qualitate & vbi. Tertia demonstrat necessariam dependentiam & relationem inter mouens & mobile. Hinc inferuntur quędam conclusiones, nimirum *motus esse tantum quatuor genera*, (cōiter intellige, speciatim enim sex sunt) quatuor tantum dicuntur, quia ad quatuor solum prędicamenta referuntur. Altera conclusio est, *motum non esse vniuocum*, quoniam est in diuersis prædicamentis. Vltima textus conclusio est, *in quatuor prædictis prædicamentis duplicem motū esse, positiuū & destructiuum*: vt *generatio* & *corruptio* sunt in sudstantia, *accretio* & *diminutio* in quantitate. Epiphonema omnium est in hoc cap. quod *tot sint motus genera quot sunt rerum species*, id est, quot sunt rerum species acquisibiles (vt aiunt) per motum.

Diuisiones tres præmissæ ad indagandam naturam motus.

Harum diuisionum vsus.

Motus quot genera.

Motus non est vniuocum.

Explicato iam textu aggrediar quæstiones, quarum prima est, *An ignorato motu ignoretur natura*? Nimis curiosus mihi videtur Buridanus, qui in discutienda hac quæstione magnū discrimē ponit inter has duas propositiones, *ignoro motū*, & *Motū ignoro*. Miror certe quod hunc imitatus superstitiose Petrus Tartaretus, (vir quidē subtilis & doctus) affirmet has similiter enunciationes differre plurimū, videlicet *Ignorato motu esse necesse ignorari naturam*, & *Necesse esse ignorato motu ignorari naturā*: quasi vero cōuersio simplex ꝑpositionis in priori exēplo, aut varia dispositio huius verbi *necesse* in posteriore, tātā sensus differentiā faciat. Sed magis faueo Tartareto, quia agnosco aduerbiū hoc *necesse* signū esse modalis propositionis, quod aliter aliterq; locatū mutare potest sensum. Sed quorsum hæc curiositas in ista

Quæst. 1.

quæstione, in qua vnus est sensus sententiaque Philosophi, vtcunque hoc verbum collocetur. Nodo igitur scirpi relicto affirmo non sine consensu doctissimorum Interpretum, necesse esse simpliciter ignorari naturam, si ignoretur motus. Sed attende, hoc signum *necesse* significat necessitatem consequentiæ non consequentis, vel alterius partis cõditionalis: & hoc verbum *ignoratur* non positiuum est (vt aiunt) significans errorem scientiæ contrarium, sed priuatiuam absentiam scientiæ, qua per definitionem quid res sit cognosceretur: sensus ergo est, si quis nesciat quid

Motu ignorato, ignoratur natura.

1 sit motus, eum oportere ignorare quid sit natura: quia motus ponitur in definitione naturæ: at parte definitionis ignorata incognita redditur tota definitio, & proinde res definita, quæ hoc loco est ipsa natura. Sit ergo hæc prima
2 ratio confirmationis à definitione naturæ dicta. Alia est à relatione inter naturam & motum: quippe natura refertur ad motum: sed vt vno definito relatorum, alterum cognoscitur: ita vno ignoto alterum ignoratur. Motu ergo incognito, necesse est vt ignoretur natura, quia vtrumque
3 ad aliquid (vt in textu docet Philosophus) dicitur. Tertia ratio à modo sciendi petitur, qui modus sciendi idem est cum ratione essendi: at esse non potest natura sine motu: ergo sciri non potest sine motu. Maior est Aristotel. in Analyticis, minor ex hoc textu probatur, vbi dicit *naturam definiri per motum*, & ex consequenti esse non posse sine
4 motu, cum motus sit pars definitionis. Quarta ratio à necessitate consequentis suscepta est, quia necesse est vt materia (quæ est natura) moueatur ad formam: at moueri ad formam non potest sine motu: ergo sine motu esse non potest natura. Si esse non possit sine motu, nec sciri potest: quia scientia à demonstratione, demonstratio à definitione suo
5 medio pendet. Postrema ratio in comparatione ponitur, nimirũ penitus ignorari naturã si ignoretur caussarũ inter se necessaria cõnexio, ordo, & subordinatio: at ignorato motu hæc sciri quidẽ non possunt: ergo ignorato motu penitus ignoratur natura. Maior huius syllogismi constat, quia per connexionẽ, ordinẽ, & subordinationem causarum non solũ ad cognitionẽ naturæ physicæ, sed ẽt ad cognitionẽ naturæ naturantis peruenire licet, vt demonstratũ est copiose superius.

Li. 1. post. c. 25.

superius. Minor probatur, quia intentio naturæ cognoscitur, per motũ inchoatũ à fine, progressio per motũ fluẽtem ab efficienti caussa, operatio per motum tendentem ad formã, perfectio per motum cessantẽ in fine, quæ est absolutio & veluti consummatio operis ipsiusq; naturæ operantis: ignorato ergo motu penitus ignoratur natura, omniaq; naturæ effecta vi motus constituta. Concludã verbo, vt artifex ille nõ potest definire horologium, qui motum singularum rotarum ignoret, quoniam in rotarũ multiplici motu definitio & cognitio horologii consistit: ita Philosophus quicũque demum sit, non poterit omnino demonstrare quid sit natura, si causarum (quæ ambitu naturæ continentur) motum ignoret: ignorato ergo motu ignoratur natura.

Altera quæstio est, *Vtrum successio & continuitas sint de essentia motus*. Cum omnis motus philosophorum iudicio, & ẽt secundum veritatem sit & successiuus & cõtinuus, non est leuis hęc quæstio de qua nũc agitur: sed ne diutius te cupidũ & auidum sciendi veritatem suspensum teneam, dico successionem esse de essentia motus, continuitatem autem non esse. Cæterum mihi dicenti ne credas, credas rationi. Vt igitur rectius hæc quæ aguntur intelligas, breuiter quid successio, quid continuitas sit, dicendum est. Arist. 5. Meta. cap. 6. continuum id esse ait, *cuius motus est vnus*: successionem autem alibi definit, *motus fluxum continuatum, cum vna pars naturalis formæ post aliam paulatim motu acquiritur* Est enim in successione continuatio motus non interruptio, reique mobilis non instans & subitanea mutatio. Recte ergo definitur successiuum id quod sine interruptione motus continuatur: vel (si apertius velis definire,) est *motus interna affectio seu differentia, tempore (fluente mensura rerum) definita*. Tempus enim est *mensura motus*, & in acquirenda forma successionis gnomon & index. Non opus est vt pluribus naturam cõtinui exponam: dialecticis enim nota est continui definitio, vt sit id *cuius partes coaptantur ad cõem aliquem terminum indiuisibilem*. Sed ad rem. successio est de essentia motus, continuitas non est: horum primum sic probo. Successio ex fluxus motus naturaliter tendentis a termino ad terminum: sed fluxus motus est forma qua motus definitur: ergo successio est de essentia motus.

Quæstio 2.

Successio est de essentia motus. Continuitas nõ est

Lib. 5. Meta. c. 6.

Continuum quid.

Successio quid.

Quid per fluxum intelligam, fortasse difficile & obscurum adhuc tibi videtur. Vide ergo familiare exemplum: vt in *aqua* est motus qui loci mutationem, & fluxus qui ipsius motus continuationem & differentiam spectat: ita in natura est progressio à termino ad terminum, continuatio vero eiusdem progressionis medium fluxus definiri potest. Et iterum, vt fluxus *aqua* non solum est motus, sed quiddam amplius, id est, cõtinuatio non interrupta manantis aquæ, donec in mare aut aliquem terminum peruenerit: ita in omni mutatione rerum naturalium, fluxus non solum inchoatus motus dicitur, sed quiddam amplius. i. successio seu (vt loquuntur veteres) tendentia motus, qui forma paulatim acquisita nominatur. Si res adhuc non plane & aperte elucescat, hoc vnum per simile addo. Vt *pulsus* est *motus cordis* & aliquid etiam vltra, nempe *ebullitio spiritus in arteriis*, vnde medici certam corporis motionem intelligunt: ita fluxus est motus naturæ & aliquid etiam vltra, nempe successiua mutatio rei per media, vnde philosophi explicatam rei faciendæ vel factę rationem percipiunt: quemadmodum in motione *seminis* ad *sanguinem*, *sanguinis* ad *carnem*, *carnis* ad *partes corporis*, *partium corporis* ad *embryonem*, *embryonis* ad *perfectum hominem* constat. Motus in hisce omnibus actus inchoatus, at successio, fluxus continuatioq; eiusdem motus dicitur. Sed iste fluxus, hæc continuatio seu tendentia non re differt à motu: successio ergo est de essentia motus. Præterea, omnes philosophi fatentur motum non esse formã partim acquisitã, partim acquirendam (vt quidã somniarunt) sed viam, & quasi manũ mouentẽ, qua natura apprehendit formã: at viam tendere per hanc ad formam, aut formã per hãc manũ apprehẽdere natura nõ põt sine successiõe: est ergo successio de natura motus. Porro quid aliud est *mobile paulatim accedere ad perfectionẽ formæ*, quam fluxu quodam motus vnã formæ partem post aliam acquirere? at sic acquirere formam est essentialis ratio motus: est ergo successio de natura motus. Postremo per successionẽ, motus proprie & naturaliter sumptus à subitanea mutatione (quæ non est motus) essentialiter distinguitur: sed nihil essentialiter aliquid ab alio distinguit, nisi sit ex illius essentia: ergo successio quæ motũ essentialiter à non motu distinguit, est

Fluxus in motu quid

1

2

Pulsus quid.

1

Successio hac re non differt à motu.

2

3

4

motus

motus essentia. Quod motus ab instantanea mutatione distinguatur hinc liquido cõstat, quia motus partes secundum prius & posterius habet, mutatio autem non habet. *Motus & mutatio instantanea differunt.*

Sequitur vt breuiter explicem quomodo continuum non sit de natura motus. Agnosco hoc loco continuitatem esse quidem necessariam passionem motus, qua seclusa non existit motus, esse autem ex illius essentia probabiliter nego. Rationes vero quibus adductus sum vt id dicã, hæ sunt. Prima à distinctione vniuoci, quia continuum est ens simplex & vniuocum, in categoria quantitatis definitum, sed motus est analogum in diuersis categoriis positũ: ergo continuum non est de essentia motus. Altera ratio ab adiunctis vtriusq; ducitur, quia motus est ens incompletum (cum sit progressio formæ imperfectæ ad perfectiorem) sed continuitas est ens completum, cũ sit species perfecta quantitatis: ergo cõtinuitas nõ est de essentia motus. Vis huius rationis in hoc cernitur, quod absurdum sit idem esse completum & incompletum: at idem esset completum & incompletum, si continuum (quod est ens completum) sit de natura motus, qui omnium philosophorum calculis ens incompletum dicitur. Postrema ratio sic se habet: motus est actus & acquisitio successiua formæ: sed cõtinuitas nõ est formaliter act⁹ seu acquisitio successiua formæ: ergo continuitas non est de essentia motus. Huc addi possunt alia argumenta, nimirum cõtinuum id esse quod diuidi possit in infinita. Nã vetus est illud Philosophi, quod in continuis non posit inueniri minimum, & in discretis non posit inueniri maximum: sed motus terminis *a quo* & *ad quem* semper clauditur & definitur: ergo continuum non est de natura motus. Demonstrabis etiam hoc verum esse, si dicas continuum esse mensuram per se, motum autem esse mensuram per accidens: nec non sæpe principio, subiecto, fine inter se discriminari: quod quidem nõ esset, si continuum essentiam motus contineret.

Continuitas est passio motus necessaria, sed non de essentia eius.

1 (Prima à distinctione vniuoci) — 2 (Altera ratio ab adiunctis) — 3 (Postrema ratio)

Lib. 1. de Cæl. ca. 1. & li. 1. Phy. cap. 4.

Motus est mẽsura per accidens.

Hæc mea opinio est de hisce duob. adiunctis motus, continuo scilicet & successiuo: si firmiora in contrariã partẽ adduci posint argumẽta, manũ ferulæ (vt aiũt) subiiciã, meũque libenter agnoscam errorem: erroris semper facilis erit venia, vbi veritatis nulla secatur vena. Superest vt antequam

Ad motũ quæ requirantur. ad expositionem proximi capitis accedam, (in quo traditur definitio motus) paucis perstringam ea quæ ad motum requiruntur: sunt vero mouẽs, mobile, terminus *à quo*, terminus *ad quem*, tempus quo mensuratur motus, successio, continuitas, formæ inchoatio, perfectio etiam eiusdẽ. Mouens vt natura, quæ est principium motus, mobile vt corpus vel ens aliud, quod est subiectum motus, terminus *à quo* vt ens inchoatũ à quo incipit motus, terminus *ad quem*, vt ens completum, in quo quiescit motus, tẽpus vt hora, dies, mẽsis vel annus &c. quo terminatur motus, successio vt fluxus ille, quo continuatur motus, continuitas vt res mensurata per se aut per accidens, vnde vnus idemq; numero denominatur motus, inchoatio deniq; formæ qua actus imperfectus, acquisitio formæ qua actus perfectus motus definitur esse. Sed de istis postea pluribus. nũc solum vmbram quasi remoueo, vt definitio motus (quam proxime tractabo) intelligatur.

Distinctio vtriusque quæstionis.

Vtrum
- *Ignorato motu ignoretur natura? &*
- *Continuum & successiuum sint de natura motus?*

In hoc primo capite demõstrãtur præcipue duo.
- 1 Necessitas sciendi motum, quia ignorato motu, ignoratur etiam natura: quod probatur
  - 1 A definitione naturæ, quæ est, vt *natura sit principium motus.*
  - 2 A relatione inter mouens, mobile, & motum: quorũ vnum sine altero definite cognosci non potest.
  - 3 A modo sciendi, qui est idem (vt in Analyticis docet Philosophus) cũ ratione essendi: si ergo esse non possit natura sine motu, sciri non poterit sine motu.
  - 4 A necessitate consequentis, quia materia primum principium in generatione rerum, sine motu esset segnis & otiosa.
  - 5 A comparatione omnium causarum, quæ per motum connectuntur, subordinantur, & ad sua effecta fatali (quasi) necessitate pertrahuntur.
  - 6 A similitudine *horologii* artifici penitus incogniti, si motus rotarum ignore-

ignoretur; pari modo tota natura latet philosophum, si causarum motus lateat.

7 Ab inductione singulorum effectuum in rerum natura, quorum nullus sciri potest sine motu, cum per motum fiat: ergo nec ipsa natura sciri potest sine motu, cum illius ope omnia faciat.

8 A fine, quia naturæ perfectio præcipue in motu cernitur; nunquam enim est otiosa natura, sed semper (vt docet Philosophus) in actione & motu: quippe otiosa languet natura, mouēs aut mota reuiuiscit.

2 Proprietas seu affectio quæ est vel

Interna vt successio, quæ docetur esse de natura motus

1 Quia successio est *fluxus ipsius motus, tendentis à termino ad terminum*; sed talis fluxus est re idem cum motu: ergo successio re eadem est cum motu.

2 Quia motus per se tendere ad formam acquirendam non potest sine successione: est ergo successio de natura motus.

3 Quia successio essentialiter distinguit motum à non motu, rebusque aliis omnibus quæ non sunt motus.

4 Quia successio conuenit tempori rebusque caducis ratione motus; nam quamuis tēpus sit mensura motus, motus tamen in tempore est causa successionis: successio ergo proprie ad motū spectat, ipseque motus dicitur, vt *pulsus motus cordis*, ita tamē vt sit quiddam amplius, id est, continuatio motus: vt pulsus præterquam quod sit *motus cordis*, est *in arteriis ebullitio spiritus*.

Externa vt continuitas, quę docetur non esse de essentia motus.

1 Quia continuum potest esse sine motu, vt in *linea*.

2 Quia continuum est vniuocū, motus vero analogum.

3 Quia motus essentialiter successiuus est, non autem continuus.

4 Quia continuum est propriū motus, non forma.

5 Quia continuum est ens completum, motus ens incompletum.

6 Quia continuum est semper diuisibile, motus autē terminis definitur.

7 Quia continuum est mensura per se, motus autem per accidens.

Argumenta contra primam quæstionem, Vtrum ignorato motu ignoretur natura?

Li 1. Phy ca. 9.

Opp. *Definiri possunt partes speciesque naturæ sine motu: ergo ignorato motu non necesse est vt ignoretur natura. Antecedens probatur, quia in primo lib. Physicorum, materia & forma (quæ sunt species partesq; naturæ) sine motu definiuntur: illa vt sit principium vnde omnia primum oriãtur, & in quod resoluantur vltimum: hæc vt sit principium quod det nomen & esse. Argumentum tenet, quia à partibus ad totum, & à speciebus ad genus ratio inuentionis sequitur.*

Resp.

Motus est implicite in definitione materiæ & formæ.

Materia & forma sunt species naturæ, & definiuntur sine motu explicite, implicite tamen motus in earum definitione necessario intelligitur, cum neque à materia res oriri, aut in eam resolui possint sine motu, neque forma dare nomen & esse nisi per motum possit.

Opp. *Natura est prior motu, cum sit illius principium. sed prius intelligi potest sine posteriori: ergo natura intelligi põt sine motu, & per consequens ignorato motu non ignoratur natura.*

Resp. *Natura vt significat ordinem in generatione rerũ non est prior motu, sed relatio quædam, eademque cum motu simul.*

Opp. *Quiete ignorata non ignoratur natura: ergo motu ignorato non ignoratur natura. Ratio sequitur, quia natura non est minus principium quietis quam motus: imo magis vi detur esse principium quietis, quoniam per nomẽ quietis forma & perfectio rei, per nomen motus inchoatio & imperfectio insinuatur.*

Quies nõ adeo necessaria est ad naturam cognoscendam ac motus.

Resp. *Quidã huic argumento sic respondent, quod quies sub ratione motus cõtineatur, sed quoniã cognosci quies non potest nisi per motũ, idcirco solũ motus à philosopho nominatur. Alii respondent, per quietem nõ intelligi perfectionẽ sed priuationem motus, quia tum desinit motus cum forma acquiratur: verum quoniã scientia magis ab ente positiuo quã priuatiuo, ab affirmatione quam negatione pẽdeat, potius dicit philosophus ignorato motu ignorari naturã, quã ignorata quiete. Postremo responderi potest huic rationi, quod licet per*

quietem insinuetur forma perfectioq; rei, minus tamen hinc cognoscitur natura, quia eiusdem prima affectio est ipse motus, quo tanquam vehiculo a forma ad formam rapitur. Li. 2. Phys. c. 1.

Opp. *Aristoteles dicit naturam esse per se notam in primo capite secundi libri: ergo non opus est notitia motus vt magis innotescat.* Natura quã per se nota.

Resp. *Leuis est hac ratio: nam etsi dicat Philosophus naturam esse per se notam si quaratur, An sit, cum in omnibus luce meridiana clarior ipsa natura constet, non tamen dicit naturam esse notam quoad Quid sit, cum tot volumina philosophorum de illius essentia conscribantur.*

Oppo.

Forma est natura, sed forma potest esse sine motu: ergo natura potest esse sine motu. Maior est Arist. quia forma est species natura: diuiditur enim natura in materiam & formã. Minor probatur, quia forma est in qua quiescit natura, cum sit terminus ad quem tendat. His concessis, sequitur ignorato motu non ignorari naturam, quia esse potest natura sine motu: at essendi & sciendi idem est modus eademq; ratio, vt in libris Demonstrationum luculenter docet Philosophus. Lib. 1. Post. c. 25

Resp.

Vis huius rationis ab eo pendet, quod eadem sit ratio essendi & sciendi. Sed attende quod dicamus nec formam perfectam esse sine motu: nam semper priuatio successione delectata inuidet quieti forma, semper mordet. Quamuis ergo natura videatur in forma quiescere & constare sibi, in ipso tamen statu folia amittit sua, sapeq; ipsa planta particularis cum vita & fructu cadit. Vtor libentius hoc simili, vt intelligas in ipso statu non otiosam esse naturam, sed semper agere, adeo vt de re nulla verius dici possit illud quod dici solet, quam de natura: nimirum illam nunquam esse minus otiosam quam cum sit otiosa, nunquã minus quietam quam cum quieta. Cicer. Off. lib. 3. cap. 1.

Opp. *Sunt quadam forma naturales & aterna: ergo mendax est leuisq; hac tua respõsio. Argumentũ tenet, quia si forma sint aterna, in illis semper sine motu feriatur natura manetq; otiosa. Quod vero sint quadam forma perennes & aterna intuere cœlum & erubesce: si neges conscientia tua tuaque scientia reclamabunt: at si taceas, tibi Aristoteles*

tum primo de Cælo hoc ipsum verum esse annunciabit: idem dico de forma hominis.

Forma quędã æterna.

Resp.

Hoc qua potes vi & ratione vrges, naturam esse posse perpetuo sine motu, & proinde concludis sciri posse sine motu. Proponis exemplum cæli, cuius forma est perpetua, in qua natura conquiescit. Age ergo, concedo id verum esse quod dicis, formam cæli sempiternam esse, & in eadem natura perpetuo conquiescere. Sed audi, vna hirundo non facit ver, nec vna particularis natura hoc vel illo modo affecta legem vniuersalem tollit. Video te adhuc subridere, quia putas vulnus inflictum sanari non posse. Audi ergo vlterius quod cæli forma non sit simpliciter æterna, sed talis quæ secundum Aristotelem eam naturam habeat, vt mutari possit. Nam nihil secundũ illum simpliciter & absolute est immutabile, præter solum Deum, qui mutare potest omnia, ipse vero mutari non potest. Quod vero non mutentur, ordo graduśque rerum impediunt, cum sic fatali nexu & necessitate disponantur omnia, vt cælum capacissimum amplissimumq; corpus agens aliquod inferius habere non possit, quod separare poterit. Postremo hoc etiam audi ex Aristot. & tu quoque erubesce, nimirum posse mutari cælum cælique formam prima motoris actione, quæ est (vt ille docet 7. Physicorum) infinitum liberrimumque agens, cuius potentia arguit, vt vides, mutari posse, quia est actu infinita: at voluntas non mutat, quia cælum medium omnia conseruandi fecit.

Forma cæli nõ est simpliciter æterna secundũ Aristotelem.

Cælum est medium omnia conseruandi.

Opp.

Motus est naturalis passio naturæ: sed naturalis passio est accidẽs. accidens aũt non est necessarium ad essentiã: ꝙ non est necessarium ad essentiã non est necessarium ad scientiam (quia scientia & essentia vna demonstratione continentur) si ergo motus sit naturalis passio naturæ & accidens, verum hoc non est, quod ignorato motu ignoretur natura.

Resp.

Motus quidem est (vt ais) in aliis prædicamentis à natura. Nam natura est substantia, motus autem in aliis prædicamentis à substantia: dico tamen vt natura est in ordine ad effecta, relatum esse respectu motus, & sic vno definite cognito, aut ignorato necesse est vt cognoscatur aut ignoretur alterum.

alterum. Alii respondent hanc notionem naturæ non esse à priore, sed à posteriore per demonstrationem (*ut aiunt*) quia est, *non* propter quid. *Nonnulli dicunt motum insitam esse affectionem naturæ, comitemq; indissolubilem, qua sublata vniuersum stadium ipsius naturæ tollitur.*

Argumenta contra secundam quæstionem, Vtrum successio sit de natura motus?

Opp. *Successio est de essentia temporis: ergo non est de essentia motus. Ratio tenet, quia motus & tempus sunt res essentialiter distincta. Antecedēs probatur, quia partes temporis sunt prius & posterius, præteritum & futurum, quarum partium propria & essentialis mensura est ipsa successio: nam aliam magis propriam, magisque internam non habent.*

Resp. *Confirmatio antecedentis est infirma: nam etsi partes temporis sint successiua, sunt tamen per accidens ratione motus, non autem per se ratione temporis: quippe præteritum aut futurum tempus dicitur, quia sic res subiecta motui successiue in tempore commutatur.* *Temporis partes sunt successiuæ ratione motus.*

Opp. *Tempus est ens absolutum & vniuocum, motus autem est ens* (*ut in textu docet Philosophus*) *imperfectum & analogum: ergo successio potius per se tempori quam motui videtur conuenire.*

Resp. *Ratio hæc non cohæret, cum par vtriusq; non sit comparatio: nam quamuis tempus sit absolutum, nō tamen requiritur necessario vt differentia propria alterius rei eidem per se accommodetur, licet communiter & per accidens eidem conuenire possit.*

Opp. *Successio essentialiter non conuenit omni motui: ergo successio non est de essentia motus. Antecedens probatur, quia motus cœlestis non est successiuus: quod sic probo, quia motus cœlestis est æternus vt habetur 1. de cœlo: sed in æternis non est successio: ergo motus cœlestis nō est successiuus.*

Resp. *Intelligitur illa propositio de æternis absolute sumptis, vt de Deo cui omnia præsentia sunt, non autem de æternis in comparatione positis, vt de cœlo, cuius motus est successiue æternus, quia eiusdem continuatio æterna est.* *Motus cœli est successiue æternus.*

Opp. *Generatio & corruptio sunt motus, & tamen illis non conuenit successio: ergo successio omni motui non conuenit, & per consequens essentialis non est affectio motus. Antecedens est Arist. l. 1. de Gener. & Corrup. quod sit motus etiam in postprædicamentis cap. de motu asseritur: Sequela antecedentis probatur ex hoc libro, vbi docet generationem & corruptionem fieri in momento temporis, & ex consequenti eisdem successio non conuenit.*

Generatio & Corruptio sumuntur dupliciter.
Lib 5. Phy. c. 11

Resp. *Generatio & corruptio sumi possunt vel progressiue, & sic sunt motus genera, & eisdem conuenit successio: vel sumi possunt perfectiue, & sic non sunt motus genera, neque eisdem successio conuenit, quia sunt instantanea.*

Opp. *Idem de sua ipsius essentia dici non debet: sed successio est ipse motus: ergo successio dici non debet de essentia motus. Maior ex sexto Topicorum patet, vbi docet Philosophus nihil definiri à seipso. Minor probatur, quoniam successio est fluxus, sed motus est quidam fluxus, cum forma imperfecta ad formam perfectam tendat: est ergo successio motus.*

Successio qui dici possit motus.

Resp. *Successio dici quidem potest motus, sed dicitur etiam aliquid amplius, vt ante in similitudine pulsus motusque cordis demonstraueram.*

Opp. *Successio vt quidam recte definiunt, est nihil aliud quam negatio existentia instantanea, in partibus entis moti ad terminum: sed nulla negatio est de essentia alicuius, vt docet Philosophus 7. Top. ergo successio non est de essentia motus.*

Successio qui negatio.

Resp. *Quamuis successio per negationem explicari soleat, ens tamen positiuum est, & rectius fluxio ipsius motus definitur: sic ergo, vt expers rationis negat hominem, ponit tamen brutum: ita & successio motum ponit, cuius partes tamē simul esse negat, quæ si simul essent, nulla esset successio.*

Opp. *Successio est fluxus formæ non motus: ergo male definitur fluxus ipsius motus. Antecedens probatur, quia propriè fluxus eius definitur esse quod fluit: sed forma à materia non à motu fluit: ergo potius fluxus formæ quā motus definiri debet.*

Resp. *Fluxus primo motui, tum formæ conuenit: nam etsi forma fluat, fluit tamen per motum, vnamque sui partem acquirit post aliam per successionem.*

Opp.

Opp. *Si successio sit differentia motus, soli conuenit motus: at si soli cōuenirer motui, sequeretur motum esse suiipsius successionem, cum ipsa etiam successio motus dicatur.*

Resp. *Nescio quomodo hoc argumentum fingis: verum si hic sit sensus, quod successio sit motus, & per consequens motus erit sui ipsius successio, quia alterius rei nullius esse videtur: Respondeo motum non esse successionem suiipsius, sed continere eam in essentia sua: itaq; falsum illud est quod successio non sit alterius rei quam motus: nam per accidens formæ motu acquirendæ conuenit.*

Argumenta contra secundam partem secundæ quæstionis, quæ est Vtrum continuum sit de essentia motus?

Opp. *Aristoteles in textu ait motum esse de numero cō-tinuorum, & in Metaphysicis aperte motum inter species quantitatis continuæ enumerat: ergo continuum videtur esse de natura motus.* *Lib.5. Metap. cap.13.*

Resp. *Vtriq; loco respondemus verbo, scilicet Aristotelem in vtroq; intelligere motum esse continuum per accidens non per se: tribus enim modis motus continuum per accidens dicitur: ratione durationis, ratione subiecti, & ratione formæ acquirendæ. Ratione durationis, quia omnis motus tempore fit & mensuratur. Ratione subiecti, in quo est: nam vt accidentia materialia, (qualia sunt color & lumen) extenduntur per accidens solum ratione corporis in quo insunt: ita motus continuus dicitur ratione rei cui inhæret. Postremo ratione formæ, quam natura per motum sensim & pedetentim acquirit, & sic cōtinuitas propria perpetuaq; passio motus est, quippe secundum Interpretes hic proprius modus est quo motus continuus dicitur.* *Motus continuum dicitur per accidens tripliciter.* 1 2 3

Opp. *Seclusa consideratione continui omnino intelligi non pōt motus: ergo cōtinuum est de essentia motus. Antecedens probatur, quia seclusa consideratione continui motus non erit successiuus, quia successio in motu nihil aliud est quam continuus fluxus eiusdem à termino ad terminum: at continui consideratione seclusa iste fluxus esse non potest: ergo seclusa consideratione continui motus esse non potest.*

Resp. *Cardo huius rationis parũ firmitatis habet: nam eo volutur, vt consentiamus nihil aliud esse quam fluxum, fluxumq́ non esse si non sit continuum: sed contrarium huic superius satis abunde probauimus. Sed esto, concedimus consequens & consequentiam, non tamen sequetur continuum esse de essentia motus: quippe vt seclusa consideratione lucis aut caloris, intelligi sol & ignis non possunt, quæ tamen ex essentia eorum non sunt: ita seclusa cogitatione continui intelligi non potest motus illius, & tamen per accidens eidem conuenire dicitur.*

Opp. *Definitio continui conuenit motui: ergo continuum est de essentia motus. Antecedens patet, quia motus potest dici ens illud, cuius partes duratione succedentes inuicem, per terminum communem, nempe per mutatum esse copulantur. Argumentum probatur, quia de quocunq; essentialiter affirmatur alicuius definitio, de eodem affirmatur etiam definitum: sed definitio continui essentialiter affirmatur de motu: ergo nomen etiam cõtinui essentialiter dicetur.*

Resp.

Vt definitio continui motui conuenit, ita & definitum: sed per accidens solum hæc definitio conuenit, nempe ratione temporis seu durationis, similiterq; per accidens terminum communem habet, nempe mutatum esse, *ratione perfectionis quæ in momento cernitur.*

Opp. *Motus nullam omnino essentiam habet: ergo inanis est tota hæc disputatio. Vtrum continuum sit de natura motus? Antecedẽs probatur, quia in nullo certo prædicamento collocatur, (vt in fine huius capitis docuit Philosophus) vnde concludit motum esse æquiuocum, nullamq́ certam & definitam essentiam habere.*

Motus quomodo in prædicamento aliquo.

Resp. *Enumeratio multarum conditionum quæ requiruntur ad motum (superius allata) plurimum huic inseruit loco: nam vt requiritur agens ad motum, sic est in prædicamento actionis. vt requiritur patiens, sic est in prædicamento passionis: vt requiritur tempus, sic est in prædicamẽto quãtitatis. Quid opus est multis? reducitur semper ad prædicamentum, in quo illius termini ponuntur. Sic quamuis per se essentiam distinctã non habeat vt species, reductiue tamen habet in terminis ad quos reuocatur. Sic quamuis vi & natura*

sua

sua sit aquiuocum, distinctum tamen fit tandem vniuocum, certamq; & definitam essentiam vendicat.

Oppo.

Motus distincte acceptus pro augmentatione, est per se vniuocum (vt ais) & per se in quantitate: est ergo quantitas aut continua aut discreta: continuam proculdubio affirmabis esse: si ita sit, sic arguo: non est linea, superficies, corpus, locus, aut tempus: ergo est essentialiter alia species quantitatis, & proinde concludo continuum esse per se & essentialiter, quod negas.

Resp. *Motus distincte apertus pro hoc vel illo motu, est quidem vniuocum: non tamen sequitur quod sit species: potest enim esse proprium vel accidens, vt quidem hoc loco est, cum pro augmentatione in quantitate sumatur. Quippe augmentatio est quædam passio quantitatis, non species, vt cõtendis demonstrare. Frustra ergo desudas in probando, quod non sit linea, superficies, corpus, locus, aut tempus, sed alia per se species, cum omnino speciem absolutam quantitatis esse oppido negemus.* *Augmentatio est passio non species quantitatis.*

CAPVT II.

Vtrum { *Motus recte definiatur.* / *Motus sit ens realiter distinctum à termino ad quem tendit, & à mobili in quo inhæret?* }

HVius capitis anceps expositio cerebrosos doctores inter philosophos plurimum distraxit: & certe non mirum, cum ipse philosophorum princeps Arist. motus essentiam difficilimam cognitu fateatur. Nam siue motum in se, siue opiniones Pythagoreorum & Platonicorum hoc loco agitatas & discussas de motu consideres, à dextra & sinistra labyrinthos videas. Primum si spectes, nempe motum in se, ens neque actu neque potentia, completum aut incompletum, finitum aut infinitum, perfectum aut imperfectum, certum aut cõfusum eundem definire potest. Obscura & abdita ergo est illius essentia, difficilis & ardua definiendi ratio, præsertim intellectu nostro existente passibili *Motus cognitu valde difficilis.*

animi potentia, quæ certis non fucatis, definitis non confusis, apertis non obscuris rerum ideis consignari & informari debeat: aliter in tenebras voraginemque errorum præcipitanter ruit. Hinc (inquit Philosophus) materia prima solum per analogiam cognoscitur, quia mera potentia est, nullamque speciem aut ideam sui habet, quæ in mentis humanæ tabulis imprimi aut consignari possit. Cum ergo motus sit neque simpliciter potentia pura, nec simpliciter actus perfectus, sed media inter vtrumque via, eademque vestigiis philosophorum non trita, id est, eorum præceptis adhuc non euidenter nota: perspicuum id est, quod Aristoteles hic docet, motum in oraculis philosophiæ rem admodum difficilem latere. Verum quoniam est manus naturæ, & instar omnium instrumentorum, quibus natura in cunctis suis effectis cudendis vtitur, quoniamque motu ignorato penitus (vt probatum est) ignoratur natura: inuestiganda est & tradenda aliqua eiusdem definitio, qua mens instructa de mouentibus & motis, de caussis & effectis philosophetur melius. Assignat igitur Philosophus duas definitiones motus: verbis, non re & sensu (mea quidem opinione) differentes. Prima sic traditur: motus est actus eius quod est potestate, quatenus tale. Secunda, motus est actus mobilis quatenus est mobile. Prior definitio (si inter vtrumque discrimen quæras) est pressior, propterea quod solum rem in potestate (puta materiam primam) mobilem ad formam contineat, hæc vero communior, quia non solum rem potentia cohærentem, sed actu tendentem ab vna forma ad aliam comprehendit. Hinc Beatus Thomas sapienter (vt omnia) distinguit, quod prior à posteriori differat: quoniam illa sit quasi demonstrationis principium, posterior autem quasi cõclusio: vt si hoc modo ratiocinari velis: Motus est actus eius ꝙ potestate constat, quatenus vim talẽ habet: sed id quod moueri potest, seu mobile est res potestate cohærens, quatenus est talis: ergo & motus est actus eius quod moueri potest, qua ex parte vim aut potestatem habet. In maiore huius syllogismi primam, in conclusione secũdam definitionem vides. Vtramq; Arist. in textu illustrat sex rationibus ad hunc modum formatis. Omnes species motus, vt generatio, corruptio,

Materia prima cognoscibilis tantum per analogiam.

Motus est quasi manus naturæ.

Motus duplex descriptio.

1

2

3

ruptio, accretio, diminutio, alteratio, & loci mutatio sunt actus: ergo omnis motus est actus. Antecedentis probatio exemplis perspicua redditur, si generationẽ actum generabilis, corruptionem actum corruptibilis, & similiter in cæteris tibimet proponas. Secunda ratio idipsum probat, quia illud est act⁹, per quod aliquid dicitur actu moueri: sed mobile dicitur actu moueri per motum: ergo motus est actus. Tertia ratio ad idẽ centrum tẽdit, sed hoc vno addito, quod motus sit actus entis in potentia: nã omnis motus est actus eius quod mouetur. sed omne quod mouetur est in potẽtia: ergo omnis motus est actus entis in potentia. Quarta ratio vltimam partem definitionis adumbrat, vbi dicitur motus esse actus entis in potentia, quatenus tale. Hæc ratio in suppositione & distinctione consistit: in suppositione, quia supponitur mobile aliquo modo actu, aliquo modo potentia: vt æs destinatum ad statuam est actu æs, nõ autem actu tale, id est statua: sed motus est solum actus eius quod ad alium actum tendit, nempe ad formam internam vel externam, quæ proprie entelechia seu actus dicitur: vnde mobile ab hoc actu ad illum peruectum, ens huiusmodi, vel tale nominatur: in distinctione, quia actus est vel perfectus vt forma, talis non est motus: vel imperfectus, & talis motus habetur. Plura adduntur exempla de domo, ligno, & sanitate, quæ pari modo intelligi & exponi debent. Quinta ratio totam definitionem confirmat, quia motus est illud quo existente in mobili mobile mouetur: ergo motus est actus entis in potentia, quatenus facit tale. Postrema ratio in ratione Pythagoreorum & Platonicorum posita sic se habet: aut hæc definitio motus tradita admittenda est, aut alia quã finxerunt antiqui, sed illa quam dabant veteres & antiqui est explodenda, itaque hæc iam tradita est approbanda. Minorem huius syllogismi probat, quia motus nec diuersitas nec æqualitas, nec non ens, (vt illi somniarunt) esse omnino potest, vt duabus rationibus in textu satis manifestis docet.

Motus est actus.

2 *Actus quid.*

3 *Motus est actus entis in potentia.*

4

5

6

Sed his omissis ad quæstiones venio: quarum prima est, *An recte definiatur motus?* Quanquam ex his quæ dicta sunt de duplici definitione motus, eiusdem essentia vtcunq; dignosci possit, ne tamen tã immobile fundamentũ naturæ *Quæst. 1.*

& philosophiæ leuius aut negligentius iactum fuisse videatur calcem & bitumen iacto nunc addam, vt ædificium superstructum firmius in perpetuum maneat. Motū immobile fundamentū voco, quia ipse mouet & tamen non mouetur. Nam vt magnes trahit ferrum,& non trahitur: ita motus mouet rem mobilem,& ab illa non mouetur: quippe si moueatur à seipso moueretur. Omitto verba, multas reperio definitiones motus apud Philosophum: vna est, vt sit actus eius quod in potestate est,quatenus tale:i.actus entis in potentia vt in potentia est:altera est vt sit actus mobilis prout mobile est: alia est vt sit actus eius quod agere & pati potest,quatenus tale:adhuc alia est, vt sit fluxus formæ imperfectæ ad perfectam:alia vt sit ipsa fluens forma à materia,non fluxa vt aiunt: alia vt sit ens successiuum & continuum,quo res mobilis ad formam vehatur:alia denique,vt sit manus,pes,& via naturæ:manus qua apprehēdit formas. pes,quo à potentia in actum progreditur: via quam in progrediendo premit sequiturque. Harum omnium præcipue primam delineandam eligo,nempe vt sit actus entis in potentia vt in potentia est. Articulatim singula verba percurram.Motus dicitur *actus*:sed nomen hoc *actus* distinguendum est: nam actus est vel completus vel incompletus: completus autem est vel internus, vt forma; vel externus vt finis,ad quem mobile per motum tendit. Cum iam in definitione motus dicatur esse *actus*, intelligitur vt sit actus incompletus non completus, imperfectus non perfectus, mixtus,id est,potentiæ coniunctus, non simplex & absolutus: quicquid ergo nullo modo est actus,vt materia prima, per hāc particulā definitionis excluditur.Sequitur vt sit act⁹ *entis in potentia*, per quam partem remouentur omnes mutationes instantaneæ,vt generatio & corruptio,si perfectiue sumantur. Sic enim sine vlla successione in temporis puncto fiunt, vt anima humana in momento in materiam inducitur. Hinc etiam remouentur perfecti actus omnes, qui nullam potentiam relinquunt suis subiectis, ad vlteriorem sui perfectionem acquirendam per motum. Tales sunt maximus splendor in sole, maximus calor in igne, quibus intentius nihil inueniri potest. ad quod secundum potentiam eorum subiecta motu nitantur & tendant. Postremo

Motus immobile fundamētum naturæ.

Motus multiplex definitio.

Motus definitio explicatur.

Actus duplex.

ſtremo conditiuncula ſeu particula illa (*Vt in potentia*) actus quoſdam etiam imperfectos excludit, qui licet ſint quidem actus entis in potentia & ex parte acquiſiti, non tamen ſunt actus entis in potentia, vt in potentia, hoc eſt entis tendentis ad formam perfectiorem: talis eſt calor remiſſus in aere vel aqua, , qui iam calefieri vlterius deſiit. Radiis iſtis iam illuſtrata definitione motus, ſcrupulus non minimus ſuboritur inter Interpretes: Quænam ſit formalis ratio motus? Alii enim arbitrantur motum formaliter nihil aliud eſſe quam formam ipſam ſucceſſiue acquiſitam: alii opinantur formalem eiuſdem rationem in ipſa via ad formam naturalem acquirendam conſiſtere: alii formam fluentem, alii formæ fluentis continuum fluxum, alii actus potentiæque connexionem dixerunt eſſe. Sed litibus diremptis dicendum eſt, motus propriam & formalem rationem non eſſe formam, nec viam ad formam, nec fluxum, ſed ipſam acquiſitionem & (vt ita loquar) tendentiam ad formam. Ratio eſt, quia *aliquid moueri* eſt nihil aliud quam ſucceſſiue tendere, & quaſi pedetentim prorepere ad formam & ſic motus eſt prior forma ſeu termino ad quem tendit. Concludam verbo, nihil aliud eſt motus quam ſucceſſiua & continua alicuius formæ acquiſitio, qua acquiſitione durante, res mobilis ſemper in potentia eſt vlteriorem partem formæ acquirendi. Hinc motus recte definitur eſſe *actus*, id eſt perfectio: *entis in potentia*, id eſt rei mobilis ad aliquam partem formæ: *Vt eſt in potentia*, id eſt, vt vlterius auidiuſque tendit ad completam formam terminumque ſibi à natura deſtinatum, quo acquiſito ceſſat motus. Adhuc alius ſcrupulus non inutilis ex Pythagora & Platone emergit. Quare ab illis motus de numero non entium dicatur? Equidem exiſtimo Patriarchas illos philoſophorum ſic dixiſſe, non quod exiſtimarent motum omnino ens non eſſe, cum ſit perfectio actus entis, ſed quod res quæ acquiritur per motum nondum ſuam (vt ita loquar) entitatem aut perfectionem acquiſiuerit. Nam vt ſol adhuc non ortus recte non lucens dicitur, quamuis ſub noſtro horizonte actu ſuos radios fundat: ita motus nondum perueniens ad ſcopum ſuum ortumque perfectæ formæ, aliquo modo non ens dici poteſt, licet ſub velo

Motus quænã eſt ratio formalis.

Motus definitio perfecta.

Motus cur non ens dictus à Platone.

Plato in dialogo de ente.

quasi in via & progressione ad formam tendat, suasque vires
Motus denominatio a termino ad quem.
exerat. Præterea, cum denominatio motus sumatur à ter-
mino ad quem tendat, (vt generatio cum forma essentialis,
alteratio cum forma accidentalis in qualitate inducitur,
cumque adhuc hæ formæ in potentia & fieri, vt aiunt, sint
nondum acquisitæ) non inepte motus qui adhuc ἀνώνυμος
& sine nomine est, in specie non ens dici potest: quia res ad-
huc non acquiritur vnde nomen speciale sumat. Vt ergo
planta, aut fructus plantæ in radice aut grano altius in terra
sepulta delitescens, vulgo non ens appellatur, donec emi-
neat & emergat. vt ei nomen distinctum tribuatur: ita mo-
tus in actiua potentia mouentis aut mobilis abditus & in-
uolutus, non indocte non ens habetur, donec res species-
que naturæ aliqua distincta fiat, vnde proprium nomen su-
mat, ortusque aut interitus, augmentatio aut diminutio,
alteratio, locive mutatio nominetur. Sed vt planta aut fru-
ctus in radice entia sunt, quia actiua potentia non cessat do-
nec producantur: ita motus simpliciter non ens dici non
potest, quamuis in via sic pergat ad formam, vt vmbra in so-
lari ad punctum, quę progrediens non cernitur, donec pro-
gressa lineam figuratam aut distinctam attigerit.

Quæstio 2.
Superest alia quæstio, *Vtrum motus sit ens realiter di-
stinctum, & à termino ad quem tendit, & a mobili in quo
est?* In hoc stadio philosophorum certamen peracre est, cur-
Triplex est opinio philosophorum in hac causa.
rentiumque tres sunt viæ, vna eorum qui ad hanc metam &
scopum omnia vestigia vrgent, vt probent motum reipsa
1 neque à forma, neque à subiecto mobili differre. Altera est
eorum, qui pertinaciter defendunt ab vtroque realiter di-
2 stingui. Tertia eorum, qui in biuio quasi hærentes aut rem
penitus indiscussam relinquunt, aut si quid dicant, videntur
quidem id dicere, quod motus à forma non differat nisi ra-
3 tione, re autem & ratione à subiecto mobili. Cæterũ cum
Motus re differt & à termino & à mobili.
tam incertus sit cursus: pedem in ea via nunc figam, vt pro-
bem motum tam à forma seu termino, quam à subiecto
suo mobili reipsa discriminari. Agnosco hic me graues ha-
bere aduersarios, eosdemque athletas in philosophia, sed
alea iacta est, in qua sex puncta aperte video, quibus exti-
mulatus sum potius apparẽti veritati, quam ingeniosæ sub-
tilitati cedere. Primum igitur probo, motum de quo agi-
mus

mus à termino in quem tendit realiter differre. Prima ratio hæc est, quęcunque definitione differunt, realiter differunt: sed motus & terminus ad quem tendit motus definitione differunt: ergo realiter differunt. Assumptio probatur quia motus est actus inchoatus rei mobilis, terminus autem ad quem est actus perfectus rei completæ, quo acquisito motus omnino cessat: vt in omni genere motus videre licet, si exempla quæras. Secunda ratio est à disparatis, hoc modo. Quæcunque ita affecta sunt, vt alterum sine altero realiter cohærere possit, ea realiter differunt: sed motus & terminus ad quem ita sunt inter se affecti: ergo motus & terminus ad quem realiter differunt. Minor patet, quia forma naturalis cuiusque rei acquisita per motum, ipso cessante motu integra & perfecta manet: donec priuatio subiectum de nouo vulnerarit, aliumque motum inuexerit. Tertia ratio nō minus valide hoc ipsum sic probat: successiuum essentialiter motui conuenit, vt ante multis & firmis rationibus probatur: sed successiuum essentialiter non conuenit termino ad quem (est enim absurdum dicere terminum ad quem esse successiuum) motus ergo & terminus ad quem realiter non conueniunt. Idem dici potest de velocitate & tarditate, quæ sunt (vt docet Philosophus) proprietates motus: at nemo sanæ mentis terminum acquisitum per motum esse velocem aut tardum diceret. Quarta ratio ab exemplo in loci mutatione ducitur, in quo genere, motus ipsius terminus est locus ad quem tendit mobile. Sed quā ridiculum & absurdum est hoc argumentum si sic disputes? Motus & terminus ad quem tendit motus sunt realiter eadē: ergo motus & locus realiter sunt eadē. Verū quā alienum hoc sit à ratione nemo (vt opinor) philosophorū est qui non videat. Miror igitur & demiror, quid sibi velint qui acumen ingenii in hoc terant, vt probent motum à termino ad quē re penitus nō differre: quasi dicerent *Oxonium* & *profectionē Oxonium versus* non differre. Quod de loci mutatione dico idipsum de omnibus motus generibus iri intellectum volo. Alia ratio ex impossibili petenda est, nempe si omnis motus sit idem cum termino ad quem, sequetur aliquando vt motus cœli aut hominis hodiernus idem sit re cum hesterno, quoniam idem omnino terminus manet: vt polus si volutionem

Ratio 1.

2

3

Velocitas & tarditas sunt proprietates motus.

4

cœli, aut palus (deſtinatus ſcopus ambulationis) ſi hominis motionem ſpectes: & ſic ex conſequenti præteritum idem numero & natura redire poteſt, quia idem eſt terminus ad quem numero & natura hodie ac fuit heri. Et ſane ſi hæc opinio ſit vera, quod re penitus ſit motus idem numero & natura cum ſuo termino, ſequetur motum heri præteritum hodie rediiſſe, eundemque numero & natura eſſe cum hodierno: cum ipſe terminus cum quo idem eſt, neque numero neque natura omnino mutetur. Poſtremo nihil ſuiipſius cauſa eſſe poteſt, ſed ſi omnis motus ſit idem numero cum ſuo termino, aliquid erit ſuiipſius cauſa, ergo
6 motus non eſt realiter idem cum ſuo termino. Aſſumptio probatur, *quia* motus eſt cauſa ſui termini (cum terminus vi & facultate ipſius motus fiat) ſi ergo terminus ſit idem cum motu, motuſque ſit cauſa termini, motus etiam ſuiipſius cauſa erit, quod contra rationem, naturam, & philoſophiam pugnat. Neruos ingenii tendunt, atterunt, & conſumunt hic patroni aduerſæ partis, vt ſatisfaciant hiſce argumentis; ſed vmbræ ſunt (mea quidem opinione) quas adferunt, rimiſque plena ſunt illorum reſponſa, fluunt & refluunt, nulloque certo in centro conſtant.

Reſtat vt verſa iam alea alia puncta oſtendam, ad quæ lineas alterius partis in hac circumferentia ducam: hoc eſt, vt in eadem quæſtione iam propoſita nunc probem, motum etiam à mobili (in quo eſt) realiter diſtingui & ſeparari.
1 Ero ſuccinctus. Mobile eſt ſubiectum motus: ergo re diſtinguuntur. Ratio tenet, quia ſubiectum motus eſt ſubſtantia, aut motum ſubſtantiæ habens, motus autem eſt accidens: ſed ſubſtantia & accidens reipſa differunt: ergo mo-
2 bile & motus reipſa differunt. Præterea definitione motus & mobile differunt: ergo reipſa differunt. Antecedens conſtat, quia mobile eſt id quod moueri poteſt ad aliam formā, at motus eſt actus quo ipſum mobile mouetur ad ean-
3 dem formam. Deinceps, mobile eſt in potentia, motus autem eſt ipſe actus: ergo motus & mobile natura differunt.
4 Porro mobile eſt terminus à quo primario incipit motus, motus autem eſt medium: ſed res & medium rei realiter
5 differunt: ergo motus & mobile realiter differūt. Huc adde, quod abſurdum ſit dicere ortum eſſe generabile, interitum

eſſe

esse corruptibile, alterationem esse alterabile, & sic de cæteris generibus motus: ergo nullus motus reipsa idem est cum mobili. Antecedens probatur exemplis: quis enim nisi insanus diceret motum seminis ad plantam esse semen? & tamen hic motus seminis est generatio, & semen est ipsum mobile, quo idem esset nadtura cum generatione, si motus & mobile realiter eadem existerent. Huc adhiberi possunt rationes illæ de successione, velocitate, tarditate, quæ sunt 6
in motu, non autem in ipso mobili: at essent si motus & mobile omnino re & natura conspirarent. Postremo quid sibi
velint quidam interpretes in excipiendo locali motu ab hac 7
vniuersali regula non video, quasi si dicerent motum localem non omnino differre à suo mobili quasi vero sit aliquis inter mortales prudens, qui motum localẽ cœli cœlum, aut motum localem hominis hominem, aut motum localem vniuscuiusque rei rem ipsam mobilem esse diceret: at sic dicere & appellare oportet, si motus localis realiter à mobili non distinguatur. Generatim ergo hanc quæstionem defendo, motum esse ens distinctum numero, natura, nomine, tam à termino ad quem tendit, quam à mobili à quo incipit & in quo inhæret.

Distinctio vtriusque quæstionis in vna tabula. Vtrum motus recte definiatur? & Vtrum sit ens numero, natura, nomine distinctum à termino ad quem tendit, & à mobili in quo subiectiue inest?

Tractatur in hoc capite præcipue duo,
- Definitio motus quę est multiplex sed præcipue triplex, vel
  - 1 Respectu rei in sola potentia, vt sit *actus entis in potentia, quatenus tale:* id est, in potentia, qualis est motus primæ materiæ.
  - 2 Respectu rei ex parte actu existentis, & ex parte in potentia stu entis ad aliam formam. & sic definitur *actus mobilis, quatenus tale;* .i. quatenus mobile ad aliam formam.
  - 3 Respectu vtriusque, vt sit *actus eius quod agere & pati possit.*

quatenus tale: vel vt *fluxus formæ aut forma fluens a materia, non alibi adhuc subsistens definiensque subiectum suum*. De expositione particulatim nihil hic addo, quia satis accurate in discursu singula membra definitionis tractauerim.

Distinctio motus definiti, à

- Termino ad quẽ tendit, à quo re ipsa differre probatur
  - 1 A definitionibus distinctis vtriusque.
  - 2 A separatione vtriusque, quia cessante motu terminus ad quem manet.
  - 3 A differentia seu formali ratione motus, nẽpe successione, quæ motui essentialiter conuenit, non autem termino *ad quem*.
  - 4 Ab exemplo in loci mutatione, in qua specie motus locus est terminus *ad quem*, qui locus nullo modo motus dici potest.
  - 5 Ab impossibili, quia hoc dato quod motus sit idem cum termino, multiplex motus ad eundem terminum vnus numero & natura esset. Vide probationem.
  - 6 Ab absurdo, quia si idem sit motus cũ termino, idem erit causa suiipsius, cum motus sit causa termini.
- Mobili in quo inest motus, probatur autẽ ab hoc realiter differre
  - 1 Quia mobile est substantia, motus accidens.
  - 2 Quia definitione differunt.
  - 3 Quia vt potentia & actus differunt.
  - 4 Quia mobile est quasi principium, motus aũt est mediũ.
  - 5 Quia in nullo genere mot⁹. motus dici potest mobile.
  - 6 Quia formalis ratio & proprietates motus, nempe *successio, velocitas* & *tarditas* non conueniunt mobili, & per consequens non sunt eadem.

Argu-

Argumenta aduersus definitionem motus.

Opp. *Motus omnino non est ergo motus non recte definitur. Antecedens probatur authoritate & ratione. Authoritate Platonis, qui motum de numero nō entiū esse existimat. Ratione, quia id non esse dicitur cuius nulla pars manet: sed nulla pars motus manet: ergo motus non est. Minor probatur, quia motus est ens essentialiter successiuum: at successiuum est cuius nulla pars manet: quippe semper in fluxu volat.*

Resp. *Distinguitur ens in positiuum & successiuum: vtrumq; existit quamuis non eodem modo: nam illud est absolute & simpliciter, hoc comparate & respectiue (vt aiūt:) motus ergo est ens, quod totum in mobili vt in subiecto ponitur. & quamuis partes illius continuo volent, statum tamen in subiecto habent. Nam vt pars nulla aquæ fluentis in vno loco manet, & tamen tota perennis in fonte vnde manat inesse dicitur: ita motus pars nulla fixa & immota, & tamen aut in mouente principio a quo fluit, aut in mobili subiecto in quo inhaeret, recte quiescere & manere dicitur.* *Ens duplex est.* *Motus vbi manet.*

Opp. *Ens in potentia id dicitur quod potest esse, & adhuc non est sed motus qui est actus entis in tali esse non potest: ergo male definitur actus entis in potētia. Maior ex distinctione eorum quæ sunt* actu & potentia *constat. Minor probatur: quia motus est accidens & actu aliquod subiectum requirit in quo insit.*

Resp. *Ens dicitur in potentia duobus modis, vel obiectiue, quod adhuc non est. & tamen esse potest, & sic in definitione motus non intelligitur: vel subiectiue, quod est, & potest aliquid recipere, & sic ens in potentia hoc loco capitur. vt scilicet actu subsistens inclinari & moueri potest ad alium terminum.* *Ens duobus modis est in potentia.*

Opp. *Actus seu entelechia significat perfectionem rei: sed motus non est perfectio rei: ergo motus non est actus. Maior constat ex vsu & etymologia vocis, cum anima actus & perfectio corporis organici à Philosopho dicatur. Minor ostenditur, quia motus est fluxus illius entis quod adhuc nullam perfectionem habet.* *Lib. 2. de Ani. cap 1.*

Resp. *Perfectio duplex est, inchoata & absoluta: motus* *Perfectio duplex est.*

dicitur perfectio inchoata non absoluta. At (dices) inchoatio imperfectionem arguit. Respondeo non arguere si ad perfectius in natura tendat. Nam denominatio motus à termino ad quem, in quo est completa rei perfectio, sumitur.

Opp. *Corruptio est motus, ut hic docet Arist. sed corruptio non est perfectio rei: ergo omnis motus non est perfectio rei.*

Corruptio qui perfectio rei.

Resp. *Corruptio consideratur vel respectu formæ quam tollit, & sic est potius imperfectio quam perfectio rei, vel respectu termini ad quem tendit, & sic inchoata perfectio dicitur: quia res mobilis induere formam nouam non potest nisi per successionem motus, ut in* granis *mandatis terræ liquido & manifeste constat.*

Opp. *Generatio & corruptio instantaneæ mutationes dicuntur à Philosopho, & proinde excluduntur à definitione diuisioneq; motus. Quorsum ergo hoc loco à Philosopho inter species motus enumerantur?*

Generatio & corruptio sumuntur dupliciter.

Resp. *Generatio & corruptio sumuntur duobus modis, aut progressiue, & sic recte sub hac definitione continentur: vel perfectiue pro sola formæ essentialis inductione aut expulsione, quæ in momento peragitur, & sic tum à definitione, tum à diuisione motus omnino excluduntur.*

Opp. *Diminutio in quantitate, remissioque in qualitate non sunt acquisitiones, sed potius abiectiones interitusque formarum: male ergo inter species motus hoc loco recensentur, cum motus sit continua & successiua acquisitio formæ.*

Resp.

Quod modo respondebam de corruptione, idipsum de diminutione, remissione, aliisque abiectiuis (ut ita loquar) motionibus respondeo: quæ licet positiuam formam præfixam & praeexistentem in subiecto ad interitum & veluti ad carnificinam trahant, ad aliam tamen ens mobile deducunt, quæ (si conseruationem totius naturæ spectes) suam etiam perfectionem habet. Nam quamuis cadaueris forma mors sit hominis, naturalis tamen est forma cadaueris, eademq; perfecta dici potest, non respectu hominis, sed respectu naturæ uniuersalis, quæ vicissitudine rerum conseruatur. Præterea ut de aliis exemplis verbum addam, dico in diminutione quantitatis & qualitatis esse perfectionem.

Exempli

Exempli caussa, si aestus febris decrescat transeatque in temperatum calorem, in hoc calore temperato inest naturalis perfectio: & sic si feruens aqua in tepidam & remisse calidam, sic si tumor hydropis in iustam corporis figuram, & proportionem naturalem migret. Imo vtcunque migret forma in formam, siue vltima acquisita sit perfectior siue imperfectior respectu praeexistentis forma, est tamen in acquisita illa forma quadam respectu rei iam naturaliter facta perfectio, & sic esse sufficit ad motum, qui actus non completus & perfectus sed incompletus & imperfectus dicitur.

Opp. *Hac definitio motus dispositionibus animi tendentis ad bonum vel malum habitum conuenit: ergo non est Physica definitio. Antecedens probatur, quia animus per motum dispositionis à potentia & scintilla virtutis ad habitum & flammam trahitur: Sic iste motus est actus rei, id est, animi, in potentia (scilicet ad virtutem) vt in potentia, quia ahuc in dispositione manet, donec habitum per motum incitantem acquisiuerit.*

Resp. *Analogice hac definitio motus animi affectionibus motu incitatis conuenire potest, non tamen proprie & vniuoce: quippe in definitione motus hoc loco tradita, per* ens *ens: res non rationis, naturale non intentionale intelligitur.*

Opp. *Quid respondes Platoni, qui dixit motum esse aut inaqualitatem aut diuersitatem, quia omnia qua motu feruntur sunt inaqualia au diuersa? Quid etiam respondes Pythagora, qui in enumerandis principiis suis (quorum duplicem ordinem seriemque facit, nimirum bonorum & malorum) motum non ens appellat? cuius ratio non videtur contemnenda. Nam (vt ait) cum omnia rerum genera in actum & potentiam diuidantur, cumque motus ipse sit neque actu neque potentia; non actu, quia quod est actu quale aut quãtum ad qualitatem aut quantitatem non mouetur; non potentia, quia quod est in potentia quale aut quantum non necessario mouetur, nam idem sic in potentia manens potest quiescere, vt materia prima. Est ergo motus de numero non entium, & per consequens non potest vt ens hic definiri.*

Resp. *Satisfactum est huic argumento antea, sed quia aliud verbis non reipsa addis, iterum respondeo, motum ens esse & actu & potentia diuerso respectu. Est enim ens actu,* *Motus est ens & actu & potentia.*

quia mouet actu; est ens potentia, quia adhuc ad formam & terminum non peruenerit. Vbi dicis quale aut quantum actu non moueri, erras; nam nunquam est otiosa natura. Cælum enim est quale & quantum actu, & tamen mouetur. Et sic elementa omniaq; mixta ex illis perfecte & imperfecte, perpetuo aut in toto, aut in parte aliquo motus genere mouētur. Similiter cum dicis quale aut quantum in potentia posse non moueri, quia idem potest (si ita visum sit natura) conquiescere: respondeo non sic placere naturæ, quæ tota in motu posita est, cum ipsa sit principium motus. Et quamuis etiam causa quietis dicatur, sic tamen dicitur, non quod in cathedra quasi dormiat vt homo, sed quia tum quieta maxime sit cum moueatur. Sic motu vertuntur omnia vt omnia ad primum motorem conuertantur, in quo solum quies est sine motu, & tamen motus sine mobili; is enim omnia mouet & non mouetur. Beatus ergo est qui omnia vestigia sua ad hunc motorem mouet.

Natura maxime quieta cum moueatur.

Argumenta contra secundam quæstionem, Vtrum motus sit ens realiter distinctum à termino ad quem tendit, & à mobili in quo inhæret?

Opp. *Motus conseruari non potest sine termino ad quem tendit: ergo motus reipsa non differt à termino ad quem tendit. Antecedens constat, quia motus nihil aliud est quam acquisitio eiusdem termini. at acquisitio termini sine ipso termino esse non potest: ergo motus sine termino esse non potest.*

Resp. *Sincere agam cum aduersariis in hac causa, eorumq; argumenta quæ loco demonstrationum adferunt, dilucide & expresse proponam. Age ergo sic disputas: Non potest conseruari motus sine termino ad quem tendit: ergo reipsa nō differt à termino ad quē tendit; Nego argumentū. At pbas, quia motus est acquisitio termini ad quē tēdit; hac non est pbatio argumētis sed antecedētis. Respōdeo ergo ad antecedens (quamuis non opus sit cum negatur argumentum) respondeo (inquam) & dico motum considerari posse duobus modis, vel obiectiue in actiua potentia mouentis, vel subiectiue in passiua potentia mobilis: priori modo conseruari potest sine termino ad quem, posteriori vero modo non potest. Ratio est, quia actiua potentia natura est principium motus, in quo motus conseruari potest, tametsi terminus ad quem non*

Motus duobus modis considerantur.

non sit. Sed iterum nego argumentum, quia non magis tenet quam hoc, Motus cõseruari non potest sine mobili: ergo mobile est de natura motus, quod ipse negas. Verum quoniam defendo vtramque partem, motum nimirum & à termino ad quem tendit, & à mobili cui inhæret realiter differre: in hoc exemplo non insto. dico tamen non magis sequi hoc argumentum quam illud, Non potest conseruari homo sine vita: ergo vita est de natura hominis; Imo hanc catastrophen addo, motum, licet sit acquisitio termini ad quem tendat, posse conseruari sine ipso termino, quia tametsi complete terminus nunquam acquiratur vt sæpe contingit. motus tamen mobilis tendentis ad terminum in ipso mobili vt in subiecto conseruatur. At dices me hoc ipsum negasse modo, cum de potentia actiua & passiua distinguebam; verum est si complete motum sine causa impediente intelligas, si vero incomplete, non negaui.

Opp. *Motus non habet existentiam sine termino: ergo motus non habet essentiam sine termino. Ratio probatur, quia existentia nihil aliud est quam res ipsa sub certo modo.* Exiſtẽtia quid.

Resp. *Antecedens nego & argumentum; antecedens, quia terminus existente motu adhuc nõ est, & termino existente motus non est: nam cum existat terminus, motus cessat: eandem ergo existentiam non habent. Argumentum etiam nego, quia essentia & existentia differunt vt substantia & accidens. Exẽplo vno res hæc manifesta erit, sit terminus accretionis humanæ septem pedum altitudo, dum infans & puer crescant, adhuc ista septem pedum altitudo non existit: est ergo alia existentia (vt vides) motus id est accretionis, quã termini, id est altitudinis. At vero cum altitudo ista septem pedum viro facto acquiratur, existit iam terminus; at vbi est motus, id est accretio ad hanc proportionem? Certe non est omnino; nam acquisito & existente termino, penitus cessat extinguiturq; motus. Est ergo diuersa existentia, adeoq; etiam diuersa essentia vtriusque.* Essentia & existentia quomodo differãt.

Opp. *Motus est nihil aliud quam fluens forma: sed fluens forma re nõ differt à seipsa: ergo motus nõ differt à forma. & p consequẽs nõ differt à termino. Maior probatur authoritate D. Thomæ 5. huius operis, & Ochami in 2. q. 9. 31.*

Resp. *Certum est doctissimos illos viros sic nunquam sen-*

sisse, nam quamuis motum aliquando nominent fluentem formam ab effectu, cum tamen definiant motum, disertis verbis eundem actum mobilis & fluxum forma nominant, vt videre licet, si illorum commentarios in hoc caput legeris: imo differre motum à forma concludunt, quia motus est realiter successiuus, qua proprietas vel potius differentia (vt illi aiunt) non potest forma aut termino conuenire.

Opp. *Nutritio est motus, cuius terminus* ad quem *est conuersio alimenti in naturam aliti: sed conuersio alimenti in naturam aliti non realiter differt à nutritione: ergo terminus realiter non differt semper à motu. Maior constat, quia nutritio ad conuersionem cibi vt ad scopum formam, & finē tendit; cessat vero cū cibus in naturā aliti commutetur.*

Resp. *Si sic nobiscum agas omnia concedimus: nam à tota definitione nutritionis, non à termino hoc argumentum petis. Quippe conuersio alimenti in naturam aliti est definitio nutritionis, eademque re simpliciter cum definito; sed terminus nutritionis est vel substantia alita, vel substantia alita naturalis figura & proportio: at nemo vel substantiam alitam, vel eiusdem figuram & proportionem rē cum nutritione consociari dixerit.*

Opp. *Motus rationis est sæpe terminus ad quem motus studiosi affectus tendit; sed hic motus ab illo re non differt: ergo omnis motus re à suo termino non differt. Maior constat, quia si quis sit probe affectus ad bene viuendum, protinus mouetur ad nutum motumque rationis sequendum. Minor probatur, quia si re differret motus studiosi appetitus à motu intellectus seu rationis, motus à seipso realiter differret, quod est à ratione absonum & alienum.*

Non est idem motus appetitus & intellectus.

Resp. *Primum distinguo eundem non esse natura motū appetitus & intellectus; tum etiam dico, hoc posito (nempe motum animæ appetentis ad motum intellectus tendere vt ad terminum) quod motus intellectus sit vera quies & cessatio prioris motus. Nam quamuis sit vere motus respectu intellectus, est tamen finis & quies respectu appetitus probe affecti & tendentis ad imperium rationis. Vt enim cæli diurnus motus est ab ortu ad occasum, in quo vt in termino definit diei motus, quamuis ab occasu iterum ad orientem voluatur idem cælum: ita motus probe affecti hominis ab appetitus*

titu ad motum intellectus est quidem vt ad terminum, licet ab intellectu ad appetitum noua reciprocatio & refluens motus fiat. Postremo respondendum est, hac genera motus spiritualis hoc loco non nisi analogice à Philosopho intelligi.

Opp. *Motus est caussa ad quem: ergo re non differt ab eodem. Antecedens probatur, quia vi motus elicitur in omni progressu natura forma. Argumentum tenet, quia caussa & effectus re non differunt. Ratio est, quia caussa dat esse aliquod suo effectui. Praterea motus & terminus ad quem tendit motus se habent vt acquisitio & acquisitum (est enim motus acquisitio, terminus acquisitum) sed acquisitio & acquisitum re non differunt, quippe sunt coniugata: ergo motus & terminus ad quem tendit re non differunt.*

Resp. *Motus quidem est caussa ipsius termini vt accretio maioris quantitatis, nutritio naturalis figura & proportionis: Sed caussa distinguenda est, vt alia sit interna alia externa, illa dat esse suo effectui, hac vero non tribuit. At motus est caussa externa nempe efficiens, interna autem est potentia materia vnde fluit. Ad illud quod vrges de acquisitione & acquisito, hoc solum respondeo, ista non esse nisi voce coniugata. Sunt enim coniugata voce tantum, re tantum, re & voce simul. Hac quidem non re sed nomine coniugata sunt.*

Causa duplex est.

Acquisitio & acquisitũ sunt nomine tantũ coniugata.

Argumenta contra secundam partem quæstionis, Vtrum motus re distinguatur à mobili?

Opp. *Motus ipse est mobilis: ergo motus reipsa non distinguitur à mobili. Antecedens probatur, quia subiectum motus mouetur, & proinde motus ipse est mobilis; quippe moto subiecto mouetur & accidens quod in eo inest, vt docet Philosophus, 2. Top. Praterea, per potentiam innatam mobili mouetur motus: ergo motus est mobilis.*

Lib. 2. Top.

Resp. *Aliquid mouetur proprie & per se, vt subiectum mobile, vel improprie & per accidens, vt ipse motus aliaque affectio qualibet in subiecto moto; sed hoc loco mobile proprie & per se intelligitur. Quod addis motum scilicet mobilem per potentiã fieri, nego; potentia enim est potius causa vt motus sit, & subiectum ad formam trahat, quam vt ipse moueatur.*

Aliquid est mobile dupliciter.

Opp. *Mobile & motus sunt coniugata: ergo re eadẽ sunt,*

nam coniugata sunt quæ natura societate inter se conspirāt. Præterea mobile esse non potest sine motu: est ergo motus re idem cum mobili. Hoc à contrario probo, quia ea quæ sunt diuersa natura separari possunt: ea ergo quæ separari non possunt re eadem dicuntur.

Resp. *Mobile & motus nō sunt reipsa coniugata, sed voce; quia mobile subiectum est motus. & quia mobile potest esse absolute sumptum sine motu: absolute sumptū dico, quia relatiue sumptum esse non potest. Quippe sic mobile & motus sunt relata, vt motus mobilis motus, & mobile motus mobile dicatur. Quod absolute sumptum mobile esse possit sine motu, constat in* grano *antequam* terræ *mādetur, quod in suā propria natura & potentia mobile ad plantæ formam dici potest, quantumuis adhuc non moueatur.*

Opp. *Motus est in definitione mobilis, & mobile in definitione motus: ergo re inter se non distinguuntur. Antecedēs probatur, quia motus definitur actus mobilis, & mobile definitur subiectum motus, vel id quod moueri potest.*

Resp. *Notationes hæ sunt vel interpretationes, non absoluta definitiones. Argumentum igitur hoc non tenet, quippe in notationibus accidentia ponuntur, vt in descriptionibus propria, quibus vtcunq; res innotescant nobis. Sit ergo hæc conclusio omnium quoad definitionem motus, quod sit ens successiuum existens subiectiue in mobili, obiectiue in mouēte, realiter distinctum ab vtroque, & etiam à potētia & forma ad quam tendit. Distinguitur à mobili vt à subiecto, distinguitur à mouente vt à principio, distinguitur à potentia vt à medio, distinguitur à forma ad quam tendit vt à fine. Et hæc de definitione & distinctione motus.*

Motus quid.

CAPVT III.

Vtrum { *Mobile sit proprium subiectum motus?* / *Idem sit actus mouentis reiq; motæ?* / *Actio & passio sint vnus motus?* }

Tria sunt huius capitis dubia.

TRia in hoc capite de motu mouentur dubia: primum, *Vtrum mobile sit subiectum motus?* secundum, *Vtrum idem sit actus mouentis reiq; motæ?* tertium, *Vtrum actio & passio sint vnus idemq; motus?* Ad primum ait Philosophus, rem motam esse subiectum motus; & rationem hanc reddit,

Mobile est subiectum motus.

dit, quia actus est in eo cuius est actus; sed motus est actus mobilis: ergo motus est in mobili. Ad secundum ait, eundem esse actum mouētis & mobilis; quod probat bifariam, à comparatione, & similitudine. A comparatione hoc modo. Actus mouentis est qui fluit & producitur à mouēte, actusq; mobilis qui recipitur in mobili; sed idem actus producitur à mouente, recipiturque à mobili: ergo idem est actus vtriusque. A similitudine, quia vt est idem spatium seu interuallum ascensus & descensus: ita est vnus motus agentis & patientis, mouentis & mobilis, sed diuersa (vt hic docet) ratione. Est enim mouentis vt principii, mobilis autem vt subiecti. Ad tertium respondet more dialecticorũ (vt ait) vltro citroq; discutiendo; primumq; probat, quod actio & passio non sint vnus idemque motus sed diuersi, quia actio est actus agentis, & passio actus patientis; sed agens & patiēs sunt res diuersæ: ergo actio & passio sunt res diuersæ, & proinde non sunt vnus motus idemque actus. Hoc argumento contexto aliud concinnat, quo confirmat contrariã opinionem, nempe actionem & passionem esse vnum motum, idque ad hunc modum. Si actio & passio essent diuersi motus, hoc fieret vel quia vterque motus essent in patiente, vel quia actio sit in agente, passio in patiente, aut vterque in vtroque: sed ex hisce singulis (si percurras) incommodum sequitur: ergo actio & passio non sunt diuersi motus. Assumptionem probat diuisim in singulis partitionis membris: nam si motus sit in agente, sequetur motum esse in mouente, mouensque moueri, quod negatur: si sit in patiente, sequetur motum esse in mobili, quia patiens est terminus *ad quem*, in quo cessat & quiescit motus: si sit in vtroque, sequetur vnum accidens numero esse in duobus subiectis simul. Relinquitur ergo quod motus vtriusque non sint diuersi sed vnus, idemque nec in hoc, aut illo, aut vtroque, sed in medio aliquo, nempe in mobili, quod inter agens & patiens, principium & finem vertitur. Vt ergo cursus est vnus currentis motus, qui neque in loco à quo incipit, neque in scopo in quem desinit proprie inesse dicitur, sed in medio vbi cursor vestigia vrget: ita motus agentis & patientis vnus est. non in agente & patiente vt sunt extrema (principium & finem intelligo) sed in medio, quod proprie mobile

Idem est actus mouentis & mobilis.

Actio & passio sunt vnus motus.

inter vtrumque latet. Nam sicut *est eadem via Thebis Athenas & Athenis Thebas* (vt vtar similitudine Aristotelis in textu) sed itio reditioque diuersa: ita vnus idemque est actu agentis & patientis, quamuis actio & passio res numero natura, & prædicamento differant. Imo actio & passio sunt vnus idemque motus, si respectiue in progressione & medio, id est in fluente forma non in propriis terminis & categoriis considerentur. Exempla ergo (vt hic ait Philosophus) in contrariam partem allata parum roboris & momenti habent; ea scilicet, quod *docere* & *discere* sint vnus idemque actus, si agere & pati vnus motus fiant.

Textu iam explicato percurram paucis iterum hæc ipsa dubia, vt armatus adolescens confidentius de iisdem in vtramque partem disputet. Primum est, *An mobile sit subiectum motus?* præter argumentum quod ex textu elicitur superius, alia sunt non leuioris ponderis, quibus probetur motum in alio subiecto nullo residere posse nisi in mobili. Nam præterquam quod motus sit actus mobilis, constat eundem semper in eo subiecto inhærere quod est in acquisitione suæ perfectionis successiuum; at mobile solum est in acquisitione suæ perfectionis successiuum: ergo mobile est solum subiectum motionis. Preterea motus in eo subiecto solo inest, quod potentiam passiuam habet vt moueatur, sed mobile solum potentiam passiuam habet vt moueatur: ergo motus in solo mobili inhæret. Deinceps motus id solum subiectum est, quod est inchoatum per motum, sed mobile est solum inchoatum per motum: ergo mobile est solum subiectum motus. Porro motus non est in mouente à quo incipit, nisi vt in principio, non est in termino in quem tendit nisi vt in fine: relinquitur ergo vt sit in solo mobili vt in proprio subiecto. Postremo si percurras omnia motus genera, hoc verum esse intelligas: nam *generationis* subiectum est solum generabile, *corruptionis* corruptibile, & sic in cæteris: ergo mobile est solum subiectum motus.

Dub. 1. Mobile est subiectum motus.

Ad alterum dubium venio, quod est: *An idem sit actus mouentis & mobilis?* In vtramque partem probabiliter discutitur defenditurque hæc quæstio. Sed vmbris fugatis lucem veritatis quæro. Est (inquit Philosophus) vnus idemque actus mouentis & mobilis, est quoque diuersus: vnus si fluentem

Dub. 2. Mouentis & mobilis idem est actus.

fluentem formam à mouente in mobile: diuersus, si vtriusque formam distinctam spectes. Est enim vna forma si in motu, est diuersa si in propria natura & essentia vtrunque consideres. Mouens ergo & mobile considerari possunt bifariam, vel absolutè & distinctè, & sic vnus vtriusque non est motus, vel comparatè seu relatiuè, & sic est vnus. Hoc probatur quatuor argumentis, 1. Ab authoritate, quia Princeps philosophorum dixit, rationemque addidit, quoniam actus mouentis est qui producitur à mouente, & actus mobilis qui recipitur à mobili: sed idem est actus qui producitur à mouente & qui recipitur à mobili, ergo idem est motus vtriusque. idem (inquam) motus numero & natura, quia non est diuersus; formam fluentē aut formæ fluxū intelligit. 2. A necessario, quia fieri nō potest vt alius huius, alius sit illi' motus. Quod probatur, quoniam agens & patiens relatiue accepta in motu nō nisi vnam & indiuidua caussam sui motus habent, nempe vtriusque potentiam, qua indissolubili quasi nexu constringuntur. 3. A comparatione, quia mouentis virtus transit in mobile per motum, sed virtus vna eademq; est re in hoc & illo: ergo motus vnus idemq; re est in hoc & illo. Intelligo per *virtutem* hoc loco non solum potentiam, sed habitum alicuius mouentis, puta *lucem* in *sole*, quæ effusa in aerem transit, aliamque natura *lucem* in aere non facit quam quæ in sole hæret. 4. A similitudine, quia vt est vnum medium ascensus & descensus, vnaque via Thebis Athenas, & Athenis Thebas: ita vnus idemque motus est mouentis & mobilis. Planius & illustrius sic (si placet,) vt *radius solaris* transiens per *radium ignis*, non aliud sed idem numero *lumen* & *splendorem* (teste Philosopho) facit: ita transiens actus à mouente in mobile, non motum diuersum, sed eundem numero & natura efficit. Nam sic transit motus à mouente ad mobile, vt *globus* aut *pila* iactantis in alterius recipientis manum: sed vnus numero *globus* aut *pila* à manu in manum transit: ergo vnus motus à mouente in mobile rectè migrare dicatur.

Mouens & mobile consideramus bifariam.

Restat tertium iam dubium, *Vtrum actio & passio sint vnus idemque numero & natura motus?* Argumenta eadem fere singula, in superiori cognata & affini quæstione adducta, ad istius dubii confirmationem adduci possunt ap-

Dub. 3.

positissime. Distinctione ergo facta ad alia grauiora festinabo. Constat apud dialecticos actionem diuidi in immanentem & transeuntem, illa sine omni alea controuersiæ est in agente, vt ipsum nomen plane insinuat; nam *immanere* est nihil aliud quam manere in principio aut subiecto à quo fiuit, aut cui accommodatur. Quæritur ergo hoc loco de transeunte actione solum; sit ergo hoc dubium, *Vtrum actio transiens & passio sint vnus idemq; motus?* Ad pleniorem intellectum huius dubii distinguendum est, actionem & passionem capi duobus modis, formaliter (vt aiunt) & materialiter: formaliter, vt sunt prædicamenta & extrinsici respectus agentis & patientis (quippe actio, vt est prædicamẽtum, est nihil aliud quam respectus agentis ad passum, & passio nihil aliud quam respectus patientis ad agens) sic actio & passio non sunt vnus idemq; motus, imo sunt duo respectus extrinseci realiter distincti: materialiter pro forma quæ sensim & pedetentim ab agente in passum fluit, & sic actio & passio sunt vnus idemque motus, id est, vna forma fluens, vel fluxus formæ. Hoc quidem probari potest, quia vt agens & patiens, ita & actio & passio in medio vnum sunt. Nam quamuis sint duo, eademque natura diuersa & distincta, si per se diuisim considerentur; relatione tamen & motu vnum sunt, idemq; motus dici possunt, quoniam hic motus inter actionem & passionem vnus est continuus & successiuus, qui in agente actio, in patiente passio causa distinctionis dicitur. Verum quoniam sine interruptione continuus & successiuus est, donec forma seu qualitas fluens ab agẽte in passum imprimatur, rectissime in medio quasi cursu via vna, forma vna, fluxus vnus, vnusq; motus numero & natura dicitur. Neque hoc mirum videatur tibi, quia vt duo numeri distincti vnum formalem nexum simplicemque vnionem habent: ita agens & patiens, actioque & passio vnum actum, vnum motum, vnam fluentẽ formam aut formæ fluentis emanationem habent. Imo efficacius rectiusq; ad viuũ loquar, si dicam ꝙ actio passioque sint vna emanatio, vnus actus vnus motus formæ a potentia agentis fluens tendensque ad passum; quod passum vna cum inchoata forma incipit fieri, fitque tandem successiuis veluti momentis ab agente formatum: vt *igne ardente aqua subiecta incipit pati,*

Actio duplex.
Actio immanens est in agente.
Actio & passio dupliciter sumuntur.
1.
Actio quid vt prædicamentũ.
2.
Actio & passio qui vn' motus.

pati, adhuc tamen perfecte patiens nõ dicitur, donec sensim *calor fluens*, seu *caloris fluxus* (qui est motus) ad feruorẽ perrepserit, gradumque igneum in *aquam* subiectam vi *ignis* impresserit. Sic (vt vides) quamuis non sit idem numero calor in agente & patiente, si per se diuisim secundum proprias & absolutas essentias considerentur; in via tamẽ & progressione secundum potentiam motricem, actio & passio vnus numero motus dici possunt, vt *elementa* in *homine* vnũ *mixtum*, vnusq; *aspectus* diuersorũ *siderum*, si in eodem gradu & influentia simul vniantur. Sunt quidem (vt vides) quatuor elementa rerum distincta, distinctis naturę formis, proprietatibus, & affectionibus vestita: at coacta ad temperiem vnum numero mixtum sunt & fiunt. Sic actio & passio formaliter accepta diuersa sunt genera, at physice & materialiter considerata in potentia naturæ agentis, mouentis, perficientis effecta, vnus sunt actus vnusque motus. Exemplum de aspectu siderum breuitatis caussa tacitus prætereo, dico tamen vt est illorum in eadem constellatione vna influentia, vnusque aspectus numero, quia vniti radii multorum vnum aspectum faciunt: ita agentis & patientis, actionis & passionis vnus motus existit, idemq; numero & natura vnus.

Hactenus quod sit motus, & quid sit, & quomodo sit res continua quomodo successiua, quod sit in mobili vt in subiecto, in mouente autem vt in principio, quod denique sit vnus mouentis & mobilis actus, quodque actio & passio sint vnus idemque motus diximus. Agnosco hic alias ex textu moueri quæstiones, vt An motus secundum extensionem sit diuisibilis, & An atomis, id est, indiuisibilibus mutationis punctulis terminetur motus, cum sit natura sua successiuus? Præterea quid inchoet, quid finiat motum? quid partes eiusdem duratione succedentes inter se cõnectat? Has (inquam) prætermitto hoc loco omnes, non quod indignas tractatione putẽ (sunt enim subtilitatis philosophicæ, & ingenii plenæ) sed quoniam in posterioribus libris Physicorum opportunius mouẽtur & exponuntur à Philosopho. Ad distinctionem igitur festino, in qua hæc tria iam mota de motu dubia reddentur clariora.

Distinctio quæstionum capitis tertii.

Dubia quę in hoc capite mouetur sunt

1 *An mobile sit solum subiectum motus: quod sic esse probatur,*

1 Quia motus est in eo cuius est actus; sed mobilis est actus: ergo in mobili inest.
2 Quia mobile est successiuum vt motus: ergo à proportione, motus est in mobili.
3 Quia mobile solum potentiam passiuã habet ad recipiendam formam per motum.
4 Quia mobile est inchoatum per motum, adeoq; etiam perfectum.
5 Quia motus est forma inchoata mobilis, à mouente fluente fluens.
6 Quia motus non est in mouente nisi vt in principio, nec in termino *ad quem*, propterea quod in eo desinit: ergo est in mobili.
7 Quia generatio est in generabili, corruptio in corruptibili, alteratio in alterabili, &c. ergo ab inductione probatur, quod omnis motus sit in mobili.

2 *An motus sit mouẽtis & mobilis, idẽ numero & natura actus?* sic esse hoc loco probat Philosophus.

1 Ab eodẽ, quia idem actus recipitur à mobili qui producitur à mouente: idem ergo est vtriusque motus.
2 A necessario, quia vna indiuidua est causa, seu fundamẽtum motus in vtroq;, nempe potẽtia actiua mouẽtis: ergo est vnus motus.
3 A cõparatione, quia forma transiens mouentis vna eademq; est inchoata forma mobilis; sed transiens forma mouentis est vnus motus: ergo vnus est motus vtriusq;.
4 A simili, quia vt est eadem via Thebis Athenas, & è contra: ita est idem motus mouentis & mobilis.
5 A relatione, quia motus est inter mouẽs & mobile mediũ vnum cõparationis; sic mouẽs motu mouet, & mobile motu mouetur.

3 *An actio & passio, quæ sunt propria affectiones mouentis & mobilis, sint vnus numero & natura motus?* Sed hic distinguitur de actione & passione, quod sumantur bifariam:

Formaliter, vt sunt distincta genera, & sic non sunt idem motus.

Materialiter pro fluxu formæ ab agẽte in passum, & sic sunt vnus natura mot⁹, quod probatur

1 A locis fere omnibus prioris cognatæ quæstionis.
2 A definitione actionis, quæ est *motus vnus transiens in passum.*
3 A relatione vtriusq;, quę vnũ mediũ & fundamẽtũ habet.
4 A similib. quæ in discursu patent.

Argu-

Argumenta aduersus primum dubium, Vtrum motus sit subiectiue in mobili.

Opp. *Actio est motus* (*vt docet hoc loco Philosophus*) *sed actio est in agente. quod est mouens non mobile, vt hic etiam docet: ergo motus est in mouente non in mobili.*

Resp. *Actio & passio* (*vt docet Philosophus*) *sunt motus, non tamen dicit motum esse in agente vt in subiecto, sed ab eo fluere vt à principio. Quippe vt rem planius plenius que explicem, actio, passio, & motus res vna sunt materialiter* (*vt aiunt*) *formaliter autem differunt, penes diuersos modos quos vendicant. Huius assertionis veritas astruitur vno exemplo quia vna eademque* illuminatio (*quæ motus est*) *reipsa est actio & passio. Vt enim fluit à* sole *agente rationem actionis, vt excipitur ab* aere *patiente rationem passionis habet; res tamen vna eademque est numero & natura. Nunc* (*vt respondeam argumento*) *si ipsa actio transiens esset in agente, non esset transiens sed manens, vt ex ratione immanentis actionis constat.*

Actio, Passio. Motus qui res vna.

Opp. *Noua & inaudita est hæc opinio quam in campo philosophorum spargis: quæ si sit vera, sequetur* lumen *non esse in* sole, *nec* calorem *in* igne *tanquam in subiectis propriis: quippe negas illuminationem & calefactionem inesse. Sic enim ais, si actio transiens insit in agente non esset transiens: At quàm absurdum est dicere* lumen *non inesse* soli? calorem *non inesse* igni? *Si sit absurdum* (*vt animo ipse iudicas*) *quorsum non æquè absurdum esse putas, negare* illuminationem & calefactionem (*quæ re non differunt à* luce & calore) *agenti inhærere?*

Resp. *Oratorem agis non philosophum. Dico iterum, si actio transiens insit in agente, non esse transeuntem. Attende quòd de actione* iam transeunte *agatur. id est, de tali actione quæ effectiue ab agente fluat, & iam aut inchoate aut complete in patiente emineat. Quid existimas de tali actione? si transfusa sit ab agente, vt est: certum est, inchoatiuè aut perfectiuè* (*vt aiunt*) *in ipso patiente inesse. Verùm si sit in agente quoque* (*vt cum admiratione inani contendis*) *concludo vnum accidens numero duobus inesse subiectis simul. Agnosco* lumē *esse in* sole, *agnosco* calorem *esse in igne, agnosco inesse, at neque hoc* lumē (*quod est fluēs*) *neque hūc* calorē (*qui est flux⁹, act⁹, aut mot⁹*) *huic aut illi inesse, vt in subiecto agnosco. Pro-*

primum enim horum sic fluentium subiectum patiens est non agens, mobile non mouens. Quippe horum respectu sol & ignis *principia sunt à quibus, non subiecta (in quibus motus insunt) dicuntur.*

Opp. *Ratio formalis qua mouens à mobili differt, nihil aliud videtur esse quàm relatio mouentis ad motum: sed relatio hac est in mouente: ergo etiam est motus, quia motus est formalis ratio (vt docet Philosophus) vtriusque. Minor probatur, quia fundamentum relationis & relatio idem subiectum habent: at fundamentum motus est potentia actiua mouentis, qua non in mobili sed in mouente inest.*

Resp. *Verum est quod ais formalem rationem (qua mouens à mobili differt) esse relationem mouentis ad motum: at negamus relationem hanc esse motum. Praterea vbi dicis fundamentum relationis & relationem vnum habere subiectum, nego; nam Aristoteles id non dicit. Etsi enim legam apud Philosophum potentiam & actum eiusdem ad idem pertinere, cum doctissimis lectissimisque Interpretibus non intelligo (vt tu somnias) habere idem subiectum, sed habere idem principium. Sic motus & illius fundamentum (nempe potentia agentis) vnum principium (nimirum ipsum agens à quo oriuntur) habent.*

Potentia & actus eiusdē ad idem pertin.

Opp. *Si motus sit in mobili, tum motus ab ortu in occasum inferioribus spharis cæli inharet: sed hoc concedi non potest: ergo motus non est in mobili. Sequela maioris constat, quia inferiores sphara sunt mobiles ab ortu in occasum. Minor probatur, quia hoc concesso, quod talis motus iisdem insit, sequetur duos contrarios motus simul inesse, quia vi natura sua ab occasu ad ortum perpetuo feruntur.*

Resp. *Hoc quidem absurdum esset si vterque motus esset naturalis: sed vnus solum est naturalis respectu inferiorum sphararum, alter vero violentus dicitur, raptu primi mobilis. Caterum quem vulnerat hoc argumentum? cum motus iste etiam diurnus ab ortu ad occasum sit naturalis primo mobili, eidemque vt subiecto proprio inhareat,*

Argumenta in secundum dubium, An sit vnus idemque motus mouentis & mobilis?

Opp. *Si sit vnus motus numero & natura (vt defendis)* *mouentis*

mouentis & mobilis tum vnum accidens numero & natura inesse duobus subiectis simul, quod fieri non potest: ergo vtriusque non est vnus motus. Consecutio antecedentis probatur, quia motus idem numero & natura est vnum singulare accidens, quod & in mouente & in mobili inesse videtur.

Resp. *Mouens & mobile sunt quidem duo subiecta (vt ais,) & motus vnum accidens; at motus in vno vt in principio, in altero vt in subiecto inest, si in actu & progressu naturæ considerentur: sin vero diuisim & absolute ponantur, diuersa accidentia & proprietates habent diuersas.*

Motus in mouēte vt in principio, in mobili vt in subiecto.

Opp. *In commutatione loci, motus & locus idem sunt; sed locus est in locante non in locato: ergo motus est in mouente non in mobili, & per consequens non est idem motus vtriusque. Maior probatur, quia in commutatione loci, vt in omni genere motus, forma fluens à mouente est motus: sed forma fluens in commutatione loci est ipse locus, qui locanti inhæret, locato solum adiacet, vt docet Philosophus.*

Resp. *Directe in quæstionem non differis, at intelligo quid velis; nimirum in commutatione loci inesse eundem numero motum mouentis & mobilis, quia locus (vt ais) est solum locantis subiectiue, locati vero solum relatiue. Quod vero locus sit motus hinc probas, quia alia non est forma media fluens à locante ad locatum quam locus, neque est alius terminus locati ad quem tendit quam idem locus, qui locato adiacet non inhæret; est enim locatum potius in loco quam locus in locato. Sed respondeo locum non esse motum in commutatione loci;* Locus *enim* est superficies concaua corporis continentis, *at* motus est ipsius corporis locati seu mobilis quædam successiua commutatio, *quæ in progressu tam locantis quam locati vnus numero actus dici potest, vt in cæteris generibus motus euidentius cernitur.*

Locus est in locante subiectiue, in locato relatiue.

Opp. *Deus est mouens primi mobilis (vt docet Philosophus;) sed idem non potest esse motus Dei & cæli: ergo non est idem motus mouentis & mobilis. Minor constat, quia fieri non potest vt finitum & infinitum, corporeum & incorporeum vno actu copulentur.*

Resp. *Agitur hic de mouentibus naturaliter non de mouentibus metaphysice; Deus autem manu infinita potentia sua cælum primū voluit. Est quoq; secundum diuinā proui-*

Est actiua quedam potentia mouens cœlū.

dentiam alia caussa cœli mouens, nempe actiua potentia infixa & indita cœlo, cuius potentia mouentis, & cœli iam motu vnus idemque actus esse potest, si in progressione à puncto ad punctum considerentur.

Opp. *Vna nō est numero & natura potentia mouentis & mobilis: ergo vnus non est vtriusque motus. Antecedens probatur, quia actiua potentia est in mouente, passiua in mobili (vt docet Philosophus:) est ergo vnus motus actiuus mouentis, alter passiuus mobilis; non ergo est vnus numero motus (vt docuisti) vtriusque argumentum tenet, quia motus fundatur in potentia: si ergo actiua potentia & passiua natura differant, simulque in vno subiecto comprehendi non possint, recte concluditur, vnum motum numero in vtroque non continere.*

Resp. *Si mouens & mobile absolute considerentur, diuersas potentias, motusque habent, at respectiue in actione naturali, & productione aut acquisitione formæ comparata vnam potentiam, vnumque motum sortiuntur.*

Argumenta in tertium dubium, Vtrum actio & passio sint vnus numero & natura motus?

Opp. *Actio & passio sunt genera distincta: ergo res vna numero esse non possunt.*

Resp. *Satisfactum est huic argumento superius, cum in textu distinctionem actionis & passionis attulimus.*

Opp. *Vtcunque actio & passio considerentur, sunt res diuersæ, necnon distinctas definitiones habent: ergo fieri non potest vt sint res vna numero. Nam (vt habetur apud Porphyrium in Communitatibus & differentiis prædicabilium) res distincta specie commisceri non possunt, vt inde tertia oriatur.*

Resp. *Antecedens negatur, quia vnita in motu res diuersæ non sunt, sed actus vnus numero. Negatur etiam probatio, quia res diuersæ possunt physice coire & commisceri, quæ sic commixta fieri possunt res vna; vt in* elemētis *natura & definitione rebus distinctis constat, quæ conglobata in vnum rectissime res vna numero & natura dici debent, nempe mixtum. Porphyrii locus fallaciter & insidiose inducitur, quippe nō de rebus physicis sed de formis logicis illic differit, quæ formæ non possunt vt sunt commisceri, vt tertia species oriatur.*

Opp.

Opp.

Principia actionis & passionis re distinguuntur: ergo actio & passio; quo posito, sequetur non posse sic considerari, vt res vna numero dicantur. Antecedens probatur, quia principia actionis & passionis sunt potentia actiua & passiua, aut res absolute & simpliciter distincta in qualitate. Argumentum tenet, quia considerari duo aut plura esse vnum, est aliter considerari quam in essentia rerum sunt.

Resp.

Eandem fere semper incudem tundis; dico sæpe ac semper actionem & passionem res esse distinctas, earumque fundamẽta & principia re esse diuersa, si formaliter in se considerentur, at materialiter in progressione natura non item; quia tum vi & virtute natura coercentur, vnaque res actu numeroque fiunt, aliaque non est consideratio quam res ipsa postulat.

Opp.

Calfactio *proprie actio dicitur vt est in* igne, *passio autem vt est in* aqua; *sed qua subiecto distinguuntur res vna esse nõ possunt: ergo actio & passio res vna dici non debent.*

Resp.

Calfactio *est (vt ante docui) in* igne *vt in subiecto, si per se absolute sumatur; at accepta pro fluente* calore *qui ab* igne *transit in* aquam, *est quidem in* igne, *non vt in subiecto, sed vt in principio à quo fluit: verum quoniam vis* ignis *impressa vires in progressione acquirat, ista vna acquisitio successiua, vnus motus in mobili, non tam acute quam vere à philosophis nominatur.*

Opp.

Vmbras capis, omittis necessaria in hoc capite; nam moues dubia leuiora. quæ similibus & allegoriis leuiter defendis, altoque silentio prætermittis grauiora, vt An motus sit semper diuisibilis? An sit in generatione & corruptione momentaneus? An mouens mouendo moueatur? An agens repatiatur agendo? *Hæc (inquam) & plura tacito pede transilire videris, sed vestigia tua secutus moneo te obliuionis aut inanitatis tuæ.*

Resp.

In vmbris istis quas de motu breuiter tractaui, lumē magnum philosophia eminet. Agnosco me vmbris & similibus vsum fuisse in hac interpretatione mea, sed difficultas rerum mihi id agere persuasit, vt tu rectius exēplis quam verbis instructus, mysteria natura & motus percipias, meliusque de motu (qui est manus primumque instrumētum natura) philosopheris. Quod me moneas vanitatis, causam dati consilii admittendi non video; quod vero accuses obliuionis, causam ostende. Si vrgeas, Aristotelem insinuare has quastiones in textu quas infers, respondeo hic solum insinuare, postea vero pluribus de iisdem disputare. Caue ergo ne te obliuionis aut ignorantia vicissim insimulem, qui Philosophum obiter hic ista mouentem, alibi vberius & opportunius tractantem non obseruaris.

CAPVT IV.

Vtrum in natura detur infinitum?

Natura opera habent existētiam à motu.

MOtus inter omnes affectiones naturæ, tanquam *sol* princeps planetarum orbe suo sic vertitur, vt omnia effecta operaque naturæ à motu existentiam, non aliter quā *sidera cœli* à *sole influentiam* & *lumen* habeant. Quemadmodum enim nihil sine *sole* illustratur: ita nihil in rerum natura sine motu fit & cōstituitur. Merito ergo definita natura principiisq; rerum, motus inter affectus naturæ primū locum vendicauit, proximum vero infinitum; tum quia primus motor est actu infinitus, tū quia primus motus primi corporis moti partes successione infinitas habet. Hinc prima vmbra in horologio naturæ quasi versa, videas actu, potentiaq; infinitū esse. Nemini ergo philosopho dubium esse potest, quin sit offi.iū Philosophi de infinito disputare. Hoc ipsum in textu probat Philosophus ratione & signo. Ratione sic, Ad Philosophum pertinet definire magnitudinē, motum, & tempus: ergo ad eundem pertinet definire infinitū. Ratio sequitur, quoniam finitum & infinitum sunt affectiones motus, temporis, & magnitudinis. Signo idipsum probat ad hunc modum, quia omnes veteres philosophi tractantes arcana naturæ de infinito mentionem fecerunt: vere igitur philosophantis est, (siue consentire, siue dissentire velit)

Infinitum cur hic tractetur.

1. *Ad philosophū spectat de infinito disputare.*

2.

velit) de eodem disputare. Hinc (vt in Oceanum hunc infinitum se immergat Aristoteles) opiniones antiquorum philosophorum minus congruenter naturæ de infinito loquentium percenset, nec non docet quo modo sic loquentes inter se dissideant & dissentiant. Minus congruenter naturę de infinito loquuntur (vt ait) Plato & Pythagoras, qui dicebant infinitum esse *substantiam per se subsistentem, non accidens.* Dissentiebant autem inter se, primum quia Pythagorici infinitum intra limites rerum sensibus subiectarum comprehendunt, Platonici vero in rebus tum sensui obiectis, tum ab eodem separatis & auulsis idipsum inesse affirmant. Secundo dissentiebant isti, quia Pythagoras infinitũ extra cœlum posuit, negauit Plato. Postremo quia Plato magnitudine, Pythagoras numero infinitum definiri voluit.

Antiquorum opiniones de infinito.

Pythagora.

Platonis.

In secunda capitis parte opiniones Philosophorum narrat, qui congruẽter & accommodate naturæ de infinito disputarunt. Hi (vt ait) cum illis in hoc vno consentiunt, quod infinitum principium esse velint, at ab iis penitus in illo dissentiunt, quod ipsum substantiam definierunt esse. Quippe hi potius accidens esse quam substantiam pertinaciter defendunt. Cæterum & hi quoque inter se differunt, quia Anaxagoras infinitum ex similibus corporibus infinitis, Democritus ex infinitis atomis figura dissimilibus illud componi somniauit. Iterum, quod Anaxagoras quodlibet ex quolibet fieri, Democritus contrarium, nempe ex quolibet non fieri quodlibet affirmabat.

Anaxagora.

Democrito.

In tertia parte capitis proprietates infinito à veteribus asscriptas enumerat. Prima est infinitum esse principium; secunda, esse ingenitum; tertia, cõtinere & gubernare omnia; quarta esse diuinum. Prima probatur, quia infinitum est principium, aut aliunde principium habet; sed infiniti dari non potest principium: ergo infinitum est principium. Secunda astruitur, quia omne genitum habet principium; sed infinitum non habet principium: ergo infinitum est ingenitum. Tertia demonstratur, quia primum principium omnia continere & gubernare debet; sed infinitum est primum principium: ergo infinitum omnia continet & gubernat. Quarta concluditur, quia infinitum est incorruptibile & immortale: ergo etiam diuinum.

Proprietates infinito à veteribus asscripta.

Infinitum esse probarunt veteres.

In quarta parte capitis ex veteribus probat esse infinitum quinque argumentis, quibus in octauo capite respondet. Primum est a tempore, quia illud est infinitum; secundum à magnitudine, quæ in infinitas partes diuiditur; tertium est à successione rerum naturalium, quarum est perpetua generatio; quartum à diuisione, quia finitum terminatur ad aliquid extra seipsum, quod est vel infinitum vel finitum: si infinitum habetur propositum, si finitum tum quoque illud ad aliud præfinitum definietur, & sic erit etiam progressio in infinitum: quocunque ergo te verteris infinitum in rerum natura esse videas; quintum, quia mens ipsa est infinita, nullâque magnitudine, numero, aut pondere oppressa, semper auida, semper plura sciendi cupida, satiata nunquam nisi infinito. Siste pedem Aristoteles, de mente æterna cognita. Certum est diuinos philosophos hic Deum infinitum intelligere. Quid contendis? quid de lana caprina disputas? Satis intelligis quid sibi volunt sapientissimi isti viri. Cur stramineos aduersarios fingis, in quos rabide ferociterque incurras? Recte quidem in aliud tempus differs responsum, vt obliti argumentorum quæ pro more tuo laceras, te Herculem contra Pygmæos digladiari existimemus. Pater es, patronus, &c. at gloria tua in hoc languet, cum gloriam aliis iustam non tribuens, falsam & fallacem aucuperis. Certum est, certum (inquam) est, hos Deum, per infinitum, æternum, ingenitum, & imperiosum extra cœlum proposuisse. Quid contra adfers? nihil certe nisi vmbras, easdemque sub toruo aspectu; quia cum respondeas nodos in scirpo quæris, cōsortesque philosophos ad placitum torculari igenii tui discordes & insanos facis.

Aristoteles debitam gloriam aliis non dat vt ipsius maior appareat.

Per infinitum Deum intellexerunt veteres.

Sed pergam & vltimam partem huius capitis attingam, in qua significata & modos huius nominis *infiniti* breuiter exponis. Ne quid erroris ex ambiguitate abdita verbi infiniti contingat, idipsum distinguit Philosophus: Quinq; ergo modis dicitur infinitum. Primo infinitū, id est, *quod ex-*

Infinitū quinq; modis dicitur.

1. *pers quantitatis transiri ac circumscribi nō potest*, vt *Vnitas,*
2. *anima punctum Deus*. Secundo infinitum, id est, *quod particeps quantitatis immensum & indeterminatum exitum habet*, vt *mundus, lineaque Geometrica, & magnitudines.*
3. Tertio dicitur infinitum, *quod particeps quantitatis finita*

pertransire

pertransiri aut permeari non potest, propter impotentiam decurrentis aut transeuntis; & sic *spatium ab ortu ad occasum* vulgo dicitur *infinitum*, non quod sic natura sua sit, sed quod à nemine mortalium totum permeari possit: sic etiam *altitudo maris* infinita vocatur, quia exacte illius profunditatem nemo certe probatam habet. Quarto modo accipitur infinitum pro eo, quod *licet exitum non habeat, aptum tamen est habere*, vt *linea punctis non definita*. Postremo modo capitur hoc nomen pro eo, *in quo est actus coniunctus potentia*, & hoc est triplex; scilicet secundum *appositionem* vt in *numero*, in quo non est dare maximum; secundum *diuisionem* vt in *magnitudine*, in qua non est dare minimum; deinde secundum *appositionem & diuisionem*. vt in *continua quantitate diuisa aequaliter*, cuius partes infinitæ & numero & magnitudine dissecari possunt. Prolixior sum (vt vides, studiose lector) in textu explanando quam solebam; ratio est, quia pauca præter textum adiicienda puto. Primum, quia Aristoteles multus est in refutatione aliorum philosophorum, contra quos ferocius (more suo) nonnunquam inuehitur sine caussa: tum quia eorum philosophorum opera, aut saltem operum partes non habeamus, ex quibus eliciamus & trutinemus veritatem: tum etiam quia non de re sed de nomine rei, & non ente hoc loco otiose pluribus disputetur. Est enim *infinitum* nomen & vmbra, cui ens nullum respondet, de quo si infinitus essem, aera sine fructu diuerberarem. Postremo quia omnes fere interpretes grauioris iudicii in istis labyrinthis nudũ relinquunt Aristot. aranea siquidem est, filumque & telam in refutatione sic non texit, vt in demonstratione rerum, in qua verissime philosophorũ princeps omnes prioris seculi, suæque ætatis & posteritatis philosophos superauit. Nam (vt vere loquar quod sentiam) in refutatione telas sæpissime opponit soli, quibus muscas capiat, quas captas veneno inficit & occidit. Quippe (vt longius digrediar) considera hoc loco mecũ Pythagoræ & Platonis diuinas de infinito sententias proprietatesq. superius ab illis traditas & assignatas, videbis (nisi volens & prudens velis esse cæcus) hos patres Deũ expresse insinuasse, qui est in se & in omnib. quæ finxit actu infinitũ numen, & lumen ꝙ omnibus intuentib. impense, vt *sol* in medio *cælo* affulget.

Sed Deus bone! quomodo culices ex elephante fingit? quomodo ad numeros & magnitudines verba & sensa trahit? quomodo nouos Pythagoras & Platones in theatrum philosophorum, morionum non sapientum toga amictos producit, eosdemque nobis deridendos tandem proponit? Callide tamen & astute hoc facit; nam hic per rimulas quasi radios spargit, & manca proponit illorum argumenta, quæ torta, distorta, mutilata vtcunque in vltimo capite huius libri resoluit.

Cæterum ne cohortibus quasi collectis & coactis ad pugnam, hanc arenam sine vllo strepitu & tuba philosophiæ transiliam, classicum nunc canam, & contra defensores infiniti aliquid dicam: iustissimam caussam suscipio, exitum belli fœliciorem spero. Quid ais Pythagora? quid ais Plato? Est ne infinitum? est. Rationes reddite, refutabo. Nihil definitur nisi sit, sed infinitum definitur: ergo est infinitum. Si hæc sit prima ratio, Respondeo duplicem definitionem esse, rei scilicet & nominis; hæc definitio est nominis non rei. Quod vero sit definitio aliquando nominis, ratio hæc redditur, quia vt sunt vera entia, ita sunt entia apparentia quæ videntur & non sunt, de quibus cum docti & sapientes litigent, opus est vt definiantur vtcunque, quo directius ad scopum argumenta vltro citroque iactata destinentur. Imo definitio infiniti est rei definitio. Quî hoc probatur? quoniam est ens rei. Audiamus illam: Infinitum est ens rei, cuius quantitatem accipientibus restat aliquid semper accipiendum, vt de *numero, tempore, motu*, & *continuo* cõstat. Si hæc sit definitio realem esse negamus, dicimusque esse opinione ens rei non simpliciter. Respondes frigide. Quid ita? Non est quod sic effugias, nam quinque firmissimis rationibus à rebus ductis infinitum esse sic aperte probamus. Primum quia est tempus, quod te fatente nunquam incepit, nec vnquam desinet: si enim inceperit da punctum in quo incepit mundus, quem tu ab æterno fuisse pertinaciter defendis. Distinguo esse aliquid actu, aliquid potentia & successione infinitum: illud vos esse contenditis quod nego, hoc aliquo modo esse non inuitus concedo. Age ergo, vt mundum tuum æternum & immortalem esse defendas, concedis aliquo modo esse infinitum. Defendo;

Rationes quæ asserunt infinitum.

1. Definitio duplex.

Entia vera & apparentia.

Definitio nominis quibus tribuatur.

2. Infiniti definitio.

Rationes quæ probant esse infinitum.

Infinitum duplex, actu & potentia.

do; esto, quod das accipimus; vlteriusq; vrgemus de magnitudine, q̃ ipse affirmas esse diuisibilẽ in infinitas partes, quæ partes (vt nosti) actu cohærere debẽt cum toto, aliter totum non est completum. Ad hoc respondeo, me non intelligere aliquam magnitudinem esse actu tam immẽsam, vt semper actu diuidatur physicę in partes quantas, sed quod potentia (si diuidatur) nõ tam minuta pars inueniri possit quin eadem iterum mathematice dissecari possit. Exile & infirmum hoc refugium est, sed ab æternitate mundi aliquid actu iam esse infinitum demonstramus, idemque hoc modo. Ab æterno (vt ais) fuit mundus: ergo ab æterno fuerunt animæ, quæ sunt eædem quæ olim substiterunt; at in æternitate infinitæ sunt actu animæ: est aliquid ergo & numero & natura infinitum. Imo ipse numerus est actu infinitus animarum, quia actu illis subsistentibus infinitis, earum numerus actu iisdem necessario inhæret. Quid respondes? Non est huius loci de separatis & incorporeis substantiis disputare, ad Metaphysicum nõ ad naturalem philosophũ spectat. Miser es si ad hoc asylum conuoles, nam animam vulnerasti, rationis, æternitatis, diuinitatis compotem, quam formam humanam naturalem esse defendis. Sed esto, quid ais de infinito animarum numero, iam actu in subiecto aggregationis existente? Idipsum respondeo, nempe non esse physicum & naturalem numerum, quia nõ est in physico & naturali subiecto. Multitudo enim infinita animarum est metaphysica, quantitas non naturalis. A malo semper in peius lapsus, monstra de infinito tuorum phantasmatum defendis. Quasi vero tu ipse non doceas numerum infinitum esse; doceo, nõ actu sed additione vnitatum. Sine progrediamur. Deus actu (vt tu sæpe fateris) infinitus est: ergo corpus infinitum. Ratio tenet, quia infinita causa non potest non producere infinitum effectum; cum sit infinitæ potentiæ, quæ nunquam est otiosa, nunquam imbecilla, nunquã impedita. Præterea si non operetur actu infinitum, hoc ipsum contingit vel quia non potest, vel quia non vult. si dicas non posse, Deũ negas, qui omnia potest: si dicas nõ velle, teipsum negas, qui in hoc ipso capite posse & velle idẽ esse in æternis doces. Deinceps quid de mobilibus sphæris limpidi cœli cogitas? Scande ad primum tuum mobile, quod octauum

Magnitudo quæ in infinitum diuisibilis.

3. 4. 5. 6.

Triplex motus in primo mobili. cœlum falso & inaniter esse doces: in hoc triplicem motum videas, diurnum, retrogradũ, latitudinis: sunt ergo alia corpora à quibus hi motus pendeant. Quod si verum sit, (vt est verissimum) cur non sint alia infinita sursum quæ infinitæ potentiæ & maiestati respondeant? Decorum enim est vt infinitus Deus actu infinitum solium & sedem habeat. Vrgemus te nimium fortasse, sed quid respondes? Respondeo negando primum argumentum, & ad rationem seu probationem dico, posse Deum infinitum effectum producere, tametsi corpus aliquod infinitum non fecerit. At vrgetis velle & posse idem esse in Deo, quid hinc infertis? corpus fecisse infinitum? Ratio non sequitur: nam etsi sint idem, omnia tamen quæ potest non vult Deus. Quippe vt in essentia animæ voluntas & intellectus sunt vnus idemque animus, & tamen non omnia facit voluntas quę intellectus percipit: ita velle & posse in essentia Dei idem sunt, licet quæ potest omnia actu & opere non præstet. De cœlo cœlique sphæris nihil dico præter hoc vnum, ꝙ Deus infinitum locũ & spatium non postulet: nam in hoc cernitur esse Deus, ꝙ licet sit infinitus, totus tamen in puncto inesse & comprehendi potest. Solium ergo tam spatiosum non requirit, nullum enim spatium (quamuis sit ipso infinito infinitus) illum continere potest, continetur tamen in infinito, hoc est in seipso qui mundum vt pilam sua dextra tenet. Religiose de Deo, & vt decet loqueris, quem actu vnum, immensum, infinitum esse confiteris. Miramur ergo cur directius aliis argumentis, de æternitate mundi, & infinitis animis iam actu subsistentibus non respondeas. Si paruus ille libellus de mundo sit tuus, in eo aliud aperte dicis, mundumque & omnia in eo opera à Deo in initio temporis creata fuisse plane agnoscis: quam opinionem si nobiscum opido teneres, in tot absurditates præceps non incurreres, neque opus iam esset vt diceres, non esse huius loci de Deo, de anima disputare, inficiasque ire numerum animarum ab ęterno non esse ens rei, nec in quantitate contineri.

Velle & posse quomodo idem in æternis.

Voluntas & intellectus in essentia animæ vnum.

Liber de Mũdo non videtur Aristotelis.

7. Sed relinquemus te contumaciæ tuæ, & persequemur vlterius. Quærimus ergo quid de perpetua & infinita generationis interitusque vicissitudine opinaris? si finitã esse dixeris, ostende exitũ, si finẽ nõ inueneris, agnosce infinitum.

Huc

Huc adde dilemma illud; finitum quod ostendis terminari vel ad finitum, vel ad infinitum; si respondeas ad infinitum, habetur propositum, si dicas ad finitum, hoc etiam finitum terminabitur ad aliud finitum, & illud etiam ad aliud ex natura sua, & sic non desines finitum ad finitũ destinare, donec ad infinitum tandem perueneris. Ad priorem partem argumenti de vicissitudine generationis & interitus respondeo, infinitum esse posse potẽtia & successione. Ad alterã dico in hoc maxime primam caussam haberi infinitam, quod omnia præter seipsam certis limitibus & terminis circumscripserit. sic quamuis sit ipse actu infinitus motor omnium, primum mobile tamen finitum esse voluit, vt nullum opus in essentia, dignitate, & excellentia artifici comparetur; vtque habeatur vnum præexcellens bonum & finis, in quo omnia esse & bene esse, bonum & finem habeant. Quod certe non esset, si multa infinita in rerum natura collucerent cohabitarentque simul. Age, non sic subterfugies, donec coegerimus te concedere, in Olympo naturæ emergere corpus aliquod infinitum. Sic ergo docemus: intellectus sæpe percipit numerum quacunque multitudine data ampliorem, similiterque corpus quacunque mole & magnitudine obiecta maius, imo finitis non clauditur, infinitis gaudet. Quid vltra? non languet si in momento corpora immensa numerosque infinitos concipiat: datur ergo ei illa potestas aut in vsum & finem, aut otiose: si in vsum & finem, habetur propositum, nempe quod sit aliquod obiectum infinitum quod intellectus capiat: si otiose detur, fatendum est Deum & naturam aliquid fecisse frustra. Præterea ipsa phantasia humana, quæ est longe inferior imbecilliorque facultas animi intellectu, imaginari potest actu infinitum spacium extra cœlum esse, quod spacium est vel plenum vel vacuum; si plenũ, sequetur esse aliquod corpus infinitum quo repleatur, si vacuum, sequetur etiam illud vacuum posse corpore aliquo infinito repleri: ꝙ si concedas posse, cõcludimus ex tuis verbis actu repleri; quia in sempiternis (vt ais hoc loco) posse & esse idem sunt: quocunq; ergo te verteris lupum auribus (vt aiũt) tenes. Quid ergo ais? Ad primam partẽ ratiocinationis aio, intellectum vi sua posse apprehendere infinitum, non tamẽ sequi hinc necessario affirmo vt apprehẽdat corpus aliquod,

Infinitum est potentia & successione.

Intellectus vi sua potest apprehendere infinitum.

aut numerum in rerum natura infinitum. Satis est vt secundum spiritualem & incorpoream essentiam suam ad primum motorem (spirituum primum & infinitum) aduolet. Res enim crassas non percipit intellectus, aut si percipiat, easdem vt spiritus per formas & ideas ab omni materia auulsas & separatas percipit. Sic quamuis molem omni magnitudine maiorem, & numerum omni multitudine infinitiorem indefessus nonnunquam percipiat, non ideo sic percipere dicendum est, quia sint res infinitæ actu quæ respondeant, sed quod sit finis rerum vnus infinitus, ad quem præ cęteris omnibus mens humana propria facultate istiusmodi ideis instructa & ornata tendat. Idem de phantasmate vestro & argumento à phantasia ducto respondeo, quod plane fallax est, cum à non concessis vt à concessis disputetis. Quasi vero vnquam sapientum aliquis concederet spacium esse infinitum extra cœlum, quia vaga imaginatio sic esse somniauerit: at vos arguitis, quasi necessario tale esset spatium & chaos, quia somniculosa & incerta phantasia sic esse cogitarit. Nam dicitis hoc spacium esse aut plenum aut vacuum. at priusquam progrediamini, penitus nego tale spatium esse. Ingeniosus sophista es (Aristoteles) nunc tamen hunc sermonem & dialogum concludemus, non quod te victorem putemus, sed vt in hoc capite, ita in aliis sequentibus in quibus nos vrges, vestigiis tuis insistemus, & à tergo (vt aiunt) inhærebimus, donec cristam animi superbi deponas, nobisque patribus & præceptoribus cedas, à quibus nectar ingenii & sapientiæ suxeris.

Vides, docte & studiose lector, quid de oraculo philosophiæ (Aristotelem intelligo) in refutatione sentiam. In sequenti parte istius libri impense sollicitus est, vt magis refutando quam demonstrando infinitum non esse confirmet. Res subiecta nihil est, de non ente litigatur. Argumenta ab aliis extorta non vrgent, temporum iniuria contabuerunt opera ex quibus examinetur veritas quæ supersunt perfecta, produnt Aristot. in refutãdo insidias: anceps ergo interpres est in quos incurrat, quorum vestigiis insistat, quid concludat. Quapropter aliter Arist. refutantem, aliter demonstrãtem exponam. Ordinem nunc vides: si classicum canat aliis, lites obiter in textu fulminib. belli vltro citroq; iactatis exponam,

Arist. refutans quantum differt ab Arist. demonstrante. Hem? quantum mutatus ab illo Hectore?

ponam, si pacem ineat, quæstiones per se (vt antea) limatius discutiam, quibus discussis tabulas exemplares & argumenta addam.

Tabula eorum quæ præcipue in hoc capite continentur.

In hoc capite de infinito demonstrantur

- 1 Causæ cur ad naturalē philosophū spectet de infinito disputare, quæ sunt duæ
  - Prima, quoniam infinitum est quædam affectio
    - Tēporis.
    - Magnitudinis.
    - Motus.
  - Secunda, quoniam omnes veteres philosophi de infinito philosophati sunt.
- 2 Opiniones veterū de infinito, quæ sunt duæ
  - 1 Vna loquentium incongruenter naturæ, sic Pythagorici & Platonici (vt ait) definierunt infinitum esse substantiam per se subsistentem, qui tamen inter se digladiantur; quia in sensibilibus rebus Pythagorici, & extra cœlum, adeoq; etiam in numeris idipsum posuerunt; Platonici vero in ideis sensui non subiectis, non extra cœlum, non in numeris, sed in magno & paruo posuerunt.
  - 2 Alia loquentium physice, minus tamen apposite & vere, vt Anaxagoras, qui infinitum ex similibus corporibus innumeris; Democritus, qui illud ex atomis indiuisibilibus figuratis componi statuit.
- 3 Proprietates infiniti, quæ sūt quatuor
  - 1 Prima vt sit principium; quia nihil est prius infinito.
  - 2 Secunda vt sit ingenitum; quia aliud non habet principium vnde generetur.
  - 3 Tertia vt sit continens, & gubernans omnia; quia primo principio hoc proprium est.
  - 4 Quarta vt sit diuinum; quia est ingenitum, incorruptibile, & sempiternū: obserua (studiose Lector) quid patres isti in philosophia per infinitum intellexerint; aut Deum certe, aut nihil. Sed hinc iudica postea, quomodo Arist. eorum argumenta & sensa laceret.
- 4 Rationes. Vide in seq. pag. sign. C.

C

4 Rationes quibus fretus Aristot. dicit veteres probasse infinitum, quas rationes astu e hic colligit, sed resoluit & refellit in 8. cap. Rationes hæ quinque sunt, quas hoc loco solum attingam, quia in textu explanando accuratius pertractauerim.

- Prima ratio est, qua probant infinitum: quia tempus est infinitũ, vtpote quod nec incipit nec desinit esse.
- Secunda, quoniam magnitudo est diuisibilis semper in partes diuisibiles, cum pars nulla dari possit quin iterum secari possit.
- Tertia, quia perpetua est generandi & corrumpendi vicissitudo, quæ esse non potest si non sit infinitum.
- Quarta, quia omne finitum terminari debet ad aliud finitum, & sic erit progressus tandem necessario ad infinitum.
- Quinta, quia intellectus & facultates animi rationis compotis infinita possunt percipere. at frustra ista potentia daretur animo percipiendi infinita, si infinitum non esset.

5 Significationes infiniti, quæ sunt vel secundum

- 1 *Vulgi* opinionem, vt *spatium inter cœlum* & *terram*, vt *altitudo maris*, & cætera quæ à nobis distincte explanantur.
- 2 Philosophiæ veritatem, vt infinitum dicatur ens illud, cuius de quantitate sumentibus semper aliquid superlit.

Vtrum in natura detur infinitum?

Quoniam sub vexillo Aristot. mihi contra alios philosophos pugnandum est, ne infinities de infinito certanti labor suboriatur, coegi multos armatos veluti in equum Troianum, qui (aduersariis surrepto Palladio) victoriam facilem pollicentur. Non ergo agam vt supra, sed quasi canis ad Nilum percurram singula; sic tamen percurram, vt illa quæ obiter à Philosopho tractantur intacta relinquam. Primum

mum hoc loco quæritur, *An in natura detur infinitum?* Morandum non est; infinitum duobus modis sumitur, vel actu vel potentia; Actu iterum infinitum est duplex, diuinum, quod supra omnem sortem naturæ omnigenam in se perfectionē habet, vt *Deus*: Physicum, quod proprium est vel improprium illud definitur *ens quod actu infinitas partes æquales vni certa, non communicantes inter se, simulque existentes habet*: vt si *Zodiacum in semisses, sextantes, trientes, quadrantes aliasque partes infinitas diuidas.* Hoc describitur ens quoque esse, *quod partes actu comprehendit infinitas, quæ tamen partes inter se ordinem non habent*: vt *infinita multitudo punctorum in linea.* Videmur fortasse obscuri nimium his nouis definitionibus traditis; admitte ergo vulgarem definitionem, in qua dicitur, infinitum *ens esse, cuius de quantitate accipientibus actu, semper actu superest aliquid.* Infinitum potestate illud est, quod *ex infinitis partibus coalescit & constat*, non tamen eodem modo & ordine quo infinitum actu; hoc vero triplex est, nempe successione vt *motus* & *tempus*, diuisione vt *corpus*, adiectione seu appositione, vt *numerus*. Diuisione corp' infinitū dicitur, non quod diminui aut absumi non possit in atomum, si semper in partes quantitatiuas diuidas; sed quia in partes eiusdem proportionis dissectum nunquam clauditur & terminatur. Hac distinctione infiniti iam assignata facillima est quæstionis resolutio, ea scilicet, quod in rerum natura sit infinitum potestate per successionem, diuisionem, & appositionem, non actu per subsistentiam, præter solum Deum, qui infinitum actu principium, diuinum, ingenitum, incommutabile, immensum, & æternum semper creditur, & tenetur esse: non (inquam) est corpus aliquod actu infinitum, ingemino hoc verbum (non est) quia si esset, tum nec motus quo, nec tempus per quod, nec locus in quo moueatur, essent. Omne enim corpus naturale cietur vel motu recto, vt elementum, vel motu sphærico, vt cœlum, vel motu mixto ad placitum, vt animal. At dato & concesso, esse aliquod corpus naturale actu infinitum, sequetur omnem locum ab eodem occupari, ac proinde nequibit motu cieri, quia nihil loci aut spacii ei suppetit, quo vergat, aut in quo moueatur: at si non sit locus in quo moueatur, in

Dub. hui' cap.
Infinitū dupliciter sumitur.
Infinitum actu duplex.
Deus infinitus.
Infinitum physicum duplex.
Vulgaris definitio infiniti.
Infinitū potentia triplex.
Corpus quim finitum diuisione.
Infinitum quomodo in rerum natura?
Motus rectus elementorum, Sphæricus cœli, Mixtus animalium.

quem vſum motus & tempus erunt? Rurſus, extra cœlum ens non eſt, vnde natura infinitum conderet, & ſub ambitu cœli omnia ſunt finita; nullum eſt ergo corpus in rerum natura actu infinitum. Præterea quicquid in rerum natura exiſtit, aut eſt materia, quæ habetur potentia, & proinde non actu infinita, vel forma quæ dicitur actus finitæ ſubſtantiæ, vel accidens, quod finito ſubiecto adæquatur: nihil ergo eſt actu in rerum natura infinitum. Non materia, non forma, non compoſita ex vtriuſque ſubſtantia, non accidens vllum, quod ſemper ad modum recipientis receptum naturam finitam, certam, & limitatam habet. Sic nulla quantitas, nulla qualitas, actio nulla aut paſſio infinita actu eſſe poſſunt, quia rebus finitis actu inhærent: nihil ergo Deus & natura actu infinitum fecerunt: imo (vt ſacra philoſophia nos docet) omnia Deus in numero, pondere, & menſura fecit. Hic ſenſus, hic ſtatus eſt quæſtionis (perbenigne lector) addam nunc pauca argumenta, præter ea quæ ſuperius in expoſitione contextus attuli, & tum ſequar in hoc ſtadio Ariſtotelem ludentem pluribus. Sed vt in ſcena aut theatro acta hominum vmbris notantur, mouenturque affectus: ita in hoc ſpeculo in quo apparet infinitum, ingenioſa philoſophorum phantaſmata & argumenta cernuntur, rationibuſque magis animus in veritate (vtraque contradictionis parte perſpecta) confirmatur. Generatim in hoc te præmonendum velim, me ex animo neque infinitum actu nec poteſtate defendere, niſi ex hypotheſi, qua Ariſtot. mundi æternitatem ex ſucceſſione & viciſſitudine rerum eſſe demonſtrauit.

Sententia authoris de infinito.

Opp. *Continuum conceditur infinitum eſſe, quia diuidi poteſt in partes infinitas: ſequitur ergo quod ſit aliquid actu infinitum. Ratio tenet, quia partes actu debẽt eſſe ſimul cum toto, ſi ergo quodlibet continuũ vt totum diuidi poſſit in partes infinitas actu, etiam illæ partes infinitæ vna cum toto neceſſario ſubſiſtent.*

Reſp. *Quidam non indocti reſpondent huic argumento, ab Ariſtotele infinitum paſſionem dici quantitatis, non quod ſit aliqua quantitas infinita; ſed quia, ſi infinitum in rebus phyſicis daretur, id in quantitate eſſet. Sed nodum diſ-*

ſoluimus

soluimus (vt supra) distinguendo de partibus eiusdem mathematicæ proportionis & diuisionis. Verum cum vrgeas simul partes esse cum toto, respondeo esse. sed in continuo propriè partes non sunt, priusquam mathematicè aut physicè, cogitatione aut reipsa diuidantur. Continuum qui diuisibile in infinitum.

Opp. *Motus & tempus sunt passiones corporis naturalis: sed motus & tempus sunt secundum Aristotelem infinita: ergo corpus erit infinitum. Si dicas vera esse hæc omnia quoad potentiam & diuisionem continui in partes infinitas; replico ex illo axiomate dialectico, frustra esse illam potentiam quæ non reducitur tandem ad actum. Si ergo sit in potentia corpus tale, erit etiam aliquando actu tale.*

Resp. *Lis maxima est de continuo, quomodo secundum potentiam diuidatur infinitè, cum totum actu non sit infinitum, partesque cum toto actu non cohæreant. Agnosco rem cognitu valde difficilem, abditam, & obscuram esse; sed facilem reddam, si attendas. Partes in continuo sunt duplices, vel proportionis, vel quantitatis: Iterum partes proportionis considerantur vel collectim, vel diuisim: hac distinctione tradita animaduerte quod in continuo sint partes infinitæ eiusdem proportionis, sed non eiusdem quantitatis; partes infinitas eiusdem proportionis dico, quia quacunque parte data continui. secundum proportionem dari possit minor, quæ alteri parti proportionis respondeat. Hoc docendi caussa mathematicè intellige, at physicè collectim si considerentur partes quantitatis, non ita est, nam si tale daretur corpus infinitum, extensio esset infinita. Ad argumentum ergo respondeo, motum & tempus esse passiones magnitudinis, vt magnitudo secundum potentiam in partes eiusdem proportionis infinitas mathematicè distribuatur; neque est ista potentia frustra, quia sic fieri potest, quamuis actu sit nunquam. Multa enim secundum naturam fieri possunt, quæ tamen actu non fiunt, vt potest mare secundum naturam fluctibus & vndis totam immergere terram, sed nunquam fit, possunt secundum naturam esse plures lunæ, aut soles, sed actu non sic existunt. Est ergo duplex potentia, propinqua (vt ridendi facultas in homine) de qua intelligitur maxima philosophi; remota, quæ vsum suum in natura habet, quantumuis in actum non perducatur.*

Continuum qui ipsum finitum, & in infinitum tamen diuisibile.

Continui sunt partes duplices.

Potentia frustra est quæ nō reducitur ad actum: qui intelligitur.

Potentia duplex.

Oppo. *Transcendentia excluduntur à prædicamentis, quia sunt in essentia actu infinita: ergo est aliquid actu infinitum. Antecedens est Aristot. in Metaphys. vbi docet rem, ens, vnum, bonum, aliquid, actu de infinitis dici.*

Transcendētia qua infinita.

Resp. *Transcendentia dicuntur, causa, non numero & essentia infinita, quia (vt vulgo existimatur) de infinitis rebus dicuntur; non tamen sunt actu res infinita, quoniam res omnes vniuersim & collectim sumpta, certam essentiam & naturam habent natura notam. Neque excluduntur transcendentia à prædicamentis propter infinitatem, sed propter confusam significationem, qua simplex esse deberet si in prædicamentis locum vendicarent.*

Transcendētia cur exclusa à prædicamētis.

CAPVT V.

Vtrum infinitum recte diuidatur?

DIscipulus hoc loco præceptores suos (Pythagoram & Platonem intelligo) acrius insequitur, eosque totis viribus (vt aiunt) à latere contundit, vt ab infinito somnio in quo sepulti erant, ad melius de infinito iudicium auocet. Horum vestigia, gressusque singulos oculatius obseruat: sinuosas vias, latibula, & anfractus leporum disquirit, vertit, reuertit, flectit, reflectit omnia. Dixerunt horum aliqui, infinitum esse *substantiam separatam*, illos refellit: dixerunt alii esse substantiam corpoream, hos etiam configit: alii accidens esse docuerunt, istos non probat. Vt verbo concludā omnia, nullos permittit qui actu admittunt infinitum. Vt (si attendas) articulatim, distincte, & diuisim intelligas, singula membra digito attingam. nam in istis non morabor. Et primum quod infinitum non sit separata substantia sic probat Philosophus, quia omnis substantia incorporea est indiuisibilis: sed infinitum est diuisibile in partes infinitas: ergo infinitum non est incorporea substantia. Maiorem cōfirmat, quia sola magnitudo est diuisibilis: nulla ergo incorporea substantia est infinita. Palum breuitatis mihi proposui, aliter palam hic ostenderem quam insidiose Aristot. agat cum Platone. Plato enim Deum hic intelligit, Aristot Dei nullā hoc loco mentionem facit: Plato de infinito actu, inuisibili, & indiuisibili agit: Aristot. de infinito in potentia secundum

Arist. insequitur Platonē & Pythagorā.

Infinitum non est separata substantia.

Magnitudo sola est diuisibilis.

dum

dum quantitatem diuisibili: Plato infinitam essentiam, non diuiduam secundum magis & minus proponit, Arist. magnitudinem inducit. Sed pergam. Respondebit fortasse aliquis, (vt ait) illam substantiam non per se sed per accidens ratione quantitatis esse diuiduam: sed qui fieri id potest, inquit Arist. cum ipse (Platonem intelligit) substantiam illam separatam nullius diuisionis magis capacē esse asserat, quam vocem visionis: at omnis vox est inuisibilis: indiuisibilis ergo & omnis substantia. Quam auersum & quam peruersum sit hoc refutationis exemplum iudica. Sed curro, quoniam infinitum non esse omnino separatam substātiam sic pergit Aristoteles probare: tum quia infinitū solum in magnitudine, motu, tempore & multitudine cernitur, quorum nullum substantiæ separatæ conuenit, tum quoniam separata substantia diuidi non potest in partes proportionis, aut quantitatis, quod est infiniti proprium. A separata substantia ad corpoream procedit Philosophus, docetque nullum corpus esse infinitum: rationem addit, quia omne corpus est superficie circumscriptum & terminatum. Hinc etiā infert, nullum numerum physice acceptum esse infinitum, quia ordine naturæ nullum numeratum est infinitum. A corpore generatim accepto ad corpus sensibile, id est, ad corpus sensui obiectum accedit, idemque non esse infinitū vrget. Caussa est, quia omne corpus sensibus perceptum est vel simplex vel mistum: sed horum nullum dari potest: ergo corpus sensile non est infinitum. Minorem probat exemplis elementorum, quæ sunt simplicia, & exemplis quoque mixtorum, quæ æquabiliter & adæquate ex elementorum temperie, coalescunt: quod non fieret, si vel hæc vel illa essent infinita. *Corpus nullum est infinitum.*

Quæ enim ęqualitas, quę temperies, ordo, distinctio aut adæquatio inter finita & infinita esse potest? Alia ratio quæ probat corpus nullum sensibile esse infinitum est, quia omne tale corpus est vel homogeneum seu similare, vel heterogeneum & dissimilare: at neque corpus homogeneū, neque heterogeneum est infinitum: ergo nullum. Deinceps hoc ipsum concludit, quia omne corpus sensibus obnoxium est leue vel graue, si leue sursum, si graue deorsum ad cętrum mouetur: at in infinito nec sursum, nec deorsum, nec mediū

est: ergo nullum corpus sensibus obnoxium est infinitum. Postremo omne corpus sensile est in loco: sed omnis locus est finitus: ergo omne corpus sensile est finitum. Quod locus sit finitus constat ex sex differentiis loci, sursum (scilicet) deorsum, dextra, sinistra, ante & retro, quæ semper distinguũt finitas partes loci, & etiã partes corporis loco circumscripti: quippe loci partes partibus corporis contenti adæquantur. Hæc summa est eorum quæ à philosopho in hoc capite dicuntur, præter solam anticipationem obiectionis, de infinita virtute alicuius corporis (puta solis) quam inter philosophos aliqui putarunt esse non posse in corpore, nisi idipsum corpus in quo est etiam infinitum esset, sed talem virtutem actu in aliquo corpore inesse aut eminere negat Aristoteles.

Loci differẽtia.

Distinctio omnium in hoc quinto capite, & in vltima parte prioris capitis, quam aliquot Interpretes huic capiti annectunt.

In posteriore parte prioris capitis huic à nouellis adiuncta, multa digna obseruatione continentur:

- 1 Acceptio multiplex nominis *infiniti*, quæ est vel
  - 1 Negatiua, pro omni eo cuius transitus esse nõ potest, propterea quod naturam aptam non habet vt transeatur. Sic *punctum*, sic *anima*, & quicquid est *expers quantitatis*, & *indiuisibile*, infinitum hoc loco dicitur. Quippe præpositio *in* absolutam hic negationem denotat, vt idem valeat hoc nomen *infinitum*, ac si dicas *non finitum*.
  - 2 Priuatiua, pro eo quod transitũ quidem habet, sed ad eiusdem finem nunquam peruenitur, hoc est, pro eo quod est quantum, terminumque habere natum, cum tamen terminum non habeat. Et hoc modo præpositio *in* non puram negationem, sed priuationem denotat, atque sic nomen infiniti in tota disputatione nostra sumitur, distinguiturque in infinitum actu & potentia.
- 2 Diuisio. Vide pag. seq lit. A
- 3 Mixta. Vide pag. seq lit. B

2 Diuisio

B
3 Mixta, pro eo quod difficile transitum habet, aut propter
- 1 Quantitatem, vt orbis terrarum circuitus dicitur *infinitus*, quia vix aut ne vix quidem transiri potest.
- 2 Qualitatem, vt labyrintus (in quo Athenienses Minotauro obiiciebantur) infinitus dici solet, non quod ita sit, sed quod propter inexplicabilem viarum obliquitatem, vix exitum habeat.

A
2 Diuisio infiniti secũdo modo accepti, in infinitum

Actu quod definitur *ens in opinione, quod nullis terminis comprehensum & definitum, omnes partes simul habets* vel (si mauis) *ens, cuius de quantitate sumentibus, perpetuo aliquid actu sumendum superest.*

Potẽtia, *quod licet terminis suis sit definitũ, secari tamen potest in infinitas partes proportionis*: hinc potentia infinitum est triplex.
- 1 Diuisione, sic omnis magnitudo est infinita, quia quacunque magnitudine data, potest ea in minorem diuidi.
- 2 Additione, sic numerus potest esse infinitus, quia quacunque multitudine data, maior dari potest.
- 3 Successione aut potius vtroque modo (nimirum diuisione & appositione) vt *tempus* & *motus*: quæ vt continua possunt diuidi in infinitum, vt successiua etiam possunt in infinitum excrescere.

- 1 Proportionis, quæ fit cum magnitudo quantulacunque sit, primùm diuiditur in duas partes dimidias, & hæ rursus in alias duas dimidias, & sic deinceps vsque in infinitum: sic enim diuisio nunquam est habitura finem: nam magnitudo nulla constat ex indiuisibili parte, vt 6. Physic. habetur. In hac diuisione, semper retinetur eadem proportio dupla, vel alia, sed non æqualis quantitas: semper enim accipitur minor.

3 Ratio diuidendi cõtinui in partes
- 2 Aequalis quantitatis, quæ fit pari accepta quantitate, sed mutata & aucta proportione, & hac diuisione magnitudo tandem cõsumitur. Verbi gratia, si à magnitudine 10. *cubitorum* subducatur *vnus*, & hinc alius, & deinceps alter, & tádem alius, fieri demum non potest, quin tota magnitudo euanescat. Est ergo infinitũ continuum, secundum partes proportionis, non autem secundũ partes quantitatis.

4 Cõfirmatio varia, qua probat philosophus infinitũ actu non esse vel
- Substantiam, nam si esset substantia, tũ esset vel
  - Incorporea, seu separata: at ꝙ ita non sit, probatur
    - 1 Ab indiuisibili essentia separatæ substantiæ, quæ simplex actus sẽper subsistẽs, diuidi non potest: at infinitũ diuidi quidẽ debet.
    - 2 Ab impossibili, quia fieri non potest vt magnitudo & multitudo conueniant separatæ substãtiæ: sed infinitũ est propria affectio magnitudinis & multitudinis, vt habetur supra.
    - 3 A sensibili, quia si substantia separata esset infinita, esset diuisibilis secundum quantitatem aut qualitatem. si vero sit diuisibilis secũdum quantitatem aut qualitatẽ, erit quoque sensibilis, quod in separata substãtia concedere erit perabsurdum.
  - Corporea. Vide signũ A.
- Accidens. Vide in seq. pag. signum B

A Corporea, quæ est vel simplex, vt *elementū* aut *cælum*, vel mixta, eademque perfecta, vt *homo*, imperfecta vt *halo*: sed quod talis nulla sit infinita, proxime in secundo membro de accidente aperte docetur.

B Accidens, quod consideratur vel

Per se, & sic probatur, quod non sit infinitum: quoniam si infinitas conueniat accidenti, necesse est vt sit in multitudine vel magnitudine. sed nulla multitudo est infinita, cum sit numerabilis, nullaque magnitudo, cum sit superficie clausa & terminabilis: non est ergo infinitum accidens.

Cōparate, vt idem faciat numero cū subiecto, scilicet corpore: at probatur corp⁹ nullum esse actu infinitum, quia omne corpus est vel

1 Simplex, vt *ignis, aer, aqua, terra, cælum*: sed hæc omnia & singula, numero, loco, natura, magnitudine, vi, & virtute finita definiuntur: simplex ergo corpus nō est actu infinitum.

2 Mixtum, vt *animal, homo*, omnisque corporea substantia quantitate vestita, quæ actu infinita non potest esse, quia partes certas numero, natura, & mensura distinctas habet. Et hoc etiam 3 ex.

1 Homogeneum, seu similare, id est, partium similium, 2 vel heterogeneum seu dissimilare, id est, partium dissimilium, quæ nomina & proprietates tum simplicibus multis, tum etiam compositis & mixtis competunt: sed hæc actu non possunt esse infinita: ergo nulla corpora possunt esse infinita. Assumptio probatur, quia si hæc essent infinita, vel semper quiescerent, vel semper mouerentur propter infinitam distantiam loci, vel denique ex infinitis partibus constarent, quæ omnia sunt à ratione aliena. Hoc ipsum probat philosophus à qualitatibus corporum, nempe *leuitate* & *grauitate*, quibus apta redduntur ad motum: à situ & differentiis loci, quibus eorum motus distinguuntur, & à loco ipso quo circumscribuntur.

Quæ omnia cum sint certa, finita, & distincta corpora, nulla actu infinita esse concludit.

Quæstiones collectæ ex capite quinto.

An { *Infinitum sit substantia per se subsistens?*
Sit infinitum in Mathematicis & separatis substantiis?
Sit corpus aliquod actu infinitum?
Sit aliquid reali potentia infinitum? }

SI cerebrosos Aristotelis Interpretes de infinito sequerer, infinitos de infinito scrupulos mouerē, quibus optima & feracissima ingenia, malleolis vanissime de lana caprina decertantium contusa, defatigarem. Textu ergo enucleato, velocius curram, ipsamque abyssum infinitatis non aperiam: nam aperta facile claudi & obserari non potest, & qui in eandem incidunt, vestigia retrorsum rarissime inueniūt. *Appetitus sciendi tanquam leo.* Appetitus enim sciendi veluti leo est, qui intellectum ab abysso in abyssum rapit, donec omnem spem reuertendi ab antro curiosæ scientiæ, vel potius ignorantiæ sustulerit. Cęterum ne ex tanta segete nulla omnino, aut saltem infœcūda messis fiat, spicas aliquot grauidas, fructusque selectos colligam, id est, quæstiones & dubia illa proponam, in quibus aliquid commodi legētibus emergat. Quæ dubia non longiore contextu orationis, sed breui rationis conflictu, (paucis propositis in vtramque partem argumentis) tractabo. Hoc modo (vt modo insinuaui) nunc facio, ne de infinito agens, nulla re vera subiecta materia, muscas capere & aucupari videar. Sed rem aggredior.

Quæst. 1. Quid ais Aristoteles? *Estne infinitum substantia per se subsistens*? Scio te negaturum. Quid ergo de Deo respondes, qui est infinita substantia, & per se simpliciter subsistens? *Deus infinitus.* Respondeo non esse huius loci de illo disputare, & si esset, negarem Deum esse in substantia, cum extra omnes naturæ palos limitesque per se subsistat. Admitto responsum, sed quid ais de anima mundi, cuius virtus est actu infinita? hanc animam non negabis esse substātiam per se subsistentem: infinitam autem probo, quia (secundum tuam ipsius opinionem) mundum mundique partes singulas infinitas ab æterno regit. Idem vrges argumentū, agnosco Deū

esse infinitum, animamq; mundi nihil aliud quam Deum ipsum esse. Quid de solis essentia, motu, influētia existimas? videtur esse substantia per se subsistens infinita, cū infinitam influentiam, infinitum motum, infinitū lumen habeat: semper enim actu influit, semper mouetur, semper lucet. Imo, si sempiternus sit mundus (vt ais) nullaque sit in cœlo motus, luminis, & influentiæ mutatio (vt etiam affirmas, quid impedit quo minus concludam, solem infinitam esse substantiam, cui infinita accidentia nulli mutationi aut alterationi obnoxia in sempiternum insint? Toto cœlo erras cum de sole disputes, quippe omnia in eo sunt finita, infinita nulla. Nulla inquis infinita? Æternus Sol ipse fuit: at æternitas res infinita est: ergo Sol ipse infinitus. Fallax est hoc argumentū, nam in eo mutatur suppositio. Minime, tempus enim in cœlo ęternitas est, partesque succedētes non habet. Prius.n. & posterius, præteritum & futurū in æternis subiectis (qualia sunt Sol & cœlum) non sunt: quippe hæc partium vicissitudo res caducas (quarū edax est tēpus) respicit. Si ergo Sol sit æternus æternitate infinitus est, imo actu infinitus, quia æternitas æternum præsens est, successionisq; vices non admittit. Si agnoscam errorem de æternitate mundi,) vt in lib. de Mundo agnoui) tota hæc controuersia dirimetur: at sum Arist. & facile errorem susceptum desero & depono. Dico igitur solem cœlumque esse corpora æterna, motusq; sortiri sempiternos: hinc tamen non sequi esse per se infinita, sed ratione temporis, quod concedo. Nam per se sunt corpora & magnitudines definitæ; successione tēporis factæ æternę, & diuisiōe partiū infinitę, nō actu sed potētia, vt hic defēdo. *Deus anima mundi.* *Omnia in sole sunt finita.* *Sol & cœlum qui corpora æterna?*

Age, relicta hac quæstione quid de secunda existimas? Idipsum existimo quod in textu modo existimaui, nimirum hanc quæstionem de mathematicis & separatis substantiis ad hoc institutum nō pertinere. Itane? quomodo ergo continuum tuum infinitum esse defendis? Certum est nullum continuum habere partes physicas infinitas: nam ipse doces omnia corpora ad maximum & minimū terminari. Et quis est tam peruersus in contradicendi studio, qui granum milii, aut atomum in myriadas partium re diuidi posse somniaret? Si ergo sit infinitum continuum (vt doces:) in mathematicis partibus & separatis, non in physicis ponendum *Quæst. 2.*

esse puto. Parum intelligenter quæ dicta sunt de partibus eiusdem proportionis & quantitatis antea percepisti. Dico iterum physice in illis, non in his esse infinitum : infinitum (dico) potentia non actu: potentia dico, vt quacunque magnitudine data, dari possit minor: non minorem dico dari posse secundum partes proportionis, at proportione nō obseruata, infinitum non defendo, sed (vt infers) omnia ad minimum & maximum definiri & realiter terminari volo. Si hoc sit verum quod dicis (scilicet mathematicum infinitum non intelligi) cur punctum principium continuæ quantitatis indiuisibile in hoc capite infinitum ponis. Inter significata infiniti pono, vt nomen hoc *infinitum* multiplex & æquiuocum habetur. Similiterque spacium inter ortum & occasum solis, marisque profunditatem res infinitas appello, non quod ita sint, sed quod vulgo sic videantur esse.

Quæst. 3.

Pergamus ad alteram quæstionem, *Vtrū corpus aliquod sit actu infinitum.* Quid (quæso) ais de cœlo, quod videtur esse actu infinitum, quia illius motus est infinitus? motus enim infinitus præsupponit mobile infinitum. Præterea (vt ipse fateris) est cœlum infinitum potentia, ergo etiam aliquando actu: quia potentia est via ad actum, & vt via nō est quæ non ad scopum: ita potentia non est quæ non ad actum tendit, cum potentia & actus sint relata. Postremo, licet motus cœli sit successiuus & numerosus respectu nostri: vnus tamen est & æternus, in quo nec numerus, nec successio est respectu cœli: actu ergo infinitum cœlū videtur esse, in quo vt in æterno, esse & posse habentur idem. Triplex hic funiculus est, & tamen facile dissoluitur: ad primam igitur rationem respondeo, motum cœli successione, & cœlū ipsum diuisione esse infinitū, sed hoc non probat actu aliquod corpus infinitum esse. Ad alteram rationem dico, potētiam remotam non esse frustra, quæ non reducitur ad actum. Tota enim terra moueri potest aptitudine naturæ suæ, quia quælibet illius pars ad centrum moueri potest, at nunquā (vt vides) actu mouetur. Ad postremam denique respondeo, æternum aliquid esse duobus modis, vel simpliciter secundū absolutam essentiam suam, vt Deus, quem primum motorem primamque caussam actu infinitam appello: vel comparate secundum assistentiam aut influētiam primæ caussæ, vt cœlum;

Cœlum qui infinitum.

Æternum dupliciter sumitur.

lum:tenet illa ratio tua in absolute æternis,quæ immutabilem omnino naturam habent,non autem in æternis per dependentiam (vt aiunt)quæ ex mutabili materia constant:ex mutabili materia dico,non quod actu mutetur vnquã,quia est diuina illa forma qua ornatur cœlum,& quia nullum est inferius agens quod vim cœlo inferre possit , sed quoniam respectu primi motoris altiorisque diuinæ essentiæ , naturam mutationi obnoxiam & subiectam habet.

Non est immorandum in istis. Quid ais de vltima quæstione, *Vtrum sit aliquid reali potentia infinitum?* Eo sum animo vt esse putem tale infinitum, quale perpetua successio temporum,cõtinua vicissitudo motuum, infinita multiplicatio vnitatum, interminabilis diuisio continuarum quãtitatum manifeste docent. Sed attende, hæc omnia falsum fundamentum habent, quo cõcusso totum ædificium ruit: intelligo fictam æternitatem mundi, quo vno absurdo dato sequũtur mille. Si ergo sic aliquis ex teipso in lib. de Mũdo)si agnoscas opus)si ex 1. Politicorum (quod opus amplecteris)si ex 11.12.13. Metaph. (quod volumen vt numẽ philosophiæ nos tecum admiramur) si quis,inquam, sic disputet, Deus fecit mundum : iterum in initio mundi homines sine lege more belluarum vagabantur ; iterum , certum est omnia tempore finiri , solum Deum mensurari æternitate : dic(quæso) quomodo hoc loco tempus infinitum quod incepit cum mundo , quomodo motum infinitum quod incepit cum re subiecta , quomodo multitudinem infinitam, quæ rei actu finitæ inest , defendis actu aut potentia infinitum esse? Iugulum tuum tuo ipsius gladio nũc ferocius peto. Si hæc sint actu aut potentia infinita, tum non inceperũt esse,nec vmquam tempore consenescent:at inceperunt,sicut ipse senex & sapiens in præclaris illis monumentis religiose confiteris. Quid ais? quid respondes Aristoteles? vrget veritas & ex teipso loquitur , melius est iuuenilem frontem erubescere quam mentem senilem labe peruersitatis aspergi & conspurcari. Scripsisti in æstu ingeniosæ iuuẽtutis(quæ laudis est auida)hos libros Physicorum,in quibus de falsa æternite mundi somniasti. Credo equidem,non quod sic putares , sed quod alii lauro philosophiæ & sapientiæ donati

Quæst. 4.

Aristoteles senex & sapiens negauit æternitatem mundi.

contrarium dixerint. Verumenimuero volumina Politicorum & Metaphysicorum (oracula & miracula ingenii sapientiæque tuæ) scripsisti senex, scripsisti sapiens, nō laudis aut gloriæ, sed veritatis amans. In his cum illis vehementer cōspiras, & veritatem de principio mundi, temporis & motus, omnium in mundo rerum defendis. Quod si defendas, vere dicam quod sentio, istam de infinito siue actu siue potentia contentionem contradicendi studio susceptam, vanam, inutilem, & otiosam esse puto. At si doctus & studiosus lector hic vrgeat, me bonas horas male collocare, dum sequar in hac contentione philosophum: respondeo me tamen idcirco mereri veniam, quod agam vt medici solent, qui non solum herbas salutares diligenter quærunt, sed etiam definiūt toxicas & venenosas, ne virus pro salubri medicina capiatur. Abscissis ergo capite & cauda viperæ, id est, superfluis tricis huius controuersiæ, vt medici mithridaticam antidotum ex carne viperina: ita nos ex hac lite & controuersia vsum quæremus.

Opp.

Peruertis ordinem distinguendi & opponendi, quem solebas obseruare: oratorem agis nō philosophum, confundis non instruis auditorem.

Resp.

Ordinem non peruerto, sed de non ente agens pressius aduersarium vrgeo: ergo philosophum, non oratorem ago. At siue philosophum siue oratorem ago, auditorem instruo non confundo: quia confusa distinguo, distincta definio, definita pro virili demonstrationibus concludo.

Opp. *In vltima cōclusione modo illata videris dissilire ab Aristotele, quasi diceres omnino nō esse infinitū potētia, quod ipse in hoc libro sæpe & pertinaciter esse defendit. Sed ne lex interpretum prima violetur, nempe* non licere cuilibet interpreti à suo authore quem exponit dissidere, *paucis respōde obiectioni, quam vltimo in loco contra infinitum potentia attulisti.*

Interpretū officium.

Resp. *Interpres sum, & libenter dissilire à Principe philosophorum nolo: cæterum non sum ita iuratus illi in schola philosophiæ, vt omnia verba Arist. credā esse oracula veritatis;*

homo

homo enim fuit, & errare potuit, ut de aeternitate mundi (in qua fundatus est totus error de infinito) oppido errauit. Veruntamen quoniam tam humaniter hoc postulas, ut respondeam, morem geram voluntati tuae, & dico esse infinitum aliquid potentia realiter in rerum natura, secundum partes proportionis, in quibus dari non potest atomus aut punctum indiuisibile: sed proportione obseruata semper in potẽtia pars aliqua eminet, quae iterum in partes proportionis diuidi quidem potest: & quod ad exempla attinet, dico motũ caeli neq; per extensionem mobilis, neque per extẽsionem spatii, sed per reiterationem multiplicem mobilis finiti, infinitum dici. Dico caelum (ut corpus continuum) partes infinitas proportionis continere: dico tempus esse mensuram caelestis motus, non aeternitatem, tempus dico secundum partes successiuas, cũ non uno impetu caelum ab ortu ad occasum, ab occasu ad ortum, a meridie ad septentrionem, & ex aduerso in puncto temporis aut in praesenti moueatur. Totum (inquam) tempus non est praesens in caelo, nam illius partes secundum prius & posterius voluuntur in gyros, non simul, non in instanti (ut aiunt) quod fieret si tempus in caelo ut in caelo non inhaereret. Caeli motus qui infinitus.

Opp.

Quoniam nunc agitur de infinito, quod actu rebus physicis inesse negas, satisfacias mihi velim quid de puncto, indiuisibili principio & medio continuae quãtitatis cogites, quod Arist. infinitum in enumeratione significatorum appellat. Videtur quidem illud actu infinitum esse, quia actu, lineae quae sunt natura suaq; numero & diuisione (ut hic ostẽdit philosophus) infinitae, ad idem copulantur. Sic ergo ratiocinor, infinitae lineae tam numero quam diuisione a circumferentia totius vniuersi ad centrum & indiuisibile punctum actu copulantur: ergo punctum ipsum est actu infinitum. Antecedens constat, quia in circulo ambituq; totius vniuersi (in quo nec principiũ, nec mediũ, nec finis est) sunt infinitae lineae. Argumentum probatur, quia infinitum in finitum recipi nõ potest. Si ergo lineae ratione numeri & cõtinuitatis sint infinitae, necessum est ut punctum in quo recipiantur sit quoq; infinitũ, ut inter recipiens & receptũ habeatur proportio. Ex aduersa parte (si placet) sic probabiliter disputo. Quicquid recipi

tur, recipitur ad modum recipientis: sed punctum quod recipit lineas ad se deductas ad circumferẽtiam est indiuisibile: ergo lineæ quoque receptæ sunt indiuiduæ, & ex consequente nec actu nec potentia infinitæ.

Resp.

Fulmen hoc biceps est, & in vtramque partem vastat: Sed audi. punctum non vt subiectum, sed vt principium aut medium lineas partesque linearum recipit. Neque est quod cõcedam hoc argumento, infinitas lineas physicas à centro ad circumferentiam duci: mathematica hæc linearum consideratio est, non physica. Vbi vrges receptum recipi ad modum recipiẽtis, intelligitur illud axioma de loco & locato proprie, aut de subiecto & accidente, non de indiuisibili termino quantitatis.

Quicquid recipitur est ad modum recipientis.

Opp.

Vniuersalia physica vt materia, forma: dialectica, vt genus, differentia: metaphysica, vt Deus & intelligentia, æterna sunt: ergo actu infinita. Quidquid enim æternũ est actu, est æternitate infinitum. Antecedens 1. lib. Demonst. constat, vbi Arist. omnia vniuersalia eorumque principia sempiterna esse astruit.

Resp.

Vniuersalia æterna quidem sunt obiecta intellectus, non tamen infinita: vt hoc loco nomẽ infiniti *sumitur pro re quãtitate prædita & vestita, quæ in partes infinitas proportionis diuiditur & secatur.*

Vniuersalia quomodo æterna.

CAPVT VI.

Vtrum infinito potentia posito, sequatur non esse plures partes in cœlo quam grano milii? non esse plures horas, dies aut menses in tempore quam annos & secula?

VLtro citroque opinionibus veterum philosophorũ de infinito discussis, ascẽdit Aristoteles quasi in suggestũ, ex quo vt iudex & arbiter lites componit, nec non definit qd sentiendum, quid concludendum sit. Ac cum reipsa actuque infinitatem in rerum natura cohærere non posse ostenderit; nunc statuit & demonstrat, id solum infinitum à philosophis

ſophis admitti debere, quod diuiſione & facultate infinitas partes proportionis habet. Radicitus enim & omnino extirpari infinitum contra naturam, rationem, & veritatem eſt (vt ait:) quia tollere infinitatem eſſet tempori perennem ſucceſſionem, magnitudini diuiſionem, numero multiplicationem, contra tum philoſophorum, tum mathematicorum dogmata, penitus negamus. Cæterum vt accuratius quid ſit infinitum poteſtate intelligas, diſtinguit aliquid eſſe poteſtate duobus modis, vel vt reducatur perfecte ad actum, ſicut æs ad ſtatuam: vel vt incomplete, partim poteſtate, partim in actu cōſtet, ſicut dies, annus, & Agon, id eſt, Olympicus ludus, quorum pars vna ſemper aut aliam ſequitur, aut ſaltem totum de integro renouatur. Fuit enim Agō poſt hominum memoriam certamen in Olympo celebratum, cuius omnes partes non erant ſimul, ſed vna poſt aliam ad delectationem populi agebatur. Et hoc modo infinitum eſt (vt hic docet philoſophus) ex demonſtratione & exemplo numeri per multiplicationem, magnitudinis per diminutionem & accretionem: motus & temporis per ſucceſſionem, qualitatum primarum & ſecundarum per intēſionem, magis & minus: quæ omnia & ſingula in poteſtate partes infinitas proportionis ſortiuntur: partes proportionis dico, (vt ſupra) non quantitatis. In his (inquam) demonſtrat infinitatem, maxime vero in tribus, nempe in tempore, hominum ortu, & magnitudine. In tempore, in quo hora, dies, menſes (vt aiunt) occurrunt: in hominum ortu, quia homines ſinguli, alii poſt alios: in magnitudine, quia partes aliæ etiam poſt alias ſemper occurrunt. In hoc tamen diſcrimen eſt, quod partes in magnitudine à nobis captæ permaneāt: partes vero in ortu hominum & tempore intereant. Hinc Homerus hominum generationem arborum foliis aſſimilauit. *Tale* (inquit) *eſt genus hominum, quale eſt foliorum*: quaſi diceret, vt folia oriuntur & cadunt, ita homines: atque vt horum, ita & illorum eſt viciſſitudo. Poſtremo, oſtendit philoſophus quomodo partes magnitudinum ſint infinitæ: diuiſio enim & amplificatio magnitudinum quouiſmodo accepta in infinitum non abit, ſed vt ſuperius probatum eſt, ſecundū partes proportionis non quātitatis. Quippe partes magnitudinum ſunt vel æquales & certæ quan-

Infinitū quae in rerum natura.

Infinitum poteſtate quid.

Duplicater ſumitur.

Agon quid.

Lib. 6. Iliad.

titatis, vel inæquales & incertę quantitatis, quarum hæ eiusdem rationis & proportionis vocantur, adeoque dicuntur infinitæ: non quod tam minutæ exiguæque partes, quæ in isto diuisionis genere occurrunt, vere in rerum natura constent. (id enim 1. lib. cap. 4. negatur) sed quod istiusmodi partes (quantumuis admodum exiles) ipsa ratio in diuidendo respiciat & persequatur: id quod satis est, cum hanc solam ob caussam rationis aut proportionis eædem partes cognominentur. Nihil superest in textu huius capitis explicandum, nisi refutatio Platonis, qui, (vt hic ait Philosophus) male de infinito potestate sensit. Quippe eodem modo infinitatem in magnitudinibus, tum per diuisionem, tum per appositionem seu aggregationem inexhaustam inesse docuit, quod est falsum. Nam si eadem esset ratio, sequeretur per aggregationem aliquod corpus esse ipso cœlo capacius, quod est à ratione & veritate alienum: vt illud quoque quod videtur defendere, nimirum in numero non esse infinitum per additionem, quoniam vltra denarium non est numerus, nisi eiusdem speciei: cum illis qui sub denarii ambitu & complexu continentur. Hactenus de textu, in quo (studiose lector) vides industriam meam: sententiam autem si requiras, eadem est quæ fuit: fallax & arenosum esse fundamentum, ex quo emergit hoc Babel Aristotelis. Tolle enim æternitatem mundi quam somniat, totum hoc de infinito phantasma euanescet. Ingeniosa tamen hæc acies, dialecticorum armis & telis instructa, aciem artis & ingenii probat. Nam vt pictor qui affabre & artificiose chaos & tenebras, in quibus nihil est, potest delineare, limatius accuratiusque imagines rerum pinget, luceque colorum ex eadem mole & tenebrarum caligine emergentes apparere faciet: ita Philosophus, qui acute & ingeniose de non ente (ac si reuera esset) disputare potest, (sicut hic de infinito Aristoteles,) multo subtilius veritatem rerum ex oppositione falsitatis persequetur. Disce ergo ex vtraque parte de infinito, de vacuo, de æternitate mundi disputare; & quamuis vmbras & atomos solum in his capias, inuenies tamen sub vmbris corpus, sub atomis lumen & radios veritatis.

Quales sunt partes proportionis.

Arist. statuebat mundum æternum esse.

Hæc opinio in multa absurda eum detrusit de infinito disputantem.

Sed accedo ad quæstionem: Vtrum posito infinito actu aut

aut potentia, non sint plures partes in cœlo, quam in grano milii? non plures dies aut horæ in tempore, quam anni & secula? Eruditus & subtilis ille doctor Scotus hoc dubiũ mouet, sed nodos aliquot in eodem non dissoluit. Agam paucis vt possum. Si infinitum actu ex hypothesi ponatur, credo equidem non esse vel partium in magnitudine, vel dierum, mensium, aut annorum in æternitate distinctionem vllam: si vero infinitum potestate (quod hoc loco ponit Philosophus) consideretur, & in magnitudine, & in tempore haberi & assignari potest aliqua partium distinctio successioque. Quod in infinito actu aut æternitate nõ sit partiũ aut temporũ distinctio, hinc liquet, quia infinito nihil maius si magnitudinem: infinito nihil diuturnius, si æternitatẽ spectes. Non est ergo vlla discriminatio inter partes infinitas magnitudinis, & infinitum totum: non inter diem aut horam infinitam duratione, & totam æternitatem. Ratio est, quia actu simul sunt omnia in magnitudine, actu simul omnia sunt in æternitate, non est successio, non est distinctio, non est præteriti aut futuri vlla omnino differẽtia: sed omnia, vt in magnitudine æqualia, ita in æternitate præsentia: præteritum nihil, nihil futurũ. Sic proprie nõ licet dicere, primam caussam Deumque fuisse, aut futurum sed semper esse, quia æternitate (in qua partes temporis non sunt) mensuratur. Infinitum enim actu simpliciter & absolute integrũ & totum est, partesq; magnas aut paruas in mole successiuas, aut motiuas in æternitate non habet. Paruitas enim & magnitudo in corpore relata sunt, & dicuntur comparatione alterius corporis, quod minus aut maius existit: at cũ corpore infinito actu (si tale fingatur) quæ potest esse comparatio alterius, nisi duo simul infinita ponas? Imo hoc posito, quod sint partes partibus maiores aut minores in infinito, quod est actu, ostẽde, quæ pars alia sit infinitior quantitate: quod certe contingere necesse est, si vna maior altera in infinitate esset.

In infinito actu, non est partium distinctio vel successio.

In æternitate non sunt partes temporis.

Paruitas & magnitudo dicuntur in comparatione alterius.

Nam quid est hoc ipsum *maius esse* in infinitate, quam aliquid actu (vt ita loquar) infinitius ipsa infinitate, aut perennius æternitate cohærere? Non sunt partes ergo in infinito, quod est actu, neque partium à toto vlla distinctio.

Si enim tale ſit(quod eſſe nego)eſt illud totum,continuum,& contiguum ſine vlla terminorum aut partium diſcriminatione: nam addo hoc vnum, ſi vel animo fingas, eſſe partes in infinito, neceſſe eſt, fatearis, eaſdem infinitas eſſe omnes & ſingulas,aliter infinitum quod fingis non eſt infinitum. Si autem ſint infinitæ partes, quæ poteſt aſſignari diſtinctio, vt alia magis, alia minus infinita dicatur, niſi iſtud totum diſſoluas infinitum? Concludo igitur hanc partem hypotheticam de infinito,quod eſt actu, tot eſſe partes in grano milii, quot in cœlo, tot eſſe horas, dies, & menſes, quot annos in tempore,ſi actu infinitum aut in magnitudine, aut in duratione ineſſe ſomnies. Hoc dico, non quod non poſſim diſtinguere granum à cœlo, horam ab æternitate,ſed ex hypotheſi,ſi id quod fieri non poteſt, ac ſi eſſet in rerum natura ponas: nam ex impoſſibili (vt aiunt Philoſophi)ſequitur quodlibet.

Ex impoſſibili ſequitur quodlibet.

Hucuſque de infinito actu: nunc pauca de infinito potētia, quod eſt ens(vt docet Philoſophus)cuius de partibus aliquid ſumentibus, ſemper aliquid in poteſtate ſumendum relinquitur. Hoc infinitum reuera & natura ſua eſt finitum, quod in quantitate conſideratum, ſecundum partes proportionis in infinitum diuidi & ſecari poteſt. Quippe dari nō poteſt tam exilis & exigua pars in proportione, quin eadem iterū mathematice in alias partes diuidi poſſit. Hoc infinitum ſi conſideres, & in magnitudine, & in tempore partes diſtinctas facile inuenies.Et quamuis quodlibet infinitum infinite diuidi & ſecari poſſit (vt docet philoſophus:) dicendum tamen eſt, ſi infinitum potentia ſpectes, plures partes eſſe in cœlo, quam in grano milii, plureſque horas, dies,& menſes eſſe in tempore,quam annos & ſecula. Ratio eſt,quoniam in corpore, quod eſt infinitum ſolum in potētia,adeoque in tempore, quod tale eſt ſucceſſione, infinitas non ſimpliciter & phyſice ſecundum partes quantitatis, ſed comparate & mathematice ſecundum partes proportionis ſolum exiſtit. Cum ergo hoc infinitum ratione non re, potentia non actu,intentione non veritate,mathematica proportione non quantitate ſit infinitum,neceſſe eſt,vt partes, partiumque ordinem, ſitum,numerum & comparationem habeat: ſed partes, partiumque ordo, ſitus, numerus & com-

Huius Lib. c. 7.

comparatio relationem & distinctionem arguunt, qua res definitæ à rebus differunt & separantur. Quoniam ergo nõ est idem ordo cœli & grani, non idem situs, non idem partium numerus & comparatio (quamuis vtrumque infinitum potentia existens secundum partes geometricæ proportionis, infinite diuidi quidem possit (realis tamen est & manifesta vtriusque in hisce omnibus distinctio. At (dices) numero infinito dari non potest maior aut minor numerus: sed est infinitus numerus partium in grano milii: ergo maior numerus dari non potest in cœlo. Vt satisfaciam huic obiectioni, memineris id quod antea dictum fuit de infinito potẽtia, nempe illud esse actu finitum: infinitum autem solum dici proportione mathematica, non naturali diuisione quantitatis, quæ consideratio infiniti actu subsistẽtis dari non potest.

Quippe si tale sit, prorsus indiuisibile est in partes, vt in Deo cõstat, qui simpliciter & absolute in se est infinitus, diuisionemque nullam essentiæ omnino patitur. Totus enim est, & vbique totus, ens præsens est, & vbique præsens subsistens semper, & numquam deficiẽs, tempore æternus, vnus, simplex, infinitus Deus: at sic non est in corpore, motu, aut tempore, quæ infinita solum potentia dicuntur: hæc enim sortiuntur partes, partiumque ordinem & distinctionẽ. Vt ergo in horologio minores circuli sæpius vertuntur quam maiores, quibus semel circumgyratis integra hora absoluitur: ita in motu cœli citius spacium horarum, mensiũ, annorum, quam ætatum perficitur. Non sunt ergo tot mẽses, quot horæ, non tot anni, quot menses, non tot ætates, quot anni in infinito potentia: quia sæpius citiusue transfiguntur partes, paucique gradus Zodiaci, quam totum cœlum, cuius conuersio ab occasu ad ortum solis annum Platonicum efficit, qui ex multis millibus seculorũ & ætatum cõstat. Quod de motu cœli maiore aut minore dico, idipsum de stadio magnitudinis maioris aut minoris dicendum esse puto, in quo partes secundum magis & minus distribui & secari possunt.

Deus nullam patitur diuisionem essentiæ.

Vt ergo Sol & sidus aliquod minoris magnitudinis, sunt illa quidem infinita lumine, quia ab æterno potentia lucent (si Aristoteli credamus) & tamen secundum motus multi-

plices cœli, vires vtriusque variæ distinctæ à nobis cognoscuntur: ita corpus maius & minus (vt cœlum & granum milii) sunt illa quidem infinita diuisione: & tamen secundum multiplicem considerationem, vtriusque partes directe in globo magnitudinis discernuntur. Et vt sunt plures radii solis quam sideris, pluresque atomi in illius quam huius radiis: ita sunt plures partes maioris corporis quam minoris, pluresq. in partibus illius quam huius diuisiones, si realem & physicam quãtitatem, non intellectualem & mathematicam proportionem spectes.

Habes (studiose lector) nodosam hanc dubitatiunculam resolutam, in qua (si diligenter attenderis) reperies scintillas veritatis, flammulas relinquo tibi, quibus accensus altius ad verissimum infinitum mecum conuoles, vt infinitum actu & potentia adoremus: actu & potentia dico infinitum, quia esse & posse idem in Deo sunt, in quo non potest esse vlla contradictio: quamuis de eo solum dicatur, quod *vbique sit, & nusquam sit*. O rem admirabilem! infinitum Numen (quod cœli non capiunt) animula mea & tua totum in essentia continetur. O bone Deus! sic semper mecum habita, daque hoc vnum mihi, quod semper petam, vt *inhabitem in domo tua omnibus diebus vita mea*. Infinitus es, & tectum meum angustum tanta maiestate indignum est. At opus manuum tuarum sum, me atomum ne contemnas. O me infinite miserum si deseras, beatum si conserues! O Deus, Deus meus! redeat, redeat (inquam) ad te infinitum spiritus quem in me creasti non moriturum: si me meamque salutem ames, studiose lector, vnum hoc verbum addas dum spirem:

Deus vbique & nusquam.

SALVVS FIAT.

Distinctio

Distinctio quæstionum Capitis sexti.

- Explicãtur in hoc capite
  - 1 Rationes
    - Affirmantes infinitum esse potẽtia in
      - 1 Tempore, quod nec incipit nec desinit: & proinde est infinitum potentia.
      - 2 Magnitudine, quæ semper est diuisibilis in partes eiusdem proportionis.
      - 3 Motu, qui æquis (vt aiunt) passibus cum tempore currit, partesque successiuas perpetuas habẽt.
      - 4 Numero, quo in perpetuum aucto, dari potest maior.
    - Negantes infinitum esse actu, quia nec est substantia, nec accidẽs, vt antea copiose demonstratum fuit in superiore capite, ad quod lectorem refero.
  - 2 Distinctiones eorum quæ in potẽtia posita reducantur ad actum vel
    - 1 Completum, vt *æs* aut *cuprum* ad *Cæsaris statuam*: & sic nihil est aut esse potest infinitum in rerum natura.
    - 2 Incompletũ, vt *dies*, *mẽsis*, *annus*, quorum partes nũquã simul cohærẽt, sed aliæ alias subsequũtur. & sic est infinitum in rerum natura secundum partes eiusdem proportionis: vt constat in *magnitudine*, *tempore motu*, & *numero*. à quibus si partes proportionis detraxeris, semper aliæ supersunt partes assumendæ.
  - 3 Conclusiones, quarum
    - Prima est, quod infinitum cõueniat magnitudini secundum partes eiusdẽ proportionis vel
      - 1 Detrahẽdo, quia illo modo magnitudo illa est infinita, quo consumi non potest, sed detrahendo partes eiusdem proportionis consumi non potest: ergo eo modo est infinita.
      - 2 Addendo seu apponendo partes eiusdem proportionis. Ratio est, quoniam quod ab vna magnitudine aufertur, alteri adiungi potest. sed infinitę partes eiusdem proportiõis detrahi possũt: ergo infinitæ quoque partes adiici & apponi possunt.

Secunda contra Platonem aliosque philosophos, qui actu posuerũt infinitũ, tum per additionẽ, tum per subductionẽ partiũ, quod probat absurdum & alienum esse à ratione.

Quia tum in magnitudine, motu, numero, & tempore nulla esset partium distinctio, nulla varietas, nulla proportio, dimẽsioque nulla. Quippe sic in *tempore* tot *secula*, quot *horæ*, in *motu*, tot *circuli* quot *grad*⁹, in *numero* tot *myriades* quot *vnitates*, in *parua magnitudine grani*, *tot partes* quot in *immensa magnitudine cæli* existerent. Quid enim interest, inter infinitas *horas* & infinitas *ætates*? Quid inter infinitos *gradus* & infinitos *circulos*? certe nihil, si actu vtrumque infinitum ponas. At si infinitum potentia consideres, in hisce omnibus distinctionem, varietatem, ordinem & proportionem ipsarum partium perspicias.

Argumentum contra quæstionem. Vtrum infinito potẽtiæ in rerum natura posito, sequatur tot esse partes proportionis in grano milii, quot in cœlo, pluresque non esse horas, dies, aut menses in tempore, quam ætates & secula?

Opp.

Positæ infinitæ magnitudine potentia, vt Arist. ponit, necesse est eandem continuam esse: & idcirco diuisibilem in infinitas partes. Sit illa magnitudo (exempli caussa) cælum, aut granum milii: *non sunt ergo plures partes in cælo, quam in grano milii; cum vtrumque partes infinitas habeat. Quippe si plures in cælo quam in grano posueris, (quandoquidem hoc & illud infinite secundum partes proportionis diuidatur) aliquid infinito infinitius impulsus confiteris.*

Resp.

Vrges quod est vrgendum, sed parum attendis quo sensu aliquid potentia infinitum esse, Arist. defenderit. Hoc aliquid reuera actu physico finitum est, certisque & definitis partibus insignitum: veruntamen mathematica proportione adhibita & obseruata, infinitas partium emergit secundum eandem proportionem: non autem secundum physicã quantitatem.

titatem. At si hic obiicias, non esse proportionem sine quantitate: respondeo id verum esse, si physice vtrumque simul consideres: at si mathematice proportionem perpẽdas, vt Astrologi puncta, lineas, circulos in cælo: & quantitatem physice, vt naturales philosophi eandem in subiecto: aliter res se habet. Quia demonstrandi caussa realem quantitatem Physici: Mathematici vero (vt ita loquar) mentalem quantitatem delineant. Illa diuidendo consumitur, hæc secundum partes proportionis semper & infinite manet, siue in magno vt in cœlo, *siue in paruo & exili corpore, vt in* grano *consideretur.*

Quantitatem realem physici: mentalem mathematici delineant.

Opp.

Miror quid sibi velit Aristoteles, cũ doceat plures horas, dies, menses aut annos esse in tempore, quam ætates & secula. cum ipsum tempus totum infinitum esse defendat. Hoc enim posito, (esse nimirum tempus infinitum potentia) quod potest esse discrimen inter horas infinitas, & infinita sæcula? cum infinito nihil infinitius esse possit.

In infinito potentia plures sunt horæ in tẽpore, quam sæcula.

Resp.

Quamuis à falsa suppositione Aristoteles disputet: nempe ab æternitate mundi, hoc tamen posito, nimirum tempus esse infinitum potentia, plures sunt horæ, dies, menses, & anni in eo, quam ætates & sæcula, multiplici respectu. Primum quia 1
facilius numerantur secula quam horæ, tum quoniam velo- 2
cius cælum conficit stadium horæ quam spacium sæculi: hinc 3
etiam, quia minutiores hæ partes temporis ad instãs seu præsens (in quo præteritum & futurum vniuntur) propius accedunt: postremo, quoniam tempus sic est infinitum, vt cælum 4
subiectum suum, cuius motum mẽsurat: at cælum physice finitum est, solumque mathematice infinitum, secundum partes proportionis: mathematice ergo tempus infinitum secundum partes successionis, quæ partes plures sunt, quam totum si numerum: non plures, si substantiam spectes: quippe nihil aliud est totum quam omnes partes sui. Cæterum vt sunt plures partes lineæ, vnumque punctum quo constringuntur: ita sunt plures partes temporis, quod totum (vt ita loquar) vnum numerosum habetur.

Cælum subiectum temporis. Cælum physice finitum est.

Opp.

Videris nugari, cum Arist. in textu hanc quæstionem non

moueat: nullam enim de cœlo aut grano milii mentionem facit. Praeterea in infinito non sunt partes omnino: ergo frustra de partibus instituuntur argumenta. Antecedens probatur, quia infinitum est, quod non habet maximum & minimum: at quod diuiditur in partes habere debet maximum & minimum: ergo infinitum non habet partes. Maior constat ex primo Physic. vbi docet omnia terminari ad maximum & minimum.

Resp.

Nugas non ago: nam licet Philosophus expressis verbis non moueat quaestionem: interpretes tamen non inepte eliciunt eam, praesertim cum ipse dicat, omnem magnitudinem, omneque tempus & motum diuidi posse in infinitas partes. Verum cum dicas infinitum non habere partes, idque probes, quoniam in eo non sit maximum & minimum: respondeo illam propositionem philosophi intelligi debere de naturalibus rebus finitis solum, de quibus illic disputatur: res enim naturales omnes terminantur ad maximum & minimum, suasque partes habent. Sic etiam entia physica mathematice considerata, hoc est, quae potentia non actu infinita dicuntur.

CAPVT VII.

Vtrum { *Intellectus humanus propriis suis viribus possit infinitum cognoscere?*
Infinitum rationem potius materiae & partis, quam actus & totius habeat?
A mēte diuina successiue intelligi possit infinitū? }

HVius capitis tres sunt partes, infiniti definitio, proprietatum quarūdam assignatio, infiniti in magnitudine, motu, tempore, & numero distinctio. Definitio bipartita est, vna veterum quam refellit, altera propria, quam defendit Philosophus. Definitio veterum philosophorum est, vt infinitum ens illud dicatur, extra quod nihil est: sed haec definitio (vt ait) non est bona, quia toti & perfecto non minus quam infinito conuenit: nihil enim perfectionis toti & per-

Infiniti definitio secundum antiquos.

fecto

fecto deest aut desideratur. Altera definitio quam tradit, est vt infinitũ sit ens illud, cuius quantitatem sumentib. aliquid semper extra relinquitur: quam definitionẽ probat esse veram exemplo annuli sine pala, quo vsi sunt antiqui philosophi, quem idcirco infinitum docuerunt esse, quia in eodem circũuoluto aliquid semper extra assumi posse videtur. Quã quam in hoc vtique fallãtur (vt ait) veteres, q̄ in reuolutione annuli sæpe ad idẽ reuertimur, q̄ in infinito neutiquam contingit. Sequitur in textu proprietatum assignatio. Prima proprietas infiniti est, vt potius materiæ (quæ est ens in potentia) quam formæ, quæ est actus, assimiletur. Secunda, vt potius contineatur ab omnib. quã omnia in se suoq; amplexu contineat. Sed hic iniuste Parmenidem, Melissum & Platonem tractat, qui infiniti actu subsistẽtis proprium esse dixerunt, omnia suo ambitu & imperio cõtinere & regere. Per infinitum intellexerunt, vt ante docuimus, Deũ. Tertia proprietas est, q̄ infinitũ sit ignotũ, siquidẽ est interminatum, & proinde, inquit Philosophus, continere non potest omnia (vt somniauit Plato) nisi velit incertũ & ignotũ aliquid suas ideas continere. Lege (quæso perhumane lector) Platonẽ de infinito, & vide quem vulneret Arist. Quarta proprietas est peruersa, nempe infinitum habere potius rationem partis, quam totius: rationem addit, quia (vt superius dictum fuit) assimilatur materiæ: sed reuera hoc ideo dicit, vt cõtradicat aliis philosophis docentibus id esse totũ, omniaq; in se continere. Postrema est, q̄ nec sensui nec mẽti obiecta in se cõprehendat: quia perabsurdum est (vt ait) ignotum, quale est infinitum, omnia cõprehendere. Distinctio infiniti in numero & magnitudine sic se habet. Eodem, inquit, modo infinitas in vtroque non continetur: nam in magnitudine inest ratione decretionis & diminutionis: in numero autem ratione amplificationis. Quippe in magnitudine non licet procedere in infinitum per appositionem: in multitudine vero non licet progredi in infinitum per diuisionem: nam vltra vnitatem non est vlla formalis enumeratio. Postremo, cum ratione continuitatis infinitum non minus sit in tẽpore & motu, quam in ipsis magnitudinibus, verbo ostendit Philosophus in fine huius capitis, quo modo & ordine hisce omnibus insit. Primum, inquit, est in magnitudine, tum in

Infinitum quid secundum Aristotelem.

1 *Infiniti proprietates.* 2

3 *Infinitum ignotum. Li. 1. Phy. ca. 4. & Lib. 1. Post. ca. 20.*

4

5 *Infiniti ratio diuersa in numero & magnitudine.*

Infinitum apparet primum in continuo

Huius lib. ca. 1. motu, qui magnitudini accidit, & postremo in tempore, quod
Tempus quid. est ipsius motus debita mensura: est enim tempus numerus motus ex cœli solisque vertigine ductus, secundum prius & posterius, cuius partes ad instans copulantur. Sed hæc de textu. Mouetur nunc quæstio vna vel altera, nimirum, *Vtrum intellectus humanus propriis suis viribus possit infinitum cognoscere?* vt tertia proprietas in textu insinuat, in qua dicitur *infinitum esse penitus ignotum:* & iterum ex quarta proprietate, *Vtrum infinitum potius rationem materiæ & partis, quam actus & totius retineat?* Postremo, *Vtrum infinitum à mente diuina sub ratione successionis cognoscatur?* Has (inquam) quæstiones ordine paucissimis demonstrabo: & primum de prima.

Quæst. 1. Non defuerunt olim philosophi, qui tantum diuinitatis & luminis menti humanæ attribuerent, vt existimarēt posse mentem humanam à caligine ignorātiæ purgatissimam Deum actum infinitum in sua immensa essentia intelligere. Sed hic error immanis est, quod mens imbecilla in corpore tam immunis reddatur: imo condemnatur penitus hæc falsa opinio tam humanæ quam diuinę philosophię testimoniis.

Nam quomodo finita potentia animi (qualis mens est) potest actu infinitum intelligere, si rationem? quis vnquam
Exod. 33. 20. Deum vidit, & viuit, si oraculum veritatis spectes? Quippe
Lib. 8. phy. c. 2. non à priore possunt caussæ primaque principia percipi &
Exod. 33. 23. demonstrari, vt docet philosophus, nedum caussarum prima Deus. Posteriora Dei vidit Moses, id est, effecta non ipsam substantiam Dei, vt docent Theologi. Sed de hoc infinito iam non mouetur quæstio, de infinitis potius extensione & multitudine disseritur, ad quæ cætera omnia infinita reducuntur. Quid multis? intellectus humanus propria vi & virtute nullum infinitum actu aut potentia, statu aut successione, extensione aut multitudine potest percipere. Testimo-
Humanus intellectus non percipit infinitum. nia Aristotelis vberiora sunt de hac re, & frequentiora in 4. capite huius libri, & in præsenti loco, & in lib. 2. Metaph. ca. 2. & in lib. 3. Rhetor. cap. 8. vbi docet infinitum ignotum esse. Sed ab authoritate non disputo, rationes & argumenta vrgeo.

Primum erit à dispari proportione hoc modo. Nulla est inter

inter infinitum & intellectum proportio? ergo infinitum ab intellectu percipi non potest. Antecedens constat, quoniam intellectus est finita potentia animi, infinitum autem nullis terminis aut septis continetur. Ratio probatur, quia vt receptum recipitur ad modum recipientis: ita infinitum intelligitur ad modum intelligentis: cum ergo mẽs quæ intelligit sit finita, infinitum vt infinitum capere aut apprehendere non poterit. Altera ratio est ab experientia, quę docet intellectum humanum intentum pluribus rebus percipiendis valde hebescere, resque singulas studio quasi nimio defatigatum minus perfecte & accurate cognoscere. Nam quamuis mens hominis sit infinitæ cognitionis auida, illius tamen vires dum est in corpore contabescunt: senexq; decrepitus, quantumuis olim sapiens, ignoratione rerum repuerascit. Canicies enim capitis non semper aciem mentis parit. Infinitũ ergo quod nullum circulum, nullam circumferentiam, nullum cẽtrum, aut lineas magnitudinis, multitudinis, successionis, corpore, numero, tempore, aut motu habet, nulla certa & definita facultatula animi perspici & demonstrari potest. Tertium argumentum ab inductione pendet, quia infinitum nec actu nec potentia, idemque nec magnitudine, nec multitudine, nec motu, nec tempore cognosci potest: ergo nullum infinitum cognoscitur. De infinito actu scilicet de Deo constat, quia inaccessibilem lucem inhabitat. De infinito etiam potentia constat, quoniam intellectus incepit tempore: partes ergo totius magnitudinis, numeri, temporis, & motus ab æterno non percepit. Huc addo argumentum 4. ab authoritate philosophi 2. Metaphysicorum cap. 1. vbi docet mentem humanam seu intellectum se habere ad cognitionem, vt oculos noctuæ ad solem, rarissime enim caussas rerum perspicimus, nedum infinitum, in quo nihil certi, nihil definiti inest, nullumq; medium quo demõstratio mater scientiæ fiat. Quinta ratio verisimilis est, à maiore ducta, quia si id quod magis videtur conuenire, non conueniat, id quod minus videtur conuenire, non conueniet: sed magis videtur conuenire intelligentiæ cœlesti, vt infinitum percipiat, quam intellectui humano corporis mole presso & præpedito: Intelligentia autem seu spiritus cœlestis infinitum nec actu nec potentia

1 Infiniti ad finitum nulla est ratio. Lib. 1. de Cælo. T. 52.

2

Occ. lib. 4. de Fin.

3

4 Li. 2. Met. c. 1.

5

Intelligentia non percipit infinitum.

ſimul intelligit: ergo multo minus intellectus humanus. Quod intelligentiæ infinitum non percipiant, hinc cõſtat, quia ſunt finitæ naturæ, ſolumque definite per ſpecies intelligunt: per ſpecies dico, non vt homo cum diſcurſu, ſed per ſpecies quas de præſenti obiectas continuo percipiunt. Non enim eſt rerum cognitio vniuerſalis & infinita, ex habitu naturæ, quamuis aliquo modo vniuerſalia & infinita intelligant, ſcilicet per reflexum & influentiã à prima cauſſa, quã (vt docet Philoſophus) intuentes orbes ſuos mouent, muniaque præſtant ſine omni moleſtia & defatigatione. Vltima ratio eſt à ſimili, quia vt homo in profundiſſimo antro terræ defoſſæ poſitus & conſtitutus ſub meridiem ſtellas, nõ ſolem infinitæ virtutis videt. ita intellectus caligine corporis circumfuſus, & veluti in ergaſtulo eiuſdem conſtrictus, radios quoſdam infiniti, non ipſum infinitum actu aut potentia cernit.

Lib. 12. Meta. ca 8.

6 *Sen. epi. 71.*

Quæſt. 2. Infinitum potius materiæ quam formæ rationem habet.

Altera quæſtio, *Vtrum infinitum rationem potius materiæ, potentiæ, & partis, quam formæ, actus, & totius habeat?* facile diſſoluitur in fine huius capitis, vbi docet Philoſophus infinitum habere rationem materiæ, quia vt in materia inſunt potentia & priuatio: ita in infinito. Percurram breuiter ſingula. Infinitum eſt in potentia: ergo non eſt forma, aut formæ ſimile & affine: quippe forma actus eſt, remque cui ineſt eſſentialiter diſtinguit: pari modo non eſt actus, quia partes ſimul exiſtentes non habet: non denique eſt totum, quia non eſt completum, non eſt completum, quia ſemper de infinito accipientibus plura ſemper obuia ſunt accipienda: at in toto & perfecto ſic ſe res non habet: quoniam nihil ad totius eſſentiam completam addi: nihil detrahi poteſt. Infinitum ergo rationem habet potius materię quam formę, quia eſt in potentia: rationem potentiæ quam actus, quia partes ſimul nõ habet: potius rationem partis quam totius, quia eidem ſemper aliquid vel addi per multiplicationẽ, vel detrahi per diuiſionem poteſt. Comparatio hæc inter infinitum & materiam litem non magnam habet, quippe omnes fere philoſophi materiam illam primã (quam hoc loco intelligit Ariſt.) potentia infinitã, vel potius infinitam potentiam ipſam definierunt eſſe. Cæterum ſi in altera parte huius quæſtionis (verum ſcilicet infinitum magis rationem

Materia prima infinita potẽtia.

parti-

partis quam totius habeat?) pulsum Philosophi sentias, vix æqualem, imo plane disparem, & inæqualem esse percipies. Nam si magis parti quam toti assimiletur infinitum, quorsum toties infinitum *totum* nominat? quorsum definit ens infinitum illud esse, cuius de partibus accipientibus aliæ restant partes semper accipiendæ? quorsum denique illud semper diuisibile esse in partes infinitas tot verbis conclusit? Sed obiter hæc, vt digito demonstrem, contra quem hic calcitret Philosophus: contra præceptorem suum Platonem, qui infinitum totum, diuinum, & perfectum esse docuit. Magis pars est inquit Arist. quid ita? quia similius est materiæ quã composito Redde rationem, quia materia est in potentia, vt partes infiniti. Vide quam inique agas cum præceptore tuo: is infinitum actu, tu infinitum potentia, is Deum solum, tu aliud (nescio quid) continuum intelligis. Sed attende hic, erudite lector, me nihil præceptori meo Aristoteli detrahere, nihil Platoni: nam vterque id quod est verum docẽt. Infinitum enim actu rationem totius, infinitum potẽtia rationem partis habet. Quippe infinitum actu totum cõpletum est, cui nec addi nec detrahi quicquam potest. Infinitum autem potentia semper veluti in fluxu & motu suas partes tenet: Recte igitur materiæ, recte potentiæ, recte parti potius quam toti comparatur.

Infinitum actu habet rationem totius.
Infinitum potentia rationẽ partis.
Quæst. 5.

Vltima quæstio est, *Vtrum infinitum à mente diuina successiue cognosci possit?* Curiosa ingenia in hoc opere penitus diffugio: aliter ex tertia infiniti proprietate ab Aristotele tradita (in qua docetur infinitũ nec fieri nec cognosci posse) cum quibusdam Interpretibus, nimium scrupulosas quæstiones mouerem. Verbi caussa, Vtrum Deus ipse sit ens infinitum actu? An aliquid fecerit infinitum præter seipsum? Iterum, An aliquid facere possit actu vel potentia infinitum? An multa infinita posita simul intelligat? An denique actu vel successiue cognoscat infinita? Nominatim attingo has solum quæstiones, minus apposite hic meo iudicio motas, nimis superciliose discussas: confusas vero & definitas nimis superstitiose. Nam negatur posse Deum infinitum facere, negatur posse singula infinita, si essent simul, cognoscere. Omitto (inquam) hæc omnia, vt minus textui & sententiæ Aristotelis accommodata. Nam licet in textu dicat, omne-

infinitum esse incognitum: ignaram tamen mentẽ diuinam esse(quantumuis Ethnicus)non concludit.

Omissis istis accedo ad eam quæ in manibus est quæstionem, *Vtrum infinitum nullum successiue à mente diuina cognoscatur*? Vt aperiamus quid hoc loco statuendum sit, pauca sunt prælibanda. Primum ergo intelligi debet, infinitum acceptum iri duobus modis, vel formaliter pro negatione, vel materialiter pro re infinita, vt puta pro numero infinito, aut infinito magnitudine, motu, vel tempore. Infiniti sic materialiter accepti duplex est cognitio, confusa seu generalis, cum quis animo vniuersale comprehendat, nõ singularia sub eodem, vel distincta, vt si quis partes infiniti enucleate percipiat. Hæc vero cognitio (distincta scilicet) est vel successiua, cum vna pars post aliam cognoscatur, vel constans & intuitiua, cum simul totum & partes omnes intelligantur. His positis, non mouetur quæstio de infinito formaliter sumpto (eo namque modo infinitum à quouis intelligi quidẽ potest) neque de infinito materialiter sumpto, si confuse consideretur (quoniam id quoque à mortalibus facile apprehenditur) sed de infinito distincte intelligendo, siue in se, siue in alio, idque vel simul vel successiue. Dico igitur à mente diuina, omne infinitum cognosci, imo cognosci perfectissime, nullam partem infiniti ab eadem ignorari. Ratio est, quia mens ipsa diuina est, & in essendo & cognoscendo & efficiendo simpliciter infinita. In essendo, ergo potest

Infinitum dupliciter sumitur.

Infinitum distincte cognoscitur à mente diuina.

1 efficere non tot (vt aiunt philosophi) sed plura, id est, infinita: sed essentiam dare non potest infinitis nisi eadem intelligat: ergo à maiore, si in essendo sit infinita, quod est maius, in cognoscendo erit infinita, quod est minus. Præterea,

2 quorsum infinita vis cognoscendi attribuitur à Philosophis menti diuinæ, si infinita non possit simpliciter apprehendere?

Iterum hoc quæro, quorsum dicatur mens diuina actus purissim⁹, & (vt ita loquar) infinitissimus, si actu millies millena millia infinita non comprehendat. Vanissime ergo hallucinati sunt illi philosophi (contra quos D. Augustinus lib. 12. cap. 18. de Ciuitate Dei disputat) vanissime, inquam, hallucinati sunt, qui dixerũt infinitum in Dei cognitionem non posse cadere: circuitionibus multis vtuntur, vt probent hoc

hoc ipſum, ſed in tali circuitu impii & ſcelerati ambulant, qui Dei cognitionem imbecilla mente humana metiuntur. Sed hic labor, hoc opus eſt, vt probetur infinitum à Deo cognoſci non poſſe ſucceſſiue. Non ero multus, vna vel altera ratio ſufficiet.

Infinitum non cognoſcitur à mente diuina ſucceſſiue.

Omnia neganda ſunt Deo quæ contradictionem eſſentiæ, ignorantiam, imperfectionem, aut mutationem arguunt: ſed ſucceſſiue à mente diuina infinitum cognoſci hæc omnia arguunt: ergo infinitum à mente diuina ſucceſſiue intelligi non poteſt. Maior nō opus habet probatione. Deus enim eſt ordinis, eſſentiæ, ſapientiæ, perfectionis, non contradictionis, non negationis, non ignorantiæ Deus. Minor probatur, quoniam qui ſucceſſiue cognoſcit partim eſt in actu, partim in potentia: in actu ratione eorū quæ iam percipit, in potentia reſpectu eorum quæ ſubinde percipiet: at diuinus intellectus (cum ſit puriſſimus actus) nequit eſſe in potentia ad aliquid de nouo percipiendum, niſi contradictionem in Deo (ſcilicet ſcire & non ſcire) mutationemque & imperfectionem ſcientiæ & ignorantiæ ponas, quā mutationem & imperfectionem ſucceſſiua cognitio infiniti arguit, cum in ea vna pars poſt aliam diſcuſſiue non intuitiue intelligatur.

Quis ergo modus eſt in mente diuina ſciendi infinita? Reſpondeo, modum eſſe ſine modo, actum ſimplicem ſine potentia, intuitum præſentem ſine diſcurſu, per ſe & vi ſua non per ſpecies congenitas aut impreſſas rerum. Sic intuetur non ſolum omnia quæ fecit. ſed quæ facturus eſt in ſempiternum: imo ipſa cogitata arcana ſpirituum animarumque humanarum ei præſentia ſunt: imo etiam quæ nō ſunt, ac ſi eſſent, ex propria eſſentia ſine omni ſui mutatione nouit.

Deus quomodo percipit infinitum.

Sine omni ſui mutatione, quia Deus eſt in quem (vt docet philoſophus) nullum accidens, nulla affectio, nulla mutatio cadit, ſemper vnus, ſemper idem, infinitus ſemper, infinita infinities, actu, ſemperque intelligens, quia ſe ipſum infinito infinitiorem ſemper percipit & comprehēdit. Quid addam? ſi Deus præterita & futura vt præſentia nouit, eadem vel vt infinita, vel vt finita nouit. Si vt infinita, habetur propoſitum: ſi vt finita, neceſſe eſt, vt ſint gradus & progreſ-

ſus in cognitione Dei, quod eſt manifeſte abſurdum. Cognoſcit ergo Deus infinitum actu & potentia, vt vnum obiectum præſens non ſucceſſiue vt homo, cuius caliginoſa eſt cognitio rerum.

Ob. *Sol.* Si vrgeas hoc loco ſpiritus ſeu intelligentias ſeparatas Deum intueri, & in eo infinita: reſpondeo videre quidem Deum, & in Deo infinita, ſed non eodem modo quo Deus ſeipſum & infinita intelligit. Deus enim ſimplici & propria eſſentia percipit omnia, ſpiritus autem non per eſſentiam (quæ eſt finita) ſed per influentiam, non per habitum naturæ, ſed per reflexum ab æterno ſpeculo deitatis infinita apprehendunt. O ſpeculum diuinæ maieſtatis! infinite beatus eſt qui te intuetur. Vnum es, & tamen numeroſe infinitum, infiniteque vnum. Infinitum, quia omnia in te ſunt, & conſpiciuntur, vnum quia ſimpliciſſima ſubſtantia es, diuidique non potes in partes. At (dices) ſi Deus cognoſcat quodlibet infinitum, vtique eiuſdem infiniti partes cognoſceret: at partes cuiuſlibet infiniti cognoſcere non poteſt: ergo quodlibet infinitum non cognoſcit. Minorem nego, qui illam probas? Hinc probo, quia partes continui (quod eſt infinitum) non percipit. Ratio eſt, quoniam partes continui ſunt in infinitum potentia diuiſibiles, quæ actu ſimul intelligi non poſſunt. Efficax hoc argumentum eſſet, ſi de mente humana nō de diuina diſputares: ſed nunc meminiſſe oportet quodlibet receptum recipi ad modum recipientis: infinitum ergo potentia in mente diuina infinitum actu eſt, omneſque eiuſdem partes ſimul. Partes enim infiniti in intellectum Dei, vt infinitæ lineæ in vnum centrum cadunt: in quo non multæ, ſed vnitæ quaſi vnum fiant: numeroſe tamen vnum ſi circumferentiam rerum, infinite vnum ſi Deum centrum & cauſſam ſpectes.

Deus numeroſe infinitum, & infinite vnum.

Diſtinctio

Distinctio quaestionum septimi capitis.

Summa huius capitis posita est in

Definitione infiniti, quae est duplex:

1 Vna veterum, vt sit ens, cuius nihil est extra, sed hanc reiicit Arist. quia non solum infinito, sed toti & perfecto conuenit.

2 Altera propria, vt sit ens cuius quantitatem accipientibus aliquid semper restat accipiendum. Sed de istis definitionibus supra satis dictum est, nunc ergo longiorem earum tractationem omitto.

Assignatione proprietatũ, quas Arist. infinito secũdum suam ipsius opinionem & sententiã ascribit, hę vero sunt 5, quarum

1 Prima est, infinitum habere potius rationem materiae quam compositi, quia est vt materia semper in potentia.

2 Secunda, infinitum complexu suo non continere omnia (vt Parmenides & Melissus docuerunt) sed contineri vt materiam cui assimilatur.

3 Tertia, infinitum vt est infinitum esse per se ignotũ, ex qua proprietate eliciuntur multae apud interpretes nimis curiosę quaestiones.

4 Quarta, infinitum magis habere rationem partis, quam totius, ratio est, quia habet rationẽ materiae & potentiae, quae sunt partes, non totius, vt antea dictum fuit.

5 Quinta, infinitum non continere sensibilia & intelligibilia, humana & diuina. Ratio est, quia absurdum videtur esse, vt ignotum & interminatũ omnia in se comprehendat, maxime vero ea quae limites naturae transcendunt. Hinc etiam à quibusdam nimis cerebrosae agitantur quaestiones, in quibus discutiendis nimis altum sapiunt.

Positione quarundam conclusionum, quae in explicatione textus manifeste patent.

1 Ab essentia intellectus quae est finita, & proinde non potest apprehendere infinitum.

2 A potentia & virtute eiusdem quę etiam est finita, ergo in infinitum non potest penetrare.

Expositione trium quæstionũ quarum

Prima est, *Vtrum intellectus humanus propria vi possit infinitum cognoscere*: hæc quæstio negatiue tenetur, & probatur

3 Ab authoritate philosophi, quæ docet multis in locis infinitũ esse rem penitus incognitam, & intellectum esse caliginosum, vt oculum noctuæ ad solem.

4 A signo, quia rerum finitarum studio persæpe intellectus lãguescit & delirat.

5 Ab inductione, seu exemplis, quia intellectus neque infinitum actu, neque infinitum potentia percipit.

6 A maiore, quia spiritus immunis à corporis mole non intelligit infinita: ergo multo minus intellectus humanus.

7 A similitudine hominis in profundo latibulo positi, qui sub meridiem nõ solem sed stellas, quasi media nocte videt: & sic intellectus, dum est in corpore infiniti partes, non ipsum infinitum cognoscit.

Secunda, *vtrum infinitum potius rationem materiæ & partis, quam actus & totius habeat?* tenetur hæc quæstio affirmatiue, & probatur

1 A definitione totius, quod est quiddam perfectũ & completum cui nihil addi aut detrahi potest: sed infinito semper aliquid addi aut detrahi potest: ergo rationem totius non habet.

2 A proportione, quã habet cum materia prima, cui idcirco assimilatur in textu, qã est semper pars & in potẽtia. & est infinitũ quiddam incompletum. vt *dies* & *Agon*, id est, certamen, cuius vna pars aliam sequitur.

Tertia, *Vtrum infinitum à mente diuina intelligi possit successiuè?* tenetur negatiue, quia successiua cognitio arguit in Deo,

1 Contradictionem,
2 Negationem,
3 Ignorantiam,
4 Mutationem,
5 Imperfectionem: quæ nullo modo in mentẽ diuinam cadunt.

Argumenta

Argumenta contra definitionem infiniti in textu.

Opp. *Nihil definiri potest, quod esse suum in potentia habeat: ergo infinitum quod in sola potentia est (vt hic docet Philosophus) definiri non potest. Antecedens probatur, quia quod est in potentia incertam & indefinitam essentiam habet. Praeterea nihil nisi species alicuius generis definiri potest: at infinitum sub nullo genere aut categoria vniuoce contineri potest.*

Resp. *Vera hac omnia sunt, si exactam & absolutam definitionem intelligas: at hic definitionem solum nominis non rei quaerimus. Verum si vrgeas infinitum potentia (quod hic definitur,) rem esse: respondeo rem esse incompletam, quae simplicem & absolutam definitionem non admittit. Vel (si placet) dico rem esse mathematice, non physice & absolute acceptam.* *Infinitum quo modo res.*

Opp. *Omnia sunt in rerum natura finita: ergo quantitas nulla est aut esse potest, de qua sumētibus semper aliquid supersit accipiendum. Antecedens probatur, quia natura in omnibus certas formas, certas proprietates, affectiones, & fines habet. Argumentum tenet, quia data infinita partium diuisione aut appositione, nullus erit terminus sub quo natura circumscripta maneat.*

Resp. *Omnia sunt certa, finita, & terminata in rerum natura quoad actum suum & formam: non tamen sic sunt quoad potentiam: multa sunt enim in rerum natura entia successiua: quorum vis tota in potentia consistit, & haec per diuisionem partium in proportione, aut per adiectionē partium in quantitate possunt in infinitum deduci, vt antea demonstratum est.* *Omnia sunt terminata in natura.*

Argumenta contra primam quaestionem, Vtrum intellectus humanus propriis viribus possit infinitum cognoscere?

Opp. *Potest intellectus definire infinitum: ergo potest infinitum cognoscere. Ratio tenet, quia perfecta semper cognitio à definitione fluit.*

Resp *Duplex est cognitio infiniti, confusa & distincta:* *Infiniti duplex cognitio.*

priori modo intellectus humanus potest infinitum cognoscere: posteriori vero modo, siue actu, siue potentia, ponatur infinitum, mens propriis suis viribus non potest apprehendere. Nihil enim actu infinitum omnesq; illius partes simul intelligit præter Deum, qui seipsum infinito (vt ita loquar) infinitiorem propria vi essentia & æterna sapientia lumine intelligit. Neq; potentia infinitum potest mens apprehendere, cum sit finita virtutis, quæ tenebris occlusa, & studiis defessa, nonnunquam in rebus finitis intelligendis languet.

Opp. *Videtur Arist. concedere intelligentiis spiritibusque separatis facultatẽ intelligendi infinita: non ergo video impedimentum quo minus animus humanus immunis ac liber ab effectionibus possit idipsum percipere. Antecedens probatur ex lib. 12. Metaph. cap. 8. textu 44. vbi vrget intelligentiam quæ sphæram solis circumuoluit, effectricem vim solis comprehendere: sed vis solis (mundi æternitate posita) infinita gignit: spiritus ergo assidens soli, eiusdemq; vim regens, infinita quæ sol gignit necessario intelligit, aliter frustra assidere & præsidere soli in suo lumine, motu & influentia diceretur.*

Intelligentiæ regentes orbes cælestes.

Resp. *Primum dubitatur, an sint tales spiritus affixi & assidentes orbibus cæli: tum hoc posito quod sint, dubium est, an præsint: hinc concesso quod præsint, ambigitur, an distincte sciant omnia, quæ siderum virtute fiant: postremo his omnibus datis, sub iudice tamen lis est, an animus humanus liber & immunis ab affectionibus corporis, eodem modo quo intelligentiæ cælestes, res obiectas percipiat. Sed esto, quoniam Aristot. omnesq; fere antiqui philosophi vno cõsensu tales spiritus esse affirmant, qui pro amplitudine orbium quos vertunt, & pro virtute siderum quibus præsunt proportionem scientiæ habent, vnde primus motor actu infinita virtutis esse dicitur, quia cœlũ vertit infinita virtute præditum, quo dato arguis dæmonem qui solis orbi assidet & assistit, infinitas rerum species infinita virtute solis factas in æternitate mundi scire. Respondeo scire per accidens non per se, ex intuitu & reflexu primæ caussæ, vt modo diximus: vel respondeo potius infinitum per species de præsenti ab illis cognosci. De præsenti dico, quia intuitiue non discursiue, in instanti non successiue, per species à prima caussa reflexas non impres-*

Intelligentiæ qui intelligunt virtutes siderum quæ gubernant.

impressas intelligunt: vel deniq; affirmo ex somnio Aristotelis de aeternitate mundi, hoc argumentum non esse firmum. Mundus enim finitus est, & finitas species solis conuersiones quoad naturam gignunt. Postremo vbi tandem concludis parem esse rationem animi humani affectionibus repurgati, atque est intelligentia, indeque infers posse infinitum intelligere, vt spiritus illi possunt: dico non parem esse rationem, nisi exuuiis naturae depositis ad aeternam suam libertatem aduolent, tum quidem absolute spiritus est, nullis naturae tricis, nullis corporis affectionibus praepeditus.

Mundus finitus est.

Opp.

Motus, tempus, numerus definiuntur & demonstrantur ab intellectu: sed motus, tempus, numerus, sunt infinita: ergo infinita definiuntur & demonstrantur ab intellectu, & per consequens sciuntur: quia definitio est medium, demonstratio instrumentum verae scientiae.

Definitio est medium scientiae.

Resp. *Sciuntur haec quidem confuse non distincte, vt sunt infinita. Si vero replicando obijcias esse species distinctas in quantitate, vereque definiri ac demonstrari, & proinde verissime ab intellectu cognosci: respondeo sic considerata non esse infinita. Vt enim sunt species quantitatis, sunt finita natura pro ratione rerum subiectarum in quibus insunt. Siquidem rebus subiectis deficientibus, haec non sunt physica accidentia, quorum esse est inesse subiectis: sed res subiectae semper finitae sunt, per quas accidentia definiuntur. Sciuntur ergo haec vt definiuntur, definiuntur vt demonstrantur, demonstrantur vt certa & finita (infinitum etenim nullum definitur). Sciuntur ergo vt certa & finita, quia certis & definitis rebus subiectis insint.*

Demonstratio est instrumentum scientiae.

Infinitum non definitur.

Opp.

Opp. *Intellectus immersus hoc mortali corpore nihil intelligit sine phantasia, quae rerum obiectarum multitudine obruta defatigatur (vt Plato in Phaedro scripsit:) at vinculis corporis excussis liber est, & non minus acute perspicit, quam nobilissimus spiritus, qui omnia simul procul dubio percipit, quae vna specie intelligibili repraesentantur sibi: sed omnes numeri, eorumque proportiones vna specie eidem obiiciuntur: simul ergo infinita percipit, nam omnes numeri & eorum proportiones sunt quidem infinita.*

Libr. 3. de A. cap. 3.

Resp. *Mentem humanam corporis pondere & mole liberam spiritum excellentem & diuinum esse agnosco: agnosco etiam non minus acute percipere quam alios spiritus, at hoc nego. spiritus illos cœlestes posse actu infinita simul intelligere. Quod vero vrges de numero, si numerū, speciem quantitatis in subiecto aggregationis positum intelligas, libenter fateor à spiritu tam cœlesti quam humano percipi. At si infinitum numerum transcendentem proponas, penitus nego vi sua posse vel animum vel spiritum finita virtutis id quod est actu infinitum, omnesq; illius partes simul cognoscere: semper tamen excipio illum modum sciendi, quem à speculo prima causa & infinita maiestatis habent, in quo non per se sed aliunde illustrati, & multa, & mira, & infinita vident. Quippe vt homo artificiale speculum millies arte incisum & cælatum intuitus, species in infinitum multiplicatas cernit, quamuis vnum numero speculum semper existat: ita finitus spiritus, animusue humano corpore exutus Deum (in quo omnia sunt) contemplatus, videt quidem infinita: & tamen vnus idemque Deus incommutabiliter in sempiternum manet. Sic intellectus non vi sua vnquam percipit infinitum, ab ergastulo tamen liberatus primam causam, qua est actu ens infinitum, videt.*

Spiritus qui sciunt etiam infinita.

Opp. *Intellectus nec turba rerum obiectarum opprimi, nec excellenti obiecto offendi vt sensus, aut vulnerari potest: imo quo excellentius est obiectum, eo percepto magis perficitur intellectus, vt docet Arist. 3. de Ani. c. 4. Hinc concludo posse intellectum infinitum actu percipere, maxime si sit liber & immunis ab hac Ætna corporis qua degrauatur.*

Lib. 3. de Ani. cap. 4.

Resp. *Quamuis intellectus acies non hebescat, & obtundatur, vt sensus excellenti obiecto: potest tamen esse obiectum quod finitam essentiam & potentiam intellectus superet, quale est infinitum actu: quod infinitum si percipiat, hoc non fit proprio lumine (vt quidam inepte volunt) sed ratione diuini speculi quod intuetur.*

Argumenta contra secundam quæstionem, quæ est, Vtrum infinitum potius rationem partis quam totius subeat?

Opp. *Infinitum habet partes (vt docet frequenter in textu*

textu Arist.) *quippe in partes eiusdem proportionis semper diuiditur: ergo potius rationem totius quam partis subire videtur. Ratio tenet, quia* totum est, quod ex partibus constat.

Resp. *Infinitum dicitur habere partes analogice, non vniuoce & vere. Praeterea, idcirco dicit Philosophus infinitum subire potius rationem partis, quam totius, quia magis assimilatur materiae quae est pars in potentia, quam composito, quod est actu suisq; partibus perfectum.*

Infinitum quo dicitur habere partes.

Opp. *Magnitudo, tempus, numerus, motus, inter infinita ab Aristotele percensentur, & tamen haec omnia veras partes habent, (vt ipse in textu aperte docet:) nam magnitudinis partes in homogeneas & heterogeneas distinguit, partes temporis praeteritum & futurum, prius & posterius nominat, in motu partes successiuas manifeste ponit, in numero partes appositionis infinitas esse constituit. Haec ergo potius rationem totorum quam partium habent. Concludo igitur, quod in istis cernitur potius rationem totius quam partis suscipere.*

Resp. *Haec, quae nominas distincte, accepta in quantitate finita sunt, & potius rationem totius quam partis induunt. Sin vero confuse & infinite capiantur, propter similitudinem quam habent cum materia semper in potentia, rationem potius partis in motu quam totius in actu & statu sortiuntur.*

Opp.

Opp. *Deus est actu ens infinitum: tamen neque est pars, neque totum: ergo est aliquod infinitum quod nullam comparationem partis & totius habet. Antecedens probatur, quod non sit pars, quia pars est imperfectior toto, neq; quicquam ex Deo componitur: non est totum, quia ex nullis partibus constat, cum sit principium simplex & primum omnium: nullam ergo comparationem totius & partis subit.*

Resp. *Saepe in textu Deum mentemque diuinam ab hac physica disceptatione de infinito excipit, non quod non existimet metaphysice esse infinitum, sed quod solum hoc loco physice infinitum actu rerum natura non posse constare demonstraret, quod tamen potentia aliquo modo fatetur esse.*

Argumenta aduersus tertiam quæstionem, Vtrum à mente diuina successiue intelligi possit infinitum?

Opp. *Mens diuina est infinita virtutis: ergo potest infinitum quocunq; modo acceptum intelligere. De antecedente nemo philosophorum dubitat. Argumentum tenet, quoniam infinita virtus intelligendi simpliciter esse non potest, si quicquam illius cognitionem lateat.*

Resp. *Quæstio non est, An mens diuina omne infinitum cognoscat? (nam certum est cognoscere) sed, An cognoscat infinitum potentia eo modo quo homo intelligit, discursiue & successiue scilicet: hunc modum sciendi negamus menti diuinæ, quia arguit sciendi imperfectionem, & subiecti mutationem. Imperfectionem, quia laborem & studium in sciendo postulat: mutationem, quia de nouo partium succedentium cognitio alterationem subiecti infert, quæ in mentem diuinam cadere non possunt, cum omnia infinita eorumq; partes simul in instante perspiciat.*

Opp. *Si infinita in potentia (qualia sunt tempus, motus, & numerus) aliter ac successiue mens diuina intelligat, illa quidem cognoscit aliter ac sunt: (quippe partes secundum proprium suũ esse, in ista successione habent) sed aliter intelligere quam sint, est res ipsas ignorare: concedendum ergo est infinitum potentia à mente diuina aut ignorari, aut in propria sua essentia successiue intelligi.*

Infinitũ potentia est Deo cognitum, & tamen non successiue.

Resp. *Si essentia & scientia non consociantur, vt eodem prorsus modo res & esse & sciri dicantur. Sciuntur enim res omnes propriè sub ratione vniuersalis: non autem semper sic sunt. sed ad rem. Mens diuina tempus, motum, & numerum, non aliter intelligit quam sunt, & tamen eorum partes simul intelligit: hoc autem fit, non quod res ipsa secundum propriam essentiam partes in successione non habeant: sed quod mens diuina infinitior (vt ita dicam) omni infinito singulas partes successiuas respectu nostri præsentes videat, vnoq; intuitu easdem diuidat, & componat, quod nos quidem facere non possumus, nisi in finito tempore, quia mortales & finiti sumus.*

Opp. *Mens diuina secundum Arist. potest semper efficere non tot, sed plura: ergo pari ratione potest scire in perpetuum,*

petuum, non tot, sed plura: hinc directe inferri posse videtur, successiue, & facere & scire omnia, maxime vero ea, quæ de nouo quotidie fiunt & cognoscuntur.

Resp. *Temere & inconsiderate mentis diuinæ potentiam faciendi & sciendi hoc loco cum imbecillo intellectu humano demetiris: quasi vero ea quæ Deus sit facturus ab eo non intelligantur, ac si iam facta essent, cum apud illum futura quæ sunt, iam actu sint. Nam (secundum philosophum) apud Deum nihil præteritum, nihil futurum est. Vbi igitur dicis posse mentem diuinam tot & plura efficere & scire, & inde concludis successiue res & fieri & sciri ab illa, parum sapis, qui in Deo futurum & præsens idem esse non intelligis.* **Futurum & præsens idem in Deo.**

Opp. *Omittis hoc loco quæstiones non minoris momenti, quam hæ iam sunt, quas tractasti: videris igitur leuiter transilire omnia. Antecedens constat, quia hic mouentur ab interpretibus Aristotelis alia, vt,* An Deus possit efficere infinitum? *&,* An qualibet specie Deus possit aliam nobiliorem creare? *& iterum,* An Deus possit intellectum humanum aptum ad percipiendum infinitum reddere? *Hæc (inquam) omittis magna philosophiæ oracula, & nos cupidos sciendi infinita, quasi siticulosos sine nectare arcanæ sapientiæ dimittis.*

Resp. *Nimis curiosa sunt ista, & minus apposite & opportune hoc loco mouentur, vt alia permulta a cerebrosis interpretibus Aristotelis: vt,* An Deus possit efficere magnitudinem infinite extensam? aut formam infinite intensam? aut qualitatem infinite protensam? vt aiunt. *Hæc (inquam) omitto, vel quia eorum nulla facta est a Philosopho in textu mētio, vel quia ad metaphysicum potius quam ad physicum pertinet hæc disputatio, vel denique quia apud Interpretes horum vel inanis, vel incerta, vel nimis obscura, vel magna ex parte blasphema est expositio. Parcam nominibus, non tamen mentior: sunt qui negant posse Deum creare infinitum, posse qualibet specie nobiliorem efficere, posse intellectum formare vllo modo ad percipiendum infinitum, posse magnitudinem, formam, aut qualitatem, extense, intense, protense, in infinitum trahere. Hæc dico, vt discas Socraticum illud,* noli altum sapere. **Temeritas nonnullorum interpretum.**

ijsdem maiores possit Deus producere in infinitũ. Nam si hoc concedatur intellectui humano, vt diuidendo magnitudinem partes proportionis infinitas, componendo multitudinem partes accretionis quoque infinitas inueniat, quanto magis Deo concedendum est vt faciat? Porro quæ necessitas impulit Deum, vt naturam finitam faceret? nulla certe. Deus enim est liberrimum Agens, sic ergo voluit: sed voluntas illius est actu infinita: ergo actu infinitam naturam potuit efficere. Sed finitam voluit eam procreari, & tamen infinitam suam virtutem, potentiam, & sapientiam non minus declarat, quam si infinitam procreasset, cum ex nihilo eandem finxerit. Non minus efficax est illud argumentum ab infinita essentia & scientia Dei, cui omnia, quæ futura dicuntur respectu nostri, sunt quidem præsentia. Fuit ergo mundus omniaque in eo hoc modo ab æterno: quæ enim non sunt respectu nostri sunt apud illũ, quia sic esse voluit. Nam vt materiam non requirit in creatione: ita nec tempus. Etenim (vt ita loquar) omnia in æterno momento, & momentanea æternitate facit. Est enim æternitas infinitum præsens quo Deus mensuratur. Non hic vrgeo quod si Deus vel in puncto temporis efficiat omnia, quæ possit, sint illa quidem infinita: nam si finita esse dicas, illius potentiam infinitam negas: quippe hypothesis est, si omnia efficiat, quæ possit, non quæ ex beneplacito facit: si ergo in momento infinitum possit efficere, quid poterit in æternitate? Postremo, videtur esse impium negare potentiam Deo creandi quolibet momento res aliquas ab æterno puta angelos: hic si non sis cæcus, & actu numerum infinitum, & res ipsas in subsistentia infinitas videas. Posse ergo Deum infinita producere & humiliter agnosco, & argumentis (vt vides) firmiter demonstraui. Si quid contra adduxeris, pro viribus respondebo.

Deus est liberrimũ Agens.

Æternitas. Infinitum, præsens est mensura Dei.

Opp. *Si Deus producere possit infinita, puta corporeas vel incorporeas substantias: quæro, An his productis possit efficere plura, vel non? Si ponatur primum, plura nimirum posse, sequitur Deum non produxisse omnia quæ poterat: si secundum, scilicet non posse, sequitur exhaustam esse Dei potentiam, vt ne vnum atomum corporis moli addere, aut vnam aliam incorpoream substantiam possit efficere.*

Resp. *Infinitum simplicissimum actu (vt ita loquar) est infinitius omni infinito in potentia facto. Neque videatur hoc mirum, quod dicam aliquid esse infinito infinitius: nam vt sol in subsistentia est prior sua luce, cum omne principium aut subiectum sit prius ordine natura omni accidente, quod ei conuenit: ita Deus primum principium omnium, est prius & infinitius in essentia omni infinito, quod facere & creare potest. Prius dico, non tempore (nam tempus in Deum aut infinitum non cadit) sed prius ordine essentia, caussa, & dignitatis, si tale infinitum velit (vt pro infinita sua virtute possit) efficere. Dilemma ergo hoc tuum non est cornutum, quippe in neutram partem vulnerat: nam plura potest Deus efficere, quantumuis infinita fecerit: ratio est, quia infinitatē ipsam infinitate superat. Vt enim sidera sideribus splendore & dignitate praestant, & tamen omnia sidera luce accepta à sole multis gradibus superantur: ita infinita alia aliis nobiliora esse possunt, omnia tamen quae fieri possunt infinita Deo infinitatē suā acceptā referunt. Maior est enim infinita virtus diuina, quam cohors infinitorum quae fieri a Deo possunt. Ratio est, quia Deus per se est, alia per accidens & per participationem infinita.*

Deus infinitior infinito.

Deus infinitatem infinitate superat.

Opp. *Quicquid Deus efficere potest, & à certa intentione procedit, & ad certum vsum & finem destinatur, (alioqui temere & frustra ageret Deus, quod est impium cogitare) sed infinitum, nec ad certam intentionem, nec ad certum vsum referri potest: ergo Deus nec facit, nec facere potest infinitum.*

Resp. *Audacter, temere, & intrepide videris irrepere in sinum Dei. Quaenam est haec impia tua differendi ratio? Negas idcirco potentiam infinitis creandi Deo, quoniam tu caecus, nec intentionem, nec vsum infantis iam facti, aut faciendi vides. Ostende mihi numerum & vsum atomorum in radiis solis: redde rationem cur magnes attraheret ferrum? cur praesente homicida interfectus effunderet sanguinem? cur pellis lupina pellem ouinam consumeret? Infinita hic possem enumerare mysteria naturae, quae quotidie tibi ob oculos versantur: quorum rationem si contendas reddedere, idipsum facies quod illi qui nimia ratione*

Naturae multa sunt mysteria quorum caussa latet.

insa-

insaniunt. ... Age igitur, si nugis istis & triuialibus rebus obstupescas, ne ita intumescat animus in rebus diuinis, ut ideo imprudenter affirmes, non posse Deum efficere infinitum, quia tu infiniti facti non vides rationem & usum. Aristot. attonitus multis oraculis & miraculis naturæ, quorum causas inuenire non potuit, te docet, ut discas, idcirco Deum multa occultasse mortalibus, ut mortales agnoscerent esse Deum, cuius consilium nemo mortalium potest apprehendere. Si adhuc petas usum, à te quæro, quorsum te animo fecit infinitum Deus? (nam animus creatus mori non potest, cum sit imago Dei æterna & immortalis) si respōdeas ad gloriam suam, idipsum respondeo. posse Deum efficere infinitum, quod si fecerit, ad gloriam suam proculdubio referetur.

Deus cur multa occultauit mortalibus.

Opp.

Si possit Deus infinitum efficere, cur non vult? cum esse, posse, & velle, idem sint in Deo? Præterea si sit creata, infinita magnitudo, ubi quiesceret? aut quomodo moueretur? multo magis si creetur infinita rerum multitudo, ubi tot millies millia infinitorum continebuntur? ad quem locum referentur? quo vacuo mouebūtur? Somnias nescio quid de Deo. nam dum hoc posse *Deo attribuis,* nō posse *planè affirmas.*

Resp.

Qui semel verecundiæ fines transierit, eum grauiter impudentem esse oportet. Impie cur pergis de potentia Dei ulterius dubitare? Velle & posse idem sunt: quæris ergo cur non vult infinitum efficere? Idem sunt velle & posse in essentia diuina: at in ordine & creatione rerum non semper sunt simul: nam potest Deus multa, quæ tamen non facit, non (inquam) facit, non quod non possit, sed quod non velit: non vult autem, quia fortasse tibi consulit quem potest perdere: sed non vult, ut istam curiositatem deponas, tuam salutem quæras, & infinitam virtutem Deo quoad posse attribuas. Sed pergis: si creetur infinita magnitudo, si multitudo, ubi tot millia infinitorum continebuntur? respondeo in Deo? ubi quiescent? respondeo in Deo, qui est infinitas & infinitatis sedes. Rogatus Soc. quomodo natura ageret propter finem, cum natura finem non saperet: respondisse fertur, quamuis non sapiat, natura tamen author sapit. Sic tibi respondeo ad omnia

Velle & posse idem in Deo.

Deus cur non vult omnia quæ potest.

tua quæsita, Quomodo hæc vel illa fiant? *Quamuis humana sapientia hæc directe non capiat, mens tamen diuina capit. O utinam delirans hæc ætas mundi hoc ipsum* Quomodo *in mysterijs naturæ, & miraculis fidei penitus exterminaret! tum rarius audiremus*, Quomodo *ex nihilo fecit mundum Deus?* Quomodo *carnem de Virgine sine viro assumpsit Christus? quomodo per finitam effusionem sanguinis satisfecit iustitiæ patris? quomodo ad inferos descendit? resurrexit? ascendit in cælos? Audiamus Philosophum, non est, (inquit) quærenda ratio principiorum. Audiamus plusquam philosophum, oportet accedentem ad Christum credere. Hinc apud philosophos inter virtutes mentis annumeratur intelligentia, quæ definitur* virtus sine ratione credendi principiis; *hinc à theologis ponitur fides, quæ ratione ablegata assentitur omnibus, quibus verbum Dei & ecclesia credere, & assentiri suadent. Si ergo Deus ex infinita virtute sua tibi potestatem dederit, adoptatus filius Dei & Ecclesiæ ut fias, altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed sine demonstratione credas, multa esse abdita & occulta in rerum natura, omnia fere tam mystica & mirabilia in fide, ut sæpe dicas cū sapiētissimo patre D. Bernhardo, malo confiteri veram ignorantiam, quam in rebus dubiis, & incognitis profiteri vanam scientiam: Concludam, Da mihi infinite, præpotens & sapientissime Deus, ut te, tuumque Christum sciam, & tum certe omnia infinita sciam, nam in te omnia sunt, & tu infinitior omni infinito in secula infinita manes: &, qui in te manet, beatus & infinitus erit.*

Lib. 1. Top. c. — *Intelligentia quid Lib. 6. Ethic. c. 6.*

Curiositas inimica veritati.

Opp. *Persuasisti ut credam omnem curiositatem esse inimicam veritati & scientiæ, sed da veniam si quæram, An possit Deus qualibet specie, sit ea perfectissima, in infinitum perfectiorem efficere? Si non possit, videtur illius virtus non esse infinita: si vero possit, tum aliquid perfectius perfectissimo esse potest, quod est in ratione absurdum.*

Resp. *Petis veniam, & tamen statim in eandem incurris culpam: sed esto, hic error est animi humani occlusi corpore, qui natura sua immortalis, infinitam scientiam ardenter quærit. Sed ut qui casios & lippientes oculos habent, solem intuendo nonnunquam cæci fiunt: ita curiosi dum*

nimis

nimis alte sapere contendunt, in abyssum ignorantiæ & cæcitatis rapiuntur. Quid moror? qualibet specie & omnino re quauis creata posse a Deo aliam nobiliorem in infinitum procreari affirmo. Nihil enim est in rebus creatis, vel ita quantitate amplum, vel gradu intensum, vel dignitate essentia tam excellens & perfectum, quo non possit Deus progrediendo in infinitum maius & excellentius producere. Hoc inde suadetur, quoniam si quauis re non posset à Deo produci perfectior, sequeretur vel contabescere diuinam potentiam, vt nõ possit plura efficere, quod est absurdum: vel limitibus quibusdam coerceri, quod existimare est impium & blasphemum. Ad argumentum igitur dico, perfectissima specie posse perfectiorem dari: neque hoc inuoluit contradictionem aut repugnantiam omnino, vel respectu potentiæ diuinæ, quæ est essentialiter infinita, vel respectu rei quæ infinitatem perfectionis à sole & fonte perfectionis habet.

Deus potest nobiliorem speciem creare illa quæ nunc existit.

Opp. Datur in rerũ natura res vna quæ deterior nulla esse potest: ergo alia est quæ nulla excellentior creari potest. Hoc D. Augustinus videtur probare libr. 12. Confess. cap. 7. dico (inquit) domine fecisti alterum prope te, naturam scilicet Angelicam, qua excellentius nihil: alterum à te longissime remotum, nempe materiam primam, qua nihil despicacius fieri potest. Est enim materia fere nihil, aut si quid sit, nuda & inanis est potentia: Spiritus vero est purissimus actus, diuinæ naturæ subsistens, ab omni corruptione liber & immunis, voluntatis libertate, iustitia, sapientia, aliisque nobilissimis virtutibus ornatus, semper prope Deum manens: nihil ergo perfectius creari potest, nisi (quod fieri non potest) alius creetur Deus. Præterea, cum res qualibet creata differat à Deo, vt finitum ab infinito addi non potest cuilibet speciei in infinitum perfectio: nam tum aliquid præter Deum erit infinite perfectum, quod est impium cogitare. Deinceps, sic species procedunt à Deo, vt numeri ab vnitate, sed est aliquis numerus inter quem & vnitatem, alius numerus cadere non potest: ergo est species aliqua creata, ita in perfectione Deo propinqua, vt inter ipsam & Deum alia effici non possit perfectior. Postremo, quam perfectionẽ addere potest Deus essentiæ humanæ, quam similem sibi fecit? & vniuerso quid pulchrius, quid nobilius, quid per-

D. August. Enchi. cap. 10.

fectius esse potest? nihil certe, si Diuo Augustino adhibeamus fidem. Alia hic addi possunt argumenta de magnitudine, numero, forma, sed in his cardo quaestionis vertitur.

Resp.

Materia prima non est ens despicatissimum.

Cur sic dicta ab Augustino.

Multitudo qui dicitur infinita.

Video incredibilem sitim & ardorem tuum sciendi abditas rerum causas, cum de causa prima virtute infinita tam acute disputes. Respondeo igitur ad singula, & primũ quoad materiam primam, dico non esse ens despicatissimum quod creare potest Deus: nam esse suum per se habet: accidentia vero sunt imperfectiora, quae nullum esse vi sua vendicare possunt. Cum ergo nobilius sit esse per se, quam inesse, materia non est res despicatissima vt ais. Quod vero doctiss. pater & lumen ecclesiae D. Aug. dicat esse imperfectissimum, eo respectu dicit quo est inter omnes substantias creatas in esse suo à Deo remotissimum. Quandoquidem Deus sit purissimus actus: materia vero purissima potẽtia, & fere nihil: vt de materia in infimo gradu, ita de spiritu in nobilissimo gradu perfectionis dico, addi posse perfectionem perfectioni. Crescit enim perfectio substantiae per propinquiorem accessum ad Deum, & in infinitum augeri potest: res tamen creata nec infinita, nec infinite perfecta esse potest, vt Deus. Ratio est, & quia omnis res creata respectu Dei commutabilem essentiam habet, & quia Deus omne infinitum infinitate essentiae & essentialis perfectionis superat. Vt ergo multitudo infinita dicitur in potentia, quae tamen est actu in rebus finita, infinita in potentia, quia omni multitudine dari potest maior: ita est in rebus creatis, quae sunt vi, actu & natura sua finita, quibus tamẽ semper ex diuina virtute addi possunt perfectionis gradus, cũ in illis infinita virtus Dei magis vnita luceat. Sic non per se (vt vides) sed per accidens ratione infinitissimae caussae influentis perfectiores reddi effici que possunt. Attente quaeso (perhumane lector) considera, & perpende hoc responsum, & videbis (ni fallar) omnibus obiectionibus allatis satisfactum: quippe idem respondeo alteri argumento, in quo dicitur res qualibet creata à Deo, vt finitum ab infinito differre. Dico enim aliquid finitum infinite dici posse perfectum per influentiam non per essentiam suam: addere enim Deus potest semper gradum perfectio-

nis

nis cuilibet speciei: & tamen seipsum abdicare, aut aliquid creatum sibi adaquare non potest, quia infinitæ perfectiones in re finita non aliter insunt quam infinita linea in indiuisibili puncto copulata: quod punctum (superius ab Aristotele inter significata infinitatis) infinitum ideo dicitur, quoniam transiri non potest. Ad tertium argumentum dico, in eo similitudinem non tenere, quia non sic res creata procedat à Deo vt numeri ab vnitate: ratio est, quoniā vnitas est pars numeri, sed Deus pars rei creatæ esse non potest. Sed hoc concesso, quod sic à Deo procedant vt numeri ab vnitate, & quod sit aliqua res creata proxima Deo, vt binarius numerus est vnitati, non tamen sequitur quin Deus essentialiter infinitum principium omnium possit huic rei creatæ maius lumen addere. Postremo ad interrogata hæc tua, quid pulchrius vniuerso? quid perfectius homine? respondeo nihil, si ordinem, dispositionem, & gubernationem spectes, in quibus omnibus Deus cernitur: at si partes maiores & minores mundi consideres, imo si totum vniuersum ante oculos ponas, quatenus mutabilem naturam habet, maiorem perfectionem habere possunt in infinitum. Mutabimur enim, & mutati nouos cælos nouamque terram expectamus. 1. Pet. 3.

Finitum quo possit esse infinite perfectum.

Opp.

Vnus scrupulus adhuc superest de intellectu humano, An sic formari possit à Deo vt infinitum actu percipiat? In contrariam partē sic arguo: intellectus humanus est finitæ virtutis: ergo non potest intelligere actu infinitum. Præterea, semper inter cognoscentem potentiam & rem cognitam debet esse proportio: sed inter intellectum humanum & infinitum actu non potest esse proportio. Postremo fieri non potest vt essentia diuina ab intellectu vnquam percipiatur: sed essentia diuina est actu solum infinitum principium rerum: ergo intellectus humanus non potest actu cognoscere infinitum.

Resp.

Videre nunc licet manifeste, aliquid in te creatum esse infinitatis cupidissimum. Ambitiosus es argumentis, sed paucis respondeo. Sanct. Doctor. Thomas libro primo Contra gentes cap. 69. luculenter quidem probat, sic eleuari posse à Deo mentem humanam, vt intueri possit infinitum.

Intellectus humanus quomodo cognoscere possit actu infinitum.

At dicis eam esse finitæ virtutis: ergo non posse concludi. Recte concludis, si intellectum per se corpore conclusum intelligas: at liberum, immunem, separatum, diuinique spiritus infinito afflatu eleuatum si consideres, quamuis sit essentia sua finitus, infinitum tamen potest percipere. Quod D. Thomas ratione optime sic probat: quoniam intellectus qui maximum omnium intelligibilium, hoc est diuinam essentiam clare intuetur, vtique valebit id quod est minus in eadem essentia relucens distincte cognoscere: sed intellectus a corpore separatus, & felicitate donatus potest diuinam essentiā intueri (vt sacra philosophia docet:) ergo aliud minus infinitum, id est, non per se, sed per accidens, non actu, sed potentia infinitum in eadem essentia relucens, potest intueri.

Qualis proportio requiritur inter potentiam cognoscentem, & rem cognitam.

Neque hoc (inquit idem Doctor) requiritur, vt inter potentiam cognoscentem, & rem cognitam sit Mathematica proportio: sufficit enim proportio (vt aiunt) accommodationis, id est, vt potentia intelligendi vltra modum suæ essentiæ à Deo eleuetur, lumineque diuino perfusa ad infinitum percipiendum habilis reddatur. Sic (vt vides) finita mens humana infinita virtute diuina illustrata potest infinitum cognoscere, quia in essentia diuina, tanquam in speculo, omnia infinito reflexu lucent. Satisfactum iam est omnibus argumentis tuis si accuratius tecum consideres quæ a me dicta sunt. Nunc restat vt vterque infinitum principium omnium supplices inuocemus, ne infinite ab eodem separemur. O nos miseros si sic separati, si sic infiniti simus! Precamur te (omnipotens & infinite Deus) vt separati ab hoc corpore, tuique spiritus lumine collustrati, infinitam maiestatem tuam in cœlesti hierarchia in infinitum laudemus & adoremus.

CAP.

CAPVT VIII.

An sublata infiniti consideratione Mathematica scientia corruant.

POstremum hoc caput est huius libri, in quo obiectiones capite quarto contextas & concinnatas resoluit Arist. non tamen hoc facit eodem ordine quo antea proposuit. Primum enim à tertia ratione incipit, & conscius quasi sibi obiectionem quam finxit illic primam, vltimam hoc loco facit, leuiusque attingit singulas: sed perspicuitatis causa eundem ordinem in respondendo, quo vsus est in opponẽdo obseruabo. Quod ergo ad primam rationem attinet, 1 qua tempus infinitum esse dicebatur, respondet illud quidem non actu esse infinitum, sed potentia, quod libenter concedit Philosophus: in tempore, inquit, nihil est nisi præsens, illius essentia in successione præteriti & futuri constat. Ad secundam rationem pari modo respondetur, non actu 2 sed potestate Mathematicas magnitudines in infinitas partes diuidi & secari, neque opus esse vt sic diuidantur, cum Mathematici ipsi certis & definitis punctis, lineis, circulis, & figuris in demonstrationibus suis vtantur, aliter non essent certæ & definitæ scientiæ: quippe à scientia omnia infinita & confusa relegantur. Ad tertiam dicit non ideo esse aliquod corpus immensum & infinitum sensibile, quoniam 3 perpetua est ortus interitusque in rerum natura vicissitudo. Hæc enim vicissitudo, quamuis arguat infinitam materiam subiectam, non tamen arguit infinitum compositum ex eadem materia constans: ratio est, quia res non directe gignuntur, sed aliæ ex aliis, veluti in orbem versæ: vnius enim rei interitus est generatio alterius, & sic materia quæ erat pars rei corruptæ, fit pars eius quæ generatur. At Christianus hic sum, & credo vicissitudinem hanc generationis & corruptionis non fuisse infinitam, neque in infinitum duraturam. Hoc verum esse quod dico iam mundus consenescens & delirans ostendit, ostendit ferrea hæc ætas, in qua gigantea abundant scelera, ostendit breuitas vitæ humanæ, defectio virium, declinatio rerum omnium, vt in terra *plãtarum*, in aqua *piscium*, *volatilium* in aere, *solis* omniumq;

Respondetur hoc cap. ad argumenta allata cap. 4.

Tempus quomodo infinitũ.

Lib. 2. de Ort. & inter. cap. 9.

siderum in cœlo, quæ omnia inueterascunt, languent, & quasi pulsum vermiculantem habent, discupiuntque renouari, & vt propriæ possessiones in iustorũ veluti manus tradi. Ad quartam ait, non omne corpus alterius corporis cõtinentis superficie terminari, vnde veteres probarunt progressum esse in magnitudine ad infinitum. Potest enim (vt ait) corpus sua ipsius superficie & extremitate definiri, vt credibile probabileque est, cœlum primum mobile definiri, vltra quod res nullæ nisi primus motor & diuini spiritus habitant, qui locum physicum non requirunt, vt lib. 1. de Cœlo docet Philosophus. Ad postremam respondetur, non quia mens nostra & intelligentia nunquam intelligẽdo deficiat, idcirco necessario infinitatem in rerum natura eminere; siquidem luce clarius est, intellectum humanum sępissime falli, labi, decipi, & in rebus apertis nonnunquam cæcutire? non ego natura rerum ab intellectu, sed intellectus à natura rerum pendet. Quippe vera aut falsa est cogitatio, quia sic vel secus res se habet quæ cogitationi subiicitur. Quamuis ergo intellectus non langueat aut deficiat intelligendo, infinitum tamẽ non hinc probatur, quia chimæra aut non ens, quod sæpe intellectus imaginatur, infinitum in rerum natura non ponat: at sic frequenter mens vaga hominis in vallum phantasmatum suorum impingit. Veruntamen (erudite lector) dabis mihi veniam si refricem memoriam tuam eorum repetitione, quæ capite 4. dixeram. Illic docui impactos calces Arist. nimis iniuste in oculos Platonis præceptoris sui, qui procul dubio non phantasiam humanam, sed intelligentiam diuinam nobis proposuit. quam & in se infinitam esse, & per se infinitum actu percipere argumentis sapienter probat.

Arist. cap. de Priori. Lombar. lib. 1. senten. D. 5.

Sed hæc omitto, & ad quæstionem discutiendam venio, quæ est, *Vtrum sublata infinitatis consideratione Mathematicæ scientiæ corruant?* Non corruere hic Arist. manifeste docet. Verba enim textus aperta sunt: *neque infinito* (inquit) *opus habent Mathematici, neque vtuntur, sed solum vt finitu quantum velint suppetant*, quasi diceret Philosophus, non opus habent Mathematici infinito, nec eo vtuntur omnino. si res subiectas spectes: at idcirco imaginantur infini-

Quæst. Mathematici non indigent infinito.

infinitas lineas & magnitudines, vt decisis superfluis sufficientem quantitatem finitis rebus quas tractant apte accõmodent. Vt.n.architectus commodius, expeditius & pulcrius ædificare potest, si abundantem materiã paratam habeat: ita Mathematicus apti⁹ & accuratius ex infinitis quãtitatibus animo conceptis, demõstrationes suas abstractas facit, rebusq; accommodat, ex quibus vsum quærit. Sed dices hæc omnia probant Mathematicas artes sublata consideratione infinitatis ruere. Nõ probãt si res subiectas consideres. Quid res subiectas nominas? quasi vero Mathematicæ scientiæ in rebus versentur! Quid ni? cur ergo Mathematicæ dicuntur, id est, à rebus separatæ? Sic quidẽ dicuntur respectu mentis quæ tota est in contemplatione rerum. In contẽplatione rerũ dicis? in imaginatione phantasmatum & idearum diceres: res enim nõ sunt, sed ideæ, quæ obiecta Mathematicorum habentur. Verum est, si proxima & formalia eorum obiecta intelligas, at Mathematici ideo imagines & ideas separatas tractant, vt ad vsum humanum actu accõmodent: sic Musica conceptas voces ad cantũ, sic Astrologia imaginarias lineas & circulos ad motum cœli, sic vnitates & numeros Arithmetica ad enumerationẽ rerũ, sic Geometria proportiones & figuras ad op⁹ aliquod & finẽ externũ applicat. Sed, vt vides, res omnes in rerũ natura finitæ sunt: Mathematicæ ergo scientiæ infinito nec opus habent, nec eo vtũtur necessario: qua veritate posita, sequitur nihil damni aut dispendii capere Mathematicos, si nulla infiniti habeatur disputatio. Præterea cũ inter omnes sciẽtias Mathematicæ sint certissimæ, cõuenit vt infinitũ ab illis penitus ablegetur. Est enim infinitũ omne (vt in superiore capite docuit Arist.) incognitum, certisq; demonstrationibus (quales in Mathematicis scientiis maxime requiruntur) delineari aut concludi non potest: non ergo opus habent Mathematici, neq; eo vtuntur si rerũ veritatẽ spectes. Porro si infinitũ esset necessariũ in mathematicis scientiis, maxime omnium in astrologia esset, quæ quantitate amplissima corpora cœlestia, & in eis lineas, circulos, motus, figuras vere infinitas tractat; at horũ omniũ certa & finita est ratio: videtur ergo cõsideratio infiniti nulla omnino arte Mathematica necessaria. At vrges in Arithmetica op⁹ esse

Mathematicæ artes, cur abstracta dicuntur.

Mathematici quomodo res considerant.

Mathematicæ certissima scientia.

hac contẽplatione infiniti, quia numerus est illius materia: sed numer⁹ (teste Philosopho) est infinit⁹: ergo in ea infiniti consideratiõ est necessaria. Respondeo numerum non esse infinitum nisi potentia, qui per se respectu rerum sub eundem cadentium finitus dicitur. Nam quamuis res (æternitate mundi concessa) infinitæ esse possint: certus tamen numerus rerum existentium est, quas Mathematici in vsu scientiarum suarum considerant & intuentur. Ratio est, quia in Mathematicis scientiis certæ sunt definitiones, demonstrationesque certæ, primæ, & necessariæ, quæ nullo modo infinitum, incognitum & incertum ad amplexum admittũt suum. Nihil ergo damni aut dispendii patiuntur Mathematicæ artes si radicitus omnis infiniti extirpetur consideratio. Postremo, cum nullus possit esse motus infinitæ magnitudinis (vt antea demonstratum est) nulla mensura, nulla enumeratio partium, nullus concentus & harmonia, non video quomodo infinitatis contemplatio prosit Mathematicis, qui de motu, magnitudine, mensura, numero, concentu & harmonia rerum, vt de propriis materiis & subiectis agunt.

Numerus qui infinitus.

Infiniti nulla mensura.

Alia quædam dubia hic mouentur ab interpretibus, vt *An terminari aliquid sit semper ad extrinsecum?* & *An imaginatio sit vera quæ fingit infinitum?* Sed leuia hæc sunt, & parum aut nihil vsus in philosophia habent. Ad primum ergo hoc solum dico, omne quod terminatur contactu alterius extrinseci necessario non definiri: nam si hoc concederetur, necessario sequeretur corporum se mutuo tangentium progressus in infinitum. Hoc interest igitur inter *contingere* & *terminari*, quod *contingere* sit in iis quæ cum aliquo conferuntur, *terminatum* autem *esse* quippiam simpliciter & absolute intelligi quidem possit, vtpote quod sua ipsius superficie conuexa, non alterius corporis extrinseci concaua extremitate continetur. Non ergo recte hinc in rerum vniuersitate probant veteres infinitum. Omnis enim magnitudo naturæ vi tandem clauditur, & prima (puta cœlum quod est primum mobile) sua ipsius cõuexa superficie terminatur. Ad alterum dubium respondeo, imaginationem non esse veram quæ fingit infinitum, nisi infinitum obiiciatur menti, à qua reflexum sæpe imaginatio habet.

Omne quod terminatur non clauditur contactu alterius extrinseci.

Contingere & terminari differunt.

Ratio

Ratio est quoniam veritas imaginationis aut opinionis à re subiecta dependet. Si ergo ita res se habeat, vera est opinio, vera oratio, imaginatio vera: sin aliter, falsa hæc quidem sunt & mendacissima. Absurdum est ergo infinitum ideo in rerum vniuersitate ponere, quia imaginatio aut phantasia tale quippiam esse otiose finxerit. Cæterum si vel à Deo hæc pars seu potentia animi eleuetur vltra modum virtutis suę, vel mentis lumine illustretur, capere poterit vmbram infiniti, vt solent multi frequenter in somno aut ecstasi animi, cum exuuiis quasi corporis ad tempus depositis, extra se limitesque naturæ humanæ rapiantur. Vmbram dico infiniti, non ipsum actu infinitum, quia corporis mole depressa & prædita non potest phantasia quicquam actu infinitum discernere. Est enim fere omnium infima potentia animi, eademque nebulis multis ipsorum sensuum circumfusa. At vt oculi cæcutientes, cataractis abscissis & detractis, clarius sole lucente rem obiectam vident: ita phātasia nubeculis depulsis melius infinitatem (intellectu affulgente) perspicit, non autem ex se & vi sua, sed conuersa ad speculum mentis, in quo altius discussæ species rerum apparent.

Imaginatio nõ est vera qua fingit infinitũ.

Aristoteles c. de præteri.

Phantasia, inferior pars animæ.

At dices intellectum à phantasia, non phantasiam ab intellectu formas & ideas suscipere: intellectus enim nihil sine phantasmate, nihil sine imagine ab aliis sensibus impressa percipit. Verum hoc est quod dicis aliquo modo, sed non omni ex parte verum. Nam etsi intellectus ab aliis inferioribus potentiis animi, vt ab internunciis, per illarum organa, vt per fenestras, imagines & ideas rerum percipiat: easdem tamen perceptas vi sua discutit, & discussas quasi cum fœnore reflectit, & rependet multo certiores. Si ergo infinitum menti (diuiniori parti animæ humanæ) vltra modum substantiæ suæ eleuatæ appareat, alii sensus interiores, aucto hoc nouo lumine, possunt quasdam eiusdem vmbras apprehendere, quamuis in aprico (dēsis adhuc corporis nubibus circumfusi) idipsum distincte nō videant. Et hoc quidem modo imaginatio quę aliquando fingit sibi infinitum, (licet idipsum per se non nouerit) habeatur vera. Verum si absque lumine & reflexu intellectus per se hoc fingat, fallax & meretrix est, & infinitorum errorum mater. Hinc olim non parui nominis philosophi, ex infinitis atomis omnia

Intellectus recipit formas ab inferioribus potentiis.

fortuito coaluiſſe ſomniarunt, hinc infinitos mundos, infinitos cœlos & orbes extra primum mobile imaginati ſunt: ſed lapſi, & decepti toto errarunt cœlo, quoniam fallacis imaginationis & phantaſiæ vmbras & ſomnia, non mentis præcepta & veſtigia ſequebantur. In rebus ergo arduis & obſcuris perueſtigandis, non ſolum lucerna phantaſiæ & imaginationis, ſed etiam polaris quaſi ſtella intellectus fixis oculis obſeruanda eſt, maxime cum de infinito (vt hoc loco) agatur. Cuius infiniti vis abſoluta ſolum Deo innoteſcit, menti vero humanæ tantum per accidens, cum ſuis aliis quaſi expanſis volet in cœlum, ibique primæ cauſſæ infinito lumine illuſtrata videat infinitum.

Diſtinctio dubiorum in hoc capite: Vtrum Mathematicæ ſcientia conſtare poſſint ſine infiniti conſideratione? Vtrum terminatio cuiuſq; corporis ſit ſemper ad aliud extrinſecum corpus vſq; in infinitum? Vtrum imaginatio ſit vera vel falſa, quæ fingit infinitum?

Diſtinctione adhibita ſingula hæc dubia facile patebunt; vt in

- Primo conſiderati poſſunt Mathematicæ artes, vel quoad
  - Intentionem ſolam animi, & ſic quoniam ſæpe docendi cauſa, infinitas lineas, voces, numeros, aut motus, vi mentis à rebus abſtrahunt, non recte ſine conſideratione infiniti conſtare dicuntur.
  - Vſum. Vide in ſequent. pag. lit. A.
- Secundo terminatio corporis ſumit' duob. modis vel
  - 1 Per accidens, in relatione ad aliud corpus, in cuius concaua ſuperficie continetur, vt ignis in concauo lunæ, & vnus orbis cœleſtis in alio, & ſic tangere, terminati, ſeu definiri ſunt idem.
  - 2 Per ſe, ſine relatione ad aliud, cum corpus ſua ipſius conuexa extremitate contineatur, aliudque non ſit vlterius corpus, vt conſtat in primo mobili, vltra quod non eſt aliud, vt quidam ponentes infinitum actu poſuerunt.
- Tertio, Vide in ſequent. pag. lit. B.

A. Vſum

A
Vsum & realem applicationem, & sic probatur, quod sine consideratione infiniti recte cohæreant

1 A verbis textus, quæ sunt aperta.

2 A similitudine architecti, qui in vsu artis solum necessaria accommodat.

3 A certitudine Mathematicarum scientiarum, quæ certæ & necessariæ dici non possent, si tractarent infinitum, quod semper incognitum esse dicitur, & excluditur à scientia.

4 A necessitate demonstrationum Mathematicarum, in quas infinitum non cadit.

5 Ab inductione & exemplis subiectorum, circa quæ versantur Mathematicæ scientiæ, quæ omnia sunt definita, vt patet in lineis, circulis, figuris.

6 Ab absurdo, quia infinitas lineas, motus, figuras fingere est superfluum, cum finitis vtendum sit.

B
Tertio phantasia seu imaginatio considerari potest bifariã

Absolute, & sic est vaga & incerta potentia animi, tam belluis quam hominibus naturaliter communis; & sic si fingat sibi aliquid, plerumque fallax & falsa est, quia itemm aut indiscussum recipit, aut receptum non ita decernit, vt inde vera aut falsa simpliciter ipsa dicatur.

Comparate, respectu luminis accepti à mente, vel diuina, vel humana; & sic aliquando dici potest vera: quod probatur

1 Ab infinita virtute DEI, qui sæpe reddit intellectum aptum ad intelligendum infinitum, vt superius demonstratum est; vnde etiam alii inferiores sensus illustrati, vmbras quoque infiniti apprehendunt.

2 A distinctione infiniti quod est vel actu, vel potentia; illud phantasia à Deo illuminata, hoc vero ope intellectus humani potest percipere, qui motus & omnes partes successiuas recte intelligit.

Contra primum dubium capitis.

Opp.

Li. 2. Phys. c. 2. & li. 1. Post. c. 10.

Mathematicæ scientiæ propriè definiuntur illæ, quæ abstractas formas animo tractant: sed hæ sine consideratione infiniti constare non possunt: ergo Mathematicæ scientiæ sine consideratione infiniti constare non possunt. Maior est Arist. Lib. 2. cap. 2. & etiam primo Analyticorum. Minor probatur ex axiomatibus Mathematicorum, qualia sunt ista: Si finita ab infinito sumātur relinquitur infinitum. Iterum, in circumferentia mundi non est principium, medium, aut finis. Adhuc, infinitæ lineæ à circumferētia ductæ vniri possunt indiuisibiliter in centro. Præterea infinita est potentia cæli, quia infinita virtus motoris primi. Quid moror? sexcēta sunt alia problemata de infinito, quæ manifeste arguunt corruere illas scientias si infiniti considerationem tollas.

Resp.

Infinitum nullum actu à mathematicis consideratur.

Quamuis Mathematicæ scientiæ propriè abstractas formas rerum considerent, & in illis sæpissime facta sit mentio infiniti, vt constat ex his maximis quas adfers, non tamen sequitur infinitum vllum actu à Mathematicis considerari, de quo hoc loco solum agitur: neque hæc axiomata recte intellecta probant omnino infinitum, vt hic definitur, sed vt vulgo hoc nomen infiniti *accipitur: non enim sunt infinitæ lineæ in circumferentia, neque est circumferentia ideo infinita quia careat principio, medio, & fine, neque Mathematici infinitum subiectum vllum proponunt sibi, à quo finita dissecant aut discindunt, neque virtutem primi motoris infinitam omnino metiuntur cum cælo. Verumtamē si obiter tales propositiones occurrant, intelliguntur potius comparate quam absolute.*

Opp.

Constat apud Philosophum omnem magnitudinem infinitam dici secundum partes proportionis, constat etiam numerum multiplicatione esse infinitum, constat motum cæli æternum esse, constat denique harmoniam totius mundi omniumque in eo partium perpetuam & infinitam esse: sed magnitudo, numerus, motus, harmonia, sunt propria obiecta Geometriæ, Arithmeticæ, Astrologiæ & Musicæ: ergo Mathematicæ scientiæ per se tractant infinita: per se enim tractant sua propria subiecta: sequitur ergo sublata infiniti consi-

dera-

ſideratione, eas concuti & labefactari: quippe fundamenta ſcientiarum ſunt ipſa ſubiecta circa quæ verſantur. At dices verſari quidem circa iſta, non vt ſunt infinita, ſed vt finitis limitibus terminata. Erras, nam geometria partes infinitas proportionis conſiderat, Arithmetices ſpecies vna eſt multiplicatio infinita, Diuinatio perpetua ex cæli facie & motu pars Aſtrologiæ dicitur. & dulcem concentum chorumque omnium in vniuerſo mundo rerum & partium, Muſica (omnium Mathematicorum philomela) vendicat.

Subiecta ſunt fundamenta ſcientiarum.

Reſp.

A ſubiectis ſingularum Mathematicarum ſcientiarum non inepte diſputas, probaſque ideo ruere illas ſcientias ſi infiniti tollatur contemplatio, quia hæc omnia ſunt infinita. Sed attende, eſſe quidem hæc infinita, ex falſo poſito fundamento Ariſtotelis de æternitate mundi. Cæterum hoc omiſſo reſponſo illud addo, nimirum à naturali philoſopho hæc omnia infinite, non à mathematico conſiderari. Cum vrgeas multiplicationem eſſe ſpeciem Arithmeticæ, reſpondeo eſſe, ſed non infinitam. Sic de proportione in Geometria, & de cæteris obiectis dico. Poſtremo ſi minus arrideant hæc reſponſa, idipſum dico quod ſuperius, Mathematicas ſcientias conſiderare duobus modis, intentionaliter, & ſic ideas infinitas docendi cauſa poſſunt conſiderare: vel realiter in vſu rerum, & ſic Mathematicæ ſcientiæ nec infinitatem tractãt, nec opus habent infinito.

Oppo.

Omnis ars eſt infinita (vt docet Philoſophus 6. Ethic.) ergo infinita tractas: & proinde Mathematicæ artes infinita conſiderant: nam quomodo eſſe poſſunt infinitæ, ſi nulla infinitatis contemplatione egeant?

Cur ars dicatur infinita.

Reſp.

Hæc propoſitio apud Philoſophum aliam interpretationem & ſenſum quam tu inſinuas, habet. Omnis ars quidem infinita eſt, non quod infinita quoad naturam tractet, ſed quod res ſingulas, & earum actiones, quæ ſunt infinitiores quoad nos comprehendat.

Opp.

Ambitus & ſcopus cuiuſque artis metiendus eſt ſemper ad amplitudinem ſubiecti, in quo eſt: ſubiectum in quo in-

sunt, Mathematica scientia est infinitum: ergo mathematica scientia sunt infinita: vnde proportione seruata, sine infinita consideratione constare non possunt. Maior probatur ex 10. Ethicorum, vbi Philosophus idcirco felicitatem contemplatiuam aeternam & diuinam probat: quia est in aeterno & diuino subiecto, nempe intellectu, qui est diuinior pars animi quam appetitus, in quo virtutes morales sedent. Sed (dices) haec non vrgent & concludunt intellectum infinitum esse. Vrgent, quia est à parte post (*vt aiunt*) *aeternus, & proinde eodem modo habetur infinitus. Quicquid enim nunquam est interiturum, idipsum est duratione infinitum.*

Lib. 10. Eth. c. 7. & 8.

Infinitum durationis.

Resp. *Opus est vt* à parte post *probes hoc argumentum: nam* à parte ante (*vt aiunt*) *probari non potest. Quid si intellectus sit aeternus? quid si sit* à parte post (*vt ais*) *infinitus? recte tamen hinc non concludis, artes mathematicas aut infinitas esse, aut infinita consideratione omnino indigere. Nam multa de nouo ab intellectu acquiruntur, & in eo insunt, quae parem nec dignitatem nec durationem cum intellectu habent. Sed esto intellectus infinitus, sint Mathematicae quoque artes infinitae, ille duratione, hae contemplatione: non tamen sequitur res omnes, quae aut in illo insunt, aut ab his tractantur infinitas esse. Multa enim distincta, certa, & finita in mente sunt, & ab arte discutiuntur.*

Argumenta contra alterum dubium capitis, Vtrum terminatio cuiusque corporis sit ad aliud extrinsecum corpus in infinitum?

Opp.

Omne locatum est in loco (vt docet Philosophus,) sed omne corpus est locatum: ergo omne corpus est in loco. Hoc syllogismo concesso, sequitur necessario omnem terminationem corporis esse ad locum, & si ad locum, tum etiam sequetur ad aliud corpus extrinsecum, cuius concaua superficies loci nomen subit. Dato ergo, nullum corpus esse sine loco, & omne corpus terminari ad locum, recte concluditur, omne corpus terminari ad aliud corpus in infinitum.

Li. 1. Phy. c. 2.

Resp. *Vno absurdo dato & concesso sequentur mille: non ergo*

ergo damus nec concedimus omne locatum sic esse in loco, vt in concaua superficie alterius corporis ambientis. Nam quamuis locatum & locus sint relatiua, distinguimus tamen sic esse si formaliter (vt aiunt) sumantur, non materialiter pro rebus subiectis. Potest enim terminari & definiri corpus sua ipsius superficie, & esse in loco secundum partes suas, vt cælum supremum illud quod primum mobile *appellatur.*

Corpus omne qui in loco.

Locus & locatum qui relatiua.

Cælum qui in loco.

Opp. *Misere torquetur Aristoteles in hac ficta distinctione sua, quippe nesciens penitus quomodo primum cælum sit in loco, ineptissime ait partem parti locum esse: quasi in globoso corpore perpetuo mobili, pars parti locus haberi possit. Verte pilam in manu, & considera angustias in quas cogitur disputator mundi. Age ergo, si mera hic sit fabula Philosophi: cur non concedit quod est concedendum, aut omne corpus terminari ad aliud corpus in infinitum, aut esse vacuum extra cælum in quo moueatur.*

Resp.

In equuleum coniecisti disputatorem mundi, & illum verbis plurimũ vulnerasti: petis quomodo cælum primum mobile sit in loco? respondeo iterum, per partes. At ais cælum partes non habere, & si haberet non vides quomodo pars parti habeatur locus. Dico cælum habere ortum, occasum, meridiem & septentrionem, vt illius multiplex motus indicat: habet ergo partes, quæ partes subeunt rationem loci, tum respectu figuræ, quæ est globosa, tum respectu contiguitatis & cohærentiæ, qua inter se vniuntur aptaq; redduntur ad mouendum per partes suas, sine loco externo, qui ad principium mouendi non requiritur. Cum ergo dicitur omne corpus moueri in loco, aut terminari ad locum, intelligitur omne corpus præterquam primum illud, quod est principium mouendi omnia.

Cælum qui in loco secundum partes.

Opp. contra vltimum dubium, quod est, Vtrum imaginatio quæ fingit infinitum, possit esse vera?

Oppo.

Intellectus (vt ante demõstratum est) sic illustrari potest,

Vt actu infinitum percipiat: ergo etiam potest phantasia. Argumentum patet, quia si sit infinitum lumen in intellectu, eiusdem radiis cæteri interni sensus collustrantur, Vt idem Videant quod ipse intellectus cernit.

Resp.

Rarissime contingit sic illustrari intellectum dum est in corpore, Vt infinitum Videat: sic tamen posse aliquando eleuari non negamus. Veruntamen si sic in contemplationem, & extra se in cælum rapiatur, non sequitur phantasiam cæterosque sensus eodem modo illustrari. Ratio est, quia inferiores sensus sunt natura sua materiales & corruptibiles, altiusque in tenebris ruinosi corporis sepulti & immersi, neque est inter Deum & phantasiam Vlla prorsus similitudo essentia, Vt inter Deum & mentem humanam, quæ imago Dei dicitur. Si ergo fingat cogitatio infinitum, non est Vera: Veritas enim opinionis & phantasiæ à Veritate rei obiectæ solum dependet: quare si res non ita sit Vt fingit, habeatur falsa. Sed concludam, peroptans semper Vt sit Vera, Vtque nihil cogitet, nihil somniet, nihil meditetur nisi infinitum Deum, ad quem non solum intellectus, sed etiam omnes sensus tenderent.

Mens humana imago Dei.

Finis libri tertii Physicorum.

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAPVT I.

Vtrum { *Sit locus omnino?*
Sit translatio corporum à loco ad locum?
Sit in loco vis vlla conseruandi & alterandi locatum? }

IN superiore libro de insitis rei naturalis affectionibus, motu, & infinitate: nunc de fortuitis & externis: loco nimirum, vacuo, & tempore agit Philosophus. De loco capita quinque, quatuor de vacuo, quinq; itidē de tempore tradūntur. Textus huius capitis non est obscurus. Primū causam reddit cur naturali philosopho sit de loco disserendum, tum ostendit locum rem cognitu difficiliorem esse, postremo quæstionem *An sit locus?* in vtramque partem disputat. Quod sit naturali philosopho de loco disserēdum duabus rationibus probat, tum quia omnia naturalia corpora (excepto primo mobili) sint in propriis locis, tum quia corporum motus naturalis esse non possit sine loco. Quod loci tractatio sit difficilior duæ item assignantur causę, quarum prior est, quia ex abditis proprietatibus, & adiunctis loci traditis certa elici non potest definitio loci: posterior quia veteres nullam huic disputationi lucem attulerunt, cum eorum fere neminem reperias, qui occultas loci vires & proprietates attigerit.

Libri huius distributio.

Cur physico sit de loco agendū.

Loci tractatio cur difficilis.

Quæstio *An sit locus?* multis argumētis in vtramq; partem discutitur, ac primum affirmatiue. idque à translatione & commutatione corporum: quia illa (vt videre licet) à loco in locum transferuntur, & ad se inuicem in loco sæpissime commutantur. A multiplici motu corporum, recto, circulari, & mixto scilicet, qui manifesto conuincit, esse locum in quo cientur & conseruantur corpora. Ab assertione vacui, quod veteres nunquam definiissent locum esse, si vtique

An sit locus, vtrinq; à Philosopho disputatur.

locus non fuisset. Ab authoritate Hesiodi, qui in Theogonia Chaos omnium primum & necessarium locum receptaculum esse constituit.

Extitit ante Chaos, post hoc vastissima tellus.

Rationes negantes locum esse. Pars negatiua huius quæstionis, (nempe quod non sit locus, pluribus vrgetur rationibus, quarum prima est à maiore hoc modo. Si quippiam sit locus, maxime corpus esse videtur, (quandoquidem easdem cum corpore dimensiones habeat) at corpus esse non potest, ne duo corpora (locus scilicet & corpus in eo receptum) sint simul, quod fieri nequit: ergo locus non est. Altera ratio refutatio est prioris argumenti, à translatione corporum: si idcirco sit locus, quia corpora transferantur, (siquidem vbi nunc aqua est olim aer fuerat) sequetur eadem ratione lineas, superficies, & puncta nunc aquæ imminere, vbi olim lineæ, superficies & puncta aeris fuerunt: sed lineæ, superficiei, & puncti nullus est omnino locus: igitur aut non est omnino locus, aut saltem non est à rebus ipsis locatis penitus diuersus. Tertia ratio est à distinctione: si sit loc⁹ aut est res corporea, aut corporis expers: non corporea, quia nec elementum, nec mixtum, cum ante probetur non esse corpus: non corporis expers, quia est res sensibilis, & corpori contento æqualis: relinquitur ergo non esse. Quarta ratio refellit argumentum antea ductum à multiplici motu & quiete corporum in loco: fieri enim (vt ait Philosophus) non potest, vt locus sit causa conseruandi locatum: quippe conseruare est efficientis causæ & qualitatis, non loci, qui potius finis videtur esse quam efficiens, cum in eo tanquam in fine res locatæ quiescant: at nec finis esse potest. cum non sit ipsum bonum rerum, cumque promiscue omne locatum & indifferenter recipiat: & denique cum corpus non sit propter locum, sed locus propter corpus. Quinta ratio à Zenone petitur, qui omnia quæ sunt in loco esse putauit, sed proinde locus ipse haberet locum, idque in infinitum. Postrema ratio sic se habet: si locus sit omnino, aut augetur cum corpore quod augescit, aut idem permanet: sed non augetur cum sit immobilis, nec permanet idem, ne moles aucta (quæ est corpus) sit sine loco, quod fieri non potest: concluditur ergo locum nihil esse.

Rationes Authoris locum astruentes.

Breui

Breui analysi hac textus iam tradita, dubia quædam leuiora attingam, quorum primum est, *An sit omnino locus?* Si me ad hoc dubium mouendum non traheret Philosophus, de re tam aperta & manifesta non prorsus disputarem: verum quoniam (vt videtur) fuerunt quidam inertes philosophi, qui in loco existentes, de eodem, An omnino esset, dubitarent, illorum amentiam paucis cum Aristotele nunc refutabo. Quid indocte & ignaue agis? cur locum, in quo es, tam pertinaciter negas? Popularis opinio, ratio, experientia, sensus te aperte conuincunt. Popularis opinio: vulgus enim existimat, quicquid est in loco esse. & nullibi esse quod non est. Ratio idipsum probat, tum à motu qui in loco fit, tum à corpore quod requirit locum in quo contineatur. Experientia: quæ terram hominibus, aquam piscibus, aerem volatilibus; omnibus cœlum locum communem dedit. Sensus: quia aquam terræ, aerem aquæ, ignem aeris, concauum lunæ locum ignis proprium & germanum esse euidenter videt. Adde huc rationes textus, quod sit translatio corporum à loco ad locum: quippe vbi nunc aqua est, aer fuit, & vbi nunc aer est, ibi aqua esse potest, vt in vase iam *aquam* continente liquido & manifeste constat. Præterea, illud ad quod tendunt vi & virtute naturæ corpora, est aliquid in rerum natura: sed locus est huiusmodi: (cum ad eundem sursum & deorsum leuia grauiaque ferantur) est ergo locus aliquid. Deinceps, cum sex differentiæ loci sint in vniuerso cum sint insitæ & innatæ facultates & proprietates loci, vt *attrahere* & *conseruare locatum*, cum sit inter locatum & locum necessaria societas & relatio: cæcus est, & omnino nomine philosophi indignus qui locum esse non concludat. Porro, de hac re dubium esse non potest, si veterum philosophorum testimonio & voci credamus; qui ponentes mundum creari aut generari, ante creationem & originem chaos seu locum vacuum esse voluerunt. Ratio est, quia existimarunt fieri nõ posse, vt corpora relíq; naturales sine loco crearentur. Postremo non est contẽnenda authoritas Hesiodi, qui ante originẽ mũdi factũ fuisse locũ seu vacuũ putabat, vt esset receptaculũ eorũ q̃ vi naturę fierẽt. sed de sole meri-

Quæst. 1.

Diluuia & procellæ, & terræ motus caussa sunt sæpe transferendi corpora.

diano. an sereno cœlo luceat? vlterius non disputabo.

Quæst. 2. Accedam ad alteram quæstionem, *An sit translatio corporum à loco in locum?* Duplex est interpretatio huius quæstionis, historica, & philosophica: illam omittere, hanc persequi decreui. Vana est multorum & minus opportuna hoc loco contentio, Quomodo post diluuium mundi in aera assurgebant montes? Quomodo aqua in littora & canales terræ subsidebat? quomodo halitus & vapores commutabant loca? Satis est docere aerem nunc esse vbi tunc aqua fuit. Fluebat vnda super terram, catarractis cœli clausis euanuit aqua, aquæ in venas & meatus terræ coactæ successit aer: aer ergo iam est vbi aqua fuit, & proinde hoc verum est quod Aristoteles hic docet, corpus à loco in locum sæpissime commigrare. Hoc etiam probat rerum naturalium vicissitudo: maxime elementorum, quæ singulis ferę momentis secũdum partes à loco in locum commutantur. Nũc aer rapitur in meatus terræ, nunc ex fistulis terræ prorumpit aqua, leuia sursum, grauia deorsum quotidie mouentur, non est quies in motu rerum: sentiũt enim aculeos naturę, statuque & loco non perfruuntur. At (dices) me noctuas afferre Athenas: nam omnibus notum hoc est, à loco in locum infinities corpora moueri, quippe omnia mobilia in loco sunt, & moueri non possunt nisi mutent loca: nõ est ergo hæc quæstio, cum in ea sit nulla partium contradictio. Recte mones: nam reuera *An corpora à loco in locum migrent & transferantur* non est anceps disputatio, sed hoc dubium est, *An translatum corpus in locum alterius eundem numero & natura locum occupet, quem id corpus, in cuius locum venit, prius occupabat?* Arist. asserit occupare: vt si ex vase effundas oleum aut aquam, succedit aer aut aliud corpus: idem (inquit) numero locus est huius corporis, ac fuit aquæ: est enim idem vas numero, eademque concaua superficies: idem ergo locus vtriusque. Nam quamuis verum sit non posse duo corpora in eodem loco simul cohabitare, verum tamen non est non posse duo aut plura corpora successiue in eodem loco existere. Transferuntur ergo corpora à loco in locum, vt idem numero locus maneat idemque natura. Hoc autem euenit in corporibus mutationi obnoxiis, nõ autem in æthereis & diuinis, in quibus nulla

Duplex interpretatio quæstionis.

Quæstionis status.

Sola corruptibilia à loco ad locũ mouentur.

nulla poteſt eſſe loci commutatio, viciſſitudo nulla. Simplex enim eſt motus cœleſtium globorum non mixtus, orbicularis non rectus, par non impar, conſtans non mutabilis, vnus non varius, æternus, non caducus. Pergam. Si corpus corpori ſuccedat in loco, aut idem locus eſt aut diuerſus, non eſt autem diuerſus: ergo eſt idem. Quod non ſit diuerſus hinc conſtat, tum quia corpus continens in quo ſuccedit translatum non mutetur, tum quia nihil contrarium accidit quo corrumpatur: eſt enim nihil contrarium quantitati, vt Ariſtoteles in prædicamento quantitatis docet.

Mutato locato immutatur locus.

Poſtremo & vltimo loco poſita quæſtio eſt, *An in loco ſit vis vlla generandi, attrahendi, & conſeruandi locatum?* A Porphyrio locus principium generationis & conſeruationis appellatur. generationis, quia nihil proprie extra naturalem locum generatur: conſeruationis, quia omnia naturalia appetitu ad ſuum natiuum quaſi ſolum ſedemque feruntur. Idem hoc loco inſinuatur à Philoſopho. cæterum an hæc vis multiplex inſit in loco per ſe, quæſtio eſt. Diſtinguo igitur locum capi duobus modis, vel materialiter (vt aiunt,) pro corpore locante, vel formaliter pro ſola extremitate ſeu concaua ſuperficie, vel relatione eiuſdem corporis, in quo aliud corpus continetur. Priori modo locus acceptus triplicem hanc vim & virtutem vendicat, *generandi, attrahendi, conſeruandi*, non tamen ſimpliciter & vi ſua, ſed ratione naturalium qualitatum eidem corpori locanti inſitarum, quæ maxime rebus in ſe generandis & conſeruandis accommodatur. Sic ſalamandra ignem, chamæleon aerem, halec aquam, talpa terram, principia, loca, alimenta, & veluti aſyla habent: principia, quia eorum vi generantur: loca, quia ſolum in illis degunt: alimenta, quia illorum ſubſtantia nutriuntur: aſyla à quibus remota (vt docet experientia) pereunt. Non ſolum de iſtis miraculis naturæ, & animalculis quæ tantum in ſuis elementis viuunt, ſed de aliis etiam mixtis corporibus, tam animatis quam inanimatis ago, quæ propriorum locorum viribus & benignis qualitatibus in generatione & conſeruatione gaudent. Sic embryo in vtero matris, ſemen plantæ in terræ ceſpite, auicula nuda in nido ſub ala parentis, ſanguis in venis, in arte-

Loci vis triplex.
Cap de Gen.
Locus capitur duobus modis.

tris spiritus, in ossibus medulla. Quid multis? in propriis locis tanquam in hospitiis beneuole excipiuntur omnia, quibus sublatis simpliciter res physicæ bene esse non possunt. Nam etsi à suis internis principiis esse internum vendicent, bene esse tamen plerumque locis natiuis acceptum ferunt.

Ratio cur tabescentibus sit salutare solum natiuum repetere.

Hinc non inconsulto quidam medici solent agere, qui tabescentes ferulæ suoque imperio subiectos vrgent ad natiuum solum (licet insalubrius) festinare. Ratio est, quia locus in quo nascimur vt ab origine suscepit, ita consuetudine (quæ est altera natura) suam prolem diligit.

Febris hectica loci mutatione sæpe curata.

Et certe hoc modo plures ab hectica febri imminente aut incepta iam liberatos vidi, quam alio quocunque Æsculapii alicuius pharmaco.

Loci definitio.

Sed dices, quid hoc ad locum, qui est nihil aliud quam concaua superficies corporis continentis, omnibus & singulis corporis locati partibus æqualiter accommodata? Dimensio in hoc est, non attractio, non conseruatio. Verum hoc est quod dicis, si solum locum formalem intelligas. at nunc de loco materialiter accepto disseritur, in quo sunt qualitates conseruatrices eorum quæ gignuntur in eo, at corpus hoc est non locus.

Quomodo qualitates conseruatrices & aliæ insint loco.

Sic est si essentiam locantis non dependentiam locati consideres; at tales qualitates non sunt omnino in superficie. Sunt vt in subiecto *quo*, non vt in subiecto *quod* vt aiunt. Quemadmodum ergo per tubos aqua, per venas sanguis fluit, & tamen aliunde aqua & sanguis ortum originemque trahunt: ita per loca tamquam per media & instrumenta occultæ qualitates ad nos deriuantur; quæ forsan à cœlo aut alio corpore natæ, vim generandi, attrahendi, conseruandi habent; locus tamen semper caussa conseruandi dicitur. Nam vt pulli generandi caussam oui testam, & conseruandæ auis caussam ipsum nidum dicimus, propria tamen causa est (si examines) influens calor matris: ita locus quidem principium generandi & conseruandi appellatur, quantumuis aliunde illæ qualitates manent, quarum vi hoc opus fit perficiturque. Sed dubia hæc leuiora sunt, ad grauiora festinamus.

Distinctio quæstionum primi capitis.

Tria

Tria dubia huius capitis sunt,

1 *Vtrum sit locus aliquid omnino?* In vtramq; partem de hoc dubio disputat Philosophus, & in primis probat locũ esse.

1 A motu corporis, qui esse non potest sine loco; omne enim corpus præter primum mobile (quod est ipsum principium mouendi) loco comprehẽditur & mouetur, quippe in vacuo (vt postea demõstratur) fieri non potest motus.

2 A situ corporis, qui loci ad locatum respectus est necessarius, secundum differentias loci.

3 A diuisione corporum in simplicia & mixta, quæ (vt ratio, experientia, & sensus probant) sua loca manifeste habent.

4 A transmutatione corporum à loco in locum, quæ esse nõ posset si non esset locus.

5 A dimensione externa corporum, quæ ex æquali proportione internæ mensuræ conuenit. Vt enim est trina dimẽsio interna quæ corpus: ita est trina dimensio externa quæ locus dicitur.

6 Ab opinione veterũ, tum philosophorum tum poetarum, quorum illi vacuum, hi vastissimum Chaos & receptaculum locum esse definierunt.

2 *Vtrum*. Vide in seq pag. signum D.

3 *Vtrum locus sit principium conseruandi?* huius dubitationis explanatio à distinctione dependet, videlicet quod locus consideretur

1 Formaliter, pro concaua superficie corporis continentis, immobili primum & per se, vt postea definitur; & sic nõ est principium generandi, attrahendi, aut conseruandi.

2 Materialiter, pro corpore continente, qualitatibus suis insitis, & non fluxis ornato; & sic principium generãdi & conseruandi dicitur; vnde illud Porphyrii, *vt pater, sic patria ortum cuique tribuit*; hinc quoque & illud, *omnia appetunt sua loca, & in illis quiescunt.*

D

3 *Vtrum sit translatio corporum in eundem locum numero?* Huius dubii est duplex expositio

- Historica, in qua adferri possunt infinita fere exempla, quibus probetur illic iam terram esse, vbi aqua fuit, & ex aduerso.
- Philosophica in qua probatur, ꝙ in eundem numero & natura locum transferri possit corpus; probatur inquam
  - 1 Ab exemplo vasis aqua vel oleo pleni, in quod idem numero & natura existés aliud recipitur corpus.
  - 2 A necessario, quia non est aliquid contrarium loco in translatione corporũ, quo corrumpatur.
  - 3 A ratione subiecti, quod est corpus continens, cuius substantia manet, tametsi aliud corpus in se recipiat; quo concesso, manebit etiam illius concaua superficies, quæ est locus.

Argumenta in primum dubium textus, Vtrum sit locus?

Opp. *Ne anceps sis animi (studiose lector) an sit locus, argumentis in contrariam partem adductis à Philosopho in textu hic ordine respondebo, quod Aristoteles sparsim, confuse, & obscure in diuersis partibus huius libri facit. Primum argumentum hoc est. Si locus sit omnino, maxime erit corpus, quia easdem dimensiones cum corpore habet. at corpus non est (tum enim essent duo corpora simul, nempe locus & corpus in eo receptum, quod fieri non potest) ergo non est locus.*

Trina dimensio duplex.

Resp. *Negarem maiorem huius syllogismi, & distinguerem duplicem esse trinam dimensionem, vel internam, quæ est ipsum corpus in quantitate, vel externam, quæ est locus. Locus enim est superficies concaua corporis continentis, singulis partibus & dimensionibus corporis contenti extrinsecus applicata.*

Opp. *Si esset locus, quia est translatio corporum (vt superius demonstratum fuit) sequetur locum esse punctorum, linearum, superficierum, quæ etiam transferuntur: sed linearum, punctorum, & extremitatum locus non est: ergo ob eã rationem translationis non probatur esse locus.*

Resp.

Resp. *Maior etiam huius syllogismi est infirma, & eiusdem consecutio penitus neganda: nam directe translatio corporum arguit locum esse, quia motum localem arguit; vt vbi nunc est aqua prius terra fuit: sed translatio punctorum, linearum, & superficierum talem omnino motum non probant. Aliquid ergo est in loco bifariam, aut per se & proprie, vt corpus, aut per accidens & improprie, vt linea, punctum, superficies, quæ ideo sunt in loco, quia sunt in corpore.* *Accidentia in loco improprie.*

Opp. *Si locus esset, vel esset elementum, vel mixtum ex elementis, vel incorporeum aliquid & intelligibile; non elementum, quia nō est ignis, aer, aqua, vel terra; non mixtum, quia non est corpus; non aliquid solum intelligibile, quia ex consensu omnium philosophorum subiicietur sensui: ergo videtur non esse omnino.*

Resp. *Fallax & falsum est hoc argumentum à bene diuisis ad male coniuncta; & etiam negandum, quia est insidiosum per accidēs, & per mutationem suppositionis quippe in maiore à non concessis quasi à concessis disputat Philosophus hoc modo: si esset locus, esset elementum, quasi quis vnquam doceret locum esse substātiam; Sed sic sæpe cum aliis ludit Arist. istis ergo omissis ad alia propero.*

Opp. *Si locus esset, secundum veteres philosophos vim haberet generandi, attrahendi, conseruandi locatum; sed hanc vim non habet: ergo non est. Maior videtur probari ex veterum testimoniis. Minor constat, quia si locus haberet hanc vim, esset caussa efficiens, quia gignit, & finalis, quia attrahit & conseruat: nemo vero philosophorum loco nomen caussæ attribuit: hanc vim ergo non habet, & ex consequenti ob hanc rationem non est locus.* *Porphyrius in genere.*

Resp. *Satisfactum est huic argumento antea ex distinctione loci formaliter & materialiter accepti. illuc te (lector studiose) refero, responsum hoc reperies in fine expositionis. Præterea si aliter respondere velis, maiorem (quæ est fundamentum argumenti) nega: nam idcirco non est locus quia hanc vim habet, sed quia locatum dimetitur.*

Opp. *Quicquid est (ait Zeno) in loco est: ergo si locus sit, locus in loco erit.*

Resp. *Nugas agis sed respondeo per* quicquid est *hoc loco intelligi corpus, non accidens aut mensuram corporis.*

Oppo. *Si locus sit, aut augetur cum corpore accrescente aut non augetur; si augeatur non est immobilis (vt hic docet Philosophus,) si vero non augeatur, erit moles aucta sine loco. quo nihil est absurdius: ergo videtur non esse locus aliquid omnino.*

Locus quomodo immobilis & mobilis.

Resp. *Augmentatio non arguit mobilitatem & inconstantiam loci, quippe immobilis locus dicitur, quia ex se & vi suâ non est mobilis, sed per accidens, ratione corporis locantis in quo est, vel ratione corporis locati cui applicatur; cùm locus nō solum pro superficie sed & pro respectu corporis contenti & continentis sumatur.*

Argumenta in secundam quæstionem. Vtrum sit translatio corporum à loco in locum eundem numero?

Opp. *Localis motus est à loco in locum; sed sunt quædam corpora quæ perpetuò eundem locum tenent: ergo non est translatio corporum à loco in locum. Minor probatur exemplis omnium cælestium corporum, quæ locum mutare non possunt, & exemplo terræ quæ immobilis est.*

Corpora mutant loca sua dupliciter.

Resp. *Corpora transferri dicuntur a loco in locum duobus modis, vel secundùm totum,* vt homo, *vel secundum partes,* vt elementa & cœlestes *globi, qui in partibus loca quotidiè mutant. Vel respondendum est, in hac quæstione, non requiri vt omnia à loco in locum migrent; satis enim est ad probandum locum esse si aliqua sic transferantur.*

Opp. *Aqua est densius corpus aere; sed densius corpus non cedit rariori: ergo ea translatio aquæ in aerem (de qua in textu Arist. mentionem facit) non videtur vera; & proinde non arguit locum esse, adeoquè non est probabile, nunc aerem esse vbi aqua fuit.*

Resp. *Licet aqua non cedat aeri, aqua tamen vel extenuatione mutata in aerem, aut in fistulas terræ absorpta, aer nunc esse potest vbi aqua fuit.*

Opp. *Vnius corporis vnus numero est respectus: ergo plurium corporum vnus numero non est locus. Ratio tenet, quia locus & locatum sunt relata. si ergo sit vnum locatum, est vnus locus: & si sint plura locata, erunt plura loca.*

Resp. *Locus consideratur vel inhæsiuè, & sic est vnus numero*

numero multorum corporum sibi inuicem succedentium; vel respectiuè, & sic (vt ais) nō est: mutatur enim respectus, cum corpus corpori in eodem loco succedat. Exempli causa, vna est superficies concaua vasis argentei, *aut* æneì *in quo continetur* aqua, vinum, *aut* oleum; *at liquore effuso* aer *succedit, & implet eundem locum numero, si vasis superficiem spectes, at si diuersum respectum vicissitudinis & commutationis consideres, concedendum est aliquo modo commutari.*

Loci consideratio duplex.

Opp.

Locus inhæret corpori locato: ergo inhæsiue consideratus, alio in se translato corpore commutatur; & proinde idem numero locus non manet. Antecedens probatur, quia accidens inhæret eidem subiecto quod denominat; sed locus locatum denominat: ergo locus locato inhæret.

Resp.

Replicatio hæc ideo infirma est, quia à falso fundamento sumitur. Ratio est, quia omnia quæ denominant aliquid eidem non inhærent. Sunt enim multa quæ relatiuè denominant aliquid, & tamen idipsum quod denominatur verum sui subiectum non habent.

Denominatiua semper non inhærent denominatis.

Opp. *Moto corpore locante non mutatur locus immoti corporis locati: ergo moto corpore locati mutatur locus. Antecedens probatur, quia locus turris fixæ vnius numero manet, tametsi aer ambiens millies quauis hora mutetur. Argumentum tenet à contrariis.*

Resp. *Certum est locum fixi corporis non mutari, tametsi corporis locantis superficies, proximè idem corpus iam fixum ambiens, quouis momento millies mutetur; quia idem respectus, eademque distantia & æqualitas semper manet, vt postea apparebit planius. Sed hoc argumentum non cohæret: quia locantis & locati non est contrarietas, sed potius certa societas & relatio.*

Argumeenta in tertiam quæstionem. Vtrum sit in loco vis vlla generandi, attrahendi, conseruandi locatum?

Opp. *Negat Aristoteles in textu esse vllam vim generandi, aut conseruandi locatum in loco: ergo inanis est ista tua*

defensio. Ratio negationis in textu videtur esse firma, quia locus nec est efficiens causa, nec finis: & proinde nec ortum, nec conseruationis bonum rebus concedit.

Resp. *Vide responsum ad hoc argumentum in expositione textus, vbi edocui, locum sæpe pro corpore locante simpliciter sumi, & sic potest esse principium aliquo modo generandi, attrahendi, conseruandi, quia in eo sint qualitates veluti nutrices eorum quæ in illo generantur.*

Opp. *Locus non est omnino corpus, nec esse potest: ergo sumi non debet pro corpore. Antecedens probatur, quia locus est solum pars corporis, nempe superficies, quo concesso absurda videtur ista expositio, locum esse principium conseruandi.*

Locus quomodo corpus.

Resp. *Etsi locus sit solum pars corporis in absoluta & simplici essentia sua, in respectiua tamen natura sumi potest pro corpore; non quod ita sit, sed quod similes & cognatas partes proportionis in relatione sua ad corpus habeat. Vt enim corpus est longum, latum, & profundum: ita est locus; corpus intrinsecus, locus vero extrinsecus. Præterea, cum qualitates corporis continentis transfluere non possunt in corpus locatum, nisi per superficiem concauam eiusdem, recte locus (qui est quasi vehiculum, & subiectum* quo *vt aiunt, earum qualitatum) conseruare corpus locatum dicitur: proxime enim locus attingit, proxime infert qualitates, proxime amplectitur fouetque locatum.*

Opp. *Extra locum naturalia corpora generantur, attrahuntur & conseruantur: ergo hæc positio Philosophi non est simpliciter vera, quod solum in loco naturali & proprio sit vis generandi & conseruandi. Antecedens constat in frigidis meteoris, quæ in media regione aeris generantur & conseruantur. At certum est illic generari vi quadam contra naturæ ordinem, cum sint grauia corpora & ponderosa, quæ potius centrum quam altum locum quietis quærunt; nubes intelligo, lapides, aliaque istiusmodi, quæ perpetuo in alta & sublimi illa regione generentur, & (quod magis vrget) conseruentur.*

An media aeris regio sit proprius locus meteororum frigidorum?

Resp. *Lis ingeniosa est inter philosophos,* An media aeris regio sit proprius locus istorum quæ nominas, cum natura sua sint leuiora corpora? *Est enim in vaporibus, vnde generantur nubes, calor innatus qui sursum vaporem ele-*

uat;

nat, est in halitu (vnde fulmen generatur) subtilior etiam calor innatus, etiam cum siccitate, quo in altum rapitur. Hic per antiperistasin vapor facile in densiorem nubem, halitus in flammam si sit subtilis, in lapidem si sit viscosus vertitur. Si ergo hanc vim nubem generandi & conseruandi, vt naturalem virtutem & proprietatem aeris mediæ regioni concedas, non est quod verearis absurdum. Sed (si places) respondeo, fieri hoc quidem ad conseruationem vniuersalis naturæ, & euitationem vacui, vt sursum grauia, leuia deorsum aliquando generentur & conseruentur, non tamen hoc legem vniuersalem naturæ destruit.

CAPVT II.

Vtrum { *Locus communis à proprio re distinguatur?* / *Locus potius respectu corporis locati quam superficies corporis locantis definiatur esse?* }

VT leuiora metalla minoris æstimantur, pluris autem quæ pondere lancem premunt: ita refutationis vmbræ apud Philosophum leuiter quidem rationis trutina librandæ sunt, vt illis (tanquam scoria aut palea) sublatis, aurum pretiosum ingeniosissimi Philosophi ponderemus. Multa hic quidem de loco (vt ante de infinito) tradita sunt in refutationem aliorum argumenta, multa in ignotos fulmina mittuntur, qui an vulnerati fuerunt incertum est, cum illorũ in hoc sæculo & ætate non extent opera. Sed rē agam. In secundo hoc capite leuior mouetur quæstio, *Vtrum* scilicet *locus sit materia aut forma?* In expositione eiusdem distinguit locum in communem & proprium; Communis est, (inquit) qui suo ambitu & complexu alia aliaq; corpora remote comprehendit, quorum nulli proprius dici potest, vt *cælum, forum, templum*; Proprius, qui nihil aliud continet quam corpus cuius est locus: vel est in quo quippiam inest primo & immediate. Hinc probat Philosophus, locum esse formam, quia vt forma est terminus rei: ita est locus terminus corporis locati, qui non aliter ac forma per motum acquiritur. Quod sit materia etiam sic probat, primum quia locus est receptaculum vt materia, tum quia secundum Platonem (vt hic ait) materia & locus sunt ens vnum idemq; nu- *Loci distinctio in communem & proprium.*

Plato in Tim. *Locus nec est forma nec materia.* mero. Pergit ad contrariam partem Philosophus, & demonstrat locum sex rationibus non esse materiam aut formam. Prima hæc est, proprietates loci non conueniunt formæ: ergo locus non est forma. Secunda, locus non est pars locati;
1. sed materia & forma sunt partes: ergo locus non est mate-
2. ria aut forma. Tertia, locus est separabilis à locato; sed for-
3. ma à materia non separatur: ergo locus à locato non separatur.
4. Quarta, omne corpus vi sua mouetur ad locum, non autem ad materiam & formam, (quoniam hæc duo principia in se habet) ergo locus non est materia aut forma. Quin-
5. ta, si locus esset materia aut forma, sequeretur eundem necessario moueri cum locato; sed hoc est falsum, cum locus sit immobilis: igitur locus non est materia aut forma. Sexta, si locus esset forma, tum aqua ex aere facta locus esset corruptibilis; at hoc est falsum, quia dicimus illic aquam nunc esse, vbi antea aer fuit. Vides (studiose lector) quas muscas Aristoteles hic capiat, dum alios (vt leo) tam ægre persequatur; non audeo accusare virum tanti ingenii aut sapientiæ, velim tamen legas Simplicium, commentatorem, & D. Thomam in hoc caput, & intelliges arcum Aristotelei ingenii plurimum intendi, neminemque Philosophorum contra quos disserit, telis ipsius confixum esse aut confossum. Nam vbi ait Platonem docuisse, materiam & locum ens vnum esse; in dogmatibus quæ ab illo discipulis sunt tradita plane contrarium constat.

Arist. in confutandis philosophis lenis & frigidus.

Verum ne vllus tractatus aut discursus sterilis & infœcundus esse videatur, vnam vel alteram quæstiunculam è textu eliciam. Prima erit, *An locus communis reipsa à proprio distinguatur?* Altera, *An locus potius respectus corporis locati, quam superficies corporis locantis definiatur?* Communis locus est (vt superius definiuit Philosophus) *qui rem non primo & immediate complectitur, vt cælum* respectu Socratis, quem aliorum corporum interiectu ambit. Proprius autem locus ex aduerso dicitur, *qui primo & immediate rem continet*, qualis est *superficies aeris concaua*, Socratem proxime ambientis. Beuero interpreti magni nominis placet hæc opinio, quod locus communis à proprio reipsa non differat. Membra, inquit, huius diuisionis relatione, non autem re discreta sunt, cum idem locus

Quæstio. 1.

(puta

(puta superficies orbis lunaris) respectu diuersorum sit communis & proprius locus; proprius quidem igni, sed inferiorum vt aeris, aquæ, terræ, & in terra degentium locus communis. Hactenus ille. Pace tanti viri (quem in aliis plerumque sequor) dabitis mihi veniam, si ab illo in hac quæstione parum discedam.

Nam etsi idem locus possit esse & communis & proprius, res tamen vna numero & natura non est. Quippe vt idem homo potest esse & pater & filius, & tamen non sequitur patrem & filium esse vnum natura, accidente, & respectu: ita licet idem possit esse locus communis & proprius, essentialis tamen est in vtroque diuersitas, si situm, ordinem, & relationem, (quæ sunt in loco præcipue spectanda) consideres. Sed vt articulatius hanc rem demonstrem, à definitione, diuisione, diuersitate subiecti, proprietate, & & fine, sic argumenta contexo. Et primum a definitione hoc modo: quæ definitione differunt, re & natura differunt: sed locus commmunis & proprius definitione differunt: ergo re & natura differunt. De maiore nemo philosophorum dubitat: minor in textu patet, vbi contrariæ definitiones vtriusque assignantur. *Rationes quæstionis prima.*

Communis (inquit Philosophus) est, *in quo remote omnia insunt corpora*: Proprius *in quo vnum aliquod corpus immediate haret. Omnia, & vnum, remote inesse, & inesse immediate* re distinguuntur: locus ergo communis & proprius re & natura distinguuntur. At diuisione idipsum probari potest; quia alia magis interna dari non potest loci distributio, cum eiusdem membra totum absoluant diuisum, & cum loco conuertantur: vt recte quidem diças, *quicquid est locus, aut est spacium commune, aut proprium: & quicquid est spacium seu interuallum commune aut proprium, est locus.* At (dices) talis sæpe est conuersio accidentium cum subiecto. Non est: quia accidentia solum existentiam absoluunt, non essentiam: at tota essentia loci in communi & propria relatione ad corpus cernitur absoluiturque. Nam quid aliud est locus quam communis vel proprius respectus corporis continentis ad locatum? Tertium argumentum à diuersitate subiecti nostram partem manifeste concludit, & contrariã conuincit. Nam accidentia seu affectio- *Communis locus quid. Proprius quid. Praeoccupatio obiectionis.*

nes quæ ſubiecto differunt, re & natura differunt; locus autem communis & proprius ſubiecto differunt: ergo natura differunt. At dices vtrumque corpus ſolummodo continens ſubiectum habere. Falſum id eſt, ſi locus formaliter, pro reſpectu corporis continentis & locati ſumatur. Ratio à proprietate vtriuſque pondus habet, cum diuerſæ proprietates diuerſas formas & naturas præſupponant: at locus cõmunis & proprius diuerſas proprietates habent: ergo natura differunt. Minor probatur, quia communis loci proprium eſt pluribus ſimul conuenire; proprii autem munus & officium eſt vni ſolum corpori accommodari, idemq; cui accommodatur occulta quadam vi & virtute conſeruare, vt ſuperius demonſtratum fuit. Multa enim ſunt quæ extra ſuũ proprium locum ſubſiſtere non poſſunt, vt in *conchis* & *oſtreis* videre licet. Poſtrema ratio ab vſu & fine ſic eſt. Quæcunque diuerſos fines habent, re & natura differunt; ſed locus communis & proprius diuerſos fines habent: ergo natura differunt. Aſſumptio conſtat ex Ariſtotele, qui idipſum docet, & etiam probatur ratione, quia proprii loci finis eſt, proportione adæquari ſingulis partibus corporis contenti, quod loco communi nullo modo conuenit. Huc addi poſſunt alia argumenta ab authoritate & exemplis; ab authoritate, quia interpretes magni nominis in philoſophia in hac re mecum conſentiunt; ab exemplis, quia vt poſtea defendit Ariſtoteles, elemẽtorum loca differre ſpecie, quoniam proprietate & communitate differunt: ita non video rationem, cur hic idipſum ob eandem cauſſam non concludam.

Loci ſubiectũ.

Multa extra proprium locum conſeruari non poſſunt.

Sed hæc omitto, & ad aliam quæſtionem accedo, quæ eſt, *Vtrum locus potius reſpectus corporis locati, quam ſuperficies corporis locantis eſſe definiatur?* Grauiſſimi in vtramq; partem interpretes in hoc dubio feruntur. Alii in biuio quaſi hærentes rem totam indiſcuſſam relinquunt, aientes non eſſe quæſtionem magni momenti. Cæterum cum maximã eſſentiam loci hæc attingant, operæ pretium erit de iiſdem pauca attexere, vt clarius quid ſit poſtea perſpiciatur. Prætereo hic lubens multiplices opiniones philoſophorum; argumẽtis enim potius q̃ teſtimoniis marginem huius operis a me ſuſcepti replere velim. Sunt qui locum omnino è rerũ natura tollant, vt ſuperius inſinuauit Philoſophus; ſunt etiã qui

Quæſtio 2.

qui eundem spacium quoddam reale inter corpus locans & locatum esse velint; sunt qui vacuum & inane quiddam esse defendant; sunt qui simpliciter & absolute eundem esse interiorem superficiem corporis continentis, sine vllo respectu corporis contenti definiant; sunt qui ex aduerso eundem respectum corporis contenti, sine relatione corporis continentis esse affirment. Nam (inquiunt,) totum esse relati dependet à correlato: sed locus & locatum sunt relata: ergo essentia loci dependet solum ab esse locati, & ex consequenti non est alius respectus loci nisi ad locatum. Sed (vt hanc litem dirimam) existimo equidem locum considerari posse duobus modis, vel materialiter (vt aiunt) vel formaliter: Materialiter iterum, aut secundum totum pro corpore continente, quanto & quali, id est mensurante, & conseruante; vel pro superficie concaua, quæ est & interior pars eiusdem corporis, & per applicationem seu respectum mensura alterius. Formaliter locus sumitur, non pro corpore quanto & quali neque pro superficie solum corporis locantis, sed pro externa applicatione & respectu eiusdem superficiei ad corpus locatum. Nam in loco consideranda sunt duo, materia & forma. Materia est vel remota, vt *corpus continens*, vel proxima, vt *superficies concaua eiusdem corporis* per quam definitur. Forma, quæ est relatio huius concauæ superficiei continentis ad rem contentam, & hæc est differentia loci, quæ nomen & esse loco proprie attribuit. Hinc sequitur, quod locus potius dicatur realis respectus locãtis & locati, quam superficies, quia res quælibet nihil aliud est quam forma sua, vnde nomen & esse habet: locus autem non habet nomen à superficie sed à forma sua, quæ est æqualis ista relatio & applicatio continentis ad rem contentam & ex aduerso. Non inepte igitur nec incommode à quibusdam definitur locus *ordo partium corporis continentis ad partes corporis contenti; & ordo partium corporis contenti ad partes corporis continentis.* Attende hic diligenter & serio quid dicam, locum scilicet accipi vel materialiter, pro denominato, & sic est superficies concaua corporis continentis in quantitate: vel formaliter pro *ipso* (vt loquuntur veteres) *per se significato*, & sic est respectus locantis & locati, seu *Vbi actiuum*, quod per motum vt terminus acquiritur.

Loci duplex consideratio.

Loci materia.

Forma.

Definitio probabilis.

Argumenta partis affirmatiua.

1\. Breuiter sic disputo; forma magis proprie dicitur de re aliqua quam materia; sed respectus locantis ad locatum est forma, superficies autem materia, aut materiæ vicem occupans: ergo locus potius respectus quam superficies definiatur. Maior constat, cum in materia confusio, in forma distinctio rei essentialis insit. Minor probatur, quia superficies in definitione loci generis nomen subit, quod semper materiæ comparatur, respectus autem applicationem continentis ad rem contentam, & ex aduerso denotat, quæ locum ab aliis omnibus essentialiter distinguit, quod munus est proprium formæ.
2\. Præterea superficies & locus sunt distinctæ species quantitatis: ergo non tam proprie earum vna de altera dici potest ac forma interna, cuius accessu & consilio res in essentia absoluitur: non igitur tam proprie locus superficies quam respectus dici potest. Nam etsi vna species in quantitate alteri speciei locum materiæ subeat (vt in disiunctis & concretis quantitatibus cernitur; est enim linea materia superficiei, superficies materia corporis: similiter est binarius numerus materia ternarii, & sic deinceps) tamen in formis semper eminet distinctio, totaq; definitio consummatur.
3\. Insuper, vt numerus potius vnio formalis vnitatum, quam ipsæ vnitates dicitur: ita locus potius respectus corporis continentis ad rem contentam, quam superficies dici debet. Ratio est, quia vnio, consensus, seu copulatio vnitatum, forma est numeri cuiusq; in specie, vnitates vero ipsa materia.
4\. Non dicam hoc loco superficiẽ æquiuoce prædicari de loco, vere autem prædicari non posse: nã superficies distincta in concauam, conuexam & planam, superficies tamen est semper, eademq; disiuncta species à loco.

Accidentia no faciunt differre specie.

Accidentia enim, vt *concauum conuexum*, & *planum*, nõ faciunt differre à specie: sequitur ergo locum non tam apte & directe dici superficiem, ac respectũ per *superficiei* nomen ab Arist. connotatum.
5\. Porro si verum sit illud quod in

Lib. 1. Top. cap. vlt.

Top. habet Aristot. nimirum: *quicquid cadit in speciem idipsum cadere in genus*, qui fieri potest vt loci accidẽtia & differentiæ, qualia sunt *sursum, deorsum, ante, pone*, &c. extremitati non conueniant?
6\. Molestior essem si plura accumularẽ argumenta: sed ero breuis. Si locus sit superficies magis quam respectus, sequetur locum moueri, saltem per accidẽs,

ad

motum corporis locantis cui inhæret: at locus definitur in textu omnino immobilis. Verum si per respectum definias 7. locum, facile defendes locum perpetuo immobilem esse: quoniam respectus idem numero & natura manet, quantumuis superficies corporis continentis millies moueatur.

Locus pro respectu sumptus immobilis.

Rursum, si locus potius superficies quam respectus dicatur, 8. tum vbi plures erunt superficies plura erunt loca: sed hoc est manifeste falsum. Exempli causa, in *pyramide* cuius superficies ex motu aeris centies quauis hora mutatur, non tamen centies mutatur locus: imo ne semel quidem: respectus ergo potius quam superficies appellari debet locus, quia idem realis respectus semper corporis locantis ad rem locatam, idem (inquam) respectus numero & natura manet. Postre- 9. mo, cum constet apud Philosophum, primum mobile esse & moueri in loco, cumque etiam constet locum cœli non esse superficiem, & ex consequenti concludo, non rectius vocari locum superficiem quam respectum, cũ sit locus qui omnino superficies dici non potest: at respectus dici potest, licet nullum aliud corpus continens animo concipias, cœlo vlterius. Sed de hac re plura postea dicemus.

Distinctio quæstionum secundi capitis.

Quæstiones hui⁹ capitis sunt duæ,

- Prima *An locus cõmunis a propria · e distinguatur?* distingui autem re probatur; à
  - 1 Definitione, quia locus communis & proprius diuersas definitiones habent.
  - 2 Diuisione, quia membra diuisionis realiter distinguuntur.
  - 3 Diuersitate subiecti, quia proprius locus formaliter sumptus potius respectus, quam superficies definitur, locus autem communis aliter.
  - 4 Proprietate, quia proprius locus alias qualitates innatas habet à communi.
  - 5 Fine, quia finis proprii loci est adæquari toti locato, & singulis illius partibus, non autem hoc conuenit loco communi.
  - 6 Authoritate, quia veteres philosophi hoc ipsum docuerunt.
  - 7 Exemplis elementorum & cœlestium sphærarum, quorum loca realiter inter se differunt.
- Secunda. Vide in seq. pag. lit. E.

E

Secunda, *An locus potius per respectũ quã per superficiem definiatur?* Probatur vero q͞ sit potius respectus quam superficies, si proprie cõsideretur. Hinc assignata est distinctio; q͞ loc⁹ cõsideretur vel

Materialiter, idque vel p͞

1 Toto corpore continente: sic *cœlum* dicitur locus omniũ, & vnumquodq; superius corpus continens locus inferioris sub se contenti.

2 Parte, nempe pro superficie eiusdem corporis, eademq; vel remota, & sic communis; vel proxima, & sic proprius locus dicitur. Hoc vero modo locus acceptus superficies concaua corporis continentis, immobilis primo, in textu à Philosopho definitur.

Formaliter, pro *actiuo & circumscriptiuo vbi* (vt loquuntur:) id est, pro respectu superficiei in corpore locante inhęrẽtis, & singulis partib. corporis contẽti respondentis, qui respectus magis naturam loci attingit; & idcirco locus potius respectus quam superficies dici debere probatur

1 Quia hic respectus locantis ad locatum est forma, in qua est distinctio; superficies vero est materia, in qua est confusio.

2 Quia superficies est distincta species à loco, & proinde non proprie de loco dicitur.

3 Quia locus non aliter dicitur superficies, quã numerus vnitates, quæ sunt materia numeri.

4 Quia concauum est accidens superficiei, & non potest aliam speciem distinctam efficere ab eadem. Locus ergo à superficie non per concauitatem, sed per respectum & applicationem à superficie distinguitur: magis ergo respectus quã concaua superficies definitur esse.

5 Quia superficies ad motum corporis continentis mouetur; at respectus non mouetur: cum ergo loci proprietas sit immobilitas, potius respectus quam superficies dicitur.

6 Quia accidentia & differentiæ loci vt *sursum, deorsum*, &c. solum respectum præ se ferunt, non superficiem.

7 Quia hoc posito, quod sit superficies, quo plures sunt superficies, eo plura erunt loca; sed hoc est absurdum, vt constat in immotis corporibus, quorum superficies continentes sæpe mutantur, at eorum loca non mutantur.

8 Postremo, cum cœlum localiter moueatur, & non in superficie concaua alterius corporis continentis; constat locum non semper definiri debere per superficiem.

Argumen-

Argumenta contra textum, & primam quæstionem: Vtrum locus communis & proprius realiter differant?

Opp. *Videtur Philosophus primum in hoc capite nugari, otiose mouendo quæstiones triuiales, nimirum:* Vtrum locus sit materia aut forma? *&* Vtrum sit corpus vel corporis pars aliqua? *plurimum (inquam) nugari videtur; quoniam nemo est tam ignarus, qui non videat locum nec esse materiam, nec formam, adeoque nemo tam imprudens, quin rationes in vtramq; partē ab illo adductas bile potius inuidia contra Platonem, quam sale philosophia in veritatis defensionem acui & condiri discernat. Verbo percurram; est (inquit) locus terminus rei: ergo est forma; est receptaculum: ergo est materia. Plato docuit materiam & locum rem vnam esse: ergo sic est; argumentum hoc nego. Sed hoc Aristoteles (ne abutamur tanto Philosopho) vbi hoc ipsum Plato diuinus docuerit. Porro, omne (inquit) corpus mouetur ad locum: ergo locus non est forma. Ratio non tenet (Philosophe) nam res etiam ad formam mouetur. Sursum & deorsum sunt differentia loci: ergo locus nec est materia nec forma. Supersedeo reliquis, ne molestus fiam; si hoc non sit nugari, nescio quid sit nugas agere.*

Resp. *Aculei istorum scorpionum exempti sunt; & omnino non pungunt; ludis ineptè, bilemque & salem insipidum in aerem spargis. Fuerunt enim qui dubitarent:* An locus esset corpus vel pars corporis? & *si esset pars*, An materia aut forma? *viderunt quidem res generari & conseruari in loco: imprudenter ergo non dubitarunt:* An sit corpus? *viderunt etiam per motum eundem acquiri, temere ergo non dubitarunt* An esset forma, *quæ vt terminus rei acquiritur? Similiter de materia dico, quæ omnia non aliter quam locus recipit. Sed esto; licet aliqua ex parte consentiam tecum, aciem scilicet Philosophi & acumen in refutatione Platonis non tam vigere, quam in demonstratione veritatis: patienter tamen excursiones istas tuas in posteriore parte argumenti non fero, vbi deridendum Aristotelem proponas, propter rationes illius quinque, quibus analytice probat, locum nec esse materiam nec formam. Quamuis enim ridicule tu illius argumenta contexas, recte tamen vti debes, & restim inuenies* *Defenditur Aristoteles.*

quo suffoceris. Nam (vt in vno argumento instem) sic formas Aristoteles: nulla pars corporis est locus, sed omnis materia & forma sunt partes: ergo nulla materia aut forma sunt locus. Iterum, nihil mouetur ad materiam & formam, quæ vt principia sua in se continet: sed omne corpus mouetur ad locum: ergo locus non est materia aut forma. Quid negas? quid refellis? nihil certe hic inuenies in quod cauilleris. Sed omitto textum, & ad quæstiones è textu desumptas venio.

Opp. *Opponis teipsum synodo philosophorum in prima quæstione: Omnes enim fere consentiunt, locum communem & proprium reipsa non differre: sed authoritate non vrgeo, sic ratione aggredior. Communis locus est superficies corporis continentis, applicabilis corpori locato, & est locus proprius: ergo re non differunt.*

Locus communis & proprius eandem habet definitionem remote, sed non proxime.

Resp. *Sic probare potes* hominem & belluam *re non differre, quia vterque est corpus animatum sensibile: agnosco vtrumq; in remota definitione conspirare, non autem in proxima: quippe locus communis est* qui multa corpora remote, *proprius vero* qui vnum solum proxime & propinque continet. *Præterea communis non est terminus, ad quem per motum corpus locatum fertur: proprius vero est terminus qui acquiritur, & quo naturaliter res omnis mobilis conseruatur.*

Opp. *Magis & minus non faciunt differre specie: sed locus communis & proprius differunt solum secundum magis & minus: ergo locus communis & proprius specie non differunt. Aristoteles maiorem in Topicis vbique habet, & ratio id ipsum suadet:* quia intensior calor *non differt à* calore remissiore. *Minor patet, quia locus communis solum differt à pprio, quia ille magis, hic vero min' amplus existit.*

Magis & minus an faciant differre specie dubium.

Resp. *Primum anceps quæstio est*, Vtrum magis & minus faciant differre specie? *si qualitates intensæ & remissæ sint in diuersis subiectis, vt* splendor in sole, & splendor in lucerna, vt calor in igne, & calor natiuus in homine. *Hinc negatur, locum aut vllam aliam quantitatem suscipere magis & minus. Est enim proprietas quantitatis non suscipere. Postremo ad probationem dico, quod non solum magis aut minus amplum consideretur in essentia & distinctione loci, sed respectus diuersus & applicatio quæ est diuersa numero*

&

& natura, quandoquidem communis locus omnibus, proprius autem vni soli accommodatur.

Opp. *Nullus est locus communis quin fieri possit proprius: ergo nisi res vna realiter à seipsa differat, non est quod dicas locum proprium & communem realiter inter se differre. Antecedēs probatur ex instantia vnius instar omnium, intelligo cœlum, quod est tectum totius mundi. Hoc ipsum cœlū est quidem locus omnium inferiorum corporum, at proprius Saturni, si octauam sphærā pro primo mobili cū Arist. accipias.*

Resp. *Si per cœlum intelligas superficiem concauam, aut respectum proprium quem cœlum habet ad orbem Saturni, proprium locum agnosco iam esse. Sed quid hinc infers? locum scilicet communem & proprium re non differre? argumentū nego. Quia locus (vt ante probatum est) definitur potius respectus quam superficies, cum respect⁹ formæ, superficies materiæ vicem gerat: at respectus realiter mutatur, vt cum correlato alio alioque confertur. Exempli causa pater & filius realiter vt sunt diuersi respectus & species relationis differūt, sed vnus idemq; homo potest esse pater & filius, & vt est pater vnus, vt est filius alius respectus realiter distinctus, nō à seipso, sed à correlatiuo cum quo confertur. Sic est quidem in loco communi, qui licet aliquando diuerso respectu proprius fiat, non tamen à seipso differt, sed à correlato, id est, à locato, cū quo tū vt locus proprius, nō vt cōmunis cōparatur.*

Opp. *Ne imminuas nominis tui authoritatem & famam, quid respondes authoritati eorum, quos in defensione istius opinionis videris contemnere? Sunt magni nominis interpretes, vt Iauellus, Toletus, Benerius & alii: non ergo leuiter reiiciendi.*

Resp. *Si me perniceris, facile ab omni alios contemnendi suspicione liberabis. Nihil enim (teste conscientia) magis odiosum esse puto, quam vllos vel indoctissimos præ meipso contemnere: durius ergo est hoc verbum quo in me abuteris. Quid multis? Iauellum, Toletum, Beuerum, & omnes vno nomine interpretes Arist. veneror & amplector, quippe apes sunt, quæ ad examen philosophiæ mellifluum succum & nectar sapientiæ ferunt. Cæterum vt qui ab auro scoriam separant, flammis aurum nō consumunt aut reiiciunt: ita si quis in examinatione veritatis errores aut lapsus ingenii humani*

notarit, non authores ipsos vrere aut aspernari dicitur. Authoritatem ergo istorum non nego. Sequor rationem, quam si attulerint, libenter cedam, interim da veniam vt opinioni meæ ratione firmatæ adhærescam.

Argumenta in secundam quæstionem. Vtrum locus potius respectus quam superficies definiatur esse?

Opp. *Caue ne dum ab aliis toties dissilias, à te ipso tandem dissentire videaris. Herostratum agis, veritatis templum faculis contentiosi ingenii tui incendis. Quorsum nunc (quæso) locum potius respectum quam superficiem dici contendis, cum sæpe à Philosopho quantitas, & in hoc libro superficies concaua corporis continentis millies vocetur, respectus vero nunquam? Quid agis? quid somnias Scotista? quasi vero illi loci proprietates (puta attrahere, conseruare, & cõtinere locatum) illi respectui possint conuenire? non est tolerandus hic error: aut reuoca, aut è catalogo philosophorum nomen expungetur tuum.*

Resp. *Mones vt caueam, recte, admitto consilium. Herostratum me agere insinuas in faculis admouendis templo veritatis, vt ille infamis templo virginis Dianæ. Hoc nego: qui probas? quia locum toties quantitatẽ & superficiem à Philosopho in hoc libro dictum, respectum potius quam superficiem nominas: si hæc sit caussa respondeo Aristotelem materialiter locum definire cum quantitatem & superficiem nominet, formaliter vero cũ respectum appellet. At (vt ais) nunquam respectus in hoc libro dicitur. Erras. Nam implicite (vt aiunt) sæpius respectus quã superficies nominatur. Quid enim aliud præter respectum intelligit Philosophus, cum locum locati locum, & locatum loco locatum reciproce definiat? Imo: quid aliud insinuat, cum dicat locum esse superficiem corporis continentis applicatam corpori contento, præter respectum? Nam quid (quæso) aliud est ista applicatio corporis continentis ad corpus contentum, quam formalis relatio loci, quo corpus contentum extrinsecus circumscribatur? Verborũ ergo tuorũ hæc fulmina neminẽ feriũt nisi teipsum.*

Implicite locus respectus dicitur ab Arist. multoties.

Opp. *Locus omnium interpretum consensu est quantitas: res ergo absoluta est, non respectus.*

Resp.

Resp. *Conceditur locum esse quantitatem materialiter, siue pro corpore remote, siue pro superficie proxime & propinque sumatur. Veruntamen formaliter si locum consideres, respectus est, & in prædicamento Vbi.*

Locus & in quantitate & in vbi.

Opp. *Si locus sit ens respectiuum, maxime hoc erit in comparatione ad superficiem, in qua fundatur respectus: sed hoc non est: ergo locus non est ens respectiuum. Maior constat, quia locus respectus continentis, id est, superficies circumscribentis ad corpus contentum dicitur. Minor patet, quia sublato & secluso tali respectu à superficie, verum est tamen dicere rem locatam in loco comprehendi.*

Resp. *OEdipo opus est: nam hercule quid velis non intelligo: si vero intelligas respectum esse ens rationis non rei, & idcirco rem locatam esse in loco, tametsi omnis respectus superficiei tollatur, respondeo respectum hoc loco non esse simpliciter ens rationis, sed ens rei, quod corpori locanti inhæret, ipsique corpori locato accommodatur. Cum ergo locus dicatur respectus, aut ens respectiuum, intelligitur quod locus sit talis respectus, qui cessante intellectu realiter in corpore locante maneat. Alii respondent ad hoc argumentum, quod posito illo casu superficies non sit omnino locus. Nam vt paries sine albedine non est albus: ita superficies sine reali hoc respectu non est locus: sine reali respectu dico, quia intentionalis hoc loco, qui solum ab intellectu pendet, non intelligitur.*

Locus quomodo respectus.

Opp. *Si locus sit respectus fundatus in superficie, necessario & semper ad hunc respectum requiritur superficies: sed necessario & semper non requiritur: quod sic probo, quia in loco primi mobilis non est talis respectus, quippe talis omnino non est superficies, nisi velis concedere vltra primum summumq́; cælum esse aliud corpus, cuius superficie circumscribatur cælum, quod negat in hoc libro Philosophus.*

Cap. 5.

Resp. *Vt in prædicamento relationis omnia relata dicũtur habere correlata, præter primum summumque genus, quod habere non potest, ne duo in vna categoria sint prima summaq́; genera: ita omnis locus inferiorum corporum est respectus, & in superficie superioris continentis corporis fundatur præter locum primi mobilis, quod est omnium locorum primus: hic vero respectus nullam superficiem vlterioris corporis*

Primum mobile, vt est locorũ primus, ita non est respectus.

habere potest, ne in infinitum (à quo abhorret natura) fieret progress⁹, multaq́ prima mobilia, primaq́ loca dicātur. Et hoc quidem non est absurdū neq́ vniuersalem regulā tollit, quia principia fere omnia in omnib. maximis & axiomatis artis excipiuntur. Vt cum cum dicimus omnia constare ex materia & forma excipimus materiam & formam, quia sunt ipsa principia; & cum dicimus, omnia lumē habere à sole, excipimus solem, quia est principium luminis: sic cum dicimus omnia esse in loco, excipimus primum summumq́ cælum, quia respectus in superficie eiusdē cōcaua est primus locus omniū, qui alium locum aut superficiem superioris corporis non postulat. Praterea (si diligenter animaduertas) hoc maxime probat, locum magis per respectum *quam per* superficiem *esse definiendum, cum primus locus sit solum sine superficie respectus.*

Principia semper excipiūtur.

Opp. *Proprietates loci, vt* æqualem esse locato, plenum, aut vacuum, *in relationem nullo modo cadunt: cadere autem dicuntur in superficiem: ergo potius* superficies *quam* respectus *definiendus est locus.*

Resp. *Ha proprietates conueniunt loco materialiter, non formaliter accepto, ratione fundamenti, nempe* Quantitatis, *nō ratione pradicamēti vel principii in quo est, nēpe* vbi. *Alii respondent* æqualitatem, plenum, & vacuum *capi duobus modis, vel relatiue, vt aquale est aquali aquale: &c. & sic conueniunt loco formaliter, vt locus pro respectu sumitur: vel absolute, sic non conueniunt.*

Opp. *Loca simplicium corporum (vt est in textu) specie differunt: sed respectus eorum ad sua loca specie non differunt: ergo eorum loca respectus dici non possunt. Praterea corpora mouentur ad sua loca naturaliter & in iis quiescūt: non autem quiescunt in respectu: ergo locus non est respectus, sed potius superficies, per quam à corpore continente influentiam & virtutem sua conseruationis & quietis habeat.*

Resp. *Cum dicat Philosophus in textu, loca corporum simplicium distingui specie, intelligit loca materialiter sumpta pro ipsis elementis mutuo se complectentibus, qua re & natura differunt: & sic priori syllogismo respondetur. Ad alteram partem argumenti dico, similiter ferri naturaliter omnia ad sua loca, & in illis conquiescere, non vt loca formaliter*

pro

pro respectu, sed vt materialiter pro ipsis corporibus (quæ alia inferiora continent) sumantur. Conseruant enim loca, non vt sunt superficies aut respectus, sed vt sunt tota aggregata ex suprficiebus & qualitatibus primis, in quibus conseruandi virtus & attrahendi inest. *Quomodo loca conseruent locata.*

CAPVT III.

Vtrum { *Idem possit esse in seipso?* *Duo corpora vi natura possint esse in vno loco singulari? vnumque corpus in pluribus?* }

VT distinctius accuratiusque, quid sit locus intelligatur, quot modis aliquid inesse dicatur hoc loco docet Philosophus. Sunt inquit octo modi *inessendi*, vt aiunt. Primus est quando aliquid inest vt pars, sicut *digitus* in *manu*; Secūdus, quando totum inest suis in partibus, vt *domus* in *tecto* & *fundamento*. Tertius, quando species in genere, vt *homo* in *animali*. Quartus, quando genus est in specie, vt *animal* in *homine*. Quintus, quando forma inest in materia, aut accidens in subiecto, vt *forma cæli* in *cælo*, & *lux solis* in *sole*. Sextus, quando effectus est in efficiente, vt *regnum* in *rege*. Septimus, quādo res est in fine, vt *virtus* in *felicitate*. Octauus, quando contentum est in continente, vt *vinum* in *amphora*, omneque *locatum* in *loco*. His modis alii à quibusdam adiecti sunt: vt *esse in motu*, *esse in tempore*, *esse in subiecto*: sed quoniam sub enumeratis comprehendi possunt, eosdē nunc vberius tractare supersedebo. Satis est iam hoc vnum animaduertere, ꝙ vltimus modus maxime institutum nostrū attingat: alios modos studiosus lector à dialecticis interpretibus in anteprædicamentis discat: quippe ab illis plenius hi demonstrantur, breuiterque memoriæ causa istis antiquis versibus exponuntur. *Inessendi modi octo.*

Insunt pars, totum, species, genus, & calor igni,
Rex in regno, res in fine, locoq́; locatum.

Istis iam modis explicatis, emergit quæstio, *Vtrum aliquid in seipso inesse possit?* ad cuius rei pleniorem interpretationē, supponit Philosophus aliquid esse in aliquo trifariam, vel vi sua, idque secundum totum & quamlibet sui partem, *Quæst. 1.* *Aliquid in alio est trifariā.*

vt *candor* in *pariete*; vel per accidens, ratione alterius extrinseci. vt *homo* dicitur esse in *mari*, quia est in *naui*: vel deniq; ratione partis, vt *nigredo* inesse dicitur *homini*, non quod insit toti, sed parti hominis, nempe *corpori*; idem dici potest de *scientia*, quæ *homini* inesse dicitur, licet in *animo humano* solo emineat & existat. Hinc dubium resoluit Philosophus, ponens duas conclusiones, quarum prior est, quod nihil sit in seipso primo modo, nempe per se, secundum totum, & quamlibet sui partem: quia hoc posito, *amphora Vini* & *Vinum* idem essent, quod fieri non potest. Posterior conclusio est, quod nihil insit in seipso per accidens, quippe tum duo corpora essent simul in vno loco, alterum quod in seipso, alterum per quod idipsum in seipso inesse dicatur: vt *cāntharus Vini* & *Vinum*, si vtrunq; pro toto aggregato ex vino & vase sumatur. Postremum quod agitur in hoc capite est refutatio Zenonis, qui superius locum non esse inde probauit, quia quicquid est, est in loco: sed loc⁹ nō est in loco: ergo loc⁹ non est. Respondet Philosophus inane esse hoc argumentum, quia locus inesse potest secundum alium modum inessendi. Quod adiungat Arist. rationem qua probat locum non esse materiam nec formam (quoniam eadem omnino est cum earum vna quam superius attulerit, vel saltem non dissimilis) non ero in expositione multus. Materia (inquit) & forma sunt partes rei: locus autem non est pars: ergo locus non est materia aut forma. Hactenus de textu.

Lib. 3. cap. 4.

Quæstio 2. Philosophi argumentum nō posse esse duo corpora simul in eodem loco. Quæst. 1. & 2.

Dubia duo sunt, quorum primum est, *An idem possit esse in seipso?* quod satis in textu discutitur: alterum est, *Vtrum possint duo corpora in Vno loco simul esse?* Hic negat Philosophus, & ex consequēti probat. Nā si (inquit) aliquid sit in seipso, vt aggregatum ex *amphora* & *Vino*, sequetur duo corpora (nempe *amphoram* & *Vinum*) esse simul in eodem loco: quod concludit penitus esse absurdum, & ab omni ratione alienum. Rem totam paucis perstringam. Locus, vt superius demonstratū est, diuiditur in communē & propriū: certum est duo pluraue corpora simul esse posse in communi loco, non autem in proprio. Quod vero no possint esse in proprio probatur à distinctione, proprietate, respectu contiguitate, à fine loci & à natura corporis locati. A distinctione loci proprii à communi: nam cōmunis locus definitur in superiore

Authoris rationes.

I i

ſuperiore capite, *qui plura*; proprius vero definitur, *qui vnum tantummodo corpus in ſe complectitur*: duo ergo corpora non poſſunt eſſe ſimul in vno ſingulari loco. A proprietate, quia loci ſingularis proprium eſt æqualem eſſe locato, idemque locatum immediate & adæquate continere; quod fieri non poteſt ſi duo corpora ſimul eſſent & habitarent in eodem loco. A reſpectu ſingularis loci, qui eſt realis, in vna ſuperficie fundatus: at vnum ſolum corpus vna ſolum ſuperficie circumſcribitur: plura ergo corpora in eodem loco comprehendi non poſſunt. Nam ſi poſſent, plures eſſent ſuperficies, pluresque reſpectus ordinis, & proinde plura loca. A contiguitate loci, cuius eſt locatum omneſque illius ſuperficiei partes contingere, & hoc ſemper vnitatem locati arguit. Nam diuerſorum corporum diuerſæ ſunt ſuperficies, quæ diſpares reſpectus, menſuras, & diametros, id eſt, lineas tranſeuntes à ſuperficie corporis continentis, ad oppoſitas partes per centrum corporis contenti habent. Habet ergo vnumquodq; corpus ſingulare ſingularem ſuũ locum, & quilibet locus ſingularis vnum numero locatum. A fine & vſu loci ſingularis, qui eſt extrinſecus, & circumſcriptiue demetiri locatum, idque ſecundum continentiam (vt aiunt) ſecundum menſuram, ſecundum æqualem diſtantiam linearum: ſecundum continentiam vt locus neque ſit amplior neque minor locato, nec ex aduerſo, locatum maius aut minus ſuo loco, quod fieret ſi duo corpora in eodem ſimul ineſſent: ſecundum menſuram, vt interior ſuperficies corporis locantis, & exterior corporis locati ſint ſimpliciter æquales, quod etiam nequit fieri, ſi plura in vno loco ſingulari contineantur: ſecundum æqualem diſtantiam, quia ſi trahantur duæ lineæ per centrum locati, vna à ſuperficie concaua locantis, & alia à ſuperficie conuexa corporis locati, & quælibet ad partem oppoſitam, hæ duæ lineæ eſſent paris longitudinis, quod certe non fiet, ſi plura corpora in eodem loco ſingulari ſimul commorentur. Poſtrema ratio à natura corporis ſic eſt: natura corporis eſt, vt à ſuo loco veluti à propria poſſeſſione aliud excludat, nec ſecum eſſe patiatur, quæ ratio iſtiuſmodi excluſionis nec à materia, nec à forma, nec à qualitate vlla, ſed à iure (vt ita dicam) naturali & proprio euenit. Ab eodem enim fonte profluit, & quod

2. 3. 4. 5.

Natura corporis eſt, aliud ſecum corpus in eodem loco non ferre.

res loco ac situ circumscribatur,& quod aliud corpus ad sui consortium sponte non admittat. Magna quidem vis naturæ est,quæ maxime in loco tenẽdo,veluti proprio suo tecto, domo,aut portu cernitur.Siquidem constat omnia corpora sese mutuo pellere, nec vnum nisi altero abscedente alterius locum subire & occupare.Hoc certe videre licet non solum in corporibus crassæ & concretæ molis,sed etiam in leuioribus substantiis,vt *aqua, aere*.Exempli causa, clepsydræ aere plenæ aquam non admittunt, nisi superiore orificio aperto,aer euolans aquæ subintranti locum concedat. At dices hoc exemplum contrarias partes tueri:videtur nimirum facile corpus excludi a suo loco, aliiq; subinsinuanti nõ difficulter cedere.Erras: nam vi aquæ subintrantis expelli non potest aer è clepsydræ foramine superiore clauso,nec illabetur aqua per inferiores meatus, nisi os clepsydræ superi⁹ reseratum aera intromittat,sinatque aquam pondere suo deorsum quasi niuem guttatim defluere. Sic dum concaua superficies clepsydræ sit proprius locus aquæ vel aeris, vterq; suum locum tanquam ius proprium tenet, neq; hic illi, nec illa huic,nisi vi & impetu facto cedit.Alii dicunt clepsydram non esse proprium locum huius aquę,vel illius aeris,quia in ea potius suffocari & corrumpi , quam conseruari videantur,si diu in illa maneant. Hinc concludunt, spontaneam quasi cessionem,non violentam esse vtriusque, quia vtrumque euolans ad proprium locum & sedem suam,in qua conseruatur, redeat.

Magna naturæ vis in loco cernitur.

Quæst. 2. pars altera.

Superest altera pars quæstionis,vel potius alia nõ inutilis quęstio nimirũ: *Vtrũ vnũ numero corpus possit esse in diuersis locis simul*? Hæc lis & controuersia scitu iucunda est.Cęterum quoniam in priore parte concluditur, fieri non posse quin vnius corporis contenti vna sola sit superficies, continentis vna applicatio, vnus respectus, circumscriptio vna, vnus ambitus,vnus ordo,& vna æqualitas ordinis:non opus est idem (vt aiunt) saxum voluere, idemq; iterum probare. Qui enim demonstrat duo corpora non esse in vno loco,eadem opera probat vnum non inesse in pluribus. Quoniã vt multitudo & diuersitas corporum requirit multitudinẽ & diuersitatem locorum:ita vnitas identitasq; corporis (vt ita loquar) vnitatem identitatemq; loci postulat.Non tamẽ hic nego,

nego, quin diuina potentia hoc fieri possit, vt vnum numero corpus in plurib. simul existat locis: cum constet diuina virtutē corporū penetrationē fieri posse: quæ manifeste probat duo corpora esse posse in vno loco. Quare pari modo non minus possibile est, per eandē virtutem vnū corpus in locis pluribus contineri. De priori parte nemo Christianorum philosophorum dubitat, qui credit Christum illæso virginis vtero natum, clauso sepulchro resurrexisse, iterum ad discipulos obseratis foribus fuisse ingressum, & deniq; ad patrē ascendentem cœlum penetrasse. De altera ergo parte quis litigare debet, si placeat diuinæ maiestati potentem virtutis manū Petro porrigere, vt super aquā inambulet? & D. Ambrosio vt in eodem instanti diuinis rebus Mediolani assistere, & Turone exequiis D. Martini præsens interesse dicatur: si Antonino (viro fide nō indigno) sic narrāti credamus. Neque est quod hinc concludas contradictionem in Deo. Quæ enim potest esse in infinito contradictio, quantumuis hominē in belluam, aut statuam salis vertat? At dices esse contradictionē naturæ, quam vt ancillā sub vmbra alarū fouet, Non est, tum quoniam illam vt seruā suæ voluntati & potētiæ subiectam fecit: tum quoniam illius naturam non immobilem, sed flexibilem mutabilemq; fecit. Addo etiam quod hoc concesso, non tamen sequetur contradictio: quia natura vnius vel alterius contra legem naturæ concussa aut mutata, vniuersalis naturæ eodem motu labefactata non concidit. Hoc ergo imperium in multis sibi reseruat Deus, vt mortales videntes mirabilia Dei, & Deum esse, & mirabilem in suis operibus existere semper agnoscerent.

Potest vnum corpus duobus locis simul competere diuina virtute.

Luc 24.8. Math. 28 6.7. Mar. 16.3. Ioh. 20 26. Ioh. 21. 7.

D. Antoninus 2. part. §. 10. c 11 4.

Verum quoniam non est huius loci enucleatius hæc ipsa perscrutari: omitto multa, quæ subtiliter ab interpretibus de hisce rebus in vtramque partem disseruntur. Interim moneo curiosos sophistas istius ætatis, in qua (heu!) nimis multi Athei esse contendunt, ne in rebus sacris diuinæ potētiæ, mirisque & occultis oraculis naturæ, nimium increduli persistāt. Incredulitas enim in mysteriis Dei infidelitatis filia est spuriosq; infinitos nomine Christianos gignit. Si rationē ergo nō videas, quomodo corp⁹ vnius eorū sanctorū qui multis apparuerūt credētib. in sancta ciuitate, & in sepulchro defunctum iaceat, & simul appareat in ciuitate, ignorantiā agnosce tuam, potentiam admirari disce diuinā, ca-

Incredulitas in sacris infidelitatis filia. Math. 27. 53.

ueque ne statim exclames (vt soles) *hac fabula est, fieri non potest: imo sine contradictione Deus efficere non potest, vt vnum idemque corpus numero in duobus simul subsistat locis, aut duo in vno.* Qui enim omnia ex nihilo finxit, efficere potest vt corpus clauso sepulchro (non per Angelos, vt ais remoto lapide) surgat: vt clauso ostio non cedente (vt somnias) ad discipulos intret. Quo concesso, cur spasmo, & paralysi illius iam dextram laborare dicis, vt hæc non possit? Nam quamuis tecum consentiam, quod raro hæc faciat, dissentio tamen si doceas quod omnino non possit.

Distinctio quaestionum tertii capitis.



F 2 Demon

F Demõstratione quarundã q̃stionum, seu dubiorũ quęex textu eliciuntur, quorũ

Primum est, *Vtrum sint solum octo modi inessendi?* de quo satis iam dictum est.

Secũdũ, *Vtrum aliquid esse possit in seipso?* q̃ negat Philosophus

1 Quia nihil est respectu sui continens & cõtentum; at esset si aliquid in seipso inesset.

2 Quia nihil est accidens sibi, quod quidem esset si in seipso inesset, cum locus sit accidens locato.

3 Quia nihil per motum acquiritur à seipso; at locus acquiritur à seipso: nihil ergo in seipso inest.

4 Quia si aliquid insit in seipso, sequetur duo corpora esse simul in eodem: quia id quod inest, & illud in quo inest corpora dicuntur; quę duo numero vnum sunt, si idem in seipso inesse dicatur.

Tertiũ dubiũ, *Vtrum duo corpora possint esse in vno loco?* hoc negatiue tenetur, & p̃batur à

1 Distinctione loci in proprium & cõmunem, quorum hic vnum solũ, ille plura continere dicitur; non ergo plura in vno contineri possunt.

2 Proprietate, quæ est vt locus sit æqualis locato; quod fieri non potest si duo corpora in eodem insint.

3 Singulari respectu, qui inter locatum & locum vnus est, & multiplex inter plura.

4 Singulari contiguitate loci, quæ etiam vna est ad quodlibet corpus, quod contingit. Si ergo plura corpora in eodem inessent loco, plures essent contiguitates.

5 Fine & vsu loci singularis, qui est hic circumscribere locatum; vt lineæ à superficie concaua corporis continentis transeuntes, per centrum corporis contenti ad oppositas partes sint semper æquæ longitudinis, quod fieri non potuisset, si in eodem loco plura corpora inessent.

6 Natura corporis singularis, quæ est vnũ locum & singularem acquirere, eundemque tanquam ius proprium tenere.

7 A comparatione, quia vt vnitas corporis vnum: ita multitudo corporum plura loca postulat.

Quartũ, *Vtrum vnum corpus esse possit in pluribus locis simul?* quod vi naturæ fieri negatur: at virtute diuina fieri posse cõcedit. Cæterũ quoniã hæc disceptatio potius ad Theologos quã ad philosophos spectat, eandẽ subẽs prætereo.

Quintũ huc addi potest, vt annexu & adiunctũ huic loco, *Vtrum scilicet vis excludendi corpus à loco, sit in sola quantitate, vel in aliqua qualitate corporis, quæ vim retinendi aut expellendi habet?*

Argumenta aduersus primum dubium textus, de octo modis inessendi.

Opp. *Aristoteles videtur esse contrarius sibi, quippe in antepredicamētis vnum solum modum inessendi constituit, idque tantum inesse docet, quod non inest, vt pars, neq; ab eo cui inest, seiungi separarine potest, vt maneat separatum: hoc autem solummodo accidens est, quod in vniuersale & singulare, concretum & abstractum diuiditur: ex his concludo non esse octo modos inhærendi, vt hic vult Philosophus.*

Inesse duobus modis capitur. Resp. *Inesse consideratur duobus modis, propriè & communiter: priori modo accidens solum inest, (cuius esse est inesse) posteriori vero modo omnia tam interna, quam externa intra limites prædicamentorum inesse dicuntur: & hoc loco octo modi assignantur inessendi.*

Opp. *Sunt plures modi, iidemque non minus vtiles quam isti quos Aristoteles assignat: ergo non rectè traduntur solum octo. Antecedens probatur, quia esse in tempore distinctionem rerum mortalium & æternarum, earumque quæ initium habent sed carent fine: & esse in materia, distinctionem accidentis & formæ: & denique esse in primo principio relationem omnium ad primam caussam docent, qui modi (vt vides) non minorem vsum secum apportant, quàm illi quos constituit Philosophus.*

Vt alii inessendi modi ad hos octo referri possint. Resp. *Isti modi quos annumeras & attexis facile ad hos (quos Aristoteles assignauit) reducuntur. Nam obseruata comparatione, sic res tempore vt loco circumscribuntur, & sic forma inest materia, vt calor igni, sic denique omnia natura effecta in prima caussa, vt res regni in rege: vel si placet in fine esse dicuntur. Ergo in tempore ad octauum esse, formam in materia ad quintum esse, omnia in prima caussa ad sextum & septimum modum reducuntur. Sed aduerte, me hic non docere esse in tempore idem omnino esse ac esse in loco, nec esse formam in materia idem omnino esse vt in subiecto, nec denique omnia esse in prima caussa idem omnino esse, ac res Græcorum in Agamemnone rege: sed hoc volo, quod cognata & affinis sit ratio, si obseruetur similitudo & proportio. Nam vt res in loco, ita in tempore: & vt accidens est externa forma in substantia: ita forma interna est in*

materia:

materia: & vt res ciuiles & partes ciuitatis sunt effectiue in rege, & perfectiue in fine: ita sunt omnia in Deo, a quo & efficiuntur & perficiuntur omnia.

Argumenta in secundum dubium, quod est, An aliquid esse possit in seipso?

Oppo. *Deus est actu ens infinitum, totumque in seipso, quia nec cælum, nec terra, nec aliud quicquam creatum illum possit comprehendere. Sic (si liceat magna cum paruis componere) mens humana est in seipsa. Nam (vt docet Philosophus) mens hominis in seipsam vertitur, & sic seipsam intelligit, concluditurq; in seipsa.* *Lib. 3. de Anima cap. 5 tex. 8.*

Resp. *Non est huius loci & instituti, quærere quomodo Deus sit ens totum, & quomodo sit in seipso: solum hic quæritur de re naturali, maximeq; de substantia corporea quãtitate prædita: Metaphysica & ineffabili ratione Deus est in seipso, non vt ens totum compositum ex aliis (est enim simplicissimus actus) sed vt totum & infinitum principium omnium, quæ sunt, quæ fuerunt aut quæ esse possunt. Vbi dicis Philosophum docere quod intellectus humanus in se versus seipsum intelligat & contineat, agnosco priorem partem, sed posteriorem non reperio: scio tamen cum sit extra corpus in libertate sua, vel cum natiuo suo lumine libere quicquam agat, esse quidem illum in seipso. Nam ab alio non coercetur, donec ad infinitum sui principium redeat. Cæterum vt de Deo, ita de animo humano respondeo, non esse huius loci & temporis de illo disputare, cum solũ de reb. physicis litigetur.* *Quomodo Deus & intellectus in seipsis sint, alterius est cõsiderationis.*

Opp. *Totum est nihil aliud quam suæ partes, & partes nihil aliud quam totum: sed totum est in partibus, & partes in toto: ergo idem potest esse in seipso.*

Resp. *Totum quidem est nihil aliud quã suæ partes collectæ, & collectæ partes nihil aliud sunt quam totum: non tamen sequitur idem esse in seipso, vt hic intelligit Philosophus. Nam per* aliquid esse in seipso, *intelligit rem in se esse tanquã locatũ in loco: & sic idem à seipso realiter differret. Alii respõdent nullo modo essendi aliquid esse in seipso, quia semper id quod inest, induit naturã cõtẽti, & id cui inest induit naturã continentis, aut subiecti: sic si idem esset in seipso, idẽ non erit* *Id quod inest, semper habet rationem contenti, & id cui inest, continentis.*

idem sed diuersum sibi. Dico igitur de toto & partibus, quod non sint simpliciter & absolute vnum, & idem. Nam quamuis neutrum excedat amplitudinem ambitumque alterius si collectim sumantur, formalis tamen est distinctio, vt philosophi docent.

Opp. *Cælum supremum localiter vt totum mouetur: & non est in alio loco nisi in suis partibus, secundum Philosophum: ergo totum aliquod est in suis partibus tanquam in loco, quod fieri posse negas.*

Cælum non est localiter in suis partibus nisi analogice.

Resp. *Cælum primum est (vt ante docuimus) primus locus omnium. Nam & idcirco ab hoc axiomate mobilium in loco excipitur, ne in infinitum fiat progressus. Verum ad id quod nunc vrges sic respondeo, non esse illud in suis partibus vt in loco circumscriptiue, sed analogice & per synecdochen, quia vna pars alteram in cælo, vt vnda vndam in mari incitat: figura enim cæli, formaque diuina & virtus motoris sunt sufficientes caussæ, cur sine loco externo moueatur.*

Opp. *Definitio & definitum sunt re simpliciter & absolute vnũ: sed definitio est in definito: ergo idem est in seipso.*

Resp. *Captiosum est hoc argumentum à rebus ad voces: agitur hic de re physica, corporea, tu vero vrges intentionem. Si vero vrgeas definitionem rem esse, quia est res simplex non complexa: respondeo non esse rem physicam singularem & corpoream, quæ hic à Philosopho intelligitur.*

Argumenta in tertium dubium, Vtrum duo corpora simul esse possint in vno loco? vnumue in pluribus?

Opp. *Hedera & robur sunt duo corpora simul in vno loco singulari: ergo negatiue male tenetur quæstio. Antecedens probatur, quia hedera contigua est, continuaque robori flexibus suis, tanquam brachiis complectitur & circumcingit. Præterea cum vna sola sit superficies concaua aeris, quæ vtrumque corpus tangit, vnus videtur esse locus singularis vtriusque: at est vna sola superficies quæ ambit vtrumque: ergo est vnus locus singularis vtriusque. Minor probatur, quia est vnus, non multiplex & numerosus superficies ambientis vtrumque respectus.*

Resp,

Resp.

Nihil absurdi sequitur, si concedam complicata & implicita in se corpora vno loco comprehendi. Si enim dixero hederam & robur mutuo se amplexantia esse in loco communi non singulari, verum est. Cæterum mallem respondere, complicata & vestita corpora esse ens vnum numero aggregatum, & vno contineri loco singulari. Nam vt Plato togatus, ita robur hedera cinctum vnum aggregatum est, vnumque locum singularem, vnumque superficiei ambientis respectum habet.

Aggregata corpora eundem habent locum.

Opp.

Percurram paucis multa argumenta. Fernelius 2. li. Physiologiæ capite vltimo, affirmat viribus naturæ duo corpora esse posse in vno singulari loco. Sed ratione sic suadeo: primum quia in ferro candenti corpus ignis se insinuat per meatus in substantiam ferri: similiter aqua infusa in panem aut spongiam eundem numero locum cum spongia & pane occupat. Hoc quoque videtur manifeste verum, si in vas plenum cineribus tantumdem aquæ inieceris: certum est aquam & cineres duo non vendicare loca, sed vno eodemque singulari comprehendi. Huc addo experientia probatum illud, quod scyphus ad summa labra aqua plenus multos nummos sine vlla effusione recipiat. Nihil hic dico de aere & aqua in eadem clepsydra, nihil de ligno accenso & in carbonem commutato, nihil de infinitis aliis, quæ videntur probare ad vnum plura corpora posse in vnum locum numero coerceri.

Resp.

Respondeo singulis: primum ergo in Fernelio (quem eruditionis, iudicii, & experientiæ caussa multum veneror & miror) aliisque qui hoc affirmant reperio quidem magnum lumen ingenii: sed columen & oraculum rationis veritatisq; in philosophia requiro. Vmbris ergo quas spargunt sic respondeo: primum ignis formam in substantiã ferri non permeare, sed virtutem solam impactam & impressam esse: vel (si placet) dico virtutem in densa materia ferri insitam esse, ipsamque substantiã ignis in poris & meatib. tanquã locis comprehẽdi. Dico similiter, quod panis aut spongia ab aqua non penetrentur, sed huius partes in meatus illorũ cito propter siccitatem excipiuntur. Exemplo de cineribus Arist. respondet:

Ignis in ferri candentis porĩ tanquam in locis est.

ideo tantundem aquæ absorberi, quia cinis aquam in vaporem halituma; soluit, cum quo tenuiores partes cinerum exhalantur: Adhibet etiam in lib. Problematum aliud responsum, nimirum in cinere esse multos meatus, quibus aqua se insinuat, facta sensim constipatione. Ad vltimam de scypho exemplum dico, partes aquæ in medium vasis densius se colligere & accumulare, non effluere propter labrorum siccitatem, quæ labra si madefiant, mox euolat elabiturque aqua. Nihil de ligno accenso dico, præterquam illud quod de ferro candente dixeram.

Aqua quomodo cineribus absorpta.

Sectione 25. Problem. 8.

Argumenta contra secundam partem tertii dubii, Vtrum vnum corpus possit esse in pluribus locis simul?

Opp.

Cælum est vnum corpus numero, motumque localem habet (vt docet Philosophus in 8. Physi.) sed cælum est in plurib. locis simul (cum illius loca sint partes propriæ, non alterius corporis continentis superficies vna) est ergo aliquod corpus in pluribus locis simul. Si dicas esse successiue in partibus, hoc negat Philosophus, qui cælum æternũ esse docuit, in quo non est successio.

Resp.

Negat Philosophus cælum esse propriè in loco, sed hic propriam mouendi rationem in loco intelligendam voluit: cum dicitur cælum esse in partibus tanquam in loco, analogicè sic esse dicitur, quia pars cæli vna alteram continere & metiri dicitur.

Opp.

Immotis pyramis, aut fixum aliquod corpus vnum numero millies in qualibet hora superficiem se ambientem mutat: ergo vnum corpus numero potest esse in pluribus locis, quamuis ab vno loco in alium distantem non mutetur.

Resp.

Si sumatur locus pro superficie sola ambiente, sæpissime quouis fere momento mutatur locus corporis fixi & immoti. Sed locus (vt ante docui) non solũ pro superficie, verumetiam pro respectu capitur, & sic quantumuis aer amplectens mil-

lies commutetur, idem locus, idem situs, idem respectus continentis ad contentum perpetuo manet.

Opp.

Arbor vna numero crescens in aqua, eminet in aere, immergiturq; in terram: elementorũ ergo triplici superficie circumscribitur, & proinde triplicem locũ habet: cõcludo hinc, vnum idemque corpus numero posse in pluribus simul inesse locis: Nam hæ tres superficies terræ, aquæ, aeris, distincta diuersaque sunt loca numero vnius plantæ. Præterea vnum corpus diuina virtute sæpe in pluribus locis simul concernitur: ergo absurde negatur simpliciter fieri non posse. Antecedens probatur, quia vt Deo possibile est duo corpora se mutuo penetrantia in vnam atiguam superficiem & locum coire: ita ei non est difficile vnum corpus in pluribus locis simul collocare, remouẽdo solum in penetratione corporum ipsum influxum quantitatis, non motum, non substantiam, non materiam corporis, quæ propriam essentiam, existentiam, & loci respectum vendicat.

Resp. *Nihil vetat quo minus vnum idemq; corpus numero duobus terminis aut superficieb., locum vnum efficientib. contineatur, qui tamen locus non simpliciter, sed aggregatione vnus est. Hactenus Collegium Conimbricense, quod locum definire solum per superficiem voluit. Sed cũ ante demõstrauerim locum non solum esse superficiem, sed etiam respectum eiusdem si formaliter capiatur: alio modo facile deleri potest hoc argumentũ vt supra, nẽpe cõcedendo vnius numero plãtæ esse quidem plures superficies: vnũ tamẽ omnium superficierũ respectum & applicationem, quod sufficit ad singularem locum definiendum. Quod addis de diuina virtute nõ nego: quod vero attexis de tollẽdo influxu quantitatis dubito, quid tibi velis per substantiã corporis, & existentiã relictã prorsus & omnino nescio: nisi resoluas, quomodo corpus existere possit sine quantitate, & quomodo influxu quãtitatis detracto corpus quantũ diuersis in locis simul cõprehendi queat. Contendis videri Philosophus, sed parũ sapis philosophicũ acumẽ nisi intelligas posse vnũ corpus esse in duob. locis simul, in vno scilicet circũscripte & essentialiter, in altero (detracto quantitatis influxu) fucate & apparenter, quod non nego: sed hoc nõ est corpus esse in duob. locis simul, quia apparẽs corpus nõ* In lib Phy. 4. ca. 4.

Mosi & Eliæ in Christi transfiguratione corpora diuina virtute data

Periculosum est adolescentibus philosophicis miraculis intueri.

est corpus. At dices potentiam diuinam vere hoc ipsum efficere posse, vt constat in apparitione Mosis & Eliæ cum Christo transfigurato in monte. quorum illius corpus in sepulchro, huius in cælo fuit: tamen vterque (vt Patres consentiunt, sacraque philosophia testatur) vere in monte apparuerũt. Vnde colligitur, corpus vnum numero diuina virtute in pluribus locis simul inesse posse. Quorsum hoc? cum neminem aduersarium repugnantem habeas, nimirum quin fieri hoc possit à Deo? Sed consulo tibi (iuuenis studiose) vt de miraculis fidei raro in spatiis philosophorum disputes: in hisce enim periculosus est error, in humana autem philosophia leuior. Dabis mihi veniam ergo (doctissima schola Conimbricensis) si à te in hoc vno dissentiam: moues quidem in Commentariis tuis permultas quæstiones de Deo, & de diuina potentia, quas Peripatetice & subtiliter discutis: sed tua pace id dicã quod sentio, mali hinc oriri aliquam occasionem. Nam quamuis vera existimem esse fere omnia quæ scribis, si tamen omnia à tyronibus non intelligantur quæ scribis, metuendum est ne præcocia ingenia adolescentulorum nimis alta sapiant, audacius que (expertus dico quod scio) de sacris loquantur profana. Non hic nego aurum cum purpura, & gemmam pretiosam cum auro, id est, sacram philosophiam aliquando cõiungi posse cum humana (vtriusque enim author Deus est) sed hoc vrgeo, sacris mysteriis simpliciter credendum esse, & de illis curiosius in subselliis philosophorum non esse disputandum. Exempli caussa, quomodo duo corpora in vno, & quomodo vnum in pluribus locis simul diuina potentia esse possit? An in hoc opere Dei sit penetratio corporum? An sit detractio quantitatis ad tempus? An substantia corporis maneat sine influxu quantitatis? An sit dimensio Christi in sacramento? & Quomodo in locis pluribus simul inesse possit circumscriptiue, absolute vel relatiue? *His (inquam) & similibus iuuenilia ingenia terere & defatigare periculosum est, si ad viuum singula non percipiant iuuenes, quæ docte aliquando à vobis aliisque pluribus pertractantur.*

Argu-

Argumenta in vltimum dubium, Vtrum quantitas sit sola caussa cur vnumquodque corpus aliud a suo loco excludat, secumque esse non patiatur?

Opp.

Nihil est contrarium quantitati, vt docet Philosophus in illius proprietatibus explicandis: ergo quantitas non est sola caussa excludendi aliud corpus a loco: ratio tenet, quia contrarium solum est caussa expellendi aliud.

Resp.

Ab eodem fonte prouenit, & quod res loco situque circumscribatur, & quod rem aliam in sui consortium non admittat. Hic fons (vt verbo concludam) quantitas seu dimensio corporis locati est, ipsiusque loci ad corpus locatum applicatio, qua natura vi, non contrarietate vlla forma aut qualitatis aliud excludunt. Non enim semper contrarietas requiritur ad arcendum aliud, sed vis aliquando natura id efficit, quod contrarium inter qualitates facit. *Contrarium non semper est caussa expellendi aliud.*

Opp.

Constat in locis elementorum contrarietatem esse caussam excludendi: ergo quantitas seu dimensio non est sola excludendi caussa. Antecedens probatur in igni & aqua, qua se mutuo expellunt.

Resp.

Non ignis & aqua pugnant quoad substantiam, sed quoad qualitates: neque est contrarietas qualitatum, caussa cur vnum elementorum locum alterius non occupet, sed ipse naturalis locus huius vel illius, qui aliud corpus facile non admittit, priusquam in naturam sui repugnantiũ qualitatum lucta commutetur: & sic aqua in aerem, aer in ignem, & quodlibet elementum in aliud quodlibet transferri potest, alteriusque locum secundum partem occupare. *Vnum elementum alterius locum non inuadit, nisi commutatum.*

CAPVT IIII.

Vtrum
- *Locus sit nihil locati?*
- *Locus sit simpliciter æqualis locato?*
- *Locus proprius nulli deficiat?*
- *Locus sine interitu sui à corpore locato separetur & è conuerso?*
- *Differentiæ loci in omni corpore reperiantur?*
- *Locatum nunquam moueatur ad motum loci?*
- *Locus rectè definiatur?*
- *Sit immobilis locus?*

DIfficultas inueniendi, veram definitionem loci, Aristotelem adhuc monet mouetque vt alia quædā præmittat, antequam locum definiat. Quatuor ergo in hoc capite demonstrantur: nimirum quinque proprietates seu affectiones loci, quatuor leges seu conditiones bonæ definitionis, quinque suppositiones seu hypotheses, & deniqué ipsa definitio loci. Proprietates ordine, & singula recensebo. Prima
Loci proprietates.
1 proprietas seu affectio est, quod locus hic contineat locatū,
2 & nihil omnino sit locati, hoc est, quod non sit pars eius. Secunda est, quod locus proprius sit omnino æqualis locato, id est, vt neque plus neque minus ipso locato comprehendat.
3 Tertia, quod omne corpus suum proprium locum habeat.
4 Quarta, quod omnis locus sit separabilis à locato sine interitu eiusdem, & è conuerso. Leges seu conditiones bonæ de-
Leges definitionis quatuor.
1 finitionis hæ sunt. Prima, quod definitio debeat explicare
2 quid sit definitum. Secunda, quod definitione tradita obie-
3 ctiones circa eam emergentes facile dissoluantur. Tertia quod per definitionem proprietates conuenientes definiti
4 intelligantur rectius. Quarta, quod difficultates de definito simpliciter cognita definitione, non aliter quam vmbræ sole lucente euanescant & dissipentur. Hypotheses huius
Hypotheses huius capitis quinque.
capitis sunt quinque, quarum prima est, scilicet, nō fuisse omnino disputationem vel inquisitionem de loco, si non fu-
1 isset motus qui localis dicitur. Secunda, quod aliquid mo-
2 ueatur per se, & aliquid per accidens: per se vt *homo*, per ac-
3 cidēs vt *albedo*, quæ ad motum alterius cietur. Tertia, quod

corpus

corpus continens sit vel commune, vt *aer* respectu Socratis & Platonis, vel propriũ, vt *vterus* respectu *embryonis*. Quar- 4
ta, ꝙ corpus contentum non sit in continente seu in loco, sed vt pars in toto, si corpus cõtinens sit continuũ locato. Quin- 5
ta, quod in vltima seu extrema superficie continentis sit res vt in loco, vnde locatum per se mouetur in loco, non ad motum loci. Vltimum quod in hoc capite demonstratur est definitio loci: & primum ostenditur quid videatur esse, quamuis non sit. Videtur (inquit Philosophus) esse aut forma, aut materia, aut interuallum quod inter extrema, id est, inter superficiem corporis cõtinentis, & eã quæ est corporis contenti ponitur: sed horum nullum est: Relinquitur ergo ꝙ *Loci definitio.*
sit superficies corporis cõtinentis immobilis primum. Probat assumptionem primum in contrariam partem arguendo, tum aperte & perspicue demonstrando nullum omnino istorum esse, postremo concludendo exactam & absolutam definitionem loci hanc esse, vt sit superficies concaua corporis continentis, locato æqualis, immobilis primo. Quæ omnia in textu quoniam liquido constant, ad quæstiones seu dubia iam me accingam, quæ ex proprietatibus loci eliciuntur.

Dubium primum erit ex prima proprietate. *An locus sit* *Quæstionis prima rationes.*
nihil locati? Non citius quæram quam resoluam omnia.
Locus secundum materiam est superficies corporis conti- 1
nentis: ergo est nihil locati: ratio sequitur, quia in corpore 2
continente inhæret, vt accidens, corpori vero contento assi- 3
det non inhæret. Iterum locus secundum formam est respectus corporis continentis: ergo nihil locati. Argumentum
tenet, quia relatio non est pars eius cum quo confertur. De- 4
inceps, locus separari potest à locato sine interitu sui: ergo nihil est locati. Ratio cohæret, quia si pars esset, talis nõ foret omnino separatio. Præterea, locus est immobilis: locatũ
autem motum localem habet; ergo locus nõ est aliquid lo- 5
cati. Adde, si locus sit aliquid locati, tum non erit aliquod corpus sine loco: sed est aliquod corpus sine loco, nempe su-
premum cœlum: ergo locus nõ est aliquid locati. Postremo 6
ab inductione hoc ipsum probatur, quia superficies cõcaua ignis non est pars aeris superficies concaua lunæ, nõ est pars ignis, & sic sursum si ascendas ad primum mobile, cuius su-

perficies cõcaua non est pars orbis Saturni qui proxime sub alis illius tegitur. Sed propero.

Quæstio secunda & eius rationes.

Proximum dubium est *Vtrum locus sit simpliciter æqualis locato, vt non omnino maior aut minor dicatur?* Verbo respondeo, sic æqualem esse, si proprium cuiusque locũ intelligas, non communem: proprius enim semper par & æqualis est: communis vero impar & inæqualis. Quippe amplitudine & amplexu suo plura locata continet. Rationes si
1 requiras breuiter sic accipe. Externa superficies nihil addit magnitudinis corpori locato, quod proxime tangit & circumscribit; ergo sic est eidem æqualis, vt non sit maior aut
2 minor eodem. Quid plura quæris? Si sit locus inæqualis, tum motus cœli aut omnino non esset, aut idem esset inæ-
3 qualis, vt recte probat Arist. l. 1. de Cœlo: est ergo locus semper æqualis corpori locato. Non est parui momenti illa etiã ratio philosophi, quod inter mensuram & mensuratũ debeat esse æqualis proportio: sed locus est mensura locati: ergo inter locum & locatum debet esse æqualis proportio, quæ esse nõ potest si locus & locatum inter se æqualia nõ essent.
4 Vlterius vrgeo, locum non esse maiorem aut minorem locato, quia neque est latior, neque longior, neque profundior: est ergo semper eidem par & æqualis: Ratio tenet, quia proxime singulis partibus & dimensionibus locati respondet, vt hic docet Philosophus.

Quæst. 3.

Ad alterum dubium transeo, quod est *Vtrum proprius & naturalis locus nulli corpori deficiat?* Sunt qui *locum, vbi* & *situm* singulis corporibus accommodẽt, teneantque fidenter, nullum aut esse, aut esse posse sine proprio & naturali loco. Quoties volumen & thesaurum naturæ aperio, toties infinitam Dei admiror virtutem, sapientiam, & bonitatem: qui cuncta numero pondere & mensura sic disposuit, vt nihil portu & loco quietis careat. Suspice cœlum supremum, & contemplatus illius immensitatem, pulchritudinem, motum, lumen, & mirabilem ornatum, obstupesces. Gradatim animo à cœlo deuola, ceteraque corpora cœlestia intuere, luce clara, mole ampla, motu rapida, natura simplicia, locis distincta, virtute diuina: intuere & agnosce creatorẽ cœli, qui sic disposuit. Vt hos globos & magna naturæ folia vertisti, verte nunc sphærulas inferioris mundi. Terra crassa

Sap. 11.

est,

est, medioque quasi librata consistit immobilis: supra hanc affusa est aqua, super aquam aer eminet, postremo ignis leuissimus supremum locum vendicat. Hic ordo est, hic situs, hic concentus, seu harmonia omnium maiorum in rerum natura corporum, quorum vnumquodque locum suũ proprium & naturalem nempe superficiem corporis superioris continentis habet: sic tamen habet, vt commodissime benignam cœli influentiam recipiat impressam, mundoque inferiori (nempe homini) vtilissime inseruiat. O miram, ineffabilem, & inexhaustam Dei bonitatem erga hominem! O hominem ingratissimum animal, nisi hoc consideres! tua, tua ipsius caussa hæc omnia fecit Deus, tibi tuoque solius imperio subiecit omnia: propter te solum sic omnia suis locis disposuit, vt tibi soli suis locis inseruiant: & quid quæso à te nunc postulat propter hæc omnia, nisi vt tu illi solum inseruias? sed non vis. Da veniam (studiose lector) si parum excurrerim, ad me ipsum redeo: esse hũc (quem diximus) cœlestium corporum & elementorum ordinem sapientissime constitutum, ex eo deprehẽdi potest, quod sic omnibus dispositis cœlum facillime in inferiorem hunc mundum eiusdemque partes influat, viresque siderum tanquam nouas imagines & formas in cereas & liquefactas (veluti) materias imprimat.

Ex quo patet quam apta, quam congrua, & quam decora sit elementaris istiusmodi coagmentatio: quam si spectes, dic quomodo aliter illorum situs, ordines, & loca sine ruina omnium dispensentur? Nam vt dulcissima harmonia ex pari & impari, concordi & discordi vocum concursu: ita hęc optima coagmentatio elemẽtorum ex simili & dissimili primarum qualitatum temperie pro locorum ratione constat: sic *terra* in frigore cum *aqua*, *aqua* in humido cum *aere*, *aer* in calido cum *igne* consentit. Dissentiunt autem hæc in aliis qualitatibus: vnde mirabilis cõsensus eorum nascitur, necnon incredibilis aptitudo ad recipiendã impressionem cœli, quod in summo loco situm, motumque semper in gyrum, inferiorem hunc globum elemẽtorum benignissimo suo aspectu & influentia perpetuo conseruat. Quid multis? ꝙ cœlum in primo loco sursum, terraque & elemẽta in imo deorsum aptissime collocentur ex eo ostenditur, quia cœle-

ſtis machina ſolida ſit, & quaſi ex ære vel argento fuſa: terra autem in medio volubilis vniuerſitatis, ſuo librata pondere immobilis hæreat. Vnde fit vt cætera paſſim fluctuantia, hinc ſoliditate cœli, illinc ſtabilitate terræ in vnum coarctentur & conſtringantur, ne citra legitimos terminos diffuſa mundi concentum & harmoniam diſrumpant.

Lege Thom. in 1. diſt. 44. quæ vnica, arti. 2. 1. part.

Sed dices, quid hæc omnia ad rem, cum directe adhuc nõ oſtendas, ***An vnumquodque corpus ſit in proprio loco, an non?*** Eſt aliquid, idemque vtile & iucundum cognitu quod dixerim, nempe vt ſcias quomodo omnia & ſingula ſuum locum naturalem habeant. Attende igitur, quod ſit locus naturalis & violentus: naturalis eſt ***in quem mobile natura impetu velut per lineam breuiſſimam fertur, ſi extra illum fuerit,*** & ***in quo etiam quieſcit & conſeruatur.*** Violentus definitur ex aduerſo, ***ad quem mobile repugnante natura rapitur.*** Quippe vt ad naturalem locum res quælibet ſponte veluti alata eſt: ita ad violentum ipſa natura quaſi inuita pellitur, & quantum in ſe eſt renititur in illam ſedem cõmeare, aut in eadem manere, vt conſtat de aere aut igne ſi in fiſtulis & venis terræ includãtur. Nam vt libere ab iſtis clauſtris euolent, furentius ſæpiſſime impetum faciunt in latera terræ: & quaſi fremunt: donec aut concuſſa aut diſrupta terra in ſua loca naturalia redeant. Hæc loca autem in naturæ partubus plerumq; ex leuitate & grauitate definiri ſolent. Hic namque eſt ordo rerum naturalium, vt grauiora ſuæ naturæ relicta ſub leuioribus habitare deſiderent: leuiora vero appetant in altum & ſublime aſcendere, quo vtique ordine (vt vides) elementa naturæ vi in ſuis locis collocantur. Hinc *ignis* quia eſt ſimpliciter leuis, ***ſupremum***, ***aer*** leuis reſpectu ignis ***proximũ***, ***aqua*** grauis ex parte ***tertium***, ***terra*** ſimpliciter grauis infimum locum occupat. Hæc ſæpius inculco, vt intelligas non ſolum hunc ordinem, ſitum, & diſpoſitionem collocãdorum corporum naturaliter obſeruari, ſed etiam vt nõ ignores, propter duas cauſſas ſecundum naturam communem aliquando immutari poſſe hunc ordinem. Cauſſæ hæ duæ ſunt ſalus animantium, & influentia cœli, quibus effectum eſt, quod licet ſuperficies aquæ ſit proprius locus terræ, propter ſalutem tamen animantium, vi & virtute influentiæ cœleſtis extenuantis aquas, emergit terra

Locus naturalis quis.

Violentus quis.

Naturali corporis leuitate vel grauitate locus definitur.

Ordo elementorum quare ſecundum naturã mutatur.

terra ex parte, & super vndas secundum naturam communem sic eleuata animantibus vitam & salutẽ prębet. Quorsum hæc? certe vt cognoscas esse inter locum naturalem & proprium aliquod discrimen: nã omnis locus naturalis non est proprius.

Est enim (exempli caussa) aggregatum ex superficiebus concauis tam aeris quam aquæ locus naturalis terræ, non proprius, nisi velis proprium locum definire qui contineat (præter locatum eiusdemque partes) accidentia, aliaq; corpora innata, qualia permulta sunt in terra, quæ loca propria in ea vendicant: imo nisi interpreteris locum proprium qui ex diuersorum corporum superficiebus constat, qualis hic est terræ, cuius pars vna sub aqua immersa est, altera super aquam eminet: non est ergo simpliciter idem locus naturalis & proprius. Si igitur stricte & præcise (vt aiunt) sumatur locus proprius, scilicet pro eo quod præter locatum aliud omnino non continet corpus, quod non sit pars ipsius locati, certe vnumquodque corpus non habet locum propriũ. Supremum enim cœlum non est in proprio loco. Mundus pro aggregatione omniũ corporum sumptus propriam sedem non habet: terra vna superficie non continetur: non ergo vno singulari loco fruitur, nisi naturalem vnitatem loci intelligas. Hinc est quod Commentator dicat, elemẽta in suo motu, situ, & ordine magis intendere loca naturalia quam propria, quæ loca naturalia à communi & vniuersali natura ad publicum, non à singulari vlla natura ad priuatũ bonum sapientissime destinantur. Naturam vniuersalem hoc loco nomino quæ saluti totius vniuersi, propriam vero quæ saluti vnius aut alterius indiuidui studet. Vides (studiose lector) conclusionem huius quæstionis, nimirum vnumquodque corpus non habere proprium locum, si strictius: habere vero, si fusius nomen loci singularis sumas. Sed philosophãtis est accuratius rerum naturas inuestigare: tuũ est ergo simpliciter defendere, rem quamlibet proprium locum nõ habere, quia cœlum non habet, mundus non habet, aqua, terra non habet. Et quæstio est, vtrum aer (cuius suprema regio inflammatur) habeat? Docent enim philosophi supremam partem aeris esse aerem, & tamen propter vicinitatem ignis in flammas commutari docent. Vtrum ergo concauum

Naturalis locus & proprius nõ semper idem.

ignis sit locus proprius ipsius aeris, adhuc sub iudice lis magna est: sed de hac re postea pluribus. Concludo nunc quæstionem, quamuis in tertia proprietate huius capitis dicatur, nulli corpori deesse locum, eundemque (vt quidã interpretantur) proprium: sic tamen est intelligendus Philosophus, vt nomẽ *proprii* apud illum paulo fusius sumatur: nam aliter cœlum ipsum esset in loco proprio, quod in proximo capite manifeste & expresse negat.

Quæst 4. Sequitur nunc quartum dubium, *Vtrum locus omnis sine interitu sui à corpore locato separetur*? Quoniam locus sit quiddam adiacens non inhærens locato, recte seiungi separariq; potest ab eo sine omni sui damno & corruptione. Accidentia enim inhærentia seclusa à subiectis concidunt, non autem ea quæ extrinsecus incumbunt. Quare locus cum sit superficies corporis continentis à corpore continente quidem sine sui interitu amoueri non potest: quippe illi inhæret vt accidens, corpori vero locato vt externa dimensio applicatur. Non tamen hic nego quin sit inter locum & locatum quędam relatio necessaria, si pro vbi, situ, aut ordine sumatur.

Cæterum cum in quarta proprietate dicat Philosophus, prorsus separari posse locum à locato, & ex aduerso: intelligit quidem locum & locatum (vt ita loquar) materialiter: nam aliter ista relatio quæ est forma loci, sublato corpore locato videtur extingui & deleri. Quis enim respectus relinquitur inter locum & locatum, si vnum eorum tollatur in quo mutuo respectus ponitur?

Sed ista distinctione adhibita, cõtrouersia magna esse nõ potest in hac quæstione: ad aliam ergo pergam, quæ est *Vtrum sex differentiæ loci in dimensione cuiusque corporis assignentur*? Respondet Philosophus reperiri quidem: sed pro natura rei detur hic philosophantibus scopus & cãpus disserendi: negatiue igitur hanc quæstionem teneo, nec non restringo ad hominem, cuius corpus solum has sex loci differentias capit. Quippe illius solum caput *sursum*, pedes *deorsum*, in illo solum *dextrum* & *sinistrum*, *ante* & *pone* insunt; reliqua vero omnia in illis communicant ratione & respectu huius.

Quæst. 5. Loci differentiæ propriæ ab homine deriuantur.

2. de Cœl. ca. 2. tex. 13. 2 de Ani ca. 4. text. 38.

Nam quamuis Aristoteles alibi dicat esse in cœlo has differentias

ferentias loci, adeoque in plantis: attente tamen si sensum quæras, inuenies hoc solum ab illo dici facta comparatione humani corporis. Nam aliter quorsum diceret omnem cœli partem sursum esse? dic mihi cur diceret radicem plantæ sursum poni? Certe si recte dissolues nodum, respondebis quia omnis pars cœli sursum est à natura sua respectu hominis, nullaque deorsum, licet sub terram voluatur: Plantęque radicem sursum esse dices, quia planta est quasi inuersus homo. Nam vt homo per os nutrimentum sursum ad sui conseruationem accipit: ita planta per radicem, quæ capitis & oris vicem & locum gerit. *2. de Ani. ca. 1. tex. 6.*

Sextum dubium est, *Vtrum locatum numquam moueatur ad motum loci?* Quid? an semper per se mouetur corpus locatum, & nunquam ad motum cœli? videtur hoc falsum, quia cœlum supremum rapit Saturni orbem: at cœlum supremum est illius locus, vt Aristoteles lib. 1. de Cœlo docet. Resoluitur hæc ratio facile, & quia supremum cœlum non est locus Saturni, sed superficies cœli, quæ nec mouet nec mouetur nisi per accidens, ad motum cœli: & quia hic Aristoteles de motu naturali non violento agit, qualis est motus primi mobilis respectu aliorum cœlestium corporum, quæ illius raptu ab ortu ad occasum quotidie incitantur, cum naturali vi sua ab occasu ad ortum contendant, & renitantur. *Quæst. 6.*

Si ergo naturalem motum intelligas, locatum non mouetur ad motum loci, quippe locus vt locus est per se omnino immobilis manet, & caussa potius quietis & conseruationis, quam motus, quamuis sine loco nullus motus fiat. Hoc enim vis naturæ efficit, vt quodlibet corpus aptissime moueatur in suo loco, locus tamen nec mouet nec ad illud motum si per accidens contingat ipsum mouetur locatum. *Locatum non mouetur motu naturali ad motum loci.*

Septimum dubium huius capitis est, *Vtrũ recte definiatur locus.* Magna hic est inter interpretes contentio de loci natura, *An sit ens omnino?* & si sit, *Vtrum sit ens rei, vel intentionis?* & si sit ens rei, *An sit absolutum vel respectiuum?* & si absolutum, *Vtrum sit in Substantia, vt corpus continés, vel in Quantitate, vt superficies corporis continentis? Vtrum simpliciter & omnino nihil aliud sit quam talis superficies?* *Quæst. 7.*

& si sit aliud, *Vtrum hoc aliud sit respectus superficiei ad locatum?* Et denique, si sit superficies & respectus, *Quomodo dicatur immobilis? Vtrum* scilicet *respectu corporis continentis? vel contenti? vel vtriusque?* Sed hæc omnia solum digito quasi attingo, & in illis fusius explicandis non moror, quia ex illis quæ dicta sunt singula fere innotescunt, clariusque ex definitione loci discussa intelliguntur. Definitur ergo locus hoc modo, vt sit *superficies concaua corporis continentis, immobilis primo, in respectu corporis locati (quod proxime circumscribit) posita.* Locus, id est, ens rei non rationis: ens rei (inquam) cui tale nomen imponitur, nō imaginarium, vt multi voluerunt.

Loci definiti, & eiusdem explicatio.

Est *superficies* secundum materiam, non secundum formam: est enim superficies distincta species quantitatis à loco, si propriam formam spectes. *Est superficies concaua,* id est interior, extrinsecus tamen applicata respectu corporis contenti, cuius vulgo externa mensura dicitur. Est superficies concaua corporis continentis, id est illius corporis quod externo amplexu tegit, continuoque quasi osculo tangit & circumscribit alterum. Nam in illo corpore hæc superficies vt in proprio subiecto inest & inhæret, ad cuius motum fortuito quidem mouetur, quamuis immobilis ipse respectu corporis locati dicatur. Est *superficies concaua corporis continentis, continua & immobilis: continua* quia illius partes in applicatione ad conuexam superficiem corporis locati iisdem punctis, lineis, & terminis cum eadem clauduntur.

Est immobilis primo & per se: secundario tamen & per accidens mobilis, ad motum corporis in quo inest: iuxta illud quod habet Philosophus. 2. Topicorum, quod *motis nobis moueantur omnia quæ in nobis sunt.* Cum ergo locus sit accidens, immobilis est per se & vi sua. Nam si moueretur per se, esset corpus, & sic locus esset in loco, & ille etiam locus in alio loco, & ita in infinitum, quod natura non patitur.

Est *superficies concaua corporis continentis, continua & immobilis primo & per se,* in respectu tamen corporis locati (quod tegit & circumscribit) posita. In respectu, id est, reali respectu, non imaginario, vt aiunt. In respectu corporis locati

cati,id est eius corporis quod extrinsecus loco mensuratur: in respectu posita, non vt locatum in loco, aut accidens in subiecto, aut effectus in principio, sed vt relatum in correlato suo.

Est enim inter locum & locatum necessaria, eademque secundum *esse* comparatio. Qui ergo definiunt locum sine hac relatione sæpius in textu à philosopho insinuata, non quidem videntur illi loci essentiam rectè demonstrare. Est enim in textu vna proprietas conditioque loci, *Vt sit æqualis locato*: est alia, *Vt totum locatum contineat*: est etiam & alia, *Vt sit locato contiguus*: quæ proprietates & conditiones loci liquido mentem Aristotelis aperiunt: nimirum quod velit locum non solum per superficiem, sed etiam per respectum definiri: Imo, vt vere dicam quod sentio, omnes & singulæ proprietates loci videntur hoc ipsum insinuare. Nam vna est, *Vt contineat totum locatum*, hic est respectus: altera est *Vt non sit idem cum locato*, hic etiam est respectus: alia est *Vt sit locato contiguus*: nemo hic negat respectū: alia est iterum *Vt sit locato æqualis*, at sine respectu hoc fieri nequit: alia est *Vt differentias habeat*, at quis non videt *sursum* & *deorsum* aliasque differentias ascribi loco respectu corporum quæ in illo sunt? Vltima est *Vt sit immobilis*: cuius respectu, quæro? non corporis continentis ad cuius motum mouetur, sed corporis locati. Respectus ergo aut forma est, aut formæ locum occupat in definitione loci. Quid multis? libere dicam quod sentio: vnitas, identitas, & (vt ita loquar) immobilitas loci potius à respectu quam à superficie pendent. Superficies enim sæpissime mutatur, vt constat in aere moto, qui circumscribit turrim aut immotum aliquod corpus eiusmodi, respectus autem non mouetur, sed idem vnus immobilisque manet.

Locum respectum esse probatur ex omnibus suis proprietatibus.

Vltimum dubium ex vltima definitionis parte petitur, *Vtrum locus sit primo & per se immobilis?* Ex his quæ discussa iam sunt, de vnitate, & idētitate loci, facile patet quod nunc proponitur de immobilitate, quæ (vt sim breuis) consideratur tribus modis, vel quoad existētiam superficiei, quę vulgo locus dicitur, vel quoad æqualem distantiam à centro & polis mundi, vel denique quoad dependentiam

Quæstio 8.

& respectum quem cum corpore locato habet. Credo equidem nō primo modo locū immobilem definiri posse, quippe existentia superficiei continentis locatum multiplex, inconstans, & varia est, tametsi locatum immobile in eadem statione maneat.

Locus quomodo mobilis & immobilis dicatur.

Ne ergo dicas vnum idemque numero corpus immotum moueri localiter, multaque habere loca, dicēdum est locum non esse immobilem eo modo quo vna eademque numero superficies immutabilis existat, aliis vero duobus modis dici potest locus immobilis, nempe dum res locata in eodem situ & ordine, id est, æquali distantia ad centrum & polos mundi constet: vel quam diu vnus respectus vnius vel multarum superficierum eodem modo affectarum ad locatum habeatur. Vnitas ergo & immobilitas loci nequaquam sumenda est ex numerali (vt ita loquar) vnitate, identitate, aut immobilitate superficiei, corpori locanti inhærentis: neq; diuersitas ex diuersitate quoad existentiam, sed duntaxat quoad æquiualētiam (vt aiunt) & respectum. Sic corpus locatum manere dicitur in eodem loco immobiliter, quousq; maneat in eodem situ & ordine, eodemque respectu, vel ad centrum polosque mundi, vel ad alterum corpus in quo locatur. Sic licet superficies sint plures, omnes tamen succedentes quotquot fuerint per æquiualentiam censentur vna, quia vnus est earum omnium & singularum respectus in dimensione corporis locati, ad quod applicantur. Contra hoc ordine, situ, & distantia variatis, dicitur locatum localiter moueri, seu mutare locum, nec in eodem loco manere, non obstante quod superficies corporis locantis secundum rem eadem numero omnino maneat. Nam licet illa superficies sit vna, ipsa tamen per æquiualentiam pro pluribus pluriumue respectu sumitur. Ratio est, quia locatum non minus localiter moueri dicitur, quam si esset continuo in alio alioque loco.

Plures superficies per respectum vna censeri possunt.

QVOCIRCA vt concludam, non omne corpus dicitur moueri localiter, quoniam est in alio alioque loco secundum realem existentiam, sed secundum multiplicem distantiam aut respectum, vt fusius demonstratum est. Similiter non dicitur locus immobilis per existentiam superficiei quæ sæpius variatur, sed secundum ęqualem distantiam à cen-

à centro polisque mundi, paremque respectum quem cum locato habet: qui quidem respectns vnus esse potest. Vnus (inquam) numero potest esse, licet plures superficies secundum realem existentiam materialiter vnum locum aggregatum faciant: vt constat de *baculo* in *aqua* & *aere* posito, & de *terra* cuius pars vna sub *aquis* latet, altera super *aquis* eminet. Plures (vt vides) superficies sunt vtriusq;, nō tamē plura loca, si distinctè & per se considerentur. Ratio est, quia vnus est respectus multarum superficierum si ad vnum corpus numero accommodentur.

Sed dices, quorsum de motu locali agis, cum hic solum de loci immobilitate quæratur? Ago equidem vt opposita iuxta se posita magis elucescant. Præterea hinc emergit resolutio abditarum & abstrusarum quæstionum? *Vtrum immobili existente loco, corpus in eodem localiter moueri possit?* Et *Vtrum corpore immoto ipse locus commutetur?* Quæ dubia facillime resoluuntur, si distinctionem loci, motusque in loco, à me superius traditam diligenter consideres: scilicet quoad existentiam superficiei, quæ est materia loci, vt quoad æqualē distantiā locati ab aliquo fixo & definito corpore, ad quod comparatur. Dubia alia sunt in fine textus, *Vtrum locus sit materia, aut forma, aut spacium inane inter concauam superficiem corporis continentis, & conuexam corporis contenti?* Sed hæc ante à me discutiuntur, verbo tamen ex proprietatibus loci sic cum Aristotele concludo: est vna conditio loci vt contineat totum locatum: materia ergo non est locus.

Dubia duo ex vltima quæstione enascentia.

Locus non est materia.

Nam licet materia complectatur formam, non tamen vt locus, quia materia est pars rei, locus autem pars esse negatur. Ex altera conditione, quæ est quod locus aliud sit à locato, manifeste probo locum non esse totum aut formam: non totum, quia totum & partes idem sunt: non formam, quia forma est ex essentia rei: locus autem nec idem est cum locato, nec ex essentia locantis, sed accidens vtriusque. Est enim illi, nempe locato adiacēs, est huic, nempe locanti inhærens: vtrique fortuitum & contingens. Quod non sit spacium inter continens & contentum hinc liquet, quoniam superficies seu extremitates continentis & contenti se mutuo osculantur.

Locus nec totū nec forma.

Locus non est spacium inter contentum & continens.

Sunt enim continua & cōtigua, inter quæ nihil reale ponitur: non est ergo locus materia, non est forma, nō est inane spacium inter extremitates rerum.

Distinctio primi dubii, Vtrum locus sit nihil locati?

Nihil sumitur duobus modis vel

1 Simpliciter & absolute pro non ente. & sic non est intelligendus philosophus: quia locus respectu locati non est simpliciter non ens, sed adiacens mensura in qua continetur.

2 Ex parte. & (vt aiunt) *secundum quid*, & sic locus est nihil locati, id est, non est materia, aut forma, aut pars eiusdem: est tamē accidens, non inhærens, sed adiacēs, idemque in comparatione necessarium locato, quia in illo locatum suam existentiam ha-

Opp. *Locus est pars locati: ergo male defenditur quod sit nihil locati. Antecedens probatur, quia Aristot. contendit partes cœli locum eiusdem esse.*

Nullum corpus moueri sine loco verum est in corporibus sublunaribus.

Resp. *Analogice non vniuoce pars cœli locus dicitur: neque omnino opus est vt cœlum (quod est primum principium motus) loco proprio contineatur, tum vt vitetur infinitum, à quo abhorret natura: tum quia virtute infinita motoris ciere potest, sine superioris alicuius extremitate. Locus enim non est semper causa motus, quamuis verum sit in omnibus sub cœlo, nullum corpus moueri posse sine loco.*

Opp.

Locus & locatum sunt relatiua: ergo vnum est de essentia alterius. Antecedens constat, quia respectus est forma loci. Ratio probatur, quia relatiua mutuo se definiunt?

Resp.

Cum dicitur locus esse nihil locati, intelligitur esse nihil, quod vel per se, vel fortuito in locato contineatur: non per se, quia nec est materia nec forma: non fortuito, quia non est accidens inhærens ei. Relatiue ergo inter se comparari posse non

urgat Philosophus: hoc enim modo formaliter in respe-ctu, non materialiter & absolute in prima significatione sumitur.

Distinctio secundi dubii: Vtrum locus sit simpliciter æqualis locato?

Aequalitas loci & locati sumi potest Vel

- Affirmatiue, quoad continuitatem & contiguitatem partium in Geometrica proportione: quia singulæ partes loci singulis partibus locati adæquantur, vniunturque iisdem terminis.
- Negatiue, quia locus omnino aliud non continet præter locatum, neque est maior aut minor eodē: neque quicquam addit magnitudinis eidem, licet extrinsecus idipsum circumscribat. Hoc autem probatur
  - 1 A definitione æqualitatis, quæ est *rerum diuersarum eadem quantitas*. Et sic est loci & locati, si inter se considerentur.
  - 2 A comparatione continuitatis & contiguitatis, quatum illa in vtroque, id est, in loco & locato eundem terminum, hæc eandem omnino proportionem postulat.
  - 3 A distinctione, quia communis locus non est æqualis: proprius ergo (de quo hic solum agitur) est æqualis.
  - 4 A proportione, quia æqualitas motus in locato arguit æqualitatem loci, in quo motus localis inest. Huc addo, quod inter mensuram & mensuratum semper æqualis sit proportio, aliter proprie mensura non diceretur: at locus est mensura locati: ergo locus est æqualis locato.

Opp.

Omne corpus continens est quantitate maius contento:

ergo locus est maior locato. Argumentum tenet, quia locus est superficies concaua corporis continentis, qua pro magnitudine corporis in quo est, ambitum maiorem & extensiorem habet: videtur ergo locus non esse simpliciter aequalis locato.

Resp.

Licet continens sit maius contento in tota substantia & mole sua, non tamen est maius in extremitate, quae propriè dicitur. Nam haec extremitas est contigua locato, & (vt ita loquar) non intumescit magis, sed aequaliter omni ex parte respondet locato, & cuilibet parti eiusdem.

Opp.

Si locus sit simpliciter aequalis locato, tum aucto locato sequetur etiam locum augeri (nam aliter non esset aequalitas, eademque proportio) sed negat Philosophus augeri locum, licet locatum augeatur: locus ergo non est aequalis locato.

Resp.

Locus extenditur non augetur.
Extensio quid.
Augmentatio quid.

Dico locum (si augeatur locatum) extendi, non augeri: aliud ergo est extensio, aliud est augmentatio. Est enim augmētatio maioris quantitatis naturalis acquisitio. *Extensio vero est* quantitatis (*vt ita dicam*) dilatatio, cessio, *vel* rarefactio, vi & ratione corporis in se comprehensi effecta. *Praeterea propria augmentatio non est nisi noua addita materia, vt in* nutritione infantis: *extensio autē est saepe per accidens, sine naturali motu,* vt si contusa intumescat cutis. *Sic ergo, locus semper fit aequalis locato naturaliter aucto vel diminuto per extensionem, qua rarius corpus densiori cedit, non per augmentationem, qua partes per naturalē motum nouamq; materiam adiectam crescunt.*

Opp.

Locus est minor locato: ergo non est aequalis. Antecedens probatur, quia locus est superficies, quae est sola latitudo cum longitudine: *sed corpus locatum est trina dimensio, nempe longitudo, latitudo & crassities, quam crassitiem si loco adieceris, locum & corpus vnum idemq; effices, quod philosophus absurdissimum esse putat.*

Resp.

Superficies aequiuoce dicitur

Locus quidem est superficies, sed non vt est distincta species in quantitate: Est enim nomen superficiei *aequiuocum, & de-*

& diuiditur in cõcauam, conuexam, & planam. Concaua superficies iterum consideratur bifariam, vel absolute in corpore continente, vel respectiue in corpore locato: posteriore modo adiacens accidens appellatur, tresque dimensiones habet, non interne tamen vt corpus, sed externa vt corpori applicatur. Cum ergo locus longus, latus, aut altus seu crassus dicatur, solum respectu sic dicitur, quia corpus in eo sic afficitur, cuius partibus aequiualet & respondet.

Concaua superficies bifariam considerata.

Opp.

Superficies aquae est naturalis locus terrae: sed non est terrae aequalis (cum pars terrae emineat) ergo omnis locus non est aequalis locato. Similis est ratio plantae, cuius pars in terra, pars in aere crescit.

Resp.

Antea docuimus, esse inter naturalem locũ & proprium aliquod discrimen, & tum etiam adhibuimus huic argumẽto responsum: nempe esse vnum eundemque numero istarum superficierum respectum, quod sufficit ad formalem locum, locique aequalitatem (quae in relatione consistit) efficiendam.

Opp.

Idem (inquit philosophus) est locus totius & partis: sed pars & totum non sunt aequalia: ergo vtriusque non est locus aequalis, & ex consequenti omnis locus non est aequalis locato: nihil enim est aequale toti & parti.

Resp.

Idem est locus totius & partis naturalis, non proprius: est idem (inquam) locus naturalis, quia ad eundem locum ad quem totum contendit, partes etiam tendunt: non autem est idem locus proprius, quia qualibet pars per se sumpta suum proprium & particularem locum habet.

Totum & partes non habent eundem locum proprium.

Opp.

Si esset aequalitas inter locum & locatum, tum eadem esset quantitas vtriusque: sed loci non est alia quantitas, ne fiat progressus in infinitum: ergo non est aequalitas.

Resp.

Aequalitas sumitur bifariam, vel absolute, & sic est per se quantitas: vel respectiue, & sic etiam dicitur analogice quantitas: non quod ita sit: sed quod proprietas saepe alicuius

Aequalitas duobus modis sumpta.

rei nomine sua caussa primaria insigniatur. Æqualitas ergo & inæqualitas sunt propria quantitatis, & proprie in prædicamento Relationis collocantur. Huc tendit hæc tota resolutio, vt intelligas esse æqualitatem loci, non absolute, vt hæc æqualitas sit alia quantitas loci per se: sed vt sit relatio inter locum & locatum, cui locus secundum proportionem totius & partium accommodatur.

Distinctio tertii dubii, Vtrum locus naturalis aut proprius vlli corpori deficiat.

Locus distinguitur in

1 Naturalem, qui vnicuique corpori conuenit: quod probatur à vi naturæ, quia omnia appetunt naturalem locum in quo quiescant & conseruentur. Hic vero naturalis locus à prouidentia naturæ communis pendet: quæ rerum singularum vsum, bonum & salutem respicit. Cum ergo salus & conseruatio plantarum, animantium, hominum esse non posset, si terra cooperta aquis delitesceret, naturalem locum terræ, non proprium, stricte presseque acceptum dedit.

2 Proprium, qui nihil omnino aliud continet nisi singulare aliquod corpus, eiusdemque partes cui destinatur, & sic *cælo, mundo terra*, aliisque permultis deficiunt loca singularia, nisi loca propria & singularia appelles, quæ aggregata corpora circumcingunt.

Opp.

Aer naturalem locum non habet, aut proprium: ergo male distinguitur in hac quæstione. Antecedens probatur, quia si sit locus aliquis proprius aut naturalis aeris, is erit concauum ignis: sed concauum ignis non est naturalis locus eius: quod sic probo. Quia loci naturalis proprii que est munus conseruare locatum: sed quis ignorat supremam partem aeris vicinitate ignis penitus corrumpi, & in perpe-

tuas

suas flammas commutari: quod est plane contra definitionem loci naturalis, in quo res quiescerent & conseruarentur.

Resp.

Non dicitur locus ita principium conseruandi locatum, quia nihil sit in locante certaminis cum locato (tum enim nulla esset elementorum inter se commutatio, nulla orbium cœlestium oppositio) sed ideo dicitur conseruare, quia maxime res in suo loco quiescit. Ad rationem obiectionis dico, supremam partem aeris ideo accensam esse, vt vapores halitusque venenati quotidie è visceribus terræ expirantes, in altum vi solis ignis, & aeris rapti, ibique aut concreti in nubem, aut extenuati in flammam commutentur, ne hærentes in hac infima regione aeris, contagium, pestem, & perniciem animantibus, plantis, & hominibus gignerent. Sic ergo propter salutem & conseruationem totius hoc factum est, damnaque (si qua sint) hoc modo resarciuntur. Lis aliquando est loci & locati.

Opp.

Videtur esse figmentum philosophorum, & plane somnium de naturalibus & propriis locis aquæ & terræ, cum Deus ipse in prima creatione & ad necessitatem, & ad pulchritudinem totius vniuersi sic disposuerit, vt aqua in alueos terræ semper deflueret, terraque super aquas caput extolleret. Quare neque esset superficies aquæ locus terræ, neque superficies aeris locus aquæ, præsertim cum aqua deorsum perpetuo feratur ad centrum vsque (si subducatur terra) vt fodientibus terram constat.

Resp.

Neque figmentũ, neque somnium est in philosophia quod ratio suadet: at ratio suadet vt leuiora corpora & subtiliora grauioribus supereminerent. Sic aqua terræ, sic aer aquæ (si rationem audias) locus proprius esset. Cæterum eadem philosophia contrarium sapienter a Deo propter salutem animantium factum esse concedit. Sed vbi vrges, aquam ad centrum terræ impetu suæ grauitatis defluxuram, si aperta sit via, credo equidem te nescire. sed concedo hoc verum esse quod dicis, non tamen concedo

Aqua quousque esset calura, si terra tolleretur.

sic vi sua vltra terminos limitesque dimensos, sed impetu vniuersalis natura semper prospicientis ne vspiam vacuum admittatur. Quid moror? quod elementa sic ex vi & natura sua locarentur, furor fremitusque maris, aliarumque aquarum perpetuus fluxus & tumor euidenter declarant. Sed summa beneficentia Dei hoc factum est, vt Oceanus in cauernas terra acceptus terram magna ex parte naufragio liberaret, eandemque stirpibus aliisque creatis terrestribus habitationem communem, commodam, fructuosam & salutarem redderet.

Opp.

Essem infinitus si singula qua adduci possint contra hanc positionem naturalis loci dicerem: interrogatis igitur argumentis in se concludentibus breuiter sic agam. Si sit locus naturalis omnium corporum in quo quiescant, quomodo concauum luna poterit esse locus ignis, cum in eo non luceat, cur niues in iugis lunarium montium non dissoluit? cur pabulo non eget? cur in pyramidis formam mouetur? quandoquidem in loco sphærico comprehenditur, nempe sub orbe luna? Pergam, si sit naturalis locus omnium, in quo conseruantur omnia, cur aer supremus corrumpitur? cur (inquam) quiescit aqua? cur qualibet pars terra ad centrum perpendiculariter tendit, quasi vi cogeretur in alio loco residere? cur denique cœlum supremum loco naturali caret?

Resp.

Cur ignis in Sphæra non luceat.

Ignis in sua sphæra non lucet, quia est rarissimum corpus, nullum opacum habens iuxta se positum, cuius vi splendeat.

Cur niues in altis montib. non dissoluat.

Niues non dissoluit in fastigiis montium, quia licet sint igni propinquiora quam partibus terra planis, tamen quia calor ex reflexu nascitur, qui eo vsque non pertingit, niuibus perpetuis defectu caloris asperguntur.

Cur pabulo non egeat.

Pabulo non eget ignis, cum sit elementum, quod non vt accensa flamma stipulam, sed vt salutaris calor alimentum secum fouet & conseruat.

Ignis in loco suo non est pyramidalis.

Postremo, in pyramidis formam mouetur si extra locum suum sit positus, at in loco suo naturali & proprio ad figuram loci quiescit. Pergis, & quaris, si sit naturalis locus in quo conseruentur omnia, cur tum aer supremus in ignem commutetur? Satis factum est huic interrogato antea, nempe vt infima regio aeris contagione vaporum & halituum inficientium liberetur,

liberetur, & per antiperistasin caloris proximi, media pars aeris ad generationem nubium docilis & apta fiat: quod fieri non potest, si suprema aeris regio temperate calida humidaque existeret. Cur (inquis) nunquam quiescit aqua, si locus naturalis sit quietis portus? Respondeo esse quietem in ipso motu, si natura rei sit ad motionem nata, vt in cælo. Aliam etiam caussam reddo motus in aqua, nempe influentiam cæli, cui sublunaria corpora subiiciuntur. Hinc fluxus & refluxus maris, hinc etiam motus aliorum corporum aliquando (vt videtur) præter naturam, vt motus Sphæricus ignis in suo orbe, non tamen hic motus penitus contra naturam istarum rerum dici potest, propterea quod benigna est influentia cæli, visque impressa potius conseruat quam destruit subiectum in quod operatur. Postremo, ad vltimum interrogatum dico, non ideo existimandum esse terram non prorsus residere in proprio aut naturali loco, quia qualibet illius glebula alueo defosso ad centrum tendit: sed ideo putandum est sic decumbere, quia foramine facto, aereque repleto, corpus rarius crassiori, leuius grauiori à natura cedat. Adde etiam (si vis) quoniam altius seu profundius locata terra aptior sit ad influxum cæli capiendum.

Opp.

Non est proprius locus omnino: ergo male hic defenditur, quod aliqua sint in proprio loco. Antecedens probatur, quia proprius locus definitur, qui nihil omnino præter singulare corpus, eiusdemque partes comprehendit: sed talis locus non est omnino, quia præter corpus & partes accidentia etiam in loco continentur.

Resp.

Fallax est hæc ratio ab ignoratione elenchi. Nam quod necessario intelligitur, non deest, cum ergo definiat Philosophus proprium locum, qui præter singulare corpus eiusdemq; partes contineat necessario accidentia quæ corpori singulari inhærent, subintelliguntur quæ comparate mouentur, & locantur, pro ratione subiecti cui insunt, vt claui in naui, quæ velis, remis, & vndis vehitur.

Distinctiones 4. 5. & 6. dubiorum, scilicet

An
- *Locus à locato sine interitu seiungi separarique possit. & è contra?*
- *Sex differentiæ loci sint in omni corpore?*
- *Locatum vnquam moueatur ad motum loci?*

Tria hic simul dubia tractantur, in quibus ordine demonstrantur

- Cohærentia loci, quæ est vel
  - Absoluta, vt est superficies & sic separari potest à locato, & locatū ab eo
    - 1 Quia neutrum est ex essentia alterius, neque mutuo ita à se inuicé dependent, vt pars & totum.
    - 2 Quia nulla est necessitas loci in primo locato, nempe cœlo, quæ tamen esset, si locus esset à locato inseparabilis.
  - Respectiua, vt locus sit circumscriptio locati, & sic non potest separari sine interitu:
    - 1 Quia relatio est de essentia vtriusque.
    - 2 Quia est necessitas simplex respectus inter vtrumque.
- Differētiæ loci, quæ cōsiderātur vel
  - Re, & sic in omnibus nō sunt, sed ex parte quod probatur
    - 1 Quia in igne & cœlo tantummodo sursum, in terra solum deorsum reperitur.
    - 2 Quia soli homini simpliciter conceduntur partes, vnde & absolute hæc diuersitas situs & loci sumitur.
  - Ratione, & sic in omnibus respectu hominis reperiuntur omnes differentiæ loci.
- Motio locati, quæ probatur fieri no posse ad motum loci:
  - 1 Quia locus per se est immobilis, vt in definitione loci constat, cum ergo locus non moueatur omnino, sequitur ad illius motum locatum moueri non posse.
  - 2 Quia locus est caussa quietis nō motus. Nam quamuis in eo moueātur corpora, non est tamen caussa motus nisi per accidens, cum sit corpus quod sine loco per se mouetur, vt cœlum.

Argumenta contra primam quæstionem in hac distinctione.

Opp.

Quoniam multus esse non debeo istis quæstiunculis, quæ plus artis quam usus præ se ferunt, argumenta multa sub arte interrogandi insinuabo. Primum ergo quæro, qui fieri possit ut locus & locatum non coincidant, si à se inuicem separentur, cum ipsa sint quidem relata, quorum unum sic quidem dependet ab altero, ut sine interitu ab altero seiungi separarique non possit? Hinc peto quomodo locus in genere separari possit, cum sit (ut hic docet Philosophus) naturalis, ut concauum lunæ respectu ignis, concauum ignis respectu aeris? Deinde scire velim quomodo Socratis locus manere possit separatus? Esto exempli caussa, si natet Socrates, sub aqua, aut ambulet in aerte, certe non video quin moto Socrate locus in quo fuit euanescat: non ergo manet locus separatus. Postremo, resolutionem expecto, quomodo dimensio alicuius rei constare possit, si mensuratum amoueatur: at locatum est id quod demetitur locus. 1 2 3 4

Resp.

Ad primum interrogatum respondeo, locum & locatum ut sunt formaliter relata mutuo se ponere, & mutuo se tollere: at sic in hoc tractatu non accipiuntur. Ad alterum dico, naturalem locum separari posse, id est, nec esse partem, nec esse totũ, nec esse ullo modo ex essentia locati. Ad tertium dicendum est, Socratis locum non corrumpi, licet in aqua aut aere frequentius moueatur. Nam multitudo superficierum diuersitatem locorum non facit, ut in turri immota manente semper in eodem loco, varietatis superficiebus constat: non (inquam) diuersitatem & multitudinem locorum facit, nisi cum in æquali distantia à centro & polis mundi comparetur. Postremo, resoluo mensuram in corpore continente manere potentia, quamuis actu corpus mensuratum amoueatur. 1 2 3

Argumenta aduersus secundam quæstionem in distinctione.

Opp.

1 *Primum doceo sex differētias, vulgo appellatas differentias loci, ipsi omnino non conuenire, idque hoc modo. Nihil contrarium est quantitati, vt est in proprietatibus eiusdem: sed locus est quantitas: ergo loco nihil est contrarium: & per consequens hæ differentiæ illi non cōueniunt, quia sunt contraria.* 2 *Præterea, hæ differentiæ conueniunt loco ratione locati, vel subiecti in quo insunt: ergo per se loco recte conuenire non dicuntur. Antecedens probatur, quia hæ differētiæ sunt accidentia, quæ primum* subiecto quod (*vt aiunt*) *tum* subiecto quo, *qualis est locus, competunt: neque per se accidens* 3 *accidenti inesse potest, & proinde nec hæ differentiæ per se & vt suæ insunt loco. Postremo, non conueniunt per se vel communi loco, vel proprio: ergo nulli: non communi, quia cæli supremi superficies communis est locus omnium, cui non conueniunt, quia omnis pars cæli sursum, non proprio, vt patet in loco terræ quæ semper deorsum ponitur.*

Resp.

1 *Ordine satisfacio singulis, & dico ad primum, quod differentiæ loci non sunt vere contraria, id est aduersa, quod genus contrariorum Philosophus inter proprietates quantitatis intelligit.* 2 *Ad alterum dico, quod licet omnia accidentia conueniant quantitati ratione subiecti, quia quantitas esse non potest si subiecto in substantia non fulciatur: sunt tamen proprietates & differentiæ accidentium, si in suis propriis sedibus & categoriis considerentur: & sic loco hæ differentiæ conueniunt.* 3 *Vbi instans de cælo & centro terræ, quorum illud est communis locus omnium, hoc proprio loco cinctum, respondeo non hoc requiri vt omnes differentiæ omni loco conueniant, sed satis est si singulis ex parte conueniant.*

Opp.

1 *Videris hoc loco defendere has differentias, solummodo*
2 *loco hominis simpliciter conuenire, quia is solum habet par-*
2. Cæl. ca. 1. tex. 11. *tes sic sitas & dispositas à natura, nempe vt caput sursum, pes deorsum, &c. Sed quid respondes Philosopho lib. 2. de Cælo,*

qui

qui cæli partes secundum has differentias disponi ait. Est enim Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies, Zenith capitis. 3
Nadir pedum (vt aiunt) quæ singulis istis differentiis respon- 1
dent. Præterea tu male interpretaris sursum *quod est cælum* 2
versus, cum ipse philosophus dicat radicem fixã in terra esse
sursum: ratio est, quia sursũ *id dicetur à quo nutritio incipit.* 3
Postremo in locis aliorum animantium tales assignari possunt differentiæ loci. Habent enim alias partes sursum, alias deorsum, alias ante & pone, alias dextrorsum & sinistrorsum, vt aiunt.

Resp.

Nõ solum dignitate mentis & formæ, sed dignitate etiam 1
corporis & figuræ homo omnibus aliis à Deo creatis præstat: figura ergo illius omnes differentias loci postulat, quia partes absolutas habet, quæ singulis mundi maioris partibus respondet. Caput enim est veluti cælestis globus, in quo mens diuina habitat: pedes terrea quasi substantia sunt, quibus sustentatur corpus: oculi recte ante dicuntur disponi, quia recte hominem in via dirigunt: non minus recte posteriora membra hominis pone collocantur, quia ab anterioribus plenis spiritu & vita trahuntur ad motum. Cur dextra manus dicatur, cur sinistra, nemo (vt opinor) ignorat: quia in illa maior viuacitas, in hac tardior & ignauior motus inest. Ad al-
terum dico, quod cælo à philosopho assignentur hæ differentiæ 2
analogice respectu hominis: idipsum etiam dico ad ter- 3
tium quod insinuas argumentum, nimirum non proprie & per se aliorum animantium partibus eas differentias conuenire.

Argumenta contra tertium dubium distinctionis, Vtrum locatum vnquam moueatur ad motum loci?

Opp.

Quid respondes de supremo cælo, quod omnia sub se locata cælestia corpora mouet? quid de igne & suprema regione aeris, quæ mouentur ad motum orbis lunæ? quid de naue, quæ ad motum aquæ sui loci agitatur? Infinita exempla adduci possunt, quæ probant ad motum loci ipsa locata sæpissime

moueri. Absurde igitur hic defendis, locatum ad loci motum nunquam commutari?

Resp.

Non cœlum, sed superficies cœli est locus, quæ solum mouetur per accidens ad motum cœli cui inhæret. Inferiora ergo cœlestia corpora non mouentur ratione superficiei, quæ est locus, sed ratione cœli, in quo est vis & impetus violentus, quo rapiuntur cætera vsque ad mediam regionem aeris. Ad illud quod addis de naui & aqua, dico similiter aquam esse caussam mouendi nauem, non extremitatem aquæ.

Opp.

Locus (vt docet Philosophus) est caussa localis motus: ergo est caussa cur locatum moueatur. Antecedens patet, quia nihil mouetur nisi in loco. Ratio sequitur, quoniam quicquid est caussa caussæ est caussa caussati (vt loquuntur) est autem locus caussa motus localis: necessaria igitur est caussa cur locatum moueatur: quippe moueri locatum est effectus motus localis.

Resp.

Locus materialiter acceptus, pro corpore continente suis qualitatibus vestito est caussa motus, non autem formaliter sumptus, pro respectu aut superficie simplici applicata corpori locato. Cum dicat Philosophus esse caussam motus, intelligit locum priore non posteriore modo acceptum.

Distinctiones septimi & octaui dubiorum, Vtrum locus recte definiatur? & An locus sit immobilis?

Locus est vel
- Metaphysicus idemque vel
  - 1 Infinitus, respectu Dei qui totius mundi spacium indiuisibiliter complet. Vt enim est semper & incommutabiliter respectu temporis: ita est vbique complete & indiuisibiliter respectu loci: non quod vllus locus sit tam immensus qui illum contineat, sed quod ille omnem locum, qui est, compleat, & vltra in se potius omnem locum immensitate & magnitudine superet.
  - 2 Definitus, respectu finiti spiritus qui definitiue in loco esse dicitur, nō
- Physicus, Vide in seq. pag. lit. A

quod dimensiones vllas subeat, sed quod in hoc vel illo loco sibi destinato existat & operetur Mathematicus, qui est imaginarius. non tamen otiose & inutiliter fictus. Nam per illum púcta, lineæ, figuræ, Mathematice suo ordine & locis demonstrantur. Hinc antea Arist. dixit puncta & lineas in loco collocari, & hinc etiam est quod dicat. cœlum esse in centro & in parte esse in loco.

A Physicus q̃ est (vt antea edocui) communis & proprius, idemque in

Prima quæstione huius distinctionis definitur superficies concaua corporis cõtinentis, in respectu corporis contenti, immobilis primo & per se.

Secunda quæstione demonstratur esse immobilis

1 A natura adiacentis, quod non mouetur per se, nisi ad motum subiecti.

2 Ab hypothesi: nam si moueatur necesse est vt locum mutet, sed locus locum non mutat: ergo locus est immobilis.

3 A comparatione, tum ad terminos mundi, quorum respectu immobilis semper manet, tum etiam ad corpus quod mensurat, ad cuius motum moueri non potest. & sic quoque immobilis esse dicitur. Mouetur enim locus cum corpus continens, non cum corpus contentum moueatur.

Argumenta contra definitionem loci.

Opp.

Punctis agam. Si locus sit superficies, quæro an sit vna respectu vnius corporis, vel multiplex & numerosa? si sit vna, quomodo cymba, quæ vnam superficiem aquæ habet, amne secundo labitur sine mutatione loci? Si multiplex, quomodo corpus fixum & immotum, aere millies in hora moto, eundem locum & sedem retineat? Quomodo iterum possunt esse plures superficies, & tamen vnus locus, vt cõstat in superficie cõtinente motũ corpus? Quomodo intelligentia &

spiritus dicantur esse in loco (vt docet Philosophus) & tamen superficie non contineantur? Quomodo vltima sphara cœli sit in loco, & tamen nullam superficiem corporis cōtinentis sortiatur? Quomodo dicatur superficies, quæ est ens absolutum, & tamen respectus seu vbi respectiuum: cum vbi & superficies, ens absolutum & respectiuum sint contraria? Quomodo denominet locatum, & tamen in eo non inhæreat? Quomodo sursum & deorsum, aliaque cōtraria illis insint, cum tamen sit quantitas cui nihil est contrarium? Quomodo sit superficies corporis continentis, cum vnumquodque corpus contentum corporis continentis superficie non ambiatur, vt cœlum? Quomodo superficies concaua dicatur, cum sit aliquando plana, ratione corporis quod demetitur?

Resp.

Recte conglomeras in vnum aceruum plurima argumenta: ordine percurram singula. Cymba vecta flumine secundo, mea quidem opinione mutat locum, & turris immota nō mutat, quamuis doctissimo Collegio placeat contrarium dicere. Dicunt enim nihil absurdi esse, quod res immota locum mutet, dummodo non mutet situm & vbi. Et iterum quod res mota non mutet locum, dummodo alium situm aliudque vbi acquirat. Sed pace tanta authoritatis, quæro quomodo res immota locum mutet, & quomodo mutare situm aut vbi possit, cum sit immota & fixa? certe rationem mutationis non video: nam siue distantiam æqualem à fixis terminis mundi (polis nimirum & centro) siue cohærentiam & respectum vnum multarum superficierum ad ipsum locatum spectes, idem est ordo, idem respectus, idem omnino situs, & vbi idem: cur ergo non est idem locus? Quia (vt inquis) non est eadem superficies, quæ circa turrim immotam millies quauis hora mutetur. Recte ais. Sed respondeo vnum esse respectum omnium istarum superficierum, vnam distantiam à fixis partibus mundi, vnum ordinem, vnum situm, vnum vbi circumscriptiuum locati, quod sufficit ad vnitatem loci. Nunc vero cum sit contraria ratio in naui fluctibus agitata, non concipio quomodo non mutet locum. Nam quamuis in superficie aqua vehatur, non tamen est eadem superficies numero respectu nauis, nec est eadem distantia à partibus fixis mundi, nec est idem respectus, nec

Lib. 4. c. 5. q. 1. art. 3.

idem

idem situs, nec idem ubi seu circumscriptio: non est idem ergo locus. Sic (ut vides) satisfeci tribus interrogatis primis, quæ moues. Ad quartum dico, intelligentias esse quidem in loco definite, id est, habere à primo motore locum destinatum sibi in quo dicuntur esse, non quod illic operentur. Quinto interrogato satisfactum est sæpissime antea, quia cælum quod est primus locus omnium, ab hac lege excipitur. Ad sextum dico locum materialiter dici superficiem, formaliter vero respectum, neque hoc modo superficies & respectus sunt contraria. Ad septimum respondeo, locum respectiue denominare locatum, & inhæsiue corpus continens, quod est proprium illius subiectum. Octaua dubitatio anceps non est. Nam sursum & deorsum, aliaque differentia loci non sunt contraria, cum doceat Aristoteles nihil esse contrarium quantitati, ubi per cōtrarium intelligit aduersum. Nonæ quæstioni satisfactum est in quinta, ubi excipitur cælum à lege communi loci. Vltima dubitatio resoluitur si dicas rem planam cōtineri in concaua superficie respectu corporis continentis. *Intelligentia ut sunt in loco.*

Contra secundum dubium in distinctione propositum, Vtrum locus sit per se & primo immobilis?

Opp.

Centrum est solum per se primo immobile in omni circulo, maxime vero in circulo totius mundi: non recte igitur locus per se & primo immobilis dicitur. Antecendens patet, quia immobilitas est naturalis proprietas centri ut immobilitas primi cæli, quod ideo sic factum est, teste Philosopho, ut fixum & constans in suo loco sit, quasi mensura omnium quæ in universo theatro naturæ collocantur. Nam (ut modo demonstratum est) res locum tenere aut mutare dicuntur, prout pari aut dispari à centro polisque mundi distantia seiunguntur. Ratio tenet, quia si centrum mundi sit per se & primo omnium immobile, locus qui est accidens per se & primo immobilis esse non potest.

Resp. *Cum locus dicatur per se immobilis, est idem ac si diceret Philosophus ui sua moueri non posse, quamuis ratione corporis in quo est moueri quidem possit. Cum vero dicatur primo immobilis, intelligendum est primum inter men-* *Locus per se immobilis quo sensu dicatur.*

suras quæ mobilibus accommodantur. Vel dicendum est immobilem dici locum primo & per se, quia comparatur ad polos, centrumq́ mundi quæ sunt immobilia. Quamuis ergo centrum & poli per se primo inter substantias immobilia dicantur: locus tamen primo & per se inter accidentia immobilis dici potest. Doctus Beuerus verbo respondet, locum immobilem primo & per se dici, vt formaliter pro respectu in situ & vbi, nō vt materialiter pro superficie in quantitate sumitur.

Centrum & poli immobilia inter substantias primo, inter accidentia vero locus.

Opp. *Locus est quantitas: ergo est mobilis. argumentum tenet. quoniam augmentatio & diminutio sunt motus in genere quantitatis: si ergo sit quantitas, augeri & diminui potest, & ex consequenti moueri potest.*

Resp. *Non augeri aut diminui locum corpore aucto aut diminuto certum est: extendi tamen & contrahi dico, vt antea edocui. Quod non augeatur aut diminuatur ante probauit Philosophus, quoniam est immobilis. Respondet igitur argumento, locum proprie & formaliter acceptum non esse Quantitatem, sed Vbi. Vel (si placet) dico augmentationem & diminutionem non esse eu genera motus, quæ Arist. intelligit, cum dicat motum esse immobilem. Immobilem enim dicit quoad localem mutationem, aut distantiam a fixis quasi palis polisq́ mundi. Sed magis priorem responsionem probo. Alii respondent (& probabiliter) augmentationem & diminutionem esse quidem in genere Quantitatis, non tamen conuenire omni quantitati. Quippe (vt aiunt) conueniunt solum magnitudinibus, quibus naturaliter addi vel detrahi aliquid potest: neq́ hisce omnibus, quia magnitudini cæli nihil addi vel detrahi potest, neque loco qui semper immobilis in respectu ordine, situ, ad polos mundi manet.*

Opp. *Poli mundi mobiles sunt: ergo locus dari non debet immobilis illorum respectu. Antecedens probatur. quia totum cælum mouetur, & per consequens poli qui sunt partes cæli.*

Resp. *Quamuis totum cælum ab ortu ad occasum rapiatur, poli tamen fixi & immobiles eo respectu dicuntur manere, quia non mutant locū. Nam vt axes in plaustris motis immobiles dicuntur, quamuis rotæ rapidissime voluantur in gyrum: ita polares stellæ in axe cæli fixa in perpetuum manent, licet cælum ipsum in sempiternū agitetur. Vel si velis, respondere*

dere potes, mundi polos motu circumgyrationis (non aliter quam lapides molares) moueri, non tamen inde mutari loca, sed immota perpetuo vt notas & terminos dimensionis residere.

CAPVT V.

Vtrum Cælum supremum sit in loco.

VLtimum hoc caput est quod ad loci tractatum spectat, in quo Philosophus duo prosequitur demõstrationem axiomatis,& resolutionẽ multiplicis ante allatæ obiectionis. Demonstratio hæc est: *Omne corpus habens extra se aliud corpus est in loco: sed cælum primum, seu mundus non habet extra se aliud corpus: ergo non est in loco.* Intelligit Philosophus non esse in loco actu, secundum totum: non negat esse in loco potentia secundum partes: siue per *partes* inferiores orbes totius vniuersi intelligas, quæ proprie sunt in loco, siue per *partes* varios circulos supremi cœli insinues: nam & hi quoq; analogice ad se inuicem loca esse possunt. De inferioribus autem sphæris tam in ætherea quam in elementari regione mundi non est anceps quæstio. Hæ enim omnes & singulæ suorum locorum cingulis cõstringuntur, vt ex distinctione motus recti, orbicularis & misti constat. Resolutio (quæ est secunda pars capitis) numerosa est, pro ratione obiectionum quas ante in prioribus capitibus attulerat. Ad primam ergo & tertiam obiectionem prius allatam respondet negando consequentiam, quia locus non est corpus. Ad secundam dicit, punctum & lineã non habere loca nisi per accidens. Ad quartum (vt ait) resolutio patet ex proprietatibus loci. Ad quintã respondetur, quod locus non sit in loco nisi fortuito. Similiter ad sextam dicitur, quod locus non augmentetur omnino, sed per accidens extendatur cum corporis continentis partes auctis partibus corporis contenti cedant. Hinc inferuntur (vt aiunt) tria corollaria. Primũ scilicet *quod omne corpus vi naturã ad locũ cõseruationis moueatur.* Alterum *quod omne corpus physicũ natum sit in suo loco conquiescere.* Postremum *quod anima & accidentia sint in loco per accidens, ratione subiecti,* vt anima *ratione* hominis, color *ratione* corporis in quo continetur.

Cœlum non est in loco.

In quæstione hac Vtrum cœlum supremum sit in loco? Aristot. mire inconstans est.

Vnica quæstio in hoc textu est, *Vtrum supremum cœlum sit in loco?* Negat hic esse in loco Aristoteles, quia non est vlterius corpus quo circumscribatur: at affirmat esse quidem in loco per accidens. Negat, affirmat, dubitat, vacillat, nescit quid dicat. Mouetur, inquit, successiue in tẽpore: est ergo in loco. Non est vlterior sphæra: non est ergo in loco. Est per accidens in loco ratione partium, (vt hic defendit,) non habet partes cœlum,) vt alibi demõstrat: ergo per accidens nõ est in loco. Quid? moueri ab ortu ad occasum, ab occasu ad ortum, à meridie ad septentrionem, & à septentrione ad meridiem potest, & tamen non est in loco? Dic causam quomodo hoc fieri possit, Philosophe, aut aliam rationem mouendi redde: Locus cœli centrum est, (vt ais) & sic mouetur. Ais quidem, seu quomodo indiuisibile punctum potest esse locus tam immensæ magnitudinis? Pars cœli est alteri parti locus; (vt doces,) doces id quoque, sed doce quomodo (cum pars vna succedat alteri in motu, vnaq; alteram non contineat) spacium imaginarium extra cœlum, in quo spiritus beatissimam vitam agũt sit locus, vt insinuas. Quid somnias Philosophe? incidis in Scyllam, quippe negasti locũ spacium omnino esse. Quid dicam? An conuexa superficies est locus cœli, vt Gilbertus Porretanus defendit? Tibi magis (Aristoteles) credo, qui concauam esse doceas, quam Gilberto Porretano qui idipsum quod dicit, postea coactus negat. Postremo, si cœlum nec per se, nec per accidens, nec actu, nec potestate in se, in parte, in spacio, aut centro vt in loco moueatur: sequitur omnino in loco nõ moueri. Nõ per se, quia nõ est vltra corpus extremitate circumscribatur: non per accidens, quia neq; est accidens, neque pars alterius in loco existentis: non actu, quia nulla est actu illius sedes: non potestate, quia tum reduceretur ad actum: non in parte, quia pars non continet partem: non in spacio, quia tale negatur esse: non in centro quia est indiuisibile, quod tantam magnitudinem metiri non potest. Hæc & similia argumenta occasionem dederunt multis deficiendi ab Aristotele, vt à contioso authore vanissimarum opinionum, cum ipsam veritatem loci ingenio perscrutari non potuerit.

Li. 1. de Cœlo c. 9. tex. 100. Lib. huius c. 4. tex. 37.

Aristotelis error de numero & loco sphærarum.

Sed dabis mihi veniam si hãc rem articulatius persequar. Primum ergo cum Christianis Patribus agnosco, Aristotelem

lem de numero & loco cœlestium sphærarum errasse. Nam vltra octauam Sphærā aliæ tres sunt, quarum duæ mobiles: vltima vero & summa immobilis existit, gloriosa nimirum illa (vt existimant Ecclesiæ lumina) beatissimorū spirituum sedes, in qua omnium gaudiorum paradisus sine vllo defectu floret. Quod vero istarum duæ mobiles sint, demōstratione triplicis motus in octaua sphæra clarissime probatur, diurni scilicet, retrogradi, & latitudinis: quorū duo priores aliunde ei contingunt, nempe à duabus superioribus sphæris mobilibus, alter vero vt proprius ei conceditur. Sed esto: disputandi causa ponamus octauam sphæram esse primum cœlum, aut (si placet) ponamus secundum veritatem vndecimam illud esse, vltra quod omnium cōsensu non ponitur aliud. Videamus nunc an argumenta Philosophi vllum pōdus habeāt, quibus conatur vrgere, supremum cœlum non esse quidem per se in loco, sed per accidens tantum. Per se in loco non est, quia vltra non est aliud cœlū quod hunc vndecimum orbem ambiat. Per accidēs tamen est, vel in ordine ad centrū, vel in ordine ad partes suas. In ordine ad cētrum, quia sic illius superficies semper immobilis est, & eiusdem dimensio certa. Nam omnes lineæ à centro ad circumferētiam sunt æquales & quælibet pars cœli æquabiliter à centro, similiter quælibet pars centri æquabiliter à cælo distat. Cognoscitur ergo cœli locus, locique altitudo, cognoscitur etiam motus cœli, eiusdemq; ambitus & dimensio per centrum: subit ergo aliquo modo rationem & proportionem loci. In ordine ad partes considerandum est, aliquid esse in loco duobus modis, vel vniuoce secundum totum, & sic cœlum non est in loco, vel analogica secundum partem, & sic cœlum in partibus locū habere dicitur: non quod pars contineat totum, sed quod pars parti succedens alia aliam comprehendere videatur. Huc adde, quod is debeat aliquo modo existimari locus cuiusq; corporis, qui eius motioni per se conuenit, eidem speciem, nomē & distinctionem tribuit: sed motio cœli circularis hanc speciē, nomen & distinctionem à centro sumit: ergo centrum est cœli locus. Per idem vtique differt à recto & mixto: nam ideo circularis dicitur, quia circa centrū & medium perpetuo voluitur. Sed omitto istas probabiles rationes, addo alias, nempe quod omnino

Cœlum in loco per accidens.

Aliquid in loco est dupliciter.

ſupremo cœlo nõ ſit locus, tum propter primum motorem qui eidem allidet, tum propter infinitam potentiam mouẽdi, quæ illi inhæret. Quid dicam de illius figura aptiſſima ad motum? quid de prima natura mobilis, quæ ad motum nõ requirit locum? Perſtringam omnia verbo: primus motor à Philoſopho *actus puriſſimus, agens liberrimum, infinita cauſa, Deus æternus definitur eſſe.* Siccine definitur eſſe? Certum eſt. Cur ergo locum in quo moueatur cœlum ſupremum quærimus? Deus eſt primus motor per ſe: ergo ſine loco mobile primum mouet: non eget loco: nam, tum per ſe non moueret. Eſt motor primus in mouendo: ergo primo non quærit opem, non requirit medium. Sibi enim primo motori mobile primum ſemper mouendum ſumit. Hæc ratio (vt vides) ſuadet, philoſophia vrget, non negat Philoſophus, qui has præeminentes virtutes primo motori dedit. Non eſt leuis ratio illa etiam quæ à potentia, figura, & natura loci petitur. Nam potentia proportionem quandam habet cum influentia, quam primo motori acceptam refert. Sequitur ergo quod potis ſit virtus in cœlo à forma propria primique motoris influentia nata, vt ſine loco moueatur. Figura cœli formam maxime actiuam ſequitur, facta & conſtituta ſemper ad motum. Quippe vt forma ad actum: ita figura ad motum nata otioſa eſſe non poteſt, maxime cum vtraque ab infinito motore pendeat. Natura cœli eſt vt ſit primus locus omnium: ergo non requirit locum. Nam primum in quouis genere à lege mediorum excipitur. Præterea eſt primum principium efficiens actu omnis motus: non ergo (vt cætera) requirit ad ſuum ipſius motum aliud corpus, ſub quo moueatur. Eſt enim (vt iterum dicam) principium primum, primum dico externum, actu, & efficiens, non internum, potentia, & conſtituens, vt natura dicitur.

Forma ad actum, figura ad motum nata

In vtramq; partem (ſtudioſe lector) philoſophice propoſui hanc quæſtionem, rationes etiam in vtramque partem adduxi: elige quam partem velis. Tutam primam eſſe exiſtimo, tutiorem vero poſtremam, tutiſſimum autem omnium vt oracula hæc relinquas Deo, qui omnia ordine, loco, pondere, in cœlo & extra cœlum, pro ſuo imperio & arbitrio diſpoſuit. Hoc ſolum velim intelligas, eſſe quidem ſecundum philo-

Quæſtio iſta pro ambus in vtramq; partẽ tuto agitanda.

Sunt Spiritu... loca ſecundum

philosophum loca cœlestium spirituum, vnde illa vulgaris distinctio nascitur de loco circumscriptiuo qui *corpori*, definitiuo qui *angelo*, completiuo qui *Deo*, comparatiuo qui *accidenti* debetur. Vt ergo corpus hoc tuum mortale, & ruinosum ædificium animæ, loco cingitur: ita ad tempus anima tua immortalis alligata corpori, definite esse in loco tã diu dicitur, quam diu in hoc corpore ex præscripto primæ causæ & motoris operatur. Sed proprius locus cœlũ est, vnde venit: diuinitus .n. (vt docet Philosophus) accedit. Quem admodũ ergo (si liceat sacra similitudine vti) colũba emissa ex arca locum quietis pedi suo non inuenit, donec ad arcam rediit: ita anima humana emissa è cœlo non quiescit, donec ad locũ vbi creata est reuertatur. Hic .n. naturalis illius locus est ad quem vi propria & cœlesti virtute trahitur. Sed hæc disputatio ad Metaphysicos spectat: reuersus tamen ad prioaem disceptationem de loco cœli, moneo lectorem vt curiosius non inquirat, *Quomodo cœlum moueatur? Quomodo sit in loco? Quid sit extra primum mobile?* & similia. Lumina enim mentis cœlum non penetrant, & quæ sunt in eo secreta naturę mens humana non semper percipit. Suadeo igitur ne sis multum sollicitus in istis mysteriis cœli Deo solum notis: satis est si innixus rationi probabiliter disputes. Nam sicut qui nimis intẽti intuentur solẽ, intensione luminis facti sunt cæciores: ita qui nimis alta contendunt sapere, euadunt sæpe stultiores. Hoc vrgeo magis, quia hodie nõnullos video Astrologos qui contemplantes cœlum idipsum idolum faciunt. Existimant enim Deum nihil posse agere sine cœlo, sed primum in illud influere, & sic per illius partes, vires, & virtutes, hæc inferiora gubernare. Sed toto (vt aiunt) cœlo, de cœlo disputantes errant. Nam quamuis Deus diuino illo corpore (vt loquar cum Philosopho) ad multa effecta producẽda in inferiore hoc globo mundi vtatur: est tamen is qui cœlum & terram ex nihilo creauit, & est is quem cœlũ, & terra, omniaq; in iis creata non capiant: is (inquã) est, q vocẽ hanc omnibus creatis dedit. ACCIPE, REDDE, TIME. Loquũtur, inquam, omnia à Deo creata ingrato homini, ACCIPE, REDDE, TIME, id est, ACCIPE à nobis omnia quæ in nobis Deus tua causa creauit: REDDE, Deo gratias, nam hoc solum officium postulat: TIME, id est. caue

Philosophum. Loci distinctio secundum locata.

Lib 2 de Gen. Animal. ca. 3.

ne nobis datis abusus, iram, iustitiam, pœnam merearis. De omni abusu creatorum non est huius loci ac instituti disputare. Huc spectat meum solum consilium, vt nimia curiositate in abditis & occultis naturæ oraculis perquirendis non offendamus naturæ authorem Deum.

Distinctio quæstionis motæ ex quinto capite. Vtrum cœlum supremum sit in loco?

- Defenditur hæc quæstio ex Aristotele
  - Affirmatiue, nempe quod sit in loco, sed analogice solum, & per accidés, quod probatur
    - 1 A comparatione ad partes, quarum aliæ sunt inferiores sphæræ, aliæ vero partes sui: vtroque modo per accidens (vt quidam defendunt;) est in loco. Nam vt (Themistius ait) supremum cœlum ratione orbis proximi, quem caua superficies continet & tágit, in loco esse dicitur quoad *locare*. Tágit enim orbem Saturni, & quodammodo continetur ab illo. Quod sit in loco quoad partes suas D. Thomas defendit, quia partes quibus constat, licet inter se continuatæ sint vnaquæq; tamen in altera sibi cohęrente, vt in loco inest, dum aliæ alias per orbem contineant.
    - 2 Ab ordine ad centrum, & sic etiam in loco esse dicitur: quia hoc modo illius ordo, altitudo, distancia, proportio, motus rectissimi cognoscuntur.
    - 3 A relatione ad spacium vltra cœlum positum, quod ipse Philosophus insinuat, cum dicat nihil esse extra cœlum, præter ea quæ sempiternam beatissimamque vitam agunt, intelligit Deum, & spiritus beatos qui illic habitant.
  - Negatiue, nimirum quod nõ sit in loco omnino, licet totaliter moueatur. Rationes quibus hoc ipsũ probatur, petuntur
    - 1 Ab infinita potentia primi motoris assistentis cœlo, vt fingit Philosophus: at absurdum esset (vt patet) infinitam potentiam loco finito egere, ad primum & diuturnum suum mobile vertendum.
    - 2 A prima lege & proprietate principii in quouis genere nimiru vt excipiatur principium ab eo quod aliis communicat. Exempli caussa, materia & forma dicuntur alia procreare, non autem dicuntur ipsa procreari. Ratio est, quia sunt prima principia. Similiter supremum cœlum dicitur primum omnia sub se in mundo collocare, non

re, non vero ipsum collocari dicitur, quia est primum principium collocandi.

3 A proportione influentis & influentiæ: influens est primus motor, qui non caret loco vt moueat. Influentia est potentia cœlo data, quæ externum corpus non requirit vt moueatur. Nam vt aliquid actu & proprie moueatur, non requiritur vt alio corpore ambiatur: sed vt acquiratur aliud aliudque Vbi, quod etiam in spacio vndique inani acquiri posse, ex dictis Arist. postea constabit.

4 A forma & figura cœli, quarum illa est actus simplicissimus, hæc ad ipsum motum circularem nata. Neutra egens loco ad motum, quia vtraque est prima causa motus: imo forma cœli vt est act⁹, est ipsa quidem motrix, quę influentiam motoris sentiens non potest esse otiosa.

5 A naturali ratione in textu posita, quia non est aliquid corpus extra cœlum, ne in infinitum corporum habeatur moles & multitudo, & proinde sequitur non moueri in loco, sed solum per potentiam motoris primi qui loco non eget.

Argumenta contra affirmatiuam partem quæstionis.

Opp. *Videtur quidem absurdum quod defendis, nimirum cælum esse in loco secundum partes. Nam si inferiores orbes intelligas, qui fieri potest ut supremum cælum ab illis contineatur, cum potius illos a supremo cælo cõtineri manifeste constet? Præterea, cum nullam omnino mentionem inferiorum sphærarum in tota disputatione de loco faciat Philosophus, non est probabile illum hic cælũ in loco per accidens posuisse. Si partes proprias intelligas, primum doce quomodo in circulo sint partes? & si sint, utrum definiantur esse homogenea vel heterogenea? At cum constet neutras esse, redde rationem quomodo dicis esse in loco secundum partes? At dicis in ordine ad centrum esse in loco cælum. Miraculi quidem instar hoc est, ut immensum corpus indiuisibili puncto mensuretur: at si mensuretur, dic in quo genere dimensionis*

hac cœli mensura ponatur? De relatione ad spaciū extra cœlum nihil dicā. Nā si sit tale quod insinuas, aut erit plenum, aut vacuū: si plenū tū sequitur quod sit corpus extra cœlum, quod negatur: si sit vacuum, in illo non erit motus, vt postea probat Aristoteles multis argumentis in tractatu de Vacuo.

Cœlum per accidens solum in loco.

Resp. *Magnopere laudo hoc genus pressum & succinctum disserendi, præsertim in hoc lōgiore tractatu loci, in quo si omnia fusius dicantur, volumen non sufficeret. Respondeo singulis pari breuitate, & dico cœlum esse per accidens & analogice solum in loco tam in ordine ad partes, quam in ordine ad centrum. In ordine ad partes vel subiacentes, vel insitas & cohærentes. Si illas respicias, considera & perpende quomodo iisdem renitentibus motus rapidissimus primi mobilis temperetur, & quomodo illarum partes partibus alterius continuentur: vnde non solum moderatio motus, sed etiam iusta proportio dimensionis sumitur, quæ aliquo modo sunt conditiones loci. Si vero has partes, nempe insitas & cōfusas, cum cœlo intelligas, respondeo esse etiam in loco, quia hæ quoq; partes sunt continuæ, contiguæ, & successiuæ, mutuo se inuicem complectentes vt loca solent locata. Si vrgeas non esse partes cœli: respōdeo esse respectu hominis, aliarumq; rerum quæ differentias loci comparatione facta ad cœlum habent, partesq; hæ quodammodo dissimilares dicuntur: quia eodē non appellantur nomine cum toto sed ex officio & actione aliud aliudq; sortiuntur nomē: vt vna pars orientalis, polaris altera, alia occidētalis dicatur. De cētro vrges aliquid,*

Centrum est locus dimensionis non proportionis.

sed dico centrū esse locū, non physica proportionis, sed Mathematica dimensionis nō proportionis, quia est indiuisibile, at dimensionis, quia ab eo lineas ducimus. Vnde altitudo, mēsura, motus & ordo cœli patēt. De spacio extra cœlum vacuo corpore, spiritibus pleno, siue fictum siue vere positum a philosophis, dico (non obstante quod nihil physice a moueatur in vacuo, vt recte probat postea Arist.) moueri tamē Metaphysice per infinitam potentiam motoris primi, quē Arist. præesse cœlo, idemq; circa centrum in sempiternum vertere arbitratur.

Argumenta contra negatiuam partem quæstionis.

Opp. *Vt liberum sit in vtramq; partem quæstionem hāc ingenioso lectori probabiliter tueri, vrgeo nunc cœlum vere esse*

esse in naturali loco. Alicubi esse & esse in loco idē sunt: sed cœlum est alicubi: ergo est in loco. Si vltima sphæra non moueatur in loco, successiue in tempore non describeret circulos: at in tēpore successiue describit circulos: ergo est in loco. Maior constat, quia successio motus localis locum naturalem arguit. Præterea vltima sphæra mouetur: sed non alio motu quam locali: ergo mouetur loco. Nō alio motu mouetur, quia in cœlo nec generatio, nec corruptio, nec augmentatio, nec diminutio, nec alteratio, sed sola localis motio & mutatio inest. Insuper secundum Astrologos sunt plures orbes vltra primum mobile Arist. ergo primum cœlum quod ille posuit verissime in loco continetur.

Resp. *Alicubi esse & esse in loco idem sunt, si proprie non improprie, si simpliciter non per accidens, vt hoc in loco considerentur. Ad secundum argumentum dico, successiue circulos describere, arguere motum localem & locum in omnibus præter quam in primo mobili, quod est primum actuale (vt loquuntur veteres) principium mouendi & locandi alia. Quod vrges tertio in loco ab enumeratione motuum, probasque nullum conuenire cœlo nisi motum localem, respondeo nec illum si proprie & naturaliter intelligas. Ad postremum respondeo consentiendo tecum: esse quidem plures cœlos vltra octauam sphæram. Sed hoc posito quod sit primum, verissime sequetur illud quod Philosophus posuit, nimirum sine loco volui & agitari. Et certe ista insinuatio erroris contra Aristotelem leuis est. Nam quis non existimaret splendidum, ornatum & gloriosum illum octauum globum, tot & tantis sideribus vestitum, esse omnium primum quod mouetur? Addiderunt Astrologi alios mobiles duos, Theologi immobilem vnū. Sed attende,* paucorum est inuenire, omnium fere addere inuentis.

Alicubi esse & esse in loco proprie idem per accidens non.

Dubia quædam obiter proposita & resoluta de Loco.

ANceps sum animi adhuc in multis de loco, dialogi more quæso agamus paucis. Primum ergo iam quæro *Quomodo Deus sit in loco?* Deus est in loco cōplete. Sed quid est esse in loco complete? Est omnem locum remque

Quid sit Deum esse in loco complete.

subiectam sua præsentia replere. At qui fieri hoc potest, cum Deus sit simplicissimus actus qui diuidi non potest? Idcirco hoc magis fit, quia vbi est, ibi secundum totum est. Nam diuidi non potest diuina essentia Dei: sed vt anima humana dicitur à Philosopho esse tota in toto, & tota in qualibet parte minoris mundi, id est hominis: ita Deus est totus in toto, & totus in qualibet parte totius vniuersi? Quid? an in puncto est Deus? Est vbique cur quæris? Qui fieri hoc potest, cum cœlum non capiat Deum? Fit, quia sic placet Deo, vt cœlum & centrum illius præsentiam capiant. At hæc sunt infinita: quomodo igitur numen infinitum capiunt? Non capiunt vt locus locatum, sed vt effectus causam. At causa, essentialiter est in effectu. Sic deus. Quid? an in malis? Est quidem in malis. Absurdum hoc est, vt summum bonum sit in summe malis. Deus iustitia est, & sic est in malis. At iustitia est accidens Dei, non ipse Deus. Imo iustitia in Deo est ipse Deus: nam (teste Philosopho) non est in Deo accidens. Complet ergo Deus cœlum, terram, & Orcum. Complet, & tamen est quiddam maius quam quod mundus possit continere. Dixisti modo continere. Dixi: sed completiue, quia nullus locus illius præsentia, nullus locus illius essentia vacat. At si essent mille mundi (finiti cum sint) illius maiestatem non possent circumscripte, vt loca locatum, sed complete, vt effecta suum principium capere.

Anima & Angelus quomodo a loco capiātur definite.

Aliud dubium nunc moueo de anima aut angelo, *Quomodo sint in loco?* Sunt in loco definite. Sed quid (quæso) est definite esse in loco? Est illic esse, vbi spiritus operatur. Ergo animus humanus est in capite aut corde. Esto. Videtur ergo circumscripte in loco contineri. Qui id probas? Quoniam illis corpusculis circumscribitur. Erras si dicas circumscribi: nam spiritus expers est corporis, & loco corporeo non alligatur, in capite tamen aut corde animus humanus inesse dicitur, quia ex præscripto primi motoris ad illas sedes pro vitæ tempore destinatur, ibique organis corporeis & potentiis tanquam propriis vsus (dum viuit homo) operatur.

Quid (quæso) de intelligentiis & earum locis existimas? Idem prorsus ac de animo. Nam sphæris cœlestibus assistentes, & intuentes primum motorem, sine omni defatigatione

tione & tædio agunt in sempiternum. Hoc cœlum corpus animatum non semel dicitur, non quod animam inhærentem, sed quod animam assistentem habeat. Assumpto corpore aliquãdo apparet angelus, an non tũ in loco? Apparens corpus est, nõ verum: apparens, vt *color iridis*, non verum, vt organicum corpus hominis: non ergo naturę vt in loco est, nec violẽto modo, sed diuina virtute (vt aiunt) definitiue. Vt (si liceat ex sacris exemplum petere) constat in angelo, qui Tobiæ iuniori apparuit: visus est edere & potare, & tamen nec edit, nec potauit, vt sacræ literæ attestãtur: quod tamen fecisset, si verum corpus assumpsisset. Sed attende, me non omnino negare quin fieri possit vt spiritus vera corpora assumant: hoc tamen fit diuina potentia, non vi naturæ, sicut creditur de illis Sanctis, qui in signum resurrectionis Christi multis in Sancta ciuitate apparuerunt.

Cælum quomodo animatum dicatur.

Angeli possunt virtute diuina vera corpora assumere.

Satisfactum mihi abunde est, sed adhuc vnum dubium superest, nimirum *An angelus possit esse in duobus locis simul?* Certe non potest vi sua, quippe est finitæ naturæ, & definite *loco* ens inest. Cæterum diuina virtute fieri hoc quidem potest, vt constat in anima humana, quæ licet tota & primario in vna parte sedeat, puta in corde, in singulis aliis tamen partibus corporis essentialiter, vt in diuersis locis, simul semelque inest. Historia notatu digna est, quam orator de duobus Arcadibus familiaribus in diuersis hospitiis locatis narrat, quorum alter alteri in somnio bis terue apparuit, opemque miserabili voce implorauit. Certum est (dum vixit amicus) animam in proprio corpore fuisse: at quis in ea visione negat, eandem familiari suo tum etiam apparuisse, opemque contra truculentum homicidam implorasse? quam si præstitisset admonitus, ille alter non periisset: at neglexit, & monitus ad portas ciuitatis crastino mane amicum occisum reperit.

Angelus non potest esse in duobus locis simul, nisi ex potentia diuina.

1. lib. de Diuinat.

Omitto ista. Sed quoniam (Aristotele teste) locus sit res cognitu difficillima, da veniam si adhuc plura de illo quæram. Dic ergo quomodo ens absolutũ, quomodo ens respectiuum habeatur? Dico locum bifariam considerari, vel pro *per se significato* (vt aiunt) & sic est ens respectiuum de prædicamento vbi, à superficie concaua corporis continentis realiter distinctum, & etiam realiter in corpore continente

Locus vt ens tũ respectiuum tum absolutũ.

positum: vel pro denominato & sic ens absolutum dicitur, estque nihil aliud quam superficies concaua corporis continentis, immobilis primo: cui definitioni si attexas superius attextam Relationem, omnibus numeris perfectam & absolutam loci definitionem inuenies.

De loco auis aut piscis mouentis per aera aut aquam.

Sed vlterius quæro, *An locus auis volantis, aut piscis natantis sit superficies aeris vel aquæ?* Videtur mihi quidem esse potius substantia vtriusque quam accidens: at accidens esset si locus superficies definiatur esse. Quod sit potius substātia, hinc constat, quia ante diuisionem continui tota substantia fuit, quomodo igitur nunc (quæro) subito tot superficies in motu *auis* aut *piscis* de nouo generentur, & iterum in momento (locis mutatis) extinguantur? Respondeo quod licet ante motum piscis, aut auis alteriusue corporis aer & aqua sint integræ substantię, diuisione tamen facta perpetuo fieri ad proportionem dimensionum nouas superficies Sed an noua in omni motu & gradu fabricentur loca? quæstio est: si dicamus esse respectu particularis locati, absurdi nihil sequetur: si vero negemus respectu centri aut terminorum fixorum in cœlo, à ratione non est alienum. Sed rationē quæris, quomodo hæ superficies de nouō generentur? Ex diuisione (dico) continui, & locatione solidioris corporis tenues partes aeris & aquæ perforantis. At nihil in instanti generatur. Verum est nisi ad euitandum vacuum, & sic in instanti partes aeris & aquæ, amotis partibus volātium natantiumque clauduntur, superficiesque concauæ aliis partibus aeris & aquæ continuæ fiunt.

Nulla generatio accidentalis in instanti.

Deus inest omnibus.

Adhuc non possum acquiescere: animus enim est cupidissimus sciendi: *Quomodo Deus (cum sit infinitus) in omnibus & singulis locis & rebus secundum totam essentiā insit?* Video cerebrosam curiositatem & curiosam cerebrositatem tuam: caue ne cereas tuas alas (si nimis in altum voles) sol iustitiæ suæ æstu liquefaciat. Vide quæso Oceanum, qui in omnes riuulos fontesque secundum substantiam fluit, est tamen Oceanus omnib. fluminibus & aquis per venas terræ fluentibus maior. Ita à Deo omnia sunt, in quibus secundum essentiam est, & tamen quiddam his omnibus maius, celsius, diuiniusque est Deus. Intuere causas vniuersales rerū, considera effecta in quibus secūdum totam essentiā insunt: non

non tamen inficias (vt opinor) ibis, quin causæ priores & vniuersaliores sint effectis suis. Fac quæso comparationem (si liceat humana cum diuinis comparare) & videbis persimilem rationem in Deo, qui est prima causa omnium, & in omnibus manens secundum totam essentiam, & tamen in se est maior & vniuersalior, quam vt eum totus mundus capiat. Satisfaciant hæc duo exẽpla curioso ingenio tuo, si pergas respondebo vt Sanctus pater respondit tui simili, quærenti, Quomodo Deus *indurasse aut odisse* hominem potuerit in vtero matris, & tamen non sit author peccati? tu (inquit) disputa, ego mirabor. Recte Philosophus. de principiis, non est quærenda ratio, nedum disputandum quomodo hoc vel illud Deus faciat, satis est Deum nosse in quo non potest esse contradictio.

CAPVT VI.

An vacuum possit esse in rerum natura?

AFfinitas magna est inter locum & vacuum, & proinde non absimilem doctrinæ methodum & seriem in hoc atq; illo tractando Aristoteles nunc sequitur, aitque non minus ad physicum pertinere de vacuo, quam de loco disputare. Prouinciam ergo hanc aggressus, vnam mouet quęstionem, & in ea duas opiniones discutit. Prima est ponentium vacuum, altera negantium; vtramque ad calculos vocat, & argumenta in vtramque partem ducit. Prima opinio vulgaris fuit, esse quidem vacuum, quoniam imperita plebs seu multitudo, non capax philosophiæ, arguebat aerem omneque corpus quod sensibus non obiicitur esse vacuum. Sed hunc errorem (vt docet Philosophus) refutauit Anaxagoras, cuius tamen demonstratio (vt ait) non simpliciter ex necessariis constat. Ratio Anaxagoræ hæc fuit, quicquid aere plenũ est non est vacuum, sed spaciũ q; imperita multitudo vacuũ esse putat est aere plenũ: ergo spaciũ quod imperita multitudo putat esse vacuũ non est vacuũ. Assumptionem probat Philosophus à duob. signis seu exẽplis, vesicę scilicet & clepsydræ: vesicę. q inflata æstimatur à plebe vacua. sed nõ est, qa aere plena cõpressioni non cedit: clepsydræ, quæ non admittit aquam priusquã aer inclusus facesserit. Hæc (inquit

Anaxagoræ ratio qua probauit non esse vacuum.

Philosophus) refutatio, licet vacuum tollat, non est simpliciter vera & necessaria. Clepsydra est cauum instrumentum perfossum, quo hortulani guttatim, imbre quasi defluente, herbas irrigant, ex quo nihil aquæ per foramina meatusque inferiores fluit, superiore orificio obstructo: ratio est, quia aer non potest euolare vtrinque clausus. In secunda parte huius capitis in medium profert quinq; rationes veterum, qui ponebant vacuum esse. Prima sic se habet. Est motus localis: ergo est vacuum. Argumétum hoc modo probat, quia illud quod mouetur recipitur aut in plenum, aut in vacuum, si in vacuum habetur propositum, si in plenum duo corpora erunt in eodem loco, seseque indiscriminatim permeare poterunt: quod nec ratio, nec philosophia, nec ipsa natura ferunt. Huc accedit authoritas Melissi, qui respectu motus necessario ponendum esse vacuum existimabat. Secunda ratio hæc est, condensatio corporum concedenda est: ergo admittendum est vacuum. Ratio tenet, quia cum aliquid condensatur comprimiturque, vt aqua gelu concreta, aut spongia manibus pressa, partes propinquiores fiunt. Simile est exemplum de dolio, quod tantundem vini capit cum vtribus, quantum sine illis: hoc autem aliunde non obuenit, nisi quoniam insunt iis corporibus inanes multi meatus, in quos partes à se prius distantes contrahuntur. Negari igitur non potest quin sit vacuum. Tertia ratio à naturali augmentatione rerum animatarum sumitur, quæ cum fiat hausto in corpus & distributo alimento, necesse est vt sint partes inanes, in quas alimentum sese insinuet, ne multa corpora simul in eodem situ constent. Hanc rationem Lucretius approbat,

Ratio 1. ponentium vacuum. (margin, beside "qui ponebant vacuum esse")

2 (margin, beside "necessario ponendum esse vacuum")

3 (margin, beside "gitur non potest quin sit vacuum")

Lucret. 1. lib. vers. 351. (margin)

Dissipat in corpus sese cibus omne animantum,
Crescunt arbusta, & fœtus in tempore fundunt,
Quod cibus in totas vsq; à radicibus imis,
Per truncos ac per ramos diffunditur omnes.
Quod (nisi inania sunt qua possunt corpora quæq;
Transire) haud vlla fieri ratione videres.

4 Quarta ratio est ab experimento vasis cineribus pleni, recipientis tantum liquoris, quantum recipere potuit si vacuum fuisset, quod certe fieri nó posse videtur si non admittatur vacuũ. 5 Postrema ratio Pythagoreorum est, qui existimabant

ſtimabant probabiliter non poſſe res corporeas & continuas diſſociari abſque vacuitate, niſi penetrationem corporum velis admittere. De ſomnio Pythagoræ nihil hic dico, qui poſito infinito vacuo, aere pleno extra cœlum, exiſtimabat cœlũ quoſdam ſpiritus quaſi reſpiratione ad ſe attrahere, quibus res inferiores præcipue numeros diſiungeret ſepararetque. Sic inane extra cœlum eſſe, ſed inaniter aere plenum: ſic cœlum eſſe quaſi animal quod reſpiratione eget: ſic oris ſpiritu res in inferiore hoc mundi globo ſecundũ ſpecies, loca, & ordines ſeparari fabulatur. Sed ſub pallio & fabula myſterium eſt, quod ſit ſpiritus extra cœlũ, id eſt, Deus quod ſit ſpacium infinitũ in quo Deus infinitus ineſt: quod cœlum tãquam animal ſpiritus ad ſe quaſi reſpiratione trahat: & certe trahit. Nam ſpirituum primus in ſempiternum illi aſſiſtit, nouoſque ſpiritus, id eſt, influentias & virtutes eidem ſuggerit: quod hac reſpiratione primũ numeros, tum alias ſubſtantias & affectus ſeparet. Quid rides? Fabula hæc non eſt: nam cœlum eſt corpus animatum per animam aſſiſtentem, non per animam inhærentem, vt vides. Cœlum ab anima aſſiſtente ſpiritus, id eſt influentias & virtutes recipit, vt etiam vides: cœlum perpetuo in hæc inferiora influit, vt (ſi non ſis cęcus & imperitus rerum) vides. Cur ergo non vides cœlum formas naturales per influẽtiam gignere, quib. rerum diſtinctio eſſentialis & ſeparatio conſtat? At prima diſcretio numerorum eſt ſecũdum Pythagoram, vt ais. Eſto, ſed dic mihi an intelligas quid ſibi voluerit Pythagoras per numerum? Certe (ni fallor) intelligit principia rerum, quæ primum diſtincta, rerum aliarum diſtinctiones faciunt. Quod intelligat principia hinc conſtat, quia aiebat numeros eſſe totam ſubſtantiam rerum, ex potentia & actu, ex pari & impari conſtitutam. Lege Plutarchum de numeris Pythagoricis, libro primo de Placitis philoſophorum, capite tertio, & ſi attentius legeris, lectaq; intellexeris, ingenium ſapientis philoſophi non ridebis. Expectas forſan (ſtudioſe lector) vt hic pro more nunc meo vela expandam orationis meæ, dubiaque permulta limatius expendam: ſed memor tui, & non oblitus mei, breuitati ſtudeo, eamque quæſtionem iam in textu motam & diſcuſſam nouis & phaleratis verbis iterum non ornabo. Aliam etiam rationem addo,

Pythagora de inani ſomniũ.

Somnii eius interpretatio.

2. Cæl tex. 13.

Per numeros Pythagoras rerum principia intellexit.

cur in hoc tractatu de vacuo sim breuior, quoniam ex oppositione loci iam satis demonstrati, quid sit vacuum facilè patebit: & quoniam de inani flumen orationis effundere, esset de non ente pluribus inaniter disputare.

Distinctio quæstionis in capite à Philosopho discussa, Vtrum sit vacuum in rerum natura?

Duo probant vacuũ non esse:

- Experientia, quæ est multiplex: vt constat
  - 1 In aquarum ductibus: experimur enim in illis aquam ascendere, ne admittatur vacuũ.
  - 2 In clepsydra, cuius obstructo superiore meatu aqua non defluit.
  - 3 In dolio vndiq; obturato, quod liquorem non effundit, si non sit perforatum.
  - 4 In subitaneo motu grauium sursum, & leuium deorsum contra naturam, ad prohibendum inane.
  - 5 In follibus clausis, & nulla vi aperiendis, si aer non intret.
  - 6 In aqua gelu cõcreta, quæ vas æneum aut ferreum dirumpit sæpe, ne fiat vacuum.
  - 7 In cucurbitulis, quibus ab altis partibus corporis humores extrahuntur.
  - 8 In scorpionibus bellicis, qui tartareo puluere accenso aereque consumpto, magno murmure & impetu globulos emittunt subito, aut dirumpuntur.
  - Mille alia sunt experimenta quæ hoc demonstrant esse verum. sed hæc sufficiunt ad adolescentulorum ingenia instruenda.
- Ratio seu
  - 1 A definitione vacui vt sit *locus solum imaginarius non verus, nullo corpore repletus, aptus tamen repleri*: sed tale non est ens in rerum vniuersitate, quia natura res fictas spurias, non filias agnoscit suas.
  - 2 A diuisione rerum, quia omnia simplicia & mixta in loco non in vacuo conseruantur. Si enim locus sit principium conseruãdi, vacuum rebus perniciosum erit.
  - 3 Ab oppositione loci & vacui, quorum altero in rerum natura posito alterũ tollitur: at locus omnium consensu ponitur in rerum natura: ergo vacuum non admittur.

philo-

philosophia, quæ demonstrant non esse omnino, hoc modo

4 A motione rerum, quæ quidem non pôt esse sine loco: quia omnis motus est successiuus. at successiuus esse non potest sine pleno: nam plenum est causa successionis.

5 Ab vnione omnium corporum à primo cœlo ad centrum, quæ arguit vniuersum esse plenum non vacuum. Nam cohærentiam appetunt omnia, tum vt se mutuo conseruét vt membra totius, tum vt cœli influentiam & ipsa recipiant, & eandem receptam aliis communicent vicinis. Hinc est quod natura abhorreat à vacuo, quia hanc naturalem societatem & vnionem dissoluat.

6 A conditione singularum rerum, quæ sic appetunt commune bonum vniuersi, vt sæpe videantur propriam naturam & bonum relinquere, ne admittatur vacuum: sic sponte ignis deorsum & saxa sursum volant ad prohibendum hoc monstrum.

7 A demonstratione Philosophi, vbi docet cœlum esse rotundum non quadratum, ne inæqualitas figuræ vacuum induceret. Huc adde illud à refutatione Epicureorum & Pythagoreorum qui extra cœlum posuerunt vacuum. *Lib. 1. de Cœlo cap. 4. text. 29.*

8 A ratione vsus, quam nemo philosophorum vnquam demonstrauit. Nam quorsum otiose natura vacuum admitteret, cum loco & ordine omnia disposuisse sufficiat?

Opp.

Plenum est: ergo vacuum esse potest: ratio sequitur, quia plenum & vacuum sunt priuatiue opposita, quorum si vnum sit in rerum natura, alterum esse potest.

Resp.

Plenum & vacuum sunt priuatiue opposita nomine, re vero contradictoria. Nam plenum & vacuum sunt quasi diceres plenum & non plenum: Est enim vacuum locus non plenus, id est, sine omni corpore. *Plenum & vacuum re contradictoria.*

Opp.

Ne in immensum fluat oratio, manum extensam in pugnum contraham, multaq; argumenta in vno perstringam. Chaos fuit ante creationem mūdi: ergo vacuum. Nam quid aliud est chaos quam locus expers corporis, qui tamen complere pôt? Quid præterea existimas de spacio extra cœlū quod

tos philosophorum cōsensu positum arguit vacuum esse? quid insuper de quadrata figura Empyrei cœli, quam Christiani Patres, nobilissimi philosophi typice defendūt? qua posita necessario erit vacuum in angulis figuræ, siue moueatur siue nō moueatur: at si sit corpus Physicū naturaliter moueri potest: naturaliter ergo potest esse vacuum ex ipso motu angulari, cum illius figura quadrata non rotunda seu circularis dicatur. Pergo & à te quæro, Quomodo lac in ebullitione rarescat sine vacuo? Aer aneum vasculum in fundo nō penetrat, neq; lac ipsum, cum sit aere densius, viam sursum eidem ingredienti concedit. Satisfacias mihi velim, quomodo aqua frigidissimo cœlo concreta, in vase ferreo, æneo, aut plumbeo vndique obstructo angustiorem locum occupet, si non defendas vacuū: certum est aerem non subintrare: quid ergo remanet nisi vacuum? Nescio quid respondeas, si dicam duas tabulas arte planissimas factas & copulatas seiungi non posse sine vacuo, quippe in separatione vel admittendum est vacuum, vel fatendum est corpus aliud in momento supplere locum. Sed ex Aristotele probatur, quod omnis corporis motus sit successiuus. Quid restat? si natura tantopere horreret vacuū, quodius indiuiduum naturale minus æstimaret suum priuatum bonum quam admitteret vacuum, quod bono communi opponitur. Sed philosophia huic contrarium docet, quia natura (vt dici solet) reflectitur in seipsam, nec alterius bonum nisi gratia sui quærit. Si ergo aliquando saxa & ponderosa corpora sursum rapiantur hoc nōn fit nisi inuita natura, si rem singularem spectes. Nam bōnum amabile est quidem cōmune, sed maxime vnicuique proprium.

Cœlum Empyreum Theologorum quorundā consensu quadratum.

Eth. 8. cap. 2.

Resp.

Primum dico, hoc quod in primo loco vrges nihil pertinere ad euertēdam positionem nostram. Nam etsi detur fuisse ante constitutionem mundi vacuum, non tamen sequitur aut nunc esse, aut olim fuisse in rerum natura, quoniam tum rerum natura non extitit. Sed vlterius respondeo Chaos non fuisse vacuum, id est, non fuisse tale spatium in quo erat naturalis aptitudo ad suscipienda corpora. Nam si fuisset naturalis aptitudo, tum etiam fuisset naturale aliquod agens quod eandem aptitudinem potuisset reducere in actum: at quis philosophorum audet dicere, agens naturale hoc posse efficere

Chaos nunquā extitit vacuū.

ficere? Praeterea, in ordine creationis per chaos multi intelligunt materiam primam (quae est veluti rudis indigestaque moles) imprimis factā fuisse, ex qua omnes & singulae rerum formae per potentiam actiuam naturae operantis educebātur. De spacio extra caelum supremum fabulae multae narrantur, si tamen tale esse probetur, quod adhuc non probas, idem vacuum esse tibi non cōcedo. De quadratura empyrei caeli quod est (vt tuentur Theologi) caelestis patria beatorum, dico primum in quaestione esse an idem moueatur? an immobile constet? tum siue moueatur, siue nō, negatur in illius angulis latere vacuum, quia non habet naturalem aptitudinem ad aliud corpus admittendum. Ad quartum & quintum argumentum dico nec rarefactionem lactis, nec congelationem aquae vacuum docere. Nam quamuis rarum corpus maiorem locum, & condensatum corpus minorem locum occupet, in rarefactione tamen & plenitudine partium & in ipsa compressione, vel aliud corpus admittitur, vel vas in quo aqua gelu concrescit violento motu disrumpitur, vel aqua sic conclusa in frigidissimo loco concrescere non potest. Quod addis de tabulis coniunctis & separandis parum vrget, quia admitto aliud corpus in momento succedere, aut ipsas tabulas non posse aequaliter à se inuicem separari: ratio est, ne admittatur vacuum. Postremum argumentum, quo probat ab hypothesi vacuum esse, suas vires habet. Sed attende, quod mira sit vis naturae in conseruando communi & vniuersali bono. Nam cum totus mundus ex membris vnitis constet, non est pars vlla quae inuita recuset periculum, si vnquam commune bonum violetur: imo potius contendet contra suam propriam & peculiarem naturam agere, mouere, luctari, quam pax vniuersa aut salus pereat. Hinc flammae saepe caelitus deuolant: hinc saxa ingentia sursum rapta aliquādo visa sunt in aere pendere, ne monstrum hoc infestum naturae fiat. Quemadmodum ergo manus, humani corporis membrum, se frequenter ictibus exponit, vt caput à vulnere, hominemq; ab interitu seruet: ita qualibet pars naturae communi bono sic consulit, vt potius damnum sui & discrimen subeat, quam patiatur ius vniuersalis naturae vulnerari. At dicis tu plane contrarium, nempe cuiq; rei naturali insitum & innatū esse, vt sibi sit affectu & natura proximū. Verū hoc est si

Caelum Empyreū cur admittat vacuum.

respicias huius vel illius bonum: at si bonum commune spectes, plane est falsum. Ratio est, quia vt pars est propter totũ ita naturali propensione magis ad bonum totius, seu commune bonum, quam ad suum proprium & peculiare res qualibet inclinatur. Nõ idcirco reflecti natura in seipsam dicitur, quod priuatum bonum communi anteponat, sed quia communis boni procuratio in ipsius rei priuata commodum & emolumentum cedat.

Opp. *Quicquid mouetur motu locali recipitur aut in plenum, aut in vacuum (tertium enim nõ datur:) si in vacuum, habetur optatum, si in plenum: tum id quod prius implebat locum vel adhuc manet in eo (& sic sunt duo corpora simul in eodem loco) vel recedit, idq; ad alium locum plenum aut vacuum: si iterum vacuus sit locus in quem recedit, habetur propositum: si vero sit plenus, idem quod superius intuli sequetur absurdũ, duo nimirũ corpora esse in eodẽ loco simul.*

Resp. *Recipitur quidem corpus in plenum, quod se diffundit & vlnis suis quasi amplectitur amicum: non ergo dicitur plenum, quia tum alio corpore est refertum, cum successit alterum, sed quia continuo motu & successione corporum in eo existentium nunquam est vacuum.*

Opp. *Sunt quinq; obiectiones in textu quibus probatur esse vacuum: quid illis respondes? prima est a naturali motu, secunda à condensatione, tertia ab accretione rerum, quarta ab exemplo corporis cineribus pleni, quinta à spacio extra cœlum in quo videtur vacuum delitescere.*

Rationibus pro vacuo in textu allatis respondetur.

Resp. *Aristoteles (vt solet) in vno capite proponit argumenta, in altero resoluit. Cæterum licet sequar Arist. & illius vestigiis insistam, nempe vt fusius tum agam cum occasio se offerat, nunc tamen verbo attingã singula. Ad primam ergo in contrariam partẽ, dico idipsum quod modo alteri argumento dixerã, nimirum moueri quidem rem naturalem in pleno, non in vacuo: sic tamen plenum dici, vt non duo simul sed vnum semel retineat successione corpus. Secundo argumẽto antea satisfeci. Nam condensatio in multis aut non fit, aut si fiat, non admittit vacuum: non fit in omnibus, nam aqua vase vndiq; obstructo vel nunquam concrescit, vel si concrescat & condensetur vas statim rumpitur. Tertia ratio ob accretione nihil probat, quia augmentatio seu nutritio non*

tio non est commutatio alimenti in partes vacuas, sed plenas quamuis non plenas ea substantia quam alimentum suggerit & administrat natura: altera enim substantia alteri aduenienti cedit. Tritum est quartum hoc argumentum ab experimento vasis pleni cineribus, quod non minus, aut plus liquoris recipit quam si esset vacuum: dico igitur hoc propter siccitatem, & (vt ita loquar) propter spongiositatem cinerum ipsorum fieri. Ad vltimum de spacio extra cœlum respondeo tame: si concedam tale spacium esse, non tamen sequi esse tale vacuum de quo hic agitur, quia in eo nõ est naturalis vlla aptitudo recipiendi corpus, quæ aptitudo necessario ad vacuum hic definitum requiritur.

CAPVT VII.

Vtrum vacuum recte definiatur?

PRopositis in vtramq; partem de vacuo argumentis, Arist. priusquam ad suam de eo sententiam ferendam veniat, ex antiquorum placitis varias notiones huius nominis eximit eruitque. Notiones dico nominis, quia non sunt hæ definitiones re: vacuum enim res non est, nisi opinione multitudinis. Sed ne longius filum orationis texam, quadripartito veteres definiebant vacuum 1. vt sit *locus in quo nullum est corpus*. 2. vt sit *locus in quo omnino inest nihil*. 3. vt sit *locus in quo est nihil graue aut leue*: & qui sic definierunt vacuum, posuerunt omne corpus esse tactui obnoxium, omneq; tactile pondere aut leuitate esse affectum. 4. vt sit *locus in quo non est hoc aliquid, nec aliqua substantia corporea*. Tres primæ (inquit Philosophus) definitiones otiosæ & inanes sunt, quia conueniunt puncto: nã punctum est *in quo non est corpus, in quo est nihil, in quo nihil leue aut põderosum inest*. Vides studiose lector (vt obiter te moneam) quem puluerem in hac lucta & certamine cum aduersariis excitet Arist. iniquus fere semper est alienarum opinionum censor, æstimator iniustus. Rationem in præsenti exemplo reddo, quia vel eandem definitionem postea approbare, vel meliorem non assignare videtur. Sed pergit & tertiam definitionem per se

Vacui definitiones quatuor.

refellit, in qua dicitur vacuum id esse *in quo neq; graue neq; leue inest*. Quid (inquit Philosophus) si in eo insit corpus, soni, aut coloris cōpos, sine grauitate aut leuitate? quasi vero sit aliquod corpus sono aut colore præditū, ꝙ grauitate aut leuitate careat, nisi cœleste & æthereum aliquod corpus intelligat in quo sonus & color inesse negantur. Sed (dices) quæ ista est interpretatio Aristotelis? quis tu interpres, qui authorē quem defendis ita carbone notas? Defendo & honoro Aristotelem. Sed vt ille de Philippo sobrio & temulento: ita equidem ego de Aristotele: *honoro illum demonstrātem, at refutantem non defendo*. Leuissimis, n. de causis sæpissime aliis classicū & arma canit, & si vel pulchritudo, vel altitudo Carthaginis displiceat, statim (vt Scipio offensus) non solū inuadit, scādit, capit, sed funditus euertit ciuitatem. Sic auceps famæ aquilam. i. insigne victoriæ perdit. Age, quid de quarta definitione ait? Quartā definitionem quæ est, ꝙ vacuū *sit locus in quo non est hoc aliquid, nec aliqua substātia corporea*, suspicatur esse Platonis: qua de causa eādem acrius insequitur? ait ergo in hac definitione proculdubio à PLATONICIS intelligi materiam primam, quia in illa nō est hoc aliquid, i. forma, nec aliqua corporea substantia: sed, vt inquit, materia prima non potest esse vacuum: quia vacuum à rebus separari pōt, materia aūt non pōt. Cum contentus sit nulla vacui definitione Arist. quam obsecro tandē infert ab istis alienā? non vnam sed multiplicem tradit: prima est quod vacuum *sit locus corporis omnino expers*. Quæ alia? nimirum quod sit *locus non repletus corpore. aptus tamen repleri*. Tertiam adde: addam quamuis non hic sed alibi appareat. Nēpe quod sit *imaginariū spaciū corpore vacans, quo tamen corpora contineri & moueri possunt*. Quænā istarum definitionū maxime approbatur? Secūda: at in illa vacuum definitur locus. An vacuū est locus? est. Ergo est quātitas. Est quidē quantitas opinione, nō veritate. Imo videtur esse quātitas secūdum veritatē, cū naturaliter repleri possit. Idipsum respondeo quod modo, posse quidem repleri opinione non veritate. Somniarunt .n. quidam philosophi esse in vacuo naturalem potentiam ad recipiendum corpus, vt est in materia prima ad capessendam formam qua ornatur.

Aristotelis definitiones vacui.

Quid vlterius agit Philosophus in hoc capite? soluit & refellit

refellit argumēta illa quinq;,quibus in primo capite ex veteribus visus est demonstrasse vacuū ordine. Quid ad primū respondet?negat argumentū:quia nō sequitur ex motu locali vacuum : imo potius contrarium sequitur, vt in motu cœlestium sphærarum,elementorum,& mixtorum firmissime demonstrat, qui motus in illis non esset successiuus,si nulla vel corporis inferioris, vel medii continentis mobile existeret retinentia,seu moderatio motus. Quid ad secundū ait?corpora(inqt)condensari quidē,partesq; in se inuicē subintrare,non quod pars vlla in vacuū subintret,sed quod subtilius aliquod corpus eidem intranti cedat. Quid ad tertiū? Rectissime certe dicit augmentationem per alterationem solam, nullo corpore extrinsecus & foris aduentiente fieri posse, vt constat in aere, qui sæpe ex aqua alterata nascitur. Quomodo quartum argumentum soluit?soluit docens vas cineribus repletum idcirco tantum aquæ infusum admittere,quantum admittit vacuum, quoniam cineres, & propter siccitatem liquidum consumunt & propter meatuum multitudinem maiorem quantitatem recipiunt, & deniq; propter condensationem aerearum partium, quæ exhausto liquore angustiorem locum spaciumque occupant. Quid ad vltimum de spacio extra cœlum,de respiratione mundi, & distinctione rerum respōdet?Negat tale esse spacium, fabulamq; deridet quam Stoici &Pythagorici de respiratione mundi induxerunt. Si enim totus mundus sit animal, ingētes pulmones requirit,quorum spiritu res omnes & singulæ separentur.& sane nunc opus esset Atlante,qui eundem iam senem, delirantem & decrepitum humeris suis fortiter sustineat, aliter forsan titubabit & in sepulchrum cadet. Sed ludo : alius sensus fuit doctissimorum de hoc spacio, quem nunc omitto,quoniam superius in primo capite eundem vberius attigi : illuc ergo respice, ordineque argumenta illic proposita lege, vt melius intelligas quam hic apposite singulis accommodentur responsa. Sed dices me hic otiose actum agere,idemque(vt aiunt)cum Sisypho saxum voluere, cum ante inter argumenta prioris capitis istis obiectionibus satisfecerim. Satisfeci quidem ex interpretibus, nunc autem ex ipso Arist. vt in vtramque aurem securus, tela pro vacuo in cassum proiecta non timeas.

Distinctio quæstionis, An vacuum recte definiatur?

Vacuum sumitur duobus modis,

- Vulgo pro spacio in quo non est aliquod sensibile corpus, & sic omnes partes aeris aut vasis, in quibus nihil sensibus suis obiectum imperita multitudo videt, *vacui* nomen subire putat.
- Physice, idque vel
  - Communiter, pro spacio in quo nec physicum, nec mathematicum corpus inesse potest, & sic à quibusdam philosophis definitur (vt patet) *locus in quo nihil est aut esse potest.*
  - Proprie seu stricte, & sic
    - Definitur à Philosopho *spacium separatum ab omni corpore naturali, aptū tamen corpus recipere.* At quod tale non possit esse in rerum natura, ante multis à nobis rationibus demonstratur.

Opp.

Quicquid nō est, recte definiri non potest: sed vacuum non est. ergo recte definiri non potest.

Resp.

Definitio vacui nominis est non rei.

Vulgaris est hac obiectio, & nota est distinctio qua illam delet, nempe aliam esse nominis, aliam rei definitionem: hac vero nominis, non rei habetur definitio. Sed dices nomen formam rei sequi, rebusq; significandis imponi; ergo si sit nomen probabile est rē aliquam subesse necessario. Dico hoc verum esse cum de rebus agatur, at falsum esse cum agatur de intētionibus vel de opinionibus hominū imaginantium aliquid esse ens rei, cum nihil sit praterquam monstrum opinionis, vt vacuum est, quod iam definitur.

Opp. *Videris quidem (Philosophe) aut esse defessus scribendo, aut (meo quidem iudicio) nimis festinanter leuiterq; de vacuo nunc tractas omnia. Nam aliter redde mihi caussam cur illam vtilissimam difficillimamque quastionem hic omittas,* Vtrum nullus omnino motus fiat, si admittatur vacuum?

cuum? *Hic enim opportune mouetur, cum in responsione ad argumenta prius allata Philosophus de alteratione, de accretione, de loci mutatione agat.*

Resp. *Parum attente textum consideras, in quo videas, si placeat, aliam intentionem Philosophi, nimirum vt solū hic obiectionib. leuiusculis respondeat, postea vero copiosius hanc quæstionem tractet, cum de rarefactione & condensatione subtiliter & accurate differit. Non sum ergo defessus, quanuis libenter agnoscam, libentius vacare me velle aliis rebus cum nunc de vacuo disputem. Ratio est, quoniā Philosophus in Olympo est, vbi cū aduersariis magni nominis certat, quorum monumenta non habemus.*

Opp.

Hæc definitio conuenit aliis à vacuo: ergo non est legitima, Antecedens probatur, quia materia prima est in qua nullum est corpus, est tamen apta nata ad formam corporis capessendam.

Resp. *Inepte conficis argumentum, cum à definitionis solum parte disputes. Non enim solum definitur vacuum esse spacium, sed spacium separatum: at materia est pars, & separari non potest.*

Opp. *Non licet istis nugis immorari: breuiter ergo quid ais de fornace, in qua flamma totū aerem inclusum consumpsit? an illic non est vacuum? quid de poris meatibusque candentis ferri, in quibus non corpus igneum sed solam ignis virtutem ponis? an aere istos repleri somnias? Infinita alia possunt adduci similia exempla: sed istis nunc satisfacias. Nam (vt pauca verba priori exemplo addam) concedis (vt opinor) flammam sustulisse aerem: si non concedas, ratio & experientia euincunt. At si dicas aerem continuo subintrare: quæro quomodo hoc fiat, cum actiua qualitas ignis adhuc viuacissima, vel impediat ne ingrediatur, vel ingressum cōsumat, vel consumptum in seipsum facile conuertat.*

Resp. *Contra quæstionem directe nō disputas, sed in tanta sterilitate argumentorum admitto quæ adfers, & dico in fornacem, materia ignis subducta, aerem intrare, ibique flammis extinctis non corrumpi, aut conuerti in ignem, sed ibi manere calidiorem. Omnis enim intensio caloris aerem non corrumpit, vt constat in æstu solis. Cæterum si ita incalescat*

fornax vt non admittat aerem, quin statim in ignem vertat, tum miri nihil est, quia locus tum quidem refertus est igne non omnis vacuus corpore. De altero exẽplo duplex est opinio, nempe quod in meatibus ferri candentis insit verissimus ignis, vt in locis, & sic nihil absurdi: vel quod sit solum ignea virtus in tota substantia bene compacta, & sic etiam nihil incommodi cõtra hãc defensionem quaestionis sequitur. Nam si ferrum rarefactum & porosum, adeoque in eo vt in loco ignis contineatur, non est omnino vacuum: si vero sit bene compactum, nullaque fiat penetratio corporum, nullum in eo vacuum esse omnino potest.

CAPVT VIII.

Vtrum { *Posito vacuo omnis motus cesset?* / *Sola causa successionis in motu locali sit resistentia medij?* }

Vacuum non ponendum est propter motũ.

FVerunt quidam philosophi qui pertinaciter defenderẽt, propter loci mutationem vacuum necessario ponendum esse. Sed ostendit Philosophus neutiquam ob eam causam esse inducendum, quia natura in quolibet corpore simplici causa est motus: vnumquodq; enim suo pondere aut leuitate in naturalem locum, veluti in natiuum solum fertur, ibiq; naturę vi propria quiescit: non ergo opus est vacuo vt moueatur. Praeterea, vacuum est causa vt penitus tollatur motus: ergo non est ponendum vt sit causa motus. Antecedens probatur, quia in vacuo non sunt omnino differentiae loci: si ergo ponatur corpus in vacuo, non est ratio cur huc potius quam illuc, cur in hanc magis quam in illam moueatur partem, sed (vt terra aequis quasi ponderata lancibus) fixum & immotum maneat. Deinceps, cum vacuum sit simile in omnibus partibus, fieri non potest quin corpus simul & quiescat & moueatur in eo. Quippe quae tandẽ erit causa mutationis, cum partium & totius nulla sit distinctio, vt hic locus huic magis quam illi corpori ad quietem & conseruationem destinetur? quemadmodum in locis elementorum constat. Quid vltra? vacuum non est causa motus naturalis aut violenti: ergo non est causa vllius. De naturali non est dubitandum, nisi ipsam naturam (quae est principium motus) lãguidam & infirmam esse affirmes. Quod non sit causa violenti

violenti sic probat Philosophus, quia violentus motus non est sine vi impressa corpori moto vel proiecto: at hęc vis esse non potest sine medio, cuius pars vna pulsa alteram vt vnda vndam pellit: at in vacuo quomodo hæc motus successio esse potest? Certe nullo modo, quia neq; vis impressa in illo manet, neq; vlla inest in eo mobilis retardatio: cõcludit ergo Arist. hoc caput, docetq; rationẽ dari non posse, cur mobile in vna parte vacui magis aut minus quiescat quam in alia, cum nulla sit attractrix facultas in eo, cuius vi alliciatur res mota ad portum conseruationis suæ. Quoniã ergo neq; ad motum, nec ad quietem rerum quicquam conferat inane: inaniter delirantis potius est, quam sapienter philosophantis de eo litigare.

Cæterum ne videar omnino dissilire à suscepta prouincia lites componendi, quæ ex quæstionib. dubiisq; motis eminent: oportune nunc moueo hanc controuersiam, *Vtrũ posito vacuo omniũ motus cesset? & An sola causa successionis in motu sit resistentia medii*. Quanquam modo harum, modo illarum partium imperito & minus attento lectori videatur esse Arist. diligenter tamen si illius vestigia obserues, facile perspicies illum in eam partem maxime propendere, vt existimet omnem motum languescere, imo tolli, si ponatur vacuum. Et cũ dico omnẽ motum, excipio nullũ. Quare vt singula genera motus paucis percurrã, sic ab ortu interituque rerũ incipiam disputare. Omnis ortus à materia incipit, omnisq; interitus in eandẽ desinit: est ergo materia in vtroque necessaria. Age nũc, pone tu vacuũ in quo existit materia, & eadẽ opera cõcludis semper in illo formatum actu cohabitare corpus. Nam etsi doceãt philosophi materiam primam semper esse in potentia ad formam, non tamen intelligunt sie nudã esse vt nulla veste aut forma actu ornetur (sic enim æternitatẽ mundi negarent (sed hoc volunt, quod illius essentia semper sit appetentior nouarum formarum, quia in illius veluti intimis pręcordiis delitescit vipera illa priuatio, qua noua forma inducitur, vnde generatio: & antiqua forma deletur, vnde corruptio nascitur. Cum ergo nõ sit aliqua prima numero aut tempore generatio aut corruptio rerũ, (est.n. perpetua vtriusq; si vim naturæ spectes, successio) etsi non sit generatio nisi corporis simplicis aut mixti: sequitur

Quæst. 1.

Vacuum inutile ad generationem & corruptionem.

necessario semper fuisse, & nunc esse plenum, non vacuum. Plenum dico, in quo actu corpus vbiq; extitit: non vacuum, in quo nullum vnquam apparuit. De augmentatione & diminutione similiter dicendum est, nempe quod semper plenum requirant, abhorreant à vacuo. Nam præterquã quod semper in vtraq; specie motionis corpus seu magnitudo in quantitate requiratur (quæ actu augescit aut diminuitur, vnde vacuum seu inane cadit in quo actu nullum corpus inest) alia ratio nunc mouet, cur in accretione ac diminutione vacuum ab hoc circulo motus arceatur. Nam cõsidera mecum, propriam accretionem nihil aliud esse quam naturalem maioris quantitatis in rebus animatis acquisitionem, idq; per calorem duplicem, insitum nimirum, & cœlestem: illum inhærentem, hunc influentem dicimus. Sed ostende mihi quomodo cœlestis hic calor aut influentia deuehatur ad singulare corpus nisi per medium, idemq; capax impressionis: at vacuũ, quod est inane spacium neq; ad capiendam neq; ad deportandam hanc influentiam aptũ est: fieri ergo non põt in eo augmentatio similiter nec diminutio, quæ ẽt ex deficiente & lãguente vtriusq; qualitatis specie oritur. Si dicas internũ calorẽ non egere medio, manifeste contrariũ vides: quoniam nec cœlestis calor vniri põt illi nisi per medium, nec ille sine medio eũ veluti fouente vires suas exercere põt. Quid hic addã illud necessariũ scilicet esse, vt in omni augmentatione corporis locati sit loci quædam extẽsio & dilatatio, in diminutione vero contractio? at in vacuo quæ extensio? quæ dilatatio, quæ cõtractio esse potest? certe nulla. De alteratione pauca nunc dicam: quæ est motus subiecti à qualitate prima aut secunda in cõtrariã vt à *frigore* in *calorẽ*, à *sicco* in *humidũ*, ab *albo* in *nigrũ*: sed omnes tũ primæ tũ secundæ qualitates contrariæ sunt, agentes & patientes, mutuoq; se expellentes à subiecto capaci vtriusq; ratiõe medii, ꝙ mediũ semper (vt docet Philosophus) qualitates cõseruatrices habet: vnde locus ab illo principiũ cõseruãdi dicitur. Veruntamẽ si hoc medium vacuum ponatur, ridiculũ est, quia in eo nihil est ꝙ fouere possit contentũ. Accedo nũc deniq; ad lationẽ seu motũ localẽ, de quo maxime hoc tẽpore instituitur disputatio. Ambagibus non vtar, certũ est si ponatur vacuũ corpora localiter vel in instanti & momento moueri,

Augmentatio & diminutio à vacuo abhorrent.

Alteratio vacuum non admittit.

Motus localis in vacuo fieri non potest.

moueri, vel sine vlla differentia rectæ, mixtæ, & orbicularis figuræ confuse moueri, vel deniq; (quod verisimilius est) nō moueri omnino. Quoad primū si ponatur vacuū probabile est corpora in ipso momento à loco in locū cieri, quoniā in ipso motu non est vlla resistentia medii, quæ celeritatem vel potius momentaneā rerū motionem retardet, temperet, & moderetur. Nā in vacuo quæ potest esse lucta, quę repugnātia? cum in eodem nulla sit substantia aut qualitas, quæ sine damno subiecti mobilis motibus aut vires addat vel detrahat. Quoad secundum dico, non posse fieri vt sit ordo, motus, situs, aut vbi in vacuo, vt mobile potius ad hāc quam ad illam inclinetur partem, vtq; hoc sursum illud deorsum, simpliciter aut ex parte tendat. Hæ enim differentiæ loci non sunt in vacuo, quæ ideo vi naturæ assignantur, vt certissimus ordo, figura & numerus mouētium obseruetur. Quoad postremum, luce meridiana clarius quidem mea opinione cōstat, res omnino nō moueri si ponatur vacuum: quia omnis motus localis est successiuus, idemq; velox aut tardus, siue sit naturalis, siue violentus: at vacuo existente medio, in quo nullū corpus nullaq; qualitas inest, ista differentia & forma motus localis tollitur: tollitur ergo ēt & ipse motus. Quid superest? si neq; ortus & interitus propter præsentiam corporis, nec augmentatio & diminutio propter influētiam & inhærentiam caloris, nec alteratio propter mutationē qualitatis, nec loci mutatio propter successionem motus fieri possint in vacuo, sequitur vt rectissime concludam, nullum omnino motum fieri posse si admittatur vacuum.

Sed vt euidentius hoc postremū argumentū de motu locali patefiat, attexitur alia quæstiuncula admodū affinis, & cognata, *Vtrū causa successionis in motu locali sit sola resistentia medii?* Nō ero multus: cū de successione motus nūc agā, intelligendū est me restringere sermonē ad motū rerū quæ sub sphæra lunari cōtinentur. Ad cuius explicationem accuratiorē animaduertendū est, successionē in motu naturali sursum & deorsum ex duplici resistentia posse cōtingere: vna extrinseca est ex parte medii, altera intrinseca ex naturali inclinatione mobilis. Pars prima manifesta hinc est, quoniā mediū suæ diuisiōi, vt corruptioni, quātū in se est resistit, & sic resistēdo impedit mobile quo min⁹ subito ad locū

Quæst. 2.

Motus rectus duplicem habet resistentiā.

naturalẽ ſine omni dãno moueatur. Iam ſi vacuum ſit, non eſt talis omnino diuiſio, non eſt talis reſiſtentia: ſequitur ergo quod ſit in eo motus ſubitaneus. i. (ſi placet) nullus: quia ſucceſſio eſt forma naturalis motus, quã ſublata ipſe motus tollitur. Altera reſiſtentia (quæ ex inclinatione mobilis ſubiecti oritur) eſt exempli cauſa cum graue vi ſua aliquid leuitatis admixtũ habeat: ſic quamuis deorſum natura ſua decumbat, ſubito tamen ad locum naturalẽ non rapitur, quia aliquid leuitatis in eo ineſt, quod impetum violentũ & momentaneum impediat. Hinc euenit quod omnis motus localis ſit ſucceſſiuus, ſubitaneus vero nullus, niſi ad euitandũ vacuum: idq; & ratione medii: & ratione ſubiecti: quo ergo medium denſius fuerit cæteris partibus, tanto motus tardior: & quo rarius, eo velocior. Sed dices, eſt ne aliquod corpus graue & ponderoſum, quod aliquid leuitatis in ſe retineat: cuius vi & renitentia motus ſucceſſiuus fiat? Eſt, vt omne fere mixtum, in quo etſi grauitas vel leuitas prædominetur, vnde ſurſum aut deorſum feratur, habet tamen aliquid oppoſiti inſitum & annexum, cuius occaſione inclinatur tardiore quaſi pede ad ſuum locum naturalem moueri. Ex his quæ dicta ſunt ſatis iam liquet, non ſolum in reſiſtẽtia medii, ſed etiam in renitentia ſubiecti ineſſe ſalubrem & amicam quaſi moderationem motus, cui prorſus infeſtum eſt vacuum, in quo motus aut nullus eſt, aut (ſi quis ſit) tempeſtuoſus veluti, & citra omnem ordinem, ſitum, & modum violentus, cum nullæ ſint in vacuo aut differentiæ loci (vt ad certum & diſtinctum ſcopum res moueantur) aut habenæ medii quibus in ſuo motu & curſu ad ordinem reuocentur.

Diſtinctio quæſtionum octaui capitis.

Duæ quęſtiones pręcipue in hoc capite tractãt.

- *Poſito.* Vide in ſeq. pag. litera A.
- An *Sola cauſa ſucceſſionis in motu ſit reſiſtẽtia medii?* Hic diſtinguẽdũ eſt, q. duplex ſit reſiſtentia
  - 1 Externa medii, hinc quo denſius eſt medium, eo tardior motus.
  - 2 Interna rei, quæ ſemper in ſe aliquam vim & qualitatem habet ad moderandum motum, vt perpetuo cum ſucceſſione ipſarũ partium fiat. Hæ duæ cauſæ effectrices ſunt ſucceſſionis in motu, adeoq; celeritatis & tarditatis: quæ quoniam in vacuo eſſe non poſſunt, ſequitur in eo motum aut omnino non eſſe, aut ſine ordine, ſitu, & diſtinctione partium & differentiarum eſſe, quæ ad locum capacem corporis requiruntur.

A *Poſito*

A
Posito vacuo omnis tollatur motus? videtur quidem Philosoph⁹ idipsum dicere, & probare.

1 Ab inductione & diuisione motus in sex sua genera, quorum nullum esse potest si admittatur vacuum. vide rationes ordine expositas in discursu.
2 Ab oppositione loci & vacui; quia si locus sit affectio necessaria ipsius naturæ ad omne mobile producendum, sequetur vacuum naturæ, mobili, & motui esse infestum.
3 A successione omnis motus, quæ in medio conseruatur, in vacuo tollitur.
4 A definitione naturæ; quæ sola causa motus existens abhorret à vacuo, cogitque res particulares sæpissime contra naturam mouere, ne admisso vacuo motus omnino cesset.
5 A negatione entis, quia vacuũ est contradictorium pleno; si ergo plenum sit ens, vacuum non ens erit. Est enim *vacuum* idẽ ac si diceres *non plenum*: at non ens causa esse non potest motus.
6 A confusione motus in vacuo, si ponatur; quia in eo nullus est ordo, nulla rerum motarum dispositio, statio aut conseruatio nulla: non est ergo causa motus, sed potius eodem posito omnis motus cessat.

Argumenta aduersus primam quæstionem, Vtrum vacuo posito omnis motus cesset?

Opp. *Plenum impedit motum: ergo vacuum non est causa cur motus cesset: nam contrariorum contraria est ratio. Antecedens à gradu comparationis probatur, quoniam (vt ipse Arist. ait in textu) quo densius est medium, eo tardior est motus, quo rarius eo velocior: locus ergo in quo nihil est densitatis aut raritatis (quale est vacuum) vim potius mobili motuiq; addit quam detrahit.*

Resp. *Ad maiorem respondeo, plenum non impedire motum vt omnino cesset, sed refrænare, ne violentus & subitaneus fiat. Neq; recte hoc loco à gradu comparationis arguis: quia ad gradum vltra ambitum & amplexum entis, nempe ad vacuum, quod est non ens, progrederis. Est enim vacuum nihil aliud quam si diceres* non plenum, *simpliciterq; vt non ens pleno oppositum: at non ens causa entis esse non potest: ergo vacuum causa motus nõ existit, sed potius negatio motus.*

Opp. *Ais plenum non impedire, sed moderari & temperare motum. Quid ergo ais de terra, quæ motui alterius corporis non cedit? Hinc ferocior & furentior Oceanus à littoribus pulsus furit, quia illius motus impeditur. Imo lapis qui aliter pondere suo moueretur ad centrum, propter plenitudinem terræ coactus est in superficie eiusdem remanere: quod certe non fieret, si plenum non impediret motum. Imo etiam & hoc addo, si foramine defosso ponatur vacuum vsq; ad centrũ terræ proculdubio saxũ iniectũ illuc moueretur, tũ propter grauitatẽ insitã, quæ deorsum à natura fertur, tũ propter appetitũ naturalẽ quietis suæ, quã proprie in centro habet.*

Plenum non impedit motũ corporis extra suum locum.

Resp. *Facile diluitur hoc argumentum, si dicas plenum non impedire motum alicuius corporis, extra suum locũ naturalem positi. Exempla quæ adfers de Oceano à littoribus pulso, & de lapide in superficie terræ retento, non vehementer vrgẽt, quippe licet naturalis aquæ locus sit facies terræ, in venas tamẽ eiusdem propter salutẽ animalium cogitur, neq; tam proprie impeditur à littore, quod sæpe furore vincit, quã à prouidentia diuina, quæ singulorum conseruationi & saluti consulit. Neq; est quod dicas vi, id est, violenta quasi manu lapidem superfaciẽ terræ retineri, cum qualibet pars terræ naturalis sit locus ei. Nam quamuis foramine facto præcipitantius caderet, hoc tamen fieret, non quod non ante quieuerit tanquã in proprio loco, sed quod vniuersa terra & singula illius partes, similares cum sint, eidem loca naturalia haberi debeant. Quod denique vrges, & propter grauitatem innatã, & propter appetentiã quietis naturalẽ, deorsum ferri debere ad punctum centri foramine fosso, tametsi esset vacuum: primum dico, ab impossibili ductum esse hoc argumentum, & ideirco negandum: tum etiam dico, posita tali imaginatione potius latera terræ concuti, aut contra naturã vniuersalem moueri, aut subito omnes hiatus & foramina eiusdem contrahi, quam tale monstrum, quale est vacuũ, vtero concipi aut nutriri permittatur. Hæc omnia liquido apparent esse vera, si mirabiles & miserabiles effectus terræ motus nonnunquam contigentis consideres. Conceptis enim flammulis in fistulis terræ, aereque ibidem consumpto, statim ne hoc monstrum (vacuũ intelligo) succrescat, concutiũtur terræ latera, disrũpuntur viscera, partes mouentur, deiiciuntur*

Terræmotus fiunt vt non fiat vacuum.

tiuntur ciuitates, surſum rapiuntur grauia, leuia deorſum: deuaſtantur, corrumpuntur, confunduntur omnia. Quippe fertilis & fœcunda eſt natura, & ſemper horreſcit ſi vterum ſuum vacuum & inanem ſenſerit.

Opp. *Eſt motus animæ omniſque ſpiritus (vt docet Philoſophus) non in pleno: ergo in vacuo. Quod non ſit in pleno ratio ſuadet, quia non requiritur in motu ſpiritus, vt dimenſiones loci externæ adſint. Hinc enim definite, non circumſcripte in loco ineſſe dicitur: videtur ergo vacuum (in quo nulla eſt prorſus iſtiuſmodi dimenſio vel circumſcriptio locatis) aptiſſima ſedes animæ. Præterea ſi hoc axioma pro inconcuſſa veritate teneatur à Philoſopho, quod omne corpus moueatur in loco pleno, videtur eſſe probabile illud axioma, veriſſimumque eſſe, quod omnis ſpiritus moueatur in vacuo. At dices ſpiritum non moueri, nec eſſe in loco. Agnoſco non moueri vt corpus, nec eſſe ſic in loco: eſt tamen (teſte Philoſopho) quidam motus ſpiritus, ſiue ſit actiuus, ſiue paſſiuus vt aiunt. Quo poſito, ſequetur neceſſario omnem motum non eſſe in pleno, quoniam pleni ratio aut dimenſio ad ſpiritus motum non eſt omnino neceſſaria. Imo ſpiritus non minus facile per denſa, quam per rara, non minus per ſaxa, quam aera ad deſtinata opera & actiones peruolat.*

Reſp. *Motus eſt triplex, actiuus, paſſiuus, & mixtus. Actiuus, qualis eſt ſpiritus & formæ: paſſiuus, qualis eſt materiæ: mixtus, qualis eſt corporis ſimplicis aut mixti. Sermo hic Ariſtotelis maxime de motu paſſiuo & mixto inſtituitur. Cæterum quoniam vrges ſimplicem hunc motum: vnde videris (comparatione facta contrarii) probare locum ſpiritus eſſe vacuũ, quia corporis locum plenũ eſſe obſeruas: Reſpondeo non ſequi argumentum, quia ab ente (vt ſuperius oſtendi) ad non ens idipſum ducitur & deſtinatur. Quare tametſi dimenſio circumſcriptiua non requiratur ad motum angeli aut ſpiritus, definitiua tamen requiritur, quod eſt ſatis. Sed hæc definitiua dimenſio aut ſtatio nullo modo fieri poteſt in vacuo, quia vacuum eſt non ens, & eſt contra naturam, ad quam potius conſeruandam quã deſtruendam ſpiritus ordinatur. Hinc omnis ſpiritus diſtinguitur vel inhærens vt forma, vel aſſiſtens vt intelligentia, quæ cæleſtibus globis aſſidere non inſidere dicitur. Quod vero ſpiritus non minus*

Motus triplex.

facile densa quã rara permeare & penetrare possit corpora, hoc quidem contingit, quia caret materia, non quod sit definite in pleno, vt tu imaginaris.

Opp. *Videris fenestram nimis latam in hac quæstione aperire aduersario: Non enim video quomodo defendas omnem motũ cessare, si constituatur vacuum. Nam (vt contra te ex teipso disputem,) ais tu quidem vnam esse caussam cur non sit ponendum vacuum, ne scilicet motus in instanti fiat, alteram ne omnino cesset. Sed te consentiente cum Aristotele generatio & corruptio in instanti fiunt: ergo omnis motus ob primam causam non cessat si vacuum ponatur esse. Præterea, cur plenum requiris ad alterationem motumque qualitatum? quasi vero qualitates, quæ sunt ab omni concretione aliena, locum requirant plenum in quo moueantur, cum nihil præterquam corpus loco mensuretur.*

Resp. *Claudam illas valuas fenestræ, per quas lippus hoc malum cernis, & dicam generationem & corruptionem nõ esse proprie motus genera, si perfectiue non progressiue (vt aiunt) intelligantur. Neq; insuper concedo si vllo modo considerentur fieri in instãti, vt sine loco fiant, cum vtriusq; subiectum sit corpus naturale, quod locum eundemq; plenum & naturalem postulat. De alteratione cum disputes, est quod alteres mutesq; opinionem tuam: licet enim qualitates ipsæ non requirant locum, corpora tamen in quibus mouentur loca sua naturalia habent, quibus per se motis, qualitates in illis per accidens etiam mouentur.*

Argumenta aduersus secundam quæstionem, quæ est, Vtrum causa successionis in motu sit resistentia medii?

Opp. *Nihil contra naturam est caussa rei naturalis: sed resistentia medii est contra naturam: ergo non est causa successionis in motu, quæ est res naturalis & essentialis motus. Maior constat, quia quicquid est contra naturam idipsum destruit, non fouet naturam. Minor probatur, quia resistentia medii impedit rem mobilem quo minus voto & loco naturali potiatur.*

Resp. *Vt nutrix dirigens & sustentans infantulum in impedit velocius mouentem aut currentem ne cadat, lædatq;*

se

se ipsum: ita resistentia hac medii mobile subiectum incitatiore appetitu se mouens refranatur, ne praeceps in interitum sui ruat. Non est ergo aut contra naturam, aut prater naturam hac medii naturalis affectio, neq; impedit vt noceat, sed ne res ipsa violentius mota ladatur, vestigium retrahit, & moderatur.

Opp. *Si penitus tollantur mediū mediiq; resistentia, motus tamen successiuus esse potest, quod sic probo. Quia in ipso mobili est quadā renitentia, vel renitendi potentia actiua, qua sensim ad locum naturalē moueatur. Hinc ait Scotus aliiq; doctiss. viri, posse quidem lapidem aliaq; corpora simplicia et mixta successiue moueri in vacuo, omni destructo medio: successiue inquiūt, successione proueniente ex resistētia mobilis ad motorē, qua est interna & insita, nō successione proueniente ex resistentia medii rari aut densi, quia in vacuo nō est plenum.*

Resp. *Probabilis & subtilis est ista Scoti & aliorum ratio, non tamen vera; Nam si omne medium inter cælum & terram destruatur à Deo, secundū naturam super terrā nec homo ambulare, nec lapis extra locum positus volare potest. Quippe si ista ambulatio hominis, aut motus lapidis esset, aut esset naturalis aut violentus; nō naturalis, quia in vacuo nō est natura; non violentus, quia non est vnde pelleretur. Imo violenter mouens semper medio vim quandam imprimit. At dices naturalem esse ex parte mobilis; quod mobile intelligis? si hominem, certe non viuit si non sit aer. Non (inquam) magis sine aere viuit, quā auis, quam sine aqua piscis: & si non viuit non mouetur homo. At mouetur vt lapis: lapide dignū est hoc argumentum. Sed si sublato medio, ostende modum quo hic motus fiat, & tum de successione ipsius motus narra sententiam. Quid? omnino negas in mobili resistentiam vnde successio motus nascitur? Haud nego, sed hoc dico, resistentiā medii, & resistētiam subiecti esse duas filias natura geminas, quarum vna sine alia nihil omnino efficit. Neq; est quod hinc concludas idcirco frustra dari, cum a natura idcirco dentur vt in relatione maneant.*

Opp. *Melius mihi videntur distinguere de mobilibus & motu, quā tu hic distinguis. Illi enim aiunt mobiliū quadam esse animata, quadam inanimata. Inanimata (inquiunt) sunt vel simplicia, vt elemēta, vel mixta, vt lapides & saxa.*

Animata sunt vel vita solum prædita, motuq; vita, vt plantæ, vel sensu, vt animalia quæ tandem aut ambulãdo vt homines, aut volando vt aues, aut natando, vt pisces, aut dilatando & contrahendo vt concha mouentur. His positis confidenter affirmãt, nullum animal posse quidem successiue moueri in vacuo, sine medio, cuius beneficio viuit, & cuius resistentia successiue se mouet. Inanimata vero omnia moueri posse, idq; successiue, sine medio in vacuo, per qualitatem insitam moderatricem velocitatis & tarditatis suæ.

Resp. *Audio libenter istam distinctionem rerum, quia est vtilis, sed rationem non audio qua probas, vel ipsa inanimata posse moueri in vacuo, cum inanimata sint quoq; res naturales quæ abhorrent à vacuo, in quo nulla natura inest, sed monstrum quod omnem naturam tollit: vt satis probatum est*

Opp. *Omittis multa festinans nimium, quippe in hoc capite de velocitate & tarditate motuũ multa agit Philosophus: videris igitur claudicare & deficere in interpretatione tua. Sed noui causam cur dissimules, quia velis subterfugere aliam causam successiui motus. nempe figuram corporis moti. Sic ergo contra te disputo. Est alia causa retardati motus præter resistentiam medii & mobilis: ergo erras. Antecedens patet, quia (vt ait in textu Philosophus) figura plurimũ valet ad celeritatem & tarditatem motus. Plumbum enim rotunda figura celerrime per aquam ad fundum deuehitur, lamina vero plumbea quæ est plana figura natat. Nõ nihil ergo figura expedire aut tardare motum videtur: causa igitur illa duæ à te solum non recte assignantur.*

Quare hic nihil dictum de figura mobilis.

Resp. *Festinans nihil omitto quod necessario dicẽdũ est, desiderio tamen vt omnia suis locis opportune fiant. Vberius postea de multiplici figura corporis corporis, de velocitate & tarditate motus dicere oportet. Cæterum quoniam hic obiter Arist. ista nũc tangit, & tu me recte mones vt directe respondeam, dico me non dissimulare quicquam, vt fulmina argumentorum tuorum subterfugiam. Addo etiam, figuram esse causam celeritatis aut tarditatis in motu. Sed quid hinc infers? esse scilicet aliam causam quam assignaui? argumentũ nego. Nam figura externa rei internam formam & causam superius assignatam sequitur. Qualis enim est intus forma*

Figura causa motus per accidens.

(vt

(vt docent philosophi) talis est forisfiguræ, quarum illa est causa motus successiue per se, hæc vero per accidẽs: verbo ergo sic respondeo, causas per se tum in medio, tum in mobili me satis accurate demonstrasse.

CAPVT IX.

Vtrũ { *Raritas & densitas sint vlla causa vacui?*
Possit virtute diuina fieri vacuum?
Si vacuum diuina virtute fiat, corpus in eo naturaliter moueatur? }

PErgit adhuc Philosophus, docetq; vacuum nec esse à corporibus separatum & auulsum (vt quidam) nec cum illis mixtum & confusum, vt alii inter antiquos philosophos docuerunt. Argumenta textus digito attingam. Recte inquit Philosophus, vacuum inane dicitur quia nihil aliud est, quã vanissimum eorum qui id primum induxere commentum. Sed ad rem. Si vacuum sit, vt quidam volunt, quiddam à corporibus distractum, sequetur mutua corporum seu corporearũ dimensionum penetratio: sed (vt experientia docet) non est corporum penetratio: ergo non est vacuum à corporibus distractum: consecutio maioris liquido hinc patet, quia dimensiones locantis & locati mutuo coirent. Cæterum contrarium oppositumque fit in natura rerum. Nam si quis (vt ait Philosophus) tesseram in aquam coniecerit, confestim aqua cedit, idemque aer præstat quod in vacuo fieri non posse omnes fatentur. Quippe non est in vacuo aut cõdensatio, aut rarefactio recipientis corporis, ad cuius cessionem receptum solum admittitur. Necesse ergo est, vt dimẽsiones vacui simul sint cum dimensionibus corporis, quia vacuuum nõ est corpus naturale, & proinde nec potest moueri nec cedere: vnde sequitur duo corpora in vno eodemq; loco inesse: Nam nihil impedit quo minus duo corpora sint simul in eodem loco, nisi quod dimensiones corporis locantis & locati non possint in eodem vna cohabitare: at corporis locati & ipsius vacui dimensiones sic simul esse & coire possunt. Alterum argumentum ab vsu ducitur, qui cum sit in vacuo separato, nullus idipsum approbare non debet. Quod vero sit nullus hinc constat, quoniam non entis vsus

nullus est: sed vacuum separatum est non ens: ergo illius vsus est nullus. Postremo, si sit tale ens à corporibus separatum, alicubi aliquando appareret: sed apparet nullibi: ergo non est.

Hactenus de vacuo separato; nunc de eodem coniuncto pauca annectit Aristoteles argumenta. Fuerunt enim quidam antiquorum philosophorũ, qui id mixtum & immersum corporibus latere somniarunt, vt Democritus & alii, qui sese Anaxagoræ neganti vacuum, & Pythagoræ ponenti idipsum esse ens separatum opposuerunt. Hic (vt hoc loco docet Philosophus) distracti sunt, & inter se opinionibus diuisi. Quidam enim eorum ponũt in quolibet corpore meatus & poros esse, in quib. delitescat vacuũ: alii secundũ locũ non omnino separatum à pleno pertinaciter defendunt: sed hos & illos multis rationibus refellit in textu. Primum quia vacuum non est in meatibus sed rarum aliquod corpus semper succedit, si prius porosum fiat tum quoniam vacuo existente in corpore, fieri non potest attractio ad supplendum defectum, qui in poris meatibusq; appparet. Est enim attractio motus quædam species: at omnis motus in vacuo cessat. Hinc quoniam coniuncto vacuo cum corpore nec rarefactio nec condensatio possunt existere, sunt quoq; & illa quędam motus genera. Præterea si sit ex hypothesi rarefactio motus tantummodo sursum, in vacuo erit: quia nõ est causa in eodem qua in contrariam partem, scilicet deorsum, aliquid feratur: ratio est, quoniam omne rarum leue est, & omne leue fertur sursum. Si ergo vacuum sit causa raritatis, leuitatis etiam causa erit, & si leuitatis: motus solius sursum occasio erit. Deinceps, si vacuum sit ita sepultum in corporibus vt isti volunt, sequetur motis corporibus in quibus inest, ipsum quoque vacuum moueri; quo concesso, sequetur etiam moueri vel in vacuo, vel in pleno: non in pleno, quoniam nihil infestius ęst vacuo quam plenum: ergo in vacuo, quo dato, recte concludo in infinitum fieri posse progressum. Postremo, si sit vacuum ita a corporibus absorptum (vt hallucinantur quidam) reddi non potest ratio successionis in motu, nec in successione velocitatis & tarditatis: quoniã in vacuo nulla est dissimilitudo partiũ, nulla raritatis & dẽsitatis pugna, nulla resistẽtia qualitatũ: nulla ergo in vacuo virtus

tus incitandi aut retardandi motum. Fuerunt tamen ex priſcis & antiquis philoſophis, qui docuerũt rarefactionis cauſam eſſe ſolum vacuum, per ſeparationem partium in corpore naturali. Fuerunt etiam qui imaginati ſunt, rarefactionem fieri per acceſſionem vacui ab extrinſeco, & condenſationem exitium interitumq; ſequi. Fuerũt deniq; qui autumarunt rarefactionem gigni per introitum quorundã ſubtilium corporum, inſinuantium ſe in quaſdam vacuitates corporis rareſcentis: condenſationem vero euenire, cum illa ſubtiliora corpuſcula exulent & abigantur. Cæterum hæc phantaſmata, vt vana commenta hominum reſcindit Ariſt. docens materiam in re qualibet eſſe cauſam raritatis & denſitatis, non vacuum: quæ materia eadem numero eſt vtriuſque capax, & ab vtraque vi ſua ſeparabilis. Non opus ergo eſt ingreſſu aut egreſſu ſubtilis aut impacti corporis per vacuitates, vt rarefactio aut condenſatio partium in corpore naturali fiat. Hæc omnia ad viuũ patent in generatione aeris ex aqua quæ non fit per aduentum & acceſſionem alicuius foris ſe inſinuantis in aquam, ſed quia forma aeris à potentia materiæ fluit educiturque. Quare vt figura rotunda aut plana dicitur vi naturæ ſuæ, non aduentu alterius externi: & vt linea rectitudinis & curuitatis capax eſt, licet nihil foris operetur: ita corpus rarum aut denſum, leue aut graue dici poteſt, quamuis non ingrediatur aut egrediatur infeſtiſſimum hoc monſtrum naturæ, quod vacuum nominatur.

Inuitus nunc trahor ad diſcutiẽdam quæſtionẽ, *Poſſitne virtute diuina dari omnino vacuum?* Prorumpũt nonnulli in theatrum philoſophorũ, audaciuſq; hanc virtutẽ vacui efficiendi numini diuino negant. Quippe, inquiũt, Deus nihil poteſt contra ordinem vniuerſi, nihil contra bonitatem ſuã facere: ſed vacuum inducere eſt ordinẽ vniuerſi peruertere, & opera quę ſumma manu perfecit bonitatis ſuę à fundamẽtis (vt aiunt) labefactare, totiuſq; curſum & venuſtatẽ naturæ tollere. Quod quidẽ agere, eſt (vt ait D. Auguſtinus) contra ſapientis & boni artificis dignitatem. Artifex enim nihil facit contra artem ſuam niſi per errorem, nedum artifex ſummus mũdi, qui ſibi in operib. ſuis placuit, quia valde bona extiterunt. Sed (Deus bone!) quo curioſum ingenium humanũ ſe proripit? nõ audeo in hac difficultate, quæ velim

Quæſtio 1.

Auguſt. comment. in Ioan. Euangel.

Deo nihil impossibile.

dicere: hoc tamen dicam, quod tacere non debeo, inconsultiores istos diuinæ potentiæ æmulos esse, qui Deo authori omnium ex nihilo manum dexteram, id est, potentiam & virtutem faciendi, quod placet, negant. Varias rationes addunt, quibus cōcepta phantasmata viderentur stabilire, *Deū scilicet nihil agere posse contra salutem vniuersi: Deum esse artificem, & non posse agere contra artem: Deum esse bonum, & idcirco nolle omnino vacuum.* Inconsideratissime hæc omnia. Nam in eo quod Deum agnoscas authorem, summumq; & supremum architectum omnium, concedis hoc priuilegium ei, vt pro abitrio & sapientia sua opus quod fecit regat, neq; est contra naturam vniuersi, cum aliquando illius cursum aut impediat, aut ad cōtrarium motum & iter pro libertate vertat. Non est, inquam, contra naturam rei, si author naturæ inusitato modo naturam mouêat. Si rationē requiras hęc est, quoniam naturæ author naturam, vt ancillam sibi subiectam fecit. Non est ergo inutilis illa veterum distinctio, quod rerum essentia consideretur bifariam, vel præcise, & sic si à cursu suo definito moueātur, contra ordinē propriæ naturæ id fieri dicatur: vel comparate ad primum conditorem suum, secundum obedientiariam (vt aiunt) potentiam, & sic illi imperanti quocunq; traxerit obsequūtur: currunt, si iusserit, si reuocauerit, sine mora resistūt redeūtq; & tamen naturam suam essentiamq; illæsam retinent, quia author & conseruator naturæ iusserit. Nihil ergo valet inanis obiectio tua de motu rerum contra naturam, cum motus rei à nutu Dei pendeat, qui contra vsitatum cursum naturæ Solē in medio cœlo stare, & per quindecim gradus recurrere, & in testimonium suæ passionis mirabiliter obscurari imperauit: sic tamē, vt idē Sol nūc in essentia luceat, qui tum ordinem naturæ suæ propriæ ad tempus commutauit. Quid multis? si res omnes sic considerentur, nihil quod circa illas fecerit Deus, contra earum naturam aut ordinem iri factum putetur. Quippe id omne cuilibet rei naturale habendum est, quod ille fecerit, à quo omnis modus, numerus, mensura ordoque naturæ, suam originem, principium, & potentiam trahunt.

Rerum natura à Deo sæpe conuersa, euersa nunquam.

Iosue 10. ✝. 12. Isaia 38. 8. Luca 23. 45.

His positis & concessis, cum D. Thoma libenter consentio confiteorque penes Deum esse vt fiat vacuum. Nam vt nihil

D. Th. in 1. d. 1. quæst. 1. Art. 5.

nihil de illa ſpirituali habitatione & ſpacio inani extra cœlum dicam, opus facilius eſſe puto in vacuo aliquod corpus conſeruare, quam creare ex nihilo: at ex nihilo illud creauit Deus: non eſt ergo negandum quin in vacuo poſſit idipſum mouere & conſeruare. Nam quamuis ordinem, motum, numerum, proprietatem omnibus & ſingulis in rerum natura exiſtentibus Deus conditor omnium dederit: ius tamen & poteſtatem ad placitum ſuum immutandi ſibi reſeruauit. Et ne tædio te (ſtudioſe nunc lector) enecem, dico, licet dari vacuum ſit contra ordinem vniuerſalis naturæ corporeæ, non tamen repugnare naturæ diuinæ, quæ ius & imperium in omnia tenet. Et ſi dicas non fieri poſſe vacuum ſine miraculo: eſto (ſi placet) at, vt opinor, nõ negabis Deo poteſtatem miracula operandi. Cæterum obſcurat hoc factum Dei bonitatem: Imo clarius elucere facit, quoniam tantum imperium habet vt hoc faciat, & tamẽ illius iuſſu res ſic motas contra naturæ ordinem tutas & illæſas conſeruet. Concludam, ſi Deo negetur virtus efficiendi vacuum, tum hoc abſurdum ſequetur, minorem eſſe ſcilicet potentiam Dei, quam reſiſtentiam medii. Nam nihil aliud impedit quo minus vacuum fiat quam reſiſtentia medii: at reſiſtentia medii finita eſt, infinita autem potentia Dei: nõ eſt ergo quod neges virtute diuina fieri poſſe vacuuum. At dices, nunquam fecit hoc Deus: quid tum? ergo non poteſt facere? Imo nunquam hoc vult Deus. quid hinc? ergo non poteſt facere, quia velle & poſſe idem ſunt in Deo. Primum quæro quis te conſiliarium Dei fecerit, qui tam confidenter dicis non velle? tum neſcio an te dicam valde temerarium, qui hinc tam impudenter concludas, *ergo non poſſe*. Prius duplicem in Deo eſſe voluntatem didiciſſes: *ſigni* & *beneplaciti*: tum concluſiſſes melius.

Vacuum eſſe repugnat naturæ corporeæ non diuinæ.

Duplex in Deo voluntas.

Age, Deum poſſe virtute ſua vacuum efficere nunc credo, remq; hanc non ſolum Deo, ſed etiam ſpiritui finito facilem factu eſſe exiſtimo: quippe potentia ſpiritus finiti vincere & ſuperare poteſt finitã reſiſtentiã medii. Fieri enim poteſt vt illa potentia ſpiritus ſit proportione maior, ſiue vt eſt ſimplex, ſiue vt eſt vnita cum aliorum ſpirituum virtute. O quã flexibibiles ſunt voluntates hominum! modo negaſti Deũ poſſe vacuum efficere, nunc Angelum poſſe idipſum præſta-

re probas. Sed caue; ne à pleno in vacuum, à cœlo in Orcum sine medio cadas. Agnosco rationem hanc tuam probabilem esse, si resistentiam medii & potentiam spiritus diuini compares: at si æternum decretum spectes, quo Deus statuit sibi duntaxat reseruare ius immutandi naturæ cursum ordinemq; vniuersi, fallis teipsum. Nam in hoc sensu is solum totius naturæ cursum ordinemq; mutare potest, qui naturæ conditor & architectus fuit. Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ, imo (vt Iobus ait) quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbẽ quem fabricatus est? quasi diceret, nullum. Agnosco tamen illius iussu intelligentiam præsidentem soli orbem solis posse ad tempus sistere, posse reuocare. Illius iussu dico, nõ proprie impetu naturæ, quoniam miraculum est vacuum efficere, quod soli Deo per se, mortalibus autem per influentiã solum diuinam conuenit. Non est ergo res tam facilis factu (vt somnias) vacuum inducere, quia non solũ resistentia medii, sed vniuersa natura (quantum in se est) vacuo semper obsistit: vniuersa (inquam) natura, & vniuersalis cohors vnioq; rerũ, quæ turmatim & confertim ad societatem & subsidiũ rei declinantis ruunt. Ruunt (inquã) non lento pede veniũt. Est enim mutuus quasi sensus omnium partiũ & membrorũ in toto vniuerso. est quoq; mirabilis nexus & consensus, quo veluti aurea catena sic colligantur, vt potius tota terra rapiatur in orbem ignis, q̃ illic efficiatur vacuum. Finita ergo potentia per se hunc ipsum non efficit, nisi potentia diuina iusserit. Si n. mille Hectores aut Hercules obstructos vndique folliculos totis virib. aperire, aut tessaras conglutinatas sine medio interueniente corpore diuellere & separare non possint, sequitur finitũ spiritum non posse contra vniuersalẽ ordinem cursumq; naturæ sine influxu diuinæ virtutis, quæ est infinita, vacuum efficere. Non enim in multitudine viriũ aut virtutum. sed in ipsa infinitate agentium consistit hæc actio, quæ naturam contra seipsam moueat.

Solum Dei est naturam posse mutare.

Epist. ad Heb. cap. 2. ver. 5. Iob. 34 13.

Sufficiunt hæc in ista quæstione: nunc quæritur si vacuũ diuina virtute detur, *An corpus in eo moueatur*? Verbo respondeo, naturaliter non posse, virtute diuina posse: naturaliter dico non posse, quia omnis motus sublunaris hæc quatuor necessario requirit, influentiã cœli, distantiam loci, resisten-

Quæst. 2. Quatuor ad omnem motum sublunarem necessaria.

sistentiā medii & potentiā subiecti: sed hæc quatuor esse nō possunt naturaliter in vacuo: ergo corpus naturaliter moueri nō potest in vacuo. Maior huius syllogismi constat, quoniā non est naturalis motus si cœlū non influat: cœlū n. per influentiā hæc inferiora regit. Iterū, non est motus si non sit distantia loci, per q̃ influentia in subiectū mobile transeat. Adhuc non est motus si non sit idē successiuus, at successiuus esse nō potest si nō sit resistentia medii, q̃ causa successionis dicitur. Nō est deniq; motus si nō sit naturalis potentia mouēdi, q̃ corpus mobile capax motus reddat. Assumptio argumenti ꝓbatur, quia vacuū nec recipit influētiā cœli nec admittit distantiā loci, nec vllā habet resistentiā medii, neç deniq; potētiā subiecti fouet. Corpus ergo in vacuo (licet diuina virtute facto) per se & naturaliter moueri nō potest. Quæ n. in vacuo imprimi potest vis & influētia cœli, cum sit intercapedo inanis omnis formæ? q̃ differētia aut distātia loci, cū in eo nulla sit partiū dissimilitudo? quæ resistentia medii, cū nulla sit in eo dēsitatis aut raritatis distinctio? q̃ deniq; motrix potentia subiecti cū in eo nunquā ad actū perducatur? Sed (dices) estne nullus corporis motus in vacuo, si idipsum virtute diuina fiat? Est: sed mea quidē opinione (ob has causas quas posui) nō naturalis. Quid ergo? in instanti, aut contra, aut præter, aut supra naturam mouentur corpora, si vacui virtute diuina fiat? Albertus, Auerroes, Burlæus & alii respōdent ad hoc dubium, motum corporum in vacuo non tempore sed temporis momento peractum iri, idemq; censuisse Aristotelem arbitrantur 8. cap. huius libri. Sunt qui contrarium sentiant, doceātq; corpora verissime secundum successionem & mensuram temporis moueri posse, si diuina virtute ponatur vacuum. Quippe, (vt aiunt) natura corporis in vacuo non mutatur: Est eadem in vacuo, si fiat inter cœlum & terram distantia, quæ in pleno fuit: cur ergo motus in vacuo tempus non consumeret, aut cur fieret in instanti aut momento temporis? Resoluti sunt hi nodi antea, cum nullum omnino motum esse probauerim, si admittatur vacuum. Vt ergo tandem concludam, statuo nullum omnino motū naturalem esse in vacuo, metaphysicū esse: quia vt is solum potest plenum in vacuū commutare, qui mundum condidit: ita is solum contra ordinem cursumq; naturę cor-

Successionis causa medium est.

Albet. tract. 2. c. 6. Auer. hoc comment.

pora in eodem vacuo diuina sua virtute effecto potest mouere; vt nunc cœlum supremum (secundum multorum opinionem) in infinito spacio inani mouet.

Distinctio eorum quæ in hoc capite continentur.

Explicatur in hoc capite

- Causæ velocitatis & tarditatis in motu, quæ sunt in pleno, non in vacuo
  - 1 Influentia cœli, quæ per medium illapsa, & in rem mobilem impressa, motum velociorem aut tardiorem efficit.
  - 2 Resistentia medii. Nam quo crassius est medium, eo tardior motus; & quo rarius, eo velocior habetur.
  - 3 Differentia loci seu distantia. Hinc quo remotior est scopus mouẽdi, eo plus, quo propinquior, eo minus temporis in motu consumitur.
  - 4 Renitentia seu potentia mobilis, quæ est interna virtus seu qualitas in mobili, vt semper illius motus sit successiuus; nunc velocior si calor, nunc tardior si frigus præsit.
  - 5 Figura. Nam rotunda celerius volat, quadrata tardius repit. *Ex hisce singulis petuntur argumenta quibus vacuum tollitur: quippe horum nullum in vacuo esse potest.*
- Rationes. Vide in seq. pag lit. A.
- Argumenta, quibus probatur fieri posse vacuũ diuina virtute; quæ argumenta ducuntur
  - 1 Ab infinita potentia Dei, quia vt ex nihilo creauit omnia: ita potest in nihilum & vacuum aliquod conuertere medium.
  - 2 A consequentia absurdi, quia si ponatur Deum non posse vacuum efficere, eadẽ opera concluditur, minorem esse potentiam Dei quam resistentiam medii.
  - 3 Ab obedientia rerum, quæ semper imperio motoris sui sine mora obsequũtur; vt patet in *Sole fixo, retracto, obscurato. Iosua, Ezekia, Christo, iubente, regnante, patiente.*
  - 4 A præeminentia iuris diuini; quod sibi soli reseruauit Deus *ius immutandi res, & contra definitum & vsitatum ordinem mouendi*; quas tamen sic motas conseruat prouidentia & bonitate sua.

A Ratio-

A
Rationes, cur vi naturæ non possit esse vacuum,

- Per se & separatum quoniã
  1. Est non ens per se; ergo esse non potest.
  2. Est contra ordinem, cursum, & motũ vniuersalis naturæ.
  3. In eo non potest esse motus, nisi etiam & corporũ penetratio sit & confusio.
- Per accidens & cõiunctũ, quia
  1. Rarefactio & condensatio corporum sunt extenuationes & contractiones partium, non vacuitates.
  2. Posito vacuo assignari nõ possunt differentiæ *loci, motus, situs,* & *vbi.*
  3. Vacuum est veluti *conuulsio totius naturæ*, vt experientia in omnibus & singulis operibus naturæ nos docet.

Argumenta contra primam quæstionem insinuatam in textu Vtrum raritas & densitas sint vllæ causæ vacui?

Opp. *Raritas est qualitas inhærens subiecto tenuissimarum partium; sic aqua rara, aer rarior, ignis rarissimus inter elementa dicitur. Sed persistam in igne, cuius raritas tanta est, vt vacuum necessario videatur admittere: quippe ignis & seipsum consumit, & aliud corpus plenum non admittit. Quid ergo rarissimarum partium consumptarũ loca & spacia occupat præter vacuum? Præterea rarefactio est distractio partium in corpore, vel (vt loquuntur veteres) elongatio seu remotio vnius partis ab alia, quæ certe in igne non potest esse sine vacuo; quia extrinsecus aliud non subintrat corpus, quod distantium partium loca & interualla teneat. Postremo quid dicã de densitate, quæ rarum corpus ita contrahit, vt minorem locum iam occupet quam antea occupauerat? sicut constat in aqua frigore concreta, cuius densitas foris impacta aeri aut tenuiori corpori introitum non concedit. Quid ergo relinquitur inter glaciem & aquam subnatantem præter vacuum?*

Resp. *Leuiora sunt quidem hæc omnia; verbo igitur re-*

spondeo

Raritas & densitas medij sunt causa aut tardioris aut velocioris motus.

spõdeo singulis, & primũ dico raritatẽ & densitatẽ esse causas motus velocioris, aut tardioris, nõ vacuitatis omnino. Nã vtinstem in igne, (in quo sine afturationis instas & moraris:) quamuis partes eiusdem dilaceretur, totus tamen locus & orbis ipsius ignis semper impletur: neq; est (vt somnias) consumptio partium. Ignis enim elementarius fouet, non consumit: imo si consumeret seipsum non deuoraret, quia nihil sibi machinatur malum. A raritate ad densitatem, ab igne ad aquam transuolas, & certe non opus est. Nam in hoc argumento non incalescis: vrges quod tritum est, nimirum esse spacium inter glaciem in superficie aquæ, & subterfluentem vndam, sed nego esse tale spacium: aut si sit, dico idipsum vaporibus per influentiam cœli ab aqua extractis plenum esse.

Argumenta in aliam quæstionem consequenter ex textu per interpretes elicitam, Vtrum diuina virtute fieri possit vacuum? & si fiat, Vtrum motus corporis in eo sic facto sit naturalis aut violentus? idemque successiuus aut momentaneus?

Opp. *Fulmina multa ex vna nube in arcem istius quæstionis tuæ mittam. Primum ergo videtur esse imprudentis & inconsiderati hominis de diuina potentia (quam nemo mortalium potest apprehendere) quæstionẽ vllam mouere. Sed quoniam moues: sic disputo. Dari vacuum est contra ordinem vniuersi: sed nihil à Deo fieri potest contra ordinem vniuersi: ergo diuina virtute non potest fieri vacuum. Maior constat, quia ordo vniuersalis naturæ est, vt omnia sint continua & veluti catenata, ob eam potissimum causam ne sit vacuum. Cohors enim rerum in vnam quasi alam & turmam prælii cogitur, potius quam tantillum vacui admittatur: si ergo ordo naturæ postulet vt omnia sint plena, est plane contra naturam vt vlla sint vacua. Assumptio probatur quia id quod est contra ordinem naturæ, est præposterum & inordinatum: at quicquid est præposterum & inordinatum, à Deo sapientissimo architecto mundi fieri non potest: quia Deus est author ordinis, nõ confusionis, qui omnia suauiter secundum species suas disponit, omniaque numero, mensura,*

mensura, ordine, & pondere comprehendit: at in vacuo multitudo nulla, quia nulla est distinctio partium, mensura nulla, nullus ordo, pondus, aut species inest. Huc illud addo, quod Deus non possit id facere, quo facto se suamque bonitatem neget: ergo non potest vacuum facere. Minor suadetur, quia Deus Deique bonitas maxime in conseruatione, dispositione, & ordine rerum creatarum eminet: at vacuo inducto pernicies, confusio interitusque rerum sequitur: videtur ergo Deus seipsum negare, cum istam suam prouidentiam & bonitatem creatis neget. Nam quid est Deus nisi summa & increata bonitas? Bonitatem ergo negans seipsum negat. Deinceps longissime à Deo abest, vt finem intentum & destinatũ tollat, aut impediat: finis autem creationis est, vt res saluæ secundum ordinem & cursum naturæ in hoc mundi theatro maneant. Cæterum si istam charybdim & monstrum deforme vacuum generari sinat, intentus finis nõ habetur, quo nihil absurdius in Deo esse aut cogitari potest. Porro quoniam cælum & terra, omniaq; & singula effecta naturæ mirabile artificium & diuinum artificem manifeste declarant (Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum) quid putemus? non esse valde indecorũ, vt summus artifex opera sua incredibili arte fabricata permittat concuti & vulnerari? A minore ergo sic concludo, si prudens artifex inter mortales nequeat quicquam agere cõtra artem suam, nisi per errorem: absit vt putemus Deum, sapientissimum architectum cæli & terræ, aut velle, aut posse quicquam moliri in perniciem rerum quas finxit: quod tamen facere videatur si vacuum, (quo celsiores arces naturæ concutiuntur) permittat, vel in centro mundi latitare: vt in terræmotu tremendo sæpissime constat, si hoc monstrum semel spirare inceperit. Monstrũ dico, quia semel cõceptũ in visceribus terræ flãmas, aquas, lapides, & mõtes euomit & expirat. Psal. 19. vers. 1.

Resp. *Fulmina à nube (vt aiũ) in arces philosophiæ proiecta, non vi sed lacte facile extinguam: & primum dico nõ esse inconsiderati hominis de diuina potentia, in relatione ad naturæ effecta disputare. Hinc respondeo, duo in creatis considerari debere, essentiã & obedientiã. Si essentiam spectes, dico esse contra ordinẽ naturæ vt fiat vacuum: si vero obedientiã consideres ipsamque naturam imperio primæ causæ motorẽ* In creaturis duo sunt notanda.

Qq

subiectam, non est contra ordinem naturæ ut potentia diuina inducatur vacuum. Neque est quod hinc concludas sine blasphemia, Deum esse authorem confusionis: quia nihil est præposterum, nihil confusum quod ipse facit, quamuis tibi causas rerum ignoranti sic videatur esse. Nam ut monstrum est respectu ignorantiæ humanæ, quæ causas, cur tale in rerum natura fiat, omnino inuenire & consequi non potest, respectu autem diuinæ sapientiæ non est: Ita præposterum & inordinatum esse videtur homini nescienti causas, si fiat vacuum: Deo vero sic disponenti, nihil confuse aut contra naturæ ordinem factum esse videtur, tum quoniam naturas rerum omnium mutabiles sibi imperanti subiecit, tum quia id iuris soli sibi vendicat, ad placitum immutandi. Sed (ut pergam) hoc factum non negat bonitatem Dei, qui licet aliquando moueat naturam contra communem cursum stadiumque suum, illam tamen illæsam & quasi incolumem non aliter quam solē per quindecim gradus retrouersum seruat. O factum mirabile bonitatis diuinæ! Iussit hac nostra ætate terram vniuersam simul moueri, timetur valde, expectatur malum. Sed ecce concussam subito benignissima dextra stabiliuit. Si caussam motionis violentæ quæras, vacuum conceptum caussam fuisse dices, attamen ego præter caussam diuinam dico me caussam prorsus ignorare: digitus enim Dei fuit, qui solus potuit & voluit in vno instanti mundum sua ruina præmonere. Quid vrges de frustrato fine intento à Deo? non fallitur Deus suo fine intento, non frustratur. Nam quamuis hanc vel illam naturam ad hunc vel illum finem & vsum destinarit, eandem tamen cum vsu, suo iuri & imperio subiecit. Postremo, iniqua & impia est tua artificis mortalis cum Deo comparatio: quippe Deus infinitus est, & in comparationem non cadit, neque cum mutabilem flexibilemque naturam huius vel illius rei ad contrarium cursum aut scopum trahit, minus approbat quod fecit opus: sed in hoc maxime se Deum ostendit, quod talem naturam rebus dederit vt mutari possint, talemque obedientiam vt sibi iubenti obsequantur.

Vacuum monstrum fit ignorantia nostra.

Anno 1580. 8. Id. Apr.

Argu-

Argumenta in annexum quæstionis, Vtrum motus in vacuo diuina virtute facto sit naturalis aut violentus? idemque An successiuus, an instantaneus?

Opp. *Nimium diffisus es ingenio lectoris, qui tam sæpe vnum idemque inculcas: docuisti antea non esse naturalem motum: cur idem iterum nunc doces? Imo Aristot. ipse docuit fore violentum aut momentaneum si detur vacuum: at probo contrarium, tã respectu mouentis & medii, quã respectu mobilis subiecti. Nam in medio considerãda sunt duo, resistentia & distãtia, quamuis in vacuo agnoscã non esse resistentiã qua impediatur motus: nemo tamen diffitebitur esse distantiã, qua successiuus fiat. Est.n. distantia spaciũ medii, idemq́; longius aut breuius: at quis, nisi delirans & in philosophia infans, putabit corpus naturale posse spacium immensum in ipso instanti decurrere, tametsi nulla sit resistentia medii? Præterea, si rem impensius consideres non magis spectanda est resistentia medii, quam renitentia mobilis subiecti, quæ cum sit insita qualitas motum refrænat, quominus vnquam in instanti fiat. Cum ergo successio motus non solum proueniat ex medio quatenus est plenum, sed etiam quatenus intercapedinem & distantiam extremorum cohibet: rationi consentaneum est in spacio vacuo motum sine temporis proportione fieri. Porro exempli gratia, si statua aut columna altissima in spacio vacuo erecta constet, lapis fulmine aut alio quouis modo excussus à pyramide plus temporis proculdubio in motu conficiet, quam si ab imis partibus eiusdem columnæ cadens ad centrum feratur: ratio est, quia distantia maior & minor in ipso vacuo diuina virtute facto manet. Quippe si placeret Deo hunc inferiorem mundi globulum fulminibus suæ iustitiæ propter infinita scelera & flagitia nostra deuastare, vacuumque inducere: haud dubie eadem distantia inter concauum lunæ & centrum terræ existeret, qua posita, si pila vi tanta à spiritu proiiciatur ab orbe lunæ ad centrum, vt inde repulsa redeat ad locum vnde mittitur, sequetur necessario hunc motum factum iri in momento: quæro an in eodem, vel alio? si in eodem respondeas, concludo illic semper permãsisse pilam: si in alio dicas, necesse est vt fa-*

tearis non momento, sed tempore motum hunc susque deque fuisse effectum. Si ergo detur vacuum diuina virtute, dabitur quoque motus naturalis & successiuus, tum ex parte distantia, qua termini à quo & ad quem *distant, & ex parte mobilis, in quo non minor vis est incitādi & tardandi motum, quam in raritate & densitate medij, & deniq; ex parte motoris primi, qui diuina sua virtute res in ipso vacuo & potest successiue mouere, & vult sic motas conseruare.*

Resp. *Serio mecū nunc agis, & idcirco laudo hoc genus differendi. Agnosco equidē nonnullos interpretes à tuis partibus stare, sed dabis veniam si à te & illis in hac re dissiliam. Discutiam ergo singula, & vbi dicis me nimium diffidere ingenio lectoris, cum idem inculcem sapius: respondeo me rem eandem in eodem sensu non inculcare. Nam ante quarebatur, Vtrum vacuum vi natura: nunc vtrum idem virtute diuina fiat? sed siue hoc, siue illo modo fiat, cum Arist. defendo, simpliciter secundum naturam aut nullum motum in vacuo fieri, aut si ex hypothesi fiat eundem vel in instanti factum, vel sola diuina potentia, successiuum esse constitutum, vi autem natura sic nullo modo. Ad secundum argumentum respondeo, distantiam in vacuo proprie non esse: ratio est, quia vacuum quidem est non ens, at in non ente reale nihil inest, quale spacium esse debet, duoque reales termini* à quo & ad quem *realis motus corporis naturalis fierent.* *Medium enim* (margin: *Medium quid.*) *solum id longum aut breue dicitur, in quo existunt longitudinis & breuitatis mensura: at in vacuo sunt mensura nulla, vt antea copiose probauit Philosophus. Quod tertio in loco addis de renitentia mobilis, parum habet ponderis, quia in vacuo vt motus, ita corpus negatur esse, nisi diuina virtute: & sic (vt supra) libenter concedo vtrumque. Suppositio ergo tua de statua, Babel & confusio est: Nam talis in vacuo adificari non potest: qua ergo de lapidū motu deorsum addis nihil probant, quia ex falsa suppositione quodlibet sequitur absurdum. At est idem (inquis) interuallum inter cælum & terram, si diuina virtute aer & aqua commutentur in vacuum: agnosco: ergo pila iacta à cælo ad terram, indeq; repercussa non in instanti mouetur. Pila ludis, sed esto: si ab angelo pila tanta vi (vt ais) proijciatur, vt reciproco motu redeat ad locum vnde mittitur fieri potest vt hac pila sic missa diui-* (margin: *Quæstionis decisio.*)

na

pa virtute moueatur in vacuo: naturali vero modo non potest. Huc ergo redeunt omnia, vt fateamur vacuum diuina virtute fieri quidem posse, motumque in eo successiuum aut instantaneum, prout visum fuerit. Si vero naturam, eiusdemque vim, ordinem, & cursum spectes, negandum est hac vllo modo fieri posse: quia vacuum est non ens, in quo nihil naturale nisi vi sola diuina (qua omnia ex nihilo fecit) esse aut fieri omnino potest.

CAPVT X.

Vtrum
- *Tempus in rerum natura sit?*
- *Instans sit pars temporis?*
- *Punctum seu instans sit vnum vel multiplex in toto tempore?*
- *Tempus sit motus vel potius affectio seu passio motus?*

TEmpus est necessaria affectio naturæ, cuius vi omnis motus actusque rerum mensuratur; quod non inepte poetæ descripserunt veluti senem pedibus ceruinis, aquilinis pennis, in fronte pilosum, in occipite caluum, falcem manibus tenentem, qua segetes Veris, & spicas Autumni facile discindit. Senex est, quia nihil tempore antiquius aut vetustius: pedes ceruinos, alasque aquilinas habet, quia eodem nihil celerius, velocius nihil: pilosa frons est, quæ opportunitatem: occiput caluum, quod irreuocabilem temporis amissi iacturam notat: falcem manibus acutam tenet, quia est edax rerum, segetesque & spicas ex agro naturæ scindit, quia omnia effecta naturæ citius aut tardius ad exitium & ruinam trahit. *Temporis effigies.* *Ouid. Met. l. 15.*

Sed istis omissis poetarum figmentis, Aristotelis textum aggredior, in quo primum quærit, *An sit tempus necne?* tum *quid sit?* in vtramque partem disputat. Quod ad primum attinet suadet inprimis tempus non esse hoc modo. Quicquid constat ex partibus quæ reipsa non extant, non est: sed tempus ita se habet: ergo tempus non est. Iterum quicquid diuiduum est in partes, nequit actu esse in rerum natura, nisi vel omnes, vel aliquot saltem cum toto existant, vt partes plantæ, & motus: sed nulla omnino pars temporis existit: er-

go reuera non eſt. Aſſumptionem probat Philoſophus, quia præteritum (quod eſt pars vna) euanuit, futurum nondum eſt, momentum, indiuiſibile cum ſit, continui pars eſſe non poteſt. Ratio eſt, quia neque totum ſuum metiri, neque cum aliis partibus coniunctum idipſum perficere & complere poteſt. Præterea, ſi quis dixerit idcirco tempus eſſe, quoniam momentum ſeu inſtans (quod eſt *Vtriuſque partis copula terminuſq; communis*,) exiſtat, docet contrarium Philoſophus. Si enim momentum pars temporis exiſtat, hoc vel vnum erit in toto tempore, vel aliud aliudque; non primum, quia non eſt ſucceſſio in momento; ſucceſſione enim poſita, ſequeretur interire idipſum, at inſtās interire nō poteſt; quippe ſi interiret, vel in ſe vel in alio interiret; non in ſe, quia tunc eſt: non in alio, quia momenta indiuiſibilia ſunt, non continua. Quod vero non ſit aliud aliudque momentum in tempore hinc conſtat, quia ſi ſint aut eſſent ſimul, aut ſucceſſione; non ſimul, quoniam duæ partes temporis ſimul eſſe non poſſunt, niſi maior minorem, vt menſis diem, annus menſem contineat. Cæterum vnum inſtans ſeu momentum altero maius aut diuturnius non eſt neque ſucceſſione hoc ipſum fiet, ne (vt antea demonſtraueram) temporis punctum in ſe aut in alio interiret, quod ratione probari nequit. Pergit Philoſophus, vnumq; momentum in toto tempore eſſe non poſſe ſuadet. Primum quia nullum continuum vno termino clauditur. Linea enim multis punctis, ſuperficies multis lineis terminatur: ergo etiam & tempus multis momentis definitur. Deinceps, ſi vnum eſſet ſolum momentum in toto tempore, ſequeretur illa quæ multis olim retroactis ſæculis extiterunt, eſſe iam ſimul cum his, quæ in hoc inſtanti ſimul eſſe dicuntur; ſimul enim tempore dicuntur, quæ eodem temporis momento ſunt: at hoc poſito quod ſit vnum ſolum temporis momentum, neceſſario ſequitur, præterita & præſentia ſimul iam eſſe: non ergo vnum ſolum ſed plura ponenda ſunt in tempore momenta, quibus eiuſdem partes copulentur.

Inſtans quid. *Text. 92.* *Simul tempore quæ.*

Accedit Philoſophus in poſtrema parte huius capitis ad inueſtigandam naturam & eſſentiam temporis, quam cognitu rem difficillimam eſſe ait, tum propter eas difficultates quas iam diſcuſſit, tum etiam propter opinionum varieta-

Tempus cognitu cur difficillimum.

tes quas discutiendas in aliorum monumentis reperit. Plato enim tempus esse conuersionem cœli, Pythagoras vero cœlum ipsum, quidam nec conuersionem cœli, nec cœlum, sed motum in genere definierunt esse. Quod non sit conuersio cœli primum sic probat, quia quælibet pars temporis est tempus, sed quælibet pars conuersionis non est conuersio: ergo tempus non est conuersio. Præterea si esset conuersio, sequeretur quod plures conuersiones simul esse possent; raptu enim primi mobilis omnes inferiores sphæræ simul mouentur. Quod non sit cœlum hinc constat; nam quamuis (vt ait Pythagoras) omnia in cœlo & tempore contineantur, cœlum tamen non est tempus, nec tempus cœlum, quia vnum subiectum est, alterum accidens; vnum mensuratum, alterum mensura. Postremo inanem opinionem & dogma eorum, qui posuerunt tempus nihil aliud esse quam motum, duobus argumentis sic refellit. Primum, quia omnis motus est solum in mobili, sed tempus est vbique: ergo non est motus. Omnis insuper motus velocior est aut tardior; tempus autem non est velox aut tardum: ergo tempus non est motus. Assumptio probatur, quia velocitas & tarditas sunt affectiones motus, quæ definiuntur tempore; siquidem velox mobile dicimus, quod breui tempore longum spacium conficit, tardum quod longo tempore breue interuallum permeat.

Philosophorum variæ de tempore opiniones.

Huc vsq; textus ipse loquitur, in quo ne multa difficilia & obscura in vtranq; partem à Philos. disputata animos lectorum distrahant, palos quosdã limitesq; veritatis constituam, explicatiusq; quæst. iam motas breuiter discutiam. Et primũ *An sit tempus?* tum *An punctũ seu instans sit pars temporis?* Hinc *An vnum, vel multiplex & numerosum sit punctum in tempore?* Postremo *An tempus sit motus, vel affectio potius, & mensura motus?* Difficultatẽ cognoscendi *An sit tempus?* multitudo & varietas plurimorũ, negantiũ idipsum esse, liquido demonstrat. Verum quoniam nemo mortalium est, qui in ore hæc verba sæpe non habeat, *Heri, cras, mane, &c.* certum est talem rem esse; trahor tamen non inuitus contra turbam negantium hic disputare. Est aliquid quod motum cœli aliorumque corporum metitur, ergo tempus; nihil enim præter idipsum motiones actusque rerum metiri potest. Præterea, quorsum multa tem-

Dubia cap. 4.

Esse tempus probatur.

poranea & caduca in rerum natura dicuntur esse, si non sit
3. tempus quo mensurentur? Insuper *præteritum* & *futurum*, *prius* & *posterius*, *dies*, *mensis* & *annus*, aliæque partes simi-
4. lares temporis ens tale arguunt & demonstrant esse: aliter hæc nomina inaniter & otiose excuduntur. Deinceps, cum in rerum natura multa sint entia in fluxu & successione posita, quæ semper flores foliaque non ferunt, necesse est vt sit ens aliquod commune illis eodem modo affectum, quo eorum veluti ætates numerentur: at quid hoc aliud est nisi tē-
5. pus? Porro, dic mihi quid infantia, quid pueritia, quid adolescentia, iuuentus, constans ætas, senectus & senium sit, si tēpus neges? Quid hora, quid dies, quid mensis, annus, sæculū & æuum, si tempus (per quod hæc omnia definiūtur) neges?
6. Postremo quorsum à philosophis definitur tempus, si non sit? quorsum edax rerum, & causa corruptionis dicitur, si nō sit?' Si inquam non sit?, quorsum tot annales, tot ephemerides, tot quasi pulsus & crises temporū ab Historicis, Astrologis, & Medicis demonstrantur? Inanis esset quidem hic labor omnium, si nō sit tempus. Est ergo quod agnoscas tēpus esse, aut mundum nunc esse, fuisse, & futurum neges.

Dub. 2. In quo tempus existit.

Sed his omissis, in quo tandē existit tempus? fortasse iam petis. *An in præterito, aut futuro, quæ non sunt: aut in ipso momento & instanti temporis?* Videtur non quidem in præterito & futuro existere, quia non sunt. Nihil enim existit nisi actu sit: at præteritum & futurum actu esse non possunt: ergo in illis nō existit. Quid ergo relinquitur, nisi vt in momento existentiam habeat? quod probabile est, tum quoniā nihil hactenus de tempore præter instans, tum etiam quoniam instans rationem formæ, præteritum & futurum rationem materiæ subeunt: at forma (actus cum sit) præcipue rebus existentiam præstat. Quid ergo, estne punctum seu instans pars temporis? est. Quomodo hoc fiat, cum sit indiuisibile? Est pars formalis non integralis. At formalis pars de re cuius pars est essentialiter prædicatur. Verum est si non sit analogica. Contra philosophum partem esse affirmas, quippe (vt ille ait) omnis pars temporis tempus est. Sed *instans*, cum sit insectile, tempus esse non potest: ergo non est pars. Respondeo omnem partem temporis integralem tempus esse, formalem autem non esse. Adhuc vehementer dubi-

Instans in tempore rationem habet formæ, futurum & præteritum materiæ.

Instans pars temporis formalis.

dubito quomodo *instans* sit forma temporis. Vt copula est forma propositionis: ita *instans* est forma têmporis: & sicut copula in propositione subiectum & prædicatum: ita *instans* in tempore præteritum & futurum nectit. Postremo, vt copula de simplici propositione non dicitur, quia est analogica forma, aut id quod formæ locum in illa occupat: ita *instans* de tempore non prædicatur, quia analogiam & *proportionem* solum ipsius formæ tenet. *Instans quomodo forma temporis.*

Sunt hic interpretes quidam, qui aliam rationem interpretationis tradant: hanc nimirum, quod momentum seu instans verissime sit pars temporis, vt continuo motu præteritum & futurum in eo colligantur. Aiunt enim non posse realiter & physice partes continuas indiuisibili & non cōtinuo termino copulari. Nam licet mathematice hoc ipsum fieri concedant, adduci tamen non possunt, vt naturali modo & ratione id fieri posse existiment. Punctum ergo hoc (inquiunt) quo partes successiuæ temporis constringuntur, est quædam realis continuatio connexioque finientis præteriti, & incipientis futuri, quę continuatio quamuis sit longe breuissima pars temporis, ipsum tempus actu existens dicitur. Disputas nunc plane contra Aristotelem, qui instans disertis verbis partem esse negat. Non disputo, sed tu parum attente perpendis quid sibi velit Philosophus. Agnosco equidem negare *Nunc* partem esse, sed aduerte mathematice non physice consideratum: Nam si aliter sentiret, quorsum alibi doceret ea simul esse tempore quæ momento sunt simul? quorsum apertissime *instans* tempus appellaret? Imo quorsum tempus ipsum nihil aliud quam *Nunc continuatum* diceret? *Nunc continuatum* dico, quia infinita fere momenta sunt, quibus partes successionis perpetuo vinciūtur. Vt ergo vinculum in media catena alia connectit, & pars est catenæ quam cum aliis componit: ita *instans* seu momentum tanquam medium inter præteritum & futurum positum, pars temporis dici potest, quod cum aliis partibus totum conficit & absoluit. *Instans pars temporis est physice nō mathematice.*

Dub. 3. An vnum vel multiplex sit Nunc *in tempore.*

Noua est hæc profecto opinio, nimirum esse in tempore multa instantia continuata. Si putes nouam esse, audi nunc tertiam quæstionem, in qua quæritur *An vnum vel multiplex sit instans in tempore?* Ambagibus relictis, considerari potest tempus duobus modis; vel respectu primi mobilis, *Temporis respectus duplex.*

quod secundum Aristotelem est æternum, vel respectu rerum caducarum, quarum durationem distincte successione cœlestis vertiginis & motus demetimur. Priori modo acceptum tempus, sine relatione ad hæc inferiora, quæ mutantur tempore, vnum instans continuatum dici potest, parum aut nihil ab æterno distinctum. Quippe æterna quæ sunt (vt secundum Aristotelem, *cœlum, cœlique* motor Deus) nullum futuri aut præteriti sensum, motum, successionem in se omnino habent. Semper enim in præsenti subsistunt, quia ea solum proprie tempori subiiciuntur, quæ ortum & occasum vident. Cæterum posteriore modo si capiatur tempus (vt scilicet comes est mortis, resque solas mortales & caducas mensurat) non vnum instans sed multa & numerosa, pro varietate & multiplici mutatione rerum sub illius veluti alis laborantium & languentium habet. Ad considerationem huius rei attentio animi valde intensa requiritur; quippe tam exilis temporis, motus, & animi numerantis vtrumque distinctio à permultis traditur, vt nonnulli non dubitent dicere tempus, aut motum, aut animam numerantem, aut nihil omnino esse. Confidenter quidem ex Aristotele hoc affirmant, tempus sine motu & anima rerum actiones numerante per motum, omnino ens non existere. Quorsum hæc? nimirum vt intelligas, tempus dici à quibusdam numerum numerantem, id est animam, quia in durationibus distinguendis rerum mortalium, anima necessario requiritur. At vt diutius te suspensum non teneam, anima sine multis instantibus & momentis actiones motusq; rerum metiri non potest: Non ergo vnum, sed multiplex & numerosum instans in tempore habetur, idque non imaginatione solum, sed vere tale. Nam (vt exemplo vtar) vnum reale instans est quo Christus nascitur, aliud est quo Christus moritur: præteriti autem & futuri in instantibus connexio ab anima motus rerum percipiente pendet. Est enim anima vigil quasi oculus, aut pupilla temporis, quæ omnes motus & mutationes rerum ex motu cœli & solis diligenter obseruat, multaq; instantia seu momenta cũ futuris & præteritis, prout res rerũq; motus & act⁹ postulat rectissime cõiungit. Quid? estne temp⁹ anima? non certe, sed numerus numerans, (id est anima) dicitur, vt postea

Opinio multorum: tempus sine motu & intellectu non esse quippiam.

Esse multa in tempore instantia probatur.

Anima est oculus, quo temporis motus que mutationes cernantur.

postea pluribus intelliges: quia motus & mutationes rerum à motu cœli dependentes sine anima nec cōparari, nec percipi quidem possunt. Quam procul erras ab Aristot. qui in proximo capite numerum numeratum, non numerum numerantem tempus appellat? Parum attendis: nam non simpliciter numerum numerantem esse defendo, sed ita dici respectu distinguendæ durationis in rebus quæ solum ab anima discernente differentias temporis, non à belluis aut dormientibus percipiuntur. *Anima est numerus numerans.*

Sed vt procedam in re proposita, alia sunt argumenta quę suadent. Vnum, quia nullum continuum vno termino clauditur, vt in *linea, superficie, corpore* constat, quæ multis punctis, lineis & extremitatibus conficiuntur: tempus ergo non vno solum, sed multis momentis eget. Alterum est quia infinita fere effecta actaq; naturæ simul tempore dicuntur, id est, quia simul iisdem momentis fiunt, (vt in textu exponendo superius demonstraui) non ergo est vnum momentum numero, sed aliud aliudque in toto tempore. Omnia enim quæ simul oriuntur non cadunt in diuersis ætatibus mundi, non vnum instans aut momentum habent, quo dicantur simul. Inductione exemplorum in hac re opus non est: quotquot sunt instantia rerum mutabilium in stadio istius mundi sub orbe lunæ, tot sunt exempla, tot argumenta quibus hoc ipsum confirmetur. Fluit refluitq; mare, instans est quo fluxus & refluxus vniuntur: crescit, decrescit planta, instans est quo præterita actio naturæ cum futura copuletur: viuit, non viuit homo, instans est quo isti iam termini constringantur; mouetur, quiescit animal, dormit & vigilat; instans est in quo vnus actus desinit, & quo alius auspicatur, Sic aliquid mutatum esse, istans mutabile & mutandum, præteritum & futurum notant.

Postrema dubitatio, *An tempus sit motus vel potius affectio vel mensura motus?* valdè anceps est hæc quæstio, & labyrinthis plena. Occham enim, Gregorius Ariminensis, & alii nonnulli eius ætatis viri doctissimi defendunt, tempus idem prorsus esse cum motu, maxime cū motu cœli, de quo hoc loco præcipue agitur. Sed miror quid sibi velint isti interpretes, cum in hoc ipso capite vehementer illos arguat Philosophus, qui tempus à cœlo aut motu cœli non differre arguerunt: quod certe non fecisset, si rem vnam motum & *Dub. 4.* *Tempus à motu distingui probatur.*

tẽpus fuisse existimasset. Sed rationib. sic probo. Tempus & motus definitione differũt. Ergo reipsa differũt. Est n. tẽpus *mẽsura mot⁹ secundũ prius & posterius*: est vero motus *act⁹ mobilis, quatenus est mobile*. Præterea mensura & mensuratum re differunt: ergo tempus & motus. Insuper tempus nec velox nec tardum est, nisi ratione motus: tempus ergo reipsa à motu differt. Deinceps tempus & motus subiecto differunt: est enim motus in vno simplici certo & definito, tempus autem vbique. Porro, si tempus & motus essent res vna, sequeretur tempus à seipso mensurari, quia mensurando motum, rem vnam cum tempore existentem seipsum mensuraret. Adhuc aliud est esse in tẽpore, aliud in motu: cum illud durationem, hic successionem spectet: ergo re differunt. Adde istis argumentis, eundem terminum non habere communem tempus & motum, non in eodem prædicamento per se collocari: cum tempus vi sua sit species distincta quantitatis: motus autem non sit: vtrumque ergo re vnum non sunt. Postremo, disertissimis verbis dicit Philosophus & hoc capite & 12. cap. huius libri, tempus non esse motum.

Motus tempore prior.

Concludam ergo, vnum ab altero re & natura sua penitus differre, non tamen nego tantam esse affinitatem inter vtrumque vt neque tempus sine motu, nec motus sine tempore existere quidem possit. Est tamen motus prior tempore secundum ordinem naturæ. Prius enim est quam existat tempus, prius (inquam) est, non duratione sed natura: & (vt planius intelligas) sic se habent motus & tempus, vt subiectum & propria passio subiecti, quæ dicuntur simul si existentiam, non autem simul si essentiam aut subsistentiam spectes. Est enim tempus propria passio motus. Sunt hoc loco iidemque non indocti qui curiose & obscure (mea quidem opinione) distinguunt, tempus scilicet à motu re non differre, differre tamen ab illo natura rei: quasi vero tot milliaria re differre, & natura differre, distent dissideantque. Rationes huius opinionis quas attexunt, postea inter argumenta contra hanc quæstionem adducam, & tum pro viribus refutabo.

Tempus motus propria passio.

Distinctio

Distinctio quaestionum decimi capitis?

- Dubitat' in hoc capite,
  - De tempore, *An sit?* quod sit probatur
    - 1 A comparatione motus, qui sine tempore existere non potest, cum ab eo mensuretur.
    - 2 A mutatione rerum caducarum, quae tempore oriuntur & cadunt.
    - 3 A demonstratione *preteriti* & *futuri*, quae sunt partes temporis.
    - 4 A successione *aetatum, annorum, mensium, dierum, horarum* & *instantium*, quibus motus rerum cognoscuntur.
    - 5 Ab enumeratione aetatum, quibus vita humana circumscribitur.
    - 6 Ab vsu *Ephemeridum, Annalium, pulsuum, crisium*, quae Astrologi, historici, medici studiose tractant.
    - 7 A distinctione *aeternitatis, aeuiternitatis* & *temporis*, quibus infinita, finita, & caduca mensurantur.
  - De partib. temporis, *An punctũ sit pars?* hic distinguẽdum est
    - De parte, quod sit
      - 1 Materialis, & sic punctum nõ est proprie pars, cum sit indiuisibile.
      - 2 Formalis, & sic est vel
        - 1 Propria, vt *anima hominis*, & sic quoq; punctum nõ est pars temporis.
        - 2 Analogica, vt *copula* est forma propositionis, & sic punctum est pars temporis.
    - De pũcto, quod sit vel
      - 1 Mathematicum & separatum, animo solo conceptum, & sic non est pars temporis.
      - 2 Physicum, & coniunctũ cum praeterito & futuro, vt sit initium vnius & finis alterius, & sic est pars.
  - De numero. Vide in seq pag. lit. A.
  - De natura. Vide in seq. pag. lit. B.

A

De numero púctorú in tempore, *An sit vnũ vel plura?* hic etiã distinguédũ est

De tépore, quod capiatur vel

1 Metaphysice, pro mensura rerum æternarum, in quibus non est mutatio, & sic totum tempus nihil aliud est quam vnum quasi *Nunc* continuatum.

2 Physice, pro mensura realis motus, & sic in eo multa sunt *instantia* pro successione, mutatione, & varietate rerum quæ sub tempus cadunt.

De puncto, q considerátur

1 Vel respectu vnius actus aut mobilis, & sic est vnum.

2 Vel respectu successionis, & sic necessario plura sunt.

B

De natura temporis. *An à motu re & essentia differat?* differre ostenditur

1 A definitione, quæ est diuersa vtriusque.

2 A ratione mensuræ, quia mensura & mensurata differunt.

3 A distinctione proprietatum, quæ assignantur vtrique.

4 A diuersitate subiecti, quia nec eidem subiecto tempus & motus insunt, nec eodẽ modo.

5 Ab hypothesi & consecutione absurdi, quia si tempus & motus sint idem, sequetur tempus mensurari a seipso, cum motus ab illo mensuretur.

6 A differentia existendi in vtroque, quia aliud est esse in tempore, aliud esse in motu.

7 A terminis diuersis vtriusque, quoniam *instans* est terminus communis temporis, *mutatum esse* est terminus motus.

8 Ab ordine prædicamenti, quia *tempus* est directe in quantitate *motus* verò reductiue.

9 A fine, quia vsus temporis in distinctione durationis, vsus motus in alterratione rerum cernitur.

10 A sensu, quia *motus* est perceptibilis sensu, *tempus* vero non est.

Argumen-

Argumenta contra primum in hoc capite dubium, Vtrum tempus sit ens in rerum natura?

Opp. *Quicquid est ens solum in animo idipsum propriè esse non dicitur: sed tempus est ens solum in animo: ergo tempus propriè non est. Minor probatur, quia (teste Philosopho in textu) præteritum & futurum entia nō sunt: futurum enim adhuc non est, præteritum autem euanuit, neq; instans (cum sit indiuisibile) tempus esse potest: quoniam tempus est continuum, quod infinitè in partes eiusdem proportionis diuidi & secari potest.*

Resp. *Ens rei duplex est, constans in statu suo, quod positiuum vt cælum: inconstans & fluens, quod successiuum vt tempus & motus dicitur. Maior vera est in ente rationis non rei. Nam licet tempus partem nullam actu existentem habeat satis est si in successione & fluxu habeat. Præterea, si momentum seu instans sumatur physicè, forma temporis est analogica, qua partes secundum initium & finem vnita realiter esse dicuntur. Nam vt instans motus ab ouo ad pullum vtriusuis actus dici potest per quem vtrumq; quodammodo existit: ita momentum seu punctum temporis, qualemcunq; existentiam præterito & futuro, quæ vniuntur in illo, præbet. Postremo, tempus non caret subiecto suo, nempe primo mobili, in quo primario inest* — Ens duplex. — Subiectū temporis primariū primū mobile.

Opp. *Si tempus vllam essentiam haberet extra animam, eadem esset vel in tempore, & sic idem in seipso inesset, vel in instanti, & sic continuum in indiuisibili consisteret: imo tum sequeretur, quod corrupto illo instanti amplius non esset tempus: videtur ergo hoc verū esse, q̄ tempus non sit omnino.*

Resp. *Tempus consideratur bifariam, vel propriè quoad durationem & continuationem rerum, & sic essentiam habet extra animā in quantitate: vel communiter quoad discretionem & separationem partium (& sic, vt docet Philosophus in text.) ab anima dependet. Nā partes eius quæ continuantur ad inuicem per instantia seu momēta non possunt discerni, diuidi & separari nisi per animam, cuius vis requiritur, vt ex pulsu sensuq; ipsius motus distincta partes temporis percipiantur rebusq; ordine accommodentur.* — Tempus quomodo in anima, quomodo extra animam consideratum.

Opp. *Tempus solum ab anima percipitur: ergo illius essentia non est extra animū. Antecedens patet, quoniā nullo*

sensui obiectum est tempus, aliter non minus à belluis quam ab hominibus perciperetur. Ratio tenet, quia qualis est cognitio, talis est constitutio rei: essentia enim scientiam sequitur.

Resp. Obiecta sensuum sunt duplicia, alia propria, vt color, visus, sapor, gustus: alia communia, vt magnitudo, motus, & per motum tempus: quæ communia obiecta sensuum dicuntur, quia non vnum solum sed plures sensus mouent. Attende quod dixerim tempus esse sensibile per motum. Nā vt motus ab hoc signo aut gradu ad alios terminos suos peruenisse sensibus percipitur: ita ratione motus sic sensum pulsantis non ignoratur tempus. Habet ergo essentiam extra animam in motu rebusq; mobilibus, quarum durationem secundum prius & posterius dimetitur.

Tempus sensibile ratione motus.

Opp. Si sit tempus, erit in aliquo subiecto: sed non est in aliquo subiecto: ergo non est. Maior constat, quoniam est accidens, cuius esse est inesse: Assumptio probatur, quia Aristoteles docet hoc discriminis esse inter motum & tempus, quod motus in mobili, tempus in nullo subiecto insit. Est enim (vt ait) simul vbique.

Varia de subiecto proprio temporis sententia.

Resp. Distracti sunt multi hoc argumento in ancipitem cogitationem quid respondeant: alii respondent tempus esse in animo vt in proprio subiecto suo: alii esse in motu, quem mensurat: alii in ipso instanti, quod vt mobile se semper habet ad partes temporis: quare vt motus est in mobili: ita tempus in instanti esse volunt. Alii porro in primo mobili inhærere idipsum docent, alii denique non in vno distincto horum omnium quæ enumerantur, sed in omnibus vt in subiecto aggregationis collocari cēsent. Quod nō sit in animo, ante ratione conuincitur: in motu non esse ratio etiam suadet, quia mensura non est in mensurato: non inesse momento contradictio naturæ docet, quia continuum in non continuo, diuisibile in non diuisibili inesse non potest: relinquitur ergo quod primario sit in primo mobili, & communiter in toto mundo vt in vno aggregato, non simplici subiecto. Nam omnia quæ sunt suum tempus habent: & hoc non est contra naturam accidentis coniuncti seu numerosi, quod secundum proportionem suam subiectum non vnum simplex, sed compositum & numerosum postulat. Et hæc opinio videtur maxime cum Aristotele conspirare, qui inter proprietates temporis hanc

vnam

unam tradit, quod omnium simul existentium idem sit tempus.

Argumenta contra secundam quæstionem, quæ est Vtrum instans sit pars temporis?

Opp. *Tempus est totum homogeneum seu similare, cuius qualibet pars eodem insignitur nomine cum toto: sed instans temporis idem nomen non sortitur: ergo non est pars temporis. Assumptio constat, quia indiuisibile non sortiri potest idē nomen cum diuisibili.*

Resp. *Instans pars quidem non est integralis, ut aiunt, sed formalis analogice. Omnis enim distinctio partium in tempore à termino communi sumitur: & quamuis sit indiuisibile momentum ex parte sui, communicatum tamen cæteris partibus temporis realem quandam existentiam habet.*

Opp. *Instans est vera pars temporis, eademque integralis: ergo non opus est ista distinctione partium, ut instans partem formalem, non veram sed analogicam, physicā non mathematicam, secundum cohærētiam cum aliis partibus, non secundum propriam essentiam esse defendas. Antecedens probatur. quia nihil habemus de tempore nisi instans. secundum Arist. in textu: si ergo ulla sit pars temporis, instans erit. Præterea, semper existit instans in tempore: ergo est semper pars temporis. Antecedens constat, quia si non esset corrumperetur: at non corrumpitur: ergo semper est. Minor suadetur, quia si corrumperetur, corrumperetur vel in tempore, & sic esset continuum, quod negatur, vel in instanti, & sic cum corrumpitur corruptum maneret.*

Resp. *Necessaria fuit ista distinctio partium: sunt enim quædam partes in modo quæ verissimarum partium aliquādo rationem subeunt: sic instans pars temporis formalis analogice & in modo dicitur. Quod urges ex Arist. habere nos nihil de tempore nisi instans, largius illic Philosophus per nomen* instantis *aut mobile, aut præsens tempus paulisper continuatum intelligit. Quod denique addis non corrumpi momentum nisi vel in tempore, vel in seipso, nego ad illius cor-*

ruptionem requiri tempus, vel aliud momentum in quo intereat. Non enim corrumpitur instans per accessionem contrarii: sed per successionem aliarum partium, quibus perpetuo fluentibus cedit. Alii respondent huic argumento, non corrumpi omnino si vel principium à quo fluit, vel primum subiectum, id est primum mobile, in quo est consideres. Nam quamuis infinita fere momenta in motum rerum mortalium cadant, in primo mobili tamen, proprio subiecto & motus & temporis conseruantur. Postremo, non ineptum est illud responsum, corruptionē instantis non proprie dici corruptionem (corruptio enim est a forma non ad formam progressio) caterum cum instans non habeat formam, proprie corrumpi non dicitur: & sic fallax est totum hoc argumētum, vtpote à falsa hypothesi & suppositione sumptum.

Opp. Proteo *similis es, qui in omnem te formam vertis. Nunc enim instans temporis partem, nunc non esse defendis: quid an Aristotelis qui partem esse negat:* pars (*inquit*) nulla temporis omnino manet.

Resp. *Non mutor sententia, sed quomodo pars temporis, quomodo non dicatur instans, libenter demonstrare velim. Respondeo igitur, quamuis Aristot. dicat partem non esse, vt raptim a praterito in futurum transuolat: cum tamē sapiuscule dicat habere nos aliquid temporis in momento, ostendit tempus in momento aliquo modo actu existere: non quod eiusdem partes cohareant simul, sed quia ita prateritum quoad finem, & futurum quoad initium instanti copulentur, vt vtrumque aliquo modo actu & realiter in eo extitisse dicatur.*

Opp. *Si instans esset formalis pars temporis, essentialiter tempus ab aliis distingueret: sed non ita distinguit: ergo non est formalis pars temporis. Assumptio probatur, quia motus suum quoque instans habet, quod* mutatum esse, *omnesque subitaneas mutationes in eo mensurat, quales sunt generationes, corruptiones, aliaque motiones rerum, cum perfectiue aut defectiue (vt aiunt) in terminum* ad quem *desinunt. Vltima enim perfectio motus defectioque instanti mensuratur.*

Resp. *Nihil aut parum vrges contra quaestionem, nisi ostendas instans conuenire motui per se, vt tempori quidē conuenit, agnosco equidem perficientes & deficientes progressiones mo-*

bet motus instanti mensurari, hoc autem fit ratione temporis, cuius pars formalis ipsum instans dicitur.

Argumenta contra tertiam quæstionem: Vtrum vnum vel plura sint instantia in toto tempore?

Opp. *Tempus proprie & primario est (vt hic docet Philosophus) in primo mobili, quod natura sua (vt in libris de cælo ait) est æternum: ergo in eo non sunt plura momenta. Ratio est, quia in æternis nō est præteritum aut futurum, sed solum præsens, idemque incommutabile: cum ergo totum tempus sit in primo mobili, vt in proprio subiecto, eodemq; æterno, probabile est quod in toto tempore sit vnum solum instans.*

Resp.

Æternum aliquid secundum Philosophum dicitur duob. modis: vel simpliciter & absolute secundum essentiam, quod nullam commutationem admittit: vel comparate secundum participationem & influentiam ab alio, quod simpliciter nō est immortale. Priori modo solus Deus ex sententia philosophi est æternus, in quo (vt in Metaphysicis docet) nullum est accidens, nulla mutatio, alteratio nulla, cuique omnia præsentia sunt, præterita aut futura nulla: posteriore vero modo æterna sunt: vt cælum, angeli, qua essentiam acceptam primò motori referunt, eandem mutabilem in se, per influentiam tamen à prima caussa æternam, sic tamen, vt temporis, loci motus varias mutationes subeant. Cæli ergo conuersiones sunt in tempore, & tempus in quo voluitur cælum numerosa puncta habet, idque non solum respectu istorum inferiorum, quæ motu, lumine, influentia regit: sed respectu sui, quia varias vices, partes, & stationes habet: sic etiam spiritus definite in loco, definite in tempore, definite in motu multas alterationes subeunt. Aeternum duplex.

Opp. *Est vnum solum instans in toto tempore respectu istorum inferiorum: ergo non recte defendis esse numerosum. Antecedens probatur, quia nulla ratio dari potest, quomodo instans semel existens corrumpatur.*

Resp. *Corrumpitur aduentu futuri, quod locum cōtraris occupat. At dices, nulla pars est contraria parti eiusdē totius;* Futurum instantis contrarium & corruptionis caussa.

vere dicis in continuo, sed in ente successiuo vna pars locum contrarii occupat. At futurum præsenti alligatur: non ergo contrariatur eidem. Agnosco id quoque verum esse quod dicis, sed distinguo futurum quoad initium alligari, contrariari vero quoad successionem partium. Adhuc non satisfacis mihi. Nam si futurum sit caussa corrupti instantis, modum ostende, an hoc ipsum instans in se, aut in alio corrumpatur? Nec in se, nec in alio, sed alterius successione moritur. Age ergo, est quædam successio instantium, & sic instantia seu momenta erunt continua. Est quædam successio instantis, non continuationis in ipso: nam quamprimum vnum succedit, alterum extinguitur. Vt ergo in generatione pulli corrumpitur ouum, idque in instanti, nulla apparente cōtinuatione prioris formæ oualis: ita in successione instantium vnum non citius extinguitur, quam aliud generatur, nulla remanente existentia prioris.

Opp. *Si multa sint instantia & momenta in toto tempore (vt ais) sequetur aut simul esse aut non: non autem sunt simul, quia indiuisibilia definiuntur esse quæ societatem alterius non patiuntur: at si vnum eorum prius alterum posterius esse dicas, id est, si dixeris non esse simul, tum in ipsis momentis tempus esse concludis: quippe prius & posterius sunt proprietates temporis, at tempus in momentis non est. Nam vt indiuisibile additum diuisibili idipsum nec maius nec minus facit in magnitudine: ita instans instanti adiunctū, nec prius nec posterius facit in tempore: hinc concludo non esse plura momenta in toto tempore.*

Resp. *Satisfactum est huic argumento superius, cum de modo generandi & corrumpendi instantis ageretur. Cum enim vnum instans alteri succedat, quamuis vnum eorum prius aut posterius alio dicatur numero aut ordine, non tamen temporis successione, hoc est quod velim, non quicquam temporis in corruptione instantis consumi, vt hoc prius, illud posterius dicatur: succedere tamen vnum alteri iam statuo numero ordineque natura, vt a priore ad posterius non conuertatur subsistendi ratio.*

Argu-

Argumenta contra quartam quæstionem, Vtrum tempus sit motus vel potius affectio & mensura motus?

Opp. *Controuersia hæc duplicem sensum habet, & intelligitur vel de tempore primi mobilis, vel de quolibet singulari tempore respectu eius motus quē intrinsecus metitur. Scio equidem esse quosdam interpretes qui asserant, re distingui tempus à motu primi mobilis, quia idipsum Arist. asserit in hoc capite, non autem à motu singulari cuiusque rei, quoniā hoc additur in textu, tempus non esse sine omni motu. His positis sic arguo: tempus à nullo motu re distinguitur: ergo falleris: Antecedens probo, quia tempus definitur per motum: sed definitum à nulla parte sua definitionis reipsa differt: ergo tempus non differt a motu.*

Resp. *Controuersiam hanc de tempore primi mobilis, & de singulari tempore cuiusque motus agnosco sic institutam esse (vt ais) sed probabilior videtur illa quidem opinio, quæ defendit tempus ab omni motu realiter distingui. Argumento igitur allato contra hanc opinionem sic respondeo, quod licet communiter describatur tempus per motum, non tamen est idem cum motu: nam quamuis quælibet pars vera & essentialis definitionis re eadem sit cum definito, quælibet tamen pars descriptionis aut notationis (qualis hæc est temporis) re eadem non est cum definito. Si vrgeas tempus verius definiri non posse, dico esse accidens quod veram & internam definitionem non admittat: ratio est, quia accidentis esse est inesse.*

Opp. *Definitio motus conuenit tempori: ergo tempus re non differt à motu. Antecedens probatur, quia tempus est quantitas successiua, vt motus, ipsumque mobile ad actū non aliter quam motus trahit.*

Resp. *Falsa hæc sunt quæ dicis. Tota enim definitio motus ei non conuenit, imo in multis tempus & motus differūt: motus enim non est nisi in mobili, tempus autem non solum in mobili, sed in quiescenti inest. Similiter in diuersis mobilibus loco & subiecto separatis non est idem motus, illorum tamen omnium est idem tempus. Item omnis motus est tardus* Motus & temporis discrimina.

aut velox, tempus vero non est nisi per accidens, id est, non nisi ratione motus. Quid multu? si tēpus esset motus primi mobilis, sequetur esse plura tempora, quia sunt plures motus & conuersiones eiusdem. Quid addam? altis & nigris carcerib. sepulti, bene percipiunt tempus, non autem percipiūt motum primi mobilis, quem tamen persentiscerent, si idem motus & tempus vtrunque esset. Abunde rationum concurrunt, quib. hoc discrimen essentiale probem. Nam si tempus idem esset cum motu, sequeretur motum esse numerum, vt definitur tempus. Festino, tempus est natura, & ordine posterius motu: ergo à motu differt. Item partes temporis momentis, *partes motus* mutatis esse (*vt aiunt*) *copulantur: ergo re differunt. Differunt etiam quia non est eadem vtriusque duratio seu extensio. Nam sæpe motus extensio magna est, temporis parua, si magnum spacium celerrime decurratur: & e contrario motus duratio seu extensio breuis est, temporis longa, si breue spacium tardius conficiatur. Postremo, temporis mutatio non mutat subiectum: at motu variatio subiectū commutatur. Nihil hic dico de loco temporis in quantitate. à cuius serie motus secluditur. Accumulaui nunc plurima temporis & motus discrimina, ne fucatis & fallacibus argumētis adolescentulis quasi in biuio hærentibus imponatur facilis enim est seductio, vbi nulla est certa via directio & demonstratio.*

Opp. *Prius & posterius sunt partes motus seu successionis, (quæ successio à motu, vt in tertio Physicorum Arist. docet, re non distinguitur) sed prius & posterius (vt hic demonstrat) sunt ipsum tempus: ergo tempus à motu nō distinguitur. Minor patet ratione, quia prius & posterius, præteritum & futurum, (quæ absoluunt tempus) significant.*

Resp.

Prius & posterius quo modo temporis, quo etiam modo motus partes.

Prius & posterius sunt partes temporis per se, motus vero per accidens ratione temporis. Huc adde, quod sint partes tēporis duratione, motus vero ordine & successione. Hæc dico, non quod successionem putem esse sine duratione, sed vt intelligas aliud esse successionem, quæ ordinem: aliud durationem, quæ motum & mensuram partium succedentium notat.

Opp. *Tempus est nihil aliud quā motus solis: ergo tēpus non*

non differt à motu cæli. Antecedens probatur: quia motus solis mensurat omnes alios motus, vereque vt mensura est no tior mensuratis. Quod mensuret alios omnes rerum inferiorum motus hinc constat, quia omnia tempora motusque rerum à motu solis pendent: vt hora, dies, mẽsis & annus: ver, æstas, autumnus & hyems. Imo res hæc tam nota est, vt ipsa imperita multitudo à philosophis & astrologis populariter instructa motu solis pro tempore vtatur. Præterea, vt vehementius vrgeam, quomodo annus, aut mensis lunaris aut solaris dicatur, si tempus ipsum à motu solis non mensuretur? Verũ si mensuretur à motu solis cur motus solis tẽpus nõ dicitur? Postremo, quoniã nõ licet in epitome velũ orationis expandere in leuiore hoc argumẽto velim mihi satisfacias: per motũ horologii metimur actiones singulares nostras: ergo motus horologii videtur esse tempus. Nam quicquid demetitur durationem rerum, aut actionem, id ipsum tempus est, vt ait Aristoteles. Nihil addam, alioqui hoc loco quærerem, quorsum plura entia in rerum natura confingamus, cum sint pauciora? intelligo tempus & infinitas temporis partes, quæ frustra ponuntur si motus sufficiat. At videtur sufficere, quia motu eiusdemque successione mensurãtur omnia: omnia dico, quia cœlestia & terrestria, summa, infima, æterna & caduca: excipiuntur nulla.

Resp. Tempus est aliud à motu solis, id est, mensura & numerus eiusdem motus, aliorumque omnium motuum naturalium: agnosco tamen à motu solis præcipuã cognitionem & distinctionem aliarum motionum desumi: cæterũ ipsum solarem motum esse secundum veritatem mensuram non agnosco. Nam etsi tempora distincta, vt hora, dies, mensis & annus inde nomen petant, mensuram tamen tempori acceptam ferunt. Neque mensis aut annus solaris dicitur, quia mensis aut annus motu solis mensuratur, sed quia illius vertigine in Zodiaco distinctius cognoscitur. Similiter de motu horologii dico, non illam esse mensuram durationis, sed caussam certiorũ cognitionis. Quæstio ergo tua in postremo loco proposita nulla est. Nam plura entia quam natura necessitas postulat non confingimus, quoniam omnia motu non nisi per accidens mensurantur.

CAPVT II.

Vtrum { *Ignerato motu penitus ignoretur tempus?*
Dormientes vllum temporis aut motus sensum habeant?
Tempus bene definiatur? }

QVanquam tempus & motus re inter se differāt (vt iam demonstratum est) tanta tamen est vtriusque affinitas & cognatio, vt huius sine illius scientia & sensu nulla cognitio habeatur. Cognoscimus enim tempus per motum, quia quando non percipimus motum, ignoramus etiam & tempus. Motus enim est quasi pulsus temporis: hoc probat Aristot. ratione, quia somno obruti, vel mente alienati & distracti nullum omnino motū persentiscunt, & proinde nullum omnino sensum pulsumque temporis animo & memoria tenent. Sicut illorum exemplo docet, qui apud Heroas in Sardo insula multos integros annos dormierunt. Fuerunt hi Heroes Herculis filii, qui in Sardinia vita defuncti, integris corporibus longissimo tempore (veluti somno consopiti) ad Aristot. vsque tempora durauerunt. Hi (inquit Philosophus) à somno excitati (propterea quod nullam in quiete agitationem aut motum persenserunt) nullū aut parum admodum temporis videbantur sibi consumptisse. Similis est historia de Epimenide Cretensi illo Philosopho, vt Plinius & Diogenes Laertius scribunt. Hic enim à patre aliquando ablegatus vt rure ouem deferret, in speluncam meridiano tempore diuertit, ibidemque 57. annos perpetuos stertit: tandem post tam bene lōgum soporem experrectus ouem inquirit, illamque non reperiens quasi vix horā dormisset reuersus est domum, maximoque omnium stupore & admiratione vix demum à suis aut agnitus aut receptus.

Strabo lib. 5.

Plinius lib 7. Natur. hist. ca. 52 Diogen Laert lib 1 in vita Epimen.

Verbosus non ero: hic dormientium exemplis vtitur Philosophus, vt ostendat tempus non percipi, si motus non percipiatur. Prius ergo concludit tempus nō esse sine motu non tamen (vt nonnulli volunt) idipsum aut motum, aut aliquid motus esse concludit. Re enim tempus & motus distinguuntur;

guũtur: ita tamen diſtinguũtur, vt ſit neceſſaria inter vtrũque dependentia, quemadmodum inter menſuram & menſuratum: at menſura quiddam eſt externum reſpectu menſurati. Tempus ergo non eſt motus, nec ſine motu, id eſt, non eſt motus ſi eſſentiam, & non ſine motu ſi exiſtentiam & ſcientiam ſpectes. Quippe nec exiſtit, nec innoteſcit tempus abſque motu, ſiue illius ſucceſſio, ſiue illius in animo conceptio conſideretur. Temporis enim occaſio in rebus non ſentitur, nec mente apprehenditur ſine pulſatione motus. Hinc in textu (inquit Philoſophus) æqualia ſunt tempus & motus. Æqualia proportione, ſucceſſione, ordine & cognitione. Hoc apertum eſt (vt ait D. Thomas) in motu primi mobilis, & tempore quo menſuratur. In eo enim tempus & motus ſemper paria ſunt. Paria etiam ſunt in aliis motibus, reſpectu terminorum ad quos vtrumque æqualiter tendit. Nam quantus eſt motus tantum eſt tempus, quoad extenſionem qua tempus ſortitur ex parte termini per motum acquiſiti. Hoc dico, non quod non ſit aliquando breuis motus in longo tempore, aut longus in breui ſecũdum qualitatem & virtutem mouentis aut mobilis, ſecundum quod in ordine & proportione ad terminum acquiſitũ perpetuo adæquentur. Tempus enim continuitatem (vt ita dicam) à motu, motus à magnitudine ſumit. Sic *prius* & *poſterius* in tempore à priore & poſteriore in motu, & prius poſteriuſq; in motu, à priore & poſteriore in magnitudine ortum originemque trahunt. In 2. parte huius capitis quid ſit tempus inquirit, idemque eſſe *numerum motus ſecũdum prius & poſterius, cuius partes copulantur ad inſtans*, definit. Cum dicitur *numerus*, diſtinguendum eſt quod *numerus* ſit vel numerans vt *anima*, vel tranſcendens vt *vnum illud numeroſum* quo omnia dicuntur vnum: vel *numerus*, quo numeramus, qui eſt ſpecies diſcretę quantitatis: vel *numerus* numeratus: & ſic tempus *numerus* definitur eſſe. Vt enim numerus res diſtinguit, earumque non ſolũ ordinem, ſed & multitudinem & paucitatem declarat: ita tempus non modo ſucceſſionem *priorũ* & *poſteriorũ* in motu, ſed etiam ordinem, velocitatem, & tarditatem ipſius *ſucceſſionis* euidenter demonſtrat. Quid multis? Eſt numerus, id eſt, numeroſa menſura motus, qui ſemper alis temporis enixus, à

Exiſtentia & cognitio temporis a motu dependet.

Temporis & motus proportio.

Temporis definitio explicata.

Numeri diſtinctio.

forma ad formam, à termino ad terminum tãquam ad scopum in stadio & Olympo naturæ volat. Est numerus.i.(si velis) partes ipsius motus realiter continuæ, numeratæ autẽ, cogitæ & distinctæ per animum, qui numerus numerans appellatur. Metitur enim tempus partes motus reipsa continuas & cohærentes, diuisæ tamẽ & separatæ animo solum concipiuntur. Nomẽ *motus* in hac definitione sumi potest, vel stricte, pro motu primi mobilis, in quo per se & primario tempus inest, cuiusque mẽsura dicitur, vel communiter pro cuiuslibet rei motu. Priori modo tempus definitur numerus solum cœlestis motus per se; at posteriore modo definitur numerus.i.mensura motuum aliorum omnium. Hæc non dissonant ab oraculis veritatis. Nam cum angelus iureiurando in Apoc. D. Io. asserat tempus non futurum amplius, intelligitur (vt ait D. Thomas) post diem iudicii, quando motus corporũ cœlestium cessat. Age igitur, recte tempus primario motus cœlestis mensura definitur esse, quia ab illo motu omnes omnium & singulorum inferiorũ motus actusque dependent: minus tamen primario tempus aliis etiam motibus (vt mensura mẽsuratis) conuenit. Tertia pars definitionis istius est, *secundum prius & posterius*, in qua enucleatius explicanda propono, *prius* & *posterius* in tribus eminere, nimirum *mobili, motu*, & *tempore*; in mobili secundum potentiam, in motu secundum actum in tẽpore secundum ordinem, successionem, numerumque partium, quæ in *mobili* vt in subiecto, in *motu* vt instrumento cieri aut mutari possunt. Partes enim horum, scilicet *mobilis, motus*, & *temporis* in fluxu sunt, vnde entia successiua dicũtur; *mobile*, inquam, quatenus mobile, *motus* vt actus, *tempus* vt numerus, quo progressiones & vestigia naturæ designãtur. Sequitur alia particula in hac definitione, nempe quod *temporis partes copulentur ad instans*. Per *partes temporis* præteritũ & futurum, per *instans* indiuisibile momentum physicum, intensum non protensum aut extensum intelligo. Momentum physicum dico, non mathematicũ, reale non imaginarium; intensum, id est tale vinculum vtriusque partis, vt neque à præterito quod in se desinit protendi, nec in futurum quod à se incipit, extendi secundum partes quantitatis aut successionis dicatur. Sic tamen realiter pen-

Apo. c. 10 v. 6.

Prius & posterius in quibus cernantur.

Instans in definitione temporis quale sit.

ter pendet inter vtrumq;, vt hoc & illud verissime in eo quo ad initium & finem existentiam habeant.

Assignata hac definitione enucleata explicatius, nõnulla subiicit Aristoteles, ex quib. earum dubitationũ quæ superiore capite propositę sunt dissolutio colligatur. Prima dubitatio quã dissoluit, est, *An tempus & motus eodẽ modo existant in fluxu?* Asserit vtraq; esse entia successiua, nõ tamen sic esse eodẽ modo, quia idẽ re tẽpus est vbiq; non tamẽ idẽ motus. Altera dubitatio est, *An sit vnũ vel multiplex instans in omni tempore?* affirmat vnũ esse generatim & mathematice sumptũ, non aũt esse vnũ numero physice acceptũ, quia nunc hoc, nunc illud *mutatũ esse* demetitur. Tertia dubitatio, *An tẽpus in instanti existat?* Cõcludit aliquo modo existere, quia sine momẽto esse non põt. Est.n. momentũ quodammodo forma temporis, at forma actus rei est cuius est forma. Cæterũ in hoc discrimẽ est, ꝙ tẽpus sit mensura motus, instans autem mensura mobilis quoad *mutatũ esse*, ꝙ semper instanti & momento clauditur. Hinc quẽadmodum (inquit Philosophus) motus ratione mobilis vnitatẽ diuisionemq; sortitur: ita tẽpus beneficio instãtis vnũ continuumque est, & illius interuentu sectionem accipit. Quarta dubitatio est, *An sit idẽ numero motus quiete interruptus?* negat esse eundẽ, quoniã quies est priuatio & cessatio motus. Quinta dubitatio est, *An momentum & punctum differãt?* differre ait, si ad viuum vtriusq; vis & natura inuestigetur. Ratio est, quia *punctum* est proprie communis terminus lineæ, *momentum* temporis, & quia *punctum* in linea vnum idemque manet, raptim vero & confestim *momentum* in tempore euanescit.

Sex dubia prioris capitis resoluta.

1 2 3

Instans mensura mobilis est, tempus vero motus.

4 5

Punctum & momentum differunt.

Postrema dubitatio est, *An vllo modo instans dicatur tẽpus?* Proprie (inquit) dici nõ põt, quia est cõmunis terminus eiusdẽ, licet quadam ratione eiusdẽ numerus cẽseri debeat, quatenus illius scilicet interuentu *prius* & *posterius* tempore inesse deprehenditur. Et licet alii numeri circa res alias versentur, vt *denarius* circa *equos* aut *homines*: numerus tamen motus, i. tẽpus illic solum est, vbi illius termini, i. momenta hęrẽt. Et hęc de textu, ex quo, si alia eximãtur dubia, inter opponẽtẽ & respõdentẽ discussa inuenies: hæc vero proposita cuius nũc attigi, qa supra à me vberi⁹ fusiusq; tractata sũt. 6

Summa capitis in vna distinctione.

Explicãtur in hoc capite.

- Distinctio inter tempus & motum quoad
  - Essentiam, quia inter se differunt, vt patet ex argumentis ordine a me discussis in explicatione huius & prioris capitis.
  - Existentiam & scientiam, & sic proprie non distinguuntur, quia tempus non nisi per motum existit & innotescit.
- Definitio temporis
  - Communis, vt sit *mensura omnis motus secundum prius & posterius.*
  - Propria, vt sit *numerus*, id est, numerosa mensura, *motus* cœlestis primario ex vertigine solis deductus: distincte *secundum prius & posterius*, id est partes motus, *cuius partes copulantur ad instans*, id est, præteritũ & futurum vniuntur in momento.
- Multiplex dubitatio: de existentia temporis & motus. An sit vna de momento. An sit idem vel multiplex? de modo existendi in momento: de quiete An motum impediat? de differentia puncti & momenti, de multiplici acceptione, conditione, & proprietate eiusdem.

Argumenta contra primam quæstionem, Vtrum ignorato motu ignoretur & tempus?

Opp.

Tempus est ens absolutum: ergo illius cognitio non sic dependet à motu, vt sine illius cognitione intelligi non possit. Antecedens constat, quia tempus est species quantitatis, quæ est absolutum prædicamentum. Ratio tenet, quia qualis est essentia, talis est scientia rerum (vt in Analyticis docet Aristot.) quippe modus sciendi modum essendi sequitur: si ergo essentia temporis sit per se absoluta, illius quoque scientia per se & absoluta erit. Non ergo ignorato motu ignoratur tẽpus: hoc enim arguit non absolutum esse.

Resp.

Resp. *Absolutum accipitur bifariam, vel simpliciter, & sic solummodo causa & principia prima absoluta dicuntur, quia ab aliis non dependent: vel ex parte & secundum quid (vt aiunt) & sic quantitas & qualitas entia absoluta dicũtur, non quod simpliciter & per se subsistant vt substãtia, sed quod ab illis, vt à causis, alia minus absoluta initium trahant: & hoc modo seu respectu tẽpus quiddam per se & absolutum esse dicitur. Sed vt nullum accidens est aut cognoscitur sine subiecto: ita tempus nec existit nec innotescit sine mobili & motu, quorum partes in successione positas demetitur.* *Absolutum dupliciter dictũ.*

Opp. *Omnis mensura est notior mensurato: sed tempus est mẽsura motus: ergo tempus est notius motu. Quo concesso videtur necessario sequi, per motum non cognosci tempus, sed potius per tempus motum intelligi. Maior syllogismi constat, quia mensurare est notas partes quãtitatis reddere, vt in linea, superficie, loco, aliisq; quantitatibus & dimensionibus patet.*

Resp. *Tempus consideratur duobus modis, vel per se in propria natura, & sic est quiddam obscurius ignotiusq; motu (omnem enim sensum fugit, soloq; animo apprehenditur) vel in cõparatione ad motum hunc vel illum, cuius partes vt mensura certiores reddit, & sic notius est motu. Breuiter sic: si consideretur tempus confuse in genere entis, est ignotius motu, si vero consideretur distincte in specie, quatenus hunc vel illum motum velociorem aut tardiorem mensurando declarat, notius est motu: quia aliter sic esse affectum motum non percipimus.* *Tempus vt motu notius & ignotius.*

Opp. *Prius natura magis notum est nobis (vt docet Philosophus primo Physicorum) sed tẽpus est ordine natura prius motu: ergo tempus est notius nobis. Quod tempus sit prius ordine natura motu sic probo, quia tempus est propria passio primi mobilis, in quo per se proprie & primario inest: at omnis motus rerum non est affectio primi mobilis: est ergo tempus ordine natura prius, & proinde notius: vnde sequitur ignorato motu non ignorari tempus.*

Resp. *Primum ad maiorem dico, prius ordine natura nõ esse notius nobis, nisi confuse: hinc minorem syllogismi nego, & ad probationem respondeo, tempus licet sit propria passio*

primi mobilis, quod est omni corpore natura prius, non tamen esse prius omni motu, quia etiam est motus cæli, à cuius cognitione cognitio temporis, vt est propria passio mobilis dependet. Quod vero addis omnem motum rerum non esse affectionem primi mobilis, fallaciter agis à secundum quid ad simpliciter: argumentum ergo hoc nego, ad aliud perge.

Opp.

Videtur inaniter & otiose hoc loco moueri hæc quæstio duabus de causis, primum quoniam satis superq; intellecta est in 2. Physicorum, vbi docuit Philosophus, ignorato motu ignorari naturam, qua ignorata necesse est tempus (quod est duntaxat affectio eiusdem) penitus ignorari: quoniam longe melius ab ignoratione principii aut subiecti, in quo tempus vt accidens inest, quam ab ignoratione alterius accidentis argumenta deriuasset. Principium temporis est potentia mobilis, subiectum ipsum mobile primum in quo inhæret: at motus est accidens, cuius partes ratione ipsius mobilis dimetitur.

Resp. *Causa quas adfers videntur coarguere Philosophum, sed si non sis iniquus rerum æstimator & censor, inuenies notam erroris in teipsum reflexam. Quippe in 2. libro Physicorum primam affectionem naturalem cum ipsa natura (omnium rerum naturalium causa) sapienter comparat; & quoniam hæc causa abditissima est, à primo illius effectu, nempe motu (qui sensus cuiusquam veluti pulsat) aliquod eiusdem lumẽ & vestigium animo humano imprimit. Altera redargutio quam insinuas de vi & methodo probationis, infirma & elumbis est. Nam neq; potentia mobilis, neq; ipsum mobile sunt tam aperta quam actus vtriusq;, qualis est motus. Vt ergo illic a primo effectu affectuq; natura, nempe motu, ad illius cognitionem certiorem: ita nunc ab eodem effectu sensibus obiecto ad temporis notitiam, quæ est obscura, directe procedit Philosophus.*

Argumenta contra secundam quæstionem, Vtrum dormientes vllum temporis, aut motus sensum habeant?

Opp. *A fabulis nulla est certa demonstratio rerum: sed tota Philosophi in textu probatio (quod scilicet nullus in somno*

mno

mno temporis aut motus habeatur sensus) à fabulis suscepta est, quales sunt de Herculis liberis, & Epimenide, qui multos integros annos corporibus incorruptis & illæsis finguntur dormisse? ergo ista quæstio sine nervis probationis languet.

Resp. *Penitus ignoras an sint fabulæ, vel historia, quas temere condemnas hoc in loco. Quippe vt aues quædam attonita natura per totam hyemem in eodem statu spirantes sine cibo dormiunt, & aduentante sole à somno excitantur: ita homines quidam (si in illis sopore obstupescat natura) proculdubio per longum tempus stertere & dormire possunt, idque nihil alimenti desiderantes, donec violento motu aut sono experrecti veluti a morte ad vitam redeant. Infans philosophe, nega si audeas historiam quam Licosthenes in libro de Prodigiis scribit, testimonio Ferdinandi Imperatoris, & numerosæ insuper multitudinis confirmatam. Illic refert, fuisse puellam in villa quadam Road, prope Spiram Imperialem ciuitatem, quæ capitis dolore quo correpta fuit liberata per multos annos incolumis sine cibo & potu superuixit, imo quietissime dormiuit. Quam caussam reddis (philosophe) nisi hanc? quod attonita natura nihil appetens alimẽti in eodem statu diutissime permansit, vt sæpe nauigantibus contingit, qui per multos dies in mari iactati, omnis cibi fastidio laborantes sine tabe viuunt. Quorsum hoc? vt scilicet non reiicias historias semper quasi fabulosas, quarum rationẽ cerebellum tuum non apprehendas. Et vt maiorem fidem narratio hæc de Epimenide & Herculis filiis habeat, à minore sic arguo. Minus est hominem per multos annos dormire, quam vigilantem & sanam mulierculam multos annos sine omni sustentatione naturæ viuere: sed hoc verissimum est: ergo & illud verum esse potest. Respondeo nunc argumento tuo, probabile esse quod hæc narratio non sit fabulosa: Verumenimuero si sit, sub illius tamen vmbra veritas quæstionis patet: nullum scilicet temporis aut motus sensum in somno apprehendi.*

Opp. *Animus dormientis semper vigilat, & nunquam lethargum timet: sed temporis motusque partes (vt ait Arist. in textu) ab animo solum numerantur: ergo dormiens nõ minus quam vigilans vtriusq; rationẽ apprehẽdit. Imo v. detur magis, quoniã in somno clausis & obseratis externis sensibus*

animus liberius acutiusque suas actiones præstat, inter quas hæc vna non est minima, temporis & motus quasi pulsus & ictus numerare. Hinc enim numerus numerans animus ab Aristotele definitur, quia tempus (quod numerus numeratus in textu dicitur) obseruat, eiusdemq; partes ad motus rerum accommodat.

Resp.

Est aliquid quod vrges, animum nimirum humanum liberiorem esse in somno quam in vigiliis. Hinc enim (vt docent philosophi) nonnunquam veluti solutus vinculis sui carceris, futura sapienter præsagit & diuinat. Quippe animus non distractus sensibus sensuumque obiectis aut affectibus augur est sagacissimus. At hinc infers, quod dormientes, vt ii in quibus animus est liberior, & temporis & motus partes successiuas possint obseruare, cum hoc (vt in textu demõstrat Aristoteles) sit proprium opus animi. Respondeo non esse proprium opus officiumque animi sine sensu, quia motus, cuius vi innotescit tempus, est commune obiectum sensus: si ergo per sensus veluti per fenestras motus eiusdemque partes non intromittantur, fieri non potest vt tempus, cuius notitia à motu dependet, animum omnino pulset. Dico tamen species quasdam esse diuinas & abstractas, in quibus perespiẽdis animus dormientis magis quã vigilantis, excellit, cũ scilicet vel in seipsum versus proprio suo lumine & se & multa sine sensu percipiat: vel ad primam caussam conuersus mirabilia in ea, vt in speculo omnis veritatis cernat. Sed vt concludã, sunt alia species rerum naturalium quas sine phantasmatis & sensuum famulatu nullo modo intelligit: & talia sunt tempus & motus. & *de istis illud dictum est, quod nihil sit in intellectu quod prius non fuerit in sensu.*

Opp. *Vigilãs dormis, & præcipitas verba quæ in hac caussa te manifeste conuincunt. Nam ais animos dormientium nonnunquam esse sagacissimos augures, & diuinare sæpe futura: concludo hinc ergo tempus apprehendere. Nam quomodo possunt futura prauidere, nisi temporis rationem apprehendant, cum futurum sit ipsa pars temporis? Præterea ne hoc reuoces, aut neges, Aristotelem vrgeo, qui in somno diuinationem concedit, quæ diuinatio mentis præsagium & augurium est de rebus futuris, si propriè sumatur.*

Resp.

Vigilans non dormio, neque pro viribus ulla verba otiose pracipito, & (si attente animaduerteris) hāc tuam obiectionem in calce prioris responsionis praeoccupaui. Sed ut explicatius apertiusque agatur, distinguo diuinationem esse duplicem, naturalem vel metaphysicam: naturalis est cū animus in somno vigilans, è formis à sensibus ante acceptis pradicit futura, sed incertius, & sic quamuis sensus non sint referati, non tamen sine sensibus futura prospicit. Metaphysica autem illa diuinatio duplicem radium habet, proprium in animo, qui in seipsum vertitur, & influxum diuinitus, quo animus in somno Deum contemplatur. Non hic nego animum, diuinam partem hominis, sape diuinitus pramonitum esse de futuris, qua tum non ut futura sed ut prasentia percipit.

Diuinatio duplex.

Opp. *Incautius distinguendo teipsum vulneras: doces enim naturalem esse in somno de futuris diuinam cognitionem, qua ex impressis phantasmatis animo obuersantib. nascitur: dic caussam ergo ne hinc non concludam, dormientes aliquem sensum habere motus & temporis, cum utriusq; cognitio a sensibilibus obiectis (qualia sunt in phantasiis dormientium impacta) oriatur. Verum cum hoc modo sint, credo non dicas animum sic instructum de futuris ut de prasentib. diuinare, quoniam in hoc genere diuinationis ministerio sensuum & phantasmatum impressorum vtitur, in aliis autem generibus concedo equidem futura ut prasentia animo apparere, cum vel proprio lumine, vel diuino illustretur.*

Resp.

Est quadā naturalis diuinatio in somno, id est. futurorum ordine natura facta pradictio. Futura ergo (ut ais) dormientes percipiunt. Respondeo, non proprie dormire illos quorum sensus communis & phantasia vigilant, ut somniantib. contingit: neque est hac perfecta temporis aut motus apprehēsio; licet ex consequenti & aliquo modo concedi possit: quia nimirum animus antea impressas species in tabulis phantasia & communis sensus veluti legit, & ex illis aliquid futurum discurrendo collegit.

Opp *Tempus & motus sunt entia rei: ergo eorum cognitio non solum ab animo vigilantis pendet. Sunt enim entia rei*

quæ extra animum essentiam & scientiã habent: essentiam & scientiam dico, quia non solum essentia, sed etiam sciẽtia realis dicitur: quia non in animo vt intẽtio, sed in rebus ipsis vt ordo ponitur. Præterea si hoc ponatur, nullum omnino sensum aut scientiam temporis aut motus esse in dormientibus: hoc absurdum sequi videtur, Astrologos dormientes non esse Astrologos, quia dormiẽtes (vt ais) nullũ vel motus vel temporis scientiam habeant.

Scientia quare realis dicta.

Resp. *Scientia realis non dicitur quia in re vt in subiecto, sed quia in ea vt in obiecto inest. Scientia ergo temporis & motus, quæ sunt entia rei, tempus & motũ obiecta sua, animum vero proprium subiectum habet. Ad incommodum & absurdum magnum, quod opinione tua videris inferre: respondeo: scientiam temporis & motus in Astrologis dormientibus secundum habitum manere, non secundum actum: at hic de actu sciendi tempus & motum præcipue agitur, sic ergo intelligo hoc loco Aristotelem vt in Ethicis, vbi dormientibus fælicitatem nõ concedit secundum realem actionem & pulsum virtutis: dormiunt tamen fælices neque fælicitatis habitum magis deponunt, quam suum lumen Sol cum nebulis obscuratur.*

Argumenta contra tertiam quæstionem, An tempus recte definiatur?

Opp.

Video ex paruo ouo Crocodilum nasciturum, si concepta dubia in mysteriis philosophiæ discutiendis, vltro citroq; argumentis persequar: & certe ratio in promptu est, quia & natura & scientia naturæ est infinita. Sed cælum & terram in vnam sphærulam & tabellam cogam. sic ergo argumẽtorum punctis non lineis ago. Tempus non solum numerus seu mensura motus sed quietis est (statum enim corporis non minus quam motum tempore metimur) nam vt nullum corpus nisi tempore mouetur: ita nullum nisi tempore quiescit, vt in sequentibus libris perspicuum fiet. Præterea cum nulla pars temporis sit, quomodo tempus est? at si non sit, quomodo definitur? Deinceps quid respondes Galeno qui sic arguit? nihil scilicet per seipsum definiri: sed tempus per prius & posterius

(quæ

(quæ nihil aliud sunt quam tempus) definitur; ergo tempus male definitur. Insuper quomodo propriè tempus definitur actus primi mobilis, cum nō solum in eo insit, (vt hic docet) sed etiam in aliis sphæris cælestibus & signis, quæ testimonio Sacræ philosophiæ diem & nocte m diuidunt & distinguūt. Imò (vt ait Philo Iudæus in libro de mundi opificio) facta sunt stellæ ad mensuras temporum: nam solis, lunæ, aliorumque siderum cursus dies, menses, annos & secula conficiunt. Rectè igitur non docet Philosophus tempus esse mensuram motus cælestis, & in primo mobili vt in subiecto insidere. Porro non video cur tempus dicatur numerus, cū non sit discreta quātitas? Nonnihil etiā hoc me mouet, quomodo tempus sit mensura motus, quia motus est prior tempore: & tempus, quod est mensura, est motu ignotius; cum quælibet mensura mēsurato notior esse debeat. Quid addam? vnum hoc, quomodo partes diuisibiles temporis, indiuisibili momento copulentur seu vniantur sine continuatione momenti? Nam finis præteriti est pars præteriti, & initium futuri est pars futuri, sed instans illius finis & huius initium dicitur, & proinde pars vtriusque. Quo concesso vulneratur Aristoteles, qui definit tempus sic ad instans copulari vt diuiduum ad indiuisibile. Ariadnes filum protraherem & nodum Gordianum texerem, si omnia, quæ mihi in mentē contra definitionem temporis veniunt, persequerer argumenta. Exempli caussa, cur potius dicatur mensura motus, quam mobilis, cum vtrumque metiatur? quomodo sit vbique, & tamen mensura motus, qui negatur vbique esse? Quomodo exsistat, cum nullam actu partem fixam & constantem in rerum natura habeat? quomodo sit ens rei, cum sublata anima nulla omnino sit distinctio durationis, ordinis aut successionis in motu & quiete rerum? Hæc inquam omnia omitto aut saltem insinuo tantum, ne verbis molestus fiam.

Lege Mirand. lib. 6. cap. 3. pro Galeno.

Resp.

Rectè Oceanum in riuulos & fluenta distincta cogis: currens satisfaciam singulis. Tempus est numerus motus per se positiue, est vero quietis mensura per accidens priuatiue. Ad secundum argumentum dico tempus esse ens successiuū non positiuum: attamen ad ens successiuum non requiri-

tur vt partes sint actu. Tertio affirmo Galenum falli. Nam
3 *prius & posterius non sunt partes temporis sed motus, si proprie considerentur. Quarto non inficias eo quin tẽpus etiam*
4 *habeat vsum in aliis sphaeris & signis caelestibus, esse tamen volo in primo mobili primario & per se vt ipse docet Philosophus. Quinto dicendum est non ideo dici numerum, quia est*
5 *discreta quantitas, sed quia vt numerus partes motus in successione positas secundum longitudinem & breuitatem distinguit. Sexto existimo tempus esse non posse tempore posterius*
6 *motu sed natura, hoc tamen non concludit ignotius esse motu, imo potius contrarium arguit, quia saepe à posteriore certior cognitio oritur. Ad septimam rationem aio, momen-*
7 *tum non esse partem praeteriti aut futuri sed terminũ. Nam quamuis initium & finis dicatur esse, sic tamen dicitur non quod vere sit pars, sed quia praeteritum in instanti desinit, & ab eodem simul futurum incipit. Ad reliqua bre-*
8 *uiter respondeo metiri quidem tempus tam mobile quã motum: motum autem per se, mobile per accidens. Praeterea cum vbique dicatur tempus esse, motus vero non esse, intelligitur vnum esse aggregatum subiectum temporis communiter sumpti, tale autem non esse motus. Postremo non requiritur ad tempus vt illius partes simul existant, neque requiritur anima quoad essentiam sed quoad notitiam temporis.*

CAPVT XII.

Vtrum { *Tempus sit caussa corruptionis?*
Praeter tempus ponenda sint plures durationes rerum? }

HOc capite propositis & collectis quibusdam temporis adiunctis & attributis: quaenam res proprie tẽpori subiectę & obnoxiae sint, & quae non sint, distincte enucleateq; exponit Philosophus, (vt doctus Mathisius ait.) Vnum addo, nempe comparationem eorum quae videntur species temporis, & sane non sunt, vt postea videre licet. Exponam omnia paucis. vt ergo assignantur in fine alterius capitis quinque proprietates instantis: ita hic traduntur quinque pro-

proprietates temporis. Illæ (vt breuissime repetam) sunt, ꝙ instans sit aliquo modo mensura temporis, quia est maxime notum in tempore: hinc tempus & instans simul esse, quia alterum sine altero esse non potest: insuper tempus esse cõtinuum ratione instantis, quia illius pars vna in illud desinit & altera ab eodem incipit: deinde instans non esse partem temporis, quia est vt pũctum in linea indiuisibilis terminus eiusdem: postremo instans in motu *mutatum esse* proprie & per se demetiri. Sed hæc antea.

Instantis proprietates quinque.

Accedo nunc ad proprietates temporis, quarum prima est, posse in tempore quodammodo assignari minimum, quodammodo non posse: quod probatur, quia *tempus* duplicem respectum habet: vnum numeri, & sic in eo minimum assignari potest, vt *Vnus dies, Vna hora, Vnum instans*: alterum continui, & sic minimum assignari non potest, quia continuum (vt supra demonstratum est) in partes infinitas diuidi & secari potest, Hinc illud axioma emergit philosophorũm in quãtitate discreta nõ posse inueniri *maximum*, in quantitate autem continua non posse reperiri *minimum*, Altera proprietas temporis est, vt ratione continuitatis suæ *lõgum* & *breue*, ratione multitudinis *multum* & *paucum*, ratione motus *Velox* & *tardum*, ratione mobilis, *magnũ* & *paruum*, ratione motoris *æternum* & *coæternum* dicatur. Tertia cõditio est quod sit idem tempus semper & vbique omnium, non tamen eædem partes, sed vt motionis partes aliæ subinde atque aliæ existunt: priora enim à posterioribus differunt, eo quod puncta temporis alia atque alia sequantur. Proprietas quarta est vt tempus non aliter quam motus reciprocetur, millies enim iteratur motus cœli: similiter etiam & tempus.

Temporis proprietates.

1

2

3

4

Hinc vt motus reuolutiones suas in obem, ita tempus reciprocationes suas secundum multiplicem motum habet, vnde anni, dies, menses, ver, autumnus, aliaque tempora, si non eadem numero, saltem eadem specie obseruantur redire, suasque vicissitudines mutationesque vendicare. Postrema conditio est, non solum tempore motum sed motu tempus mensurari, sed diuersimode. Nam tempore mensuratur motus per se & quoad naturam, motu autem mẽsuratur tempus per accidens & quoad nos, quia in cognitionem

temporis deuenimus per motum. Et hoc confirmat Themistius aliarum mensurarum comparatione: nam vt modius tritici modium ligneum, & cadus vini cadum æneum, aut alterius materiæ remetitur: ita inquit motus tempus ipsum mensurat, id est, notam illius proportionem & quantitatem reddit. Similis est ratio numeri qui à rebus numeratis certus in sua specie efficitur. Verbi causa, *decem equi* aut *homines* numerati *denarium numerum* nobis manifestum & perspicuum faciunt.

Secunda pars capitis est, in qua philosophus demonstrat, quænã res proprie tempori subsint & quæ non subsint. Verborum circuitu relicto, dicendum est, aliquid esse in tempore trifariam: vel tum esse quando tempus est, vel esse partem aut affectionem temporis, vel esse à tempore mensuratum. Primus modus est alienus à philosophia: nemo enim docet idcirco cœlum esse in tempore, quia tempus est. Sic enim probari potest cœlum esse in loco, quia locus est. Alter modus propius ad naturam accedit, nempe idcirco aliquid esse in tempore, quia pars temporis est: vt *dies, hora, minutum*, vel *affectio*, quæ cum sit accidens, in tempore, vt in subiecto inest.

In tempore esse aliquid dicitur tribus modis.

Tertius denique modus est proprius, vt illa sola dicantur per se in tempore, quæ proprie mensurantur tempore, sicut illa quæ sunt in loco, continentur loco. Tempore (inquam) mensurantur, vel quoad durationem, vel quoad essentiam: quo pacto & motum dicimus esse in tempore, & res omnes quæ motui subiiciuntur: maxime vero quæ ortui & interitui sunt obnoxiæ expositæque. Ea vero entia quę tametsi moueantur, nullum sui interitum & sepulchrum vident (vt omnia cœlestia corpora) ea inquam nequaquã proprie in tempore esse dicuntur, quippe omnia in tẽpore posita consenescunt, vt hic docet Philosophus. Est enim tempus caussa corruptionis non conseruationis vt locus, in rebus quarum propria mensura dicitur.

Verum vt articulatius hæc res intelligatur, tertiam atteram partem capitis, in qua triplex innuitur rerũ distinctio, vnde tripartita temporis ad res subiectas comparatio habetur. Omnia (inquit Philosophus) immobilia & æterna excluduntur à tempore, omniaque quæ fieri non possunt, id est

est (vt veteres loquuntur) impossibilia, sola illa quæ mouentur per se, & quæ quiescunt per accidens temporis imperio subiecta sunt, constantque in rerum natura, donec falce lethali temporis vulnerata cadant. Sed ad rem. Distinctio rerum quam hoc loco proponit Arist. est, quod rerum alię sint æternæ, aliæ coæuæ, aliæ denique proprie temporaneæ. Æternę, inquit, sunt aut mobiles, vt *cælum* omnesque illius *orbes*, aut immobiles vt *Deus* omnesque *spiritus*, qui vi sua nec sub tempore nec sub loco cadunt. Cœlum (inquit) vt est æternum, proprie tempore non mensuratur, nedum Deus aut spiritus, qui propter dignitatem essentiæ nullam canitiem, nullum senium ætatis vident. Coæua autem ea proprie definiuntur esse, quæ definite initium in tempore habent, durant autem in sempiternum: vt *anima humana* & *intelligentia*, de quibus in Metaphysicorum libris disserit Philosophus. Quid restat? ea solummodo proprie dicuntur esse in tempore, quæ oriuntur & cadunt, florent & deflaccescunt tempore. Est (inquit) tempus caussa corruptionis.

Aeterna quæ sint.

Coæua quæ dicantur.

Quæ proprie in tempore sint.

Age, exposito iam textu hanc quæstionem breuiter resoluam: alia, si qua occurrant dubia in dialogo inter opponentem & respondentem soluentur. Quid? est ne tempus caussa corruptionis? Est inquis. Sed qui hoc probas? quoniam consumit omnia. Nam verum est quod poeta cecinit,

Quæst. 1.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataq; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Ouid. lib. 15. Metam.

Poeticum hoc argumentum est, oratore non philosophante dignum. Sed quoniam ex poetis disseris, ostēde ex illis quænam sit vis temporis, quam in res suo imperio, vel potius tyrannidi subiectas imprimit? audi eundem;

Tabida consumit ferrum lapidemq; vetustas,
Nullaq; res maius tempore robur habet.

Ouid. lib. 4. de Ponto Eleg. 8.

Et iterum (si vis ex poetis oracula philosophię de hac re discere) audi quid addat:

Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri:
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.

Ouid. li. 4. Tristium Eleg. 6.

Nugaris: philosophare. Respondeo igitur tibi, duplicem corruptionem esse, vel ab interna vel ab externa caussa. Illa, nempe à caussa interna multiplex est: vel per mutuum concursum & certamen contrariorum, quæ simul cohabitare non possunt: vel per tyrannidem & impetum vnius qualitatis gradum suum superantis, vt si calor naturalis febrilis fiat: vel per defectionem naturæ, vt in decrepita ætate cum lucerna oleumque vitale extinguitur aut languescit, vel denique per passionem turbulentam animi, qua subito cor vitæ claustrum opprimitur concutiturque. Externa etiam caussa corruptionis non vna est. Extrinsecus enim contingit pernicies rebus aliquando à contraria dispositione continentis, vt cum ignis stipulam consumit: aliquando ex caussa corruptionis applicatione contrarii agentis in rem subiectam, & sic tempus dicitur. Est enim tempus quasi vehiculū mortis, præcipitantius omnia caduca in occasum pertrahens, quippe citius res naturalis non nascitur, quam temporis inuidia vulneratur. Hinc illud Senecæ, *Nascentes morimur.* Præterea, tempus sæpe rem impedit & retardat à termino essentiæ & quietis suæ; est ergo caussa corruptionis. Insuper si tragœdiam vniuersi contempleris, nullum actum aut scenam videas sine ruinis spoliisque temporum. Antiquissima enim Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum imperia, tempus inuidiosum sustulit & deleuit. Scylla ergo & Charybde voracius est: nā omnia sub cœlo in abyssum obliuionis interitusq; rapit. Si aliā rationem & caussam huius rei quæras, hæc est, quia tempus est mēsura motus, cuius veloci cursu res naturales quotidie veluti defatigatæ nutant, declinant, contabescunt. Postremo, cum nulla pars temporis maneat, insidiosissime vt hostis occultus lædit. nam præteritum secum aliquam partem rei consumit, futurum corruptionem cuilibet minitatur: imo si lentiore aliquādo pede videatur progredi, nihil in eo tandem nisi instās seu momentum manet. Manu enim sua tempus vitreum horologium plenum arenæ tenet, & vt arena sensim & pedetentim ab vna parte in aliam decurrens tota demum consumitur: ita oleum vitæ (vt ita dicam) id est essentia in re qualibet naturali à primo ortu quotidie languet & declinat, imo tādem (quasi non fuisset) tempore deletur. Sapienter ergo ille: Ni-

Corruptionis duplex caussa.

Tempus quomodo corruptionis caussa.

Senec. Epi. 24.

Tempora edacitas.

le: Nihil est diuturnum quod exitum tādem est habiturum: currit tempus irreuocabile, Pegaso alato celerius volat, frænosque aut habenas nullas omnino patitur.

Altera quæstio est, *An sint alia præter tempus rerum durationes?* Otiose quidem non mouetur hoc dubium, quoniam in textu Aristot. negat *cælum, Deum*, aliaque permulta tempore mensurari, durare tamen non negat: cū ergo mensura semper proportione respondere debeat rebus quæ sub mensuram cadunt: fit inde vt pro diuersitate modi quo res à suo esse deficere aut nō deficere possunt, diuersæ rerum durationes constituantur. Huc igitur rerum necessario illa distinctio spectat, nempe quod earū aliquæ sint in successione & fluxu positæ, vt omnes motus quorum propria mēsura est tempus: aliquæ ab his omnino diuersæ, vt *Deus, Anima, intelligentia, Spiritus*, omnesque *substantiæ* ortui interituiq; non obnoxiæ: sed horum quæ in postremo tractantur loco magna differentia est. Nam Deus solum proprie ęternus dicitur, alia vero per accidens. Hinc æternitas definitur à Boetio *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*, vel secundum alios *duratio inuariabilis rei carentis principio & fine*: at nihil est infinite perfectum, nihil simpliciter natura sua incommutabile & immensum, nisi solus Deus: est ergo Deus solum per se æternus, oppositusque motui, qui suā essentiam semper in fluxu & quasi vndis natantē & nutantem habet. Sed inter hæc duo (scilicet caducum motum qui tempore, & Deum qui æternitate mensuratur) alia media sunt, quæ possunt in essentiæ suæ veluti radice viuere & ad tēpus permanere: cadunt tamen quia dentata vipera naturæ in eis latet, nempe *priuatio*, quæ motus potēti manu, & veloci tēporis cursu omnia in cymbā Charōtis, id est, si velis, in puluerem & materiam primam vertit. Talia sunt elementa & mixta in eis, quæ mille mutationibus in horas exposita, in hoc mundo quasi in Campo Martio perpetuum bellum gerunt: ita tamen gerunt, vt sit perpetua vicissitudo rerum omnium, cum non citius phœnix in cinerem vertatur, quin alia auis naturæ vtero concepta nascatur, alaturque ad breue tempus: sed tamen fato & naturæ cedit. Sic stadium & Olympus huius mundi sanguine rerum mortalium fluit, nunquam est constans sibi, pax nulla est, quia temporis mo-

Quæst. 2.

Durationis species æternitas & æuiternitas.

Solus Deus proprie æternus.

Aeternitas quid. Boet. de consol. lib. 5.

tusque tyrannidi subiiciuntur omnia. Sed ludo, sunt etiam præter hæc duo extrema media quædam, quæ a sua essentia per solam diuinam & æternam potentiam possunt deficere: animaduerte quid dixerim: nam in hoc quod dicam per *solam diuinam potentiam* posse deficere, cõcludo commutabilem naturã in se habere, ita tamẽ commutabilẽ, vt nulla vi naturæ sed sola potẽtia primæ causæ cõmutetur. Animam hoc loco humanam, Angelum, Dæmonem, Intelligẽtiam, omnemque spiritum Deo subiectum intelligo, qui omnes non æternitate vt *Deus*, non tempore vt *res caducæ & mortales*, sed æuiternitate commensurantur. Alia ergo species durationis est Æuiternitas, quæ est *mensura rerum habentium initium, sed carentium fine.* Per *habere initium* excluduntur ab æterna & diuina essentia Dei, per *carere fine* in numerum rerum mortalium (quæ initium & finem habent) non cadunt. Sunt ergo media inter vtrumque, non participationis (vt aiunt) sed ordinis, rationis, & proportionis.

Aeterna possunt diuina potentia deficere.

Aniternitas quid.

Quæ tempori non subneũtur præter Deum, Angelos, & Animam humanam.

Huc nonnulla alia referuntur entia temporis imperio nõ subiecta, qualia sunt metaphysicæ ideæ, artium principia, axiomata, vniuersalia, aliaque fere infinita, quæ aliquo modo a philosophis æterna, aliquo modo coæua dicũtur. Nam (vt penitus hanc rem discutiam) res sunt vel metaphysicæ, physicæ, vel mediæ. Metaphysicæ sunt vel simpliciter in essentia, vt Deus omniaque in eo attributa, verbi caussa, *scientia, præscientia, sapientia*, quæ non sunt in eo vt accidentia in homine, sed sunt *ipse Deus*: & hæc æternitate mensurantur: vel relatiue & comparate secundum influentiam à prima caussa, quales sunt omnes intuitiuæ & infusæ virtutes, vt *fides, spes, charitas, gratia, scientia, dilectio Dei in homine*, quæ quoad actum æuo, quoad caussam æternitate mensurantur. De rebus mediis & caducis ante satis diximus: animaduertendum tamen est, esse quosdam magni nominis, qui res caducas interitui obiectas, considerant duobus modis, vel quoad existentiam, vt sunt in motu: & sic earũ mensuram tempus esse aiunt, vel quoad essentiam quæ in se constans, fixa, & permanens est non successiua, & sic nec tempus nec æuum, nec æternitatem earum mensuram faciunt, sed aliam nescio quã ab hisce omnibus seiunctã & separatam.

Verum-

Verumenimuero quoniam tinea & vermis putredinis in essentia cuiusque rei mortalis delitescit, quæ naturam cuiuslibet singularis & indiuidui terit & cõsumit: audeo affirmare res omnes mortales solo tempore, tanquam propria sua mensura definiri. Similiter de omnibus qualitatibus & affectionibus motu acquisitis dico. Nam quamuis in motu sint dum acquirantur, vnde *alteratio*: & quiescant acquisitę, vnde motus priuatio nascitur: in ipsa tamen quiete est tempus earũ mẽsura. Est.n. tẽpus mensura motus per se, & quietis per accidens, sicut ante docebat Aristoteles. Non me pręterit, Scotum, Ochamum, & alios aliter durationum mensuras distribuere, ita tamen vt (si probe insistas illorum vestigiis) ad istos fontes & capita reducas omnia. Supersedebo igitur in hac quæstione diutius laborare, & quæ supersunt opponenti & respondenti limatius persequẽda relinquam.

Distinctio quæstionum duodecimi capitis.

In tribus consistit huius capitis expositio

- In enumerandis proprietatib. temporis, quarum
  - 1 Prima est, *vt in tempore ratione numeri sit quiddam minimum, ratione continui sit quiddam maximum.*
  - 2 Secunda est, *vt ratione numeri sit multum & paucum*, exempli gratia *multi aut pauci dies, menses, anni: ratione motus, velox & tardum: ratione magnitudinis, magnum aut paruum*, vt mobile in suo motu spacium magnum aut paruum conficit.
  - 3 Tertia *vt sit idem omnium simul*: quia non est aliud hic, aliud apud Antipodes tempus: hoc tamen dicitur, nõ quod partes aliæ aliæque non sint: priora enim à posteriorib. puncta à punctis, pro varietate motus, quẽ tempus metitur, differunt.
  - 4 Quarta, *vt tempus & motus partium reciprocationem & reuolutionẽ habeant*, i. vt eorum partes eædem specie redeãt. Hinc dies, mensis, aliæque partes temporis reciprocantur.
  - 5 Quinta, *vt tempus motu per accidens mensuretur, motus autem tempore per se.* Multus est Philosophus in hac proprietate explicanda, quomodo mensura à mensurato reciproce mensuretur, vt exemplis in textu & discursu patet.
- In demõstrandis. Vid. in sequent. pagin. lit. A & B

A
In demõstrãdis modis quibus aliquid in tempore & esse dicatur. Hi vero modi tres sũt

1 Primus quo aliquid dicitur esse in tempore, *quia tum existit cum tempus est*: sed hic modus est ab hoc instituto (vt ait Philosophus) alienus, quia sic probari potest *cælum* esse in *grano milii*, quia tũ est cum granum est. Cæterum si impensius philosophorum sententiam quam hoc loco vrget Arist. consideres, alium sensum & vsum huius modi inuenies. Illi enim æternitatem sub tempore posuerunt: ita vt quædam dicãtur in tempore dum tempus est in perpetuo instanti suo, in quo proprie æterna (quæ nullam fluentis temporis mutationem sentiunt) inesse dicuntur.

2 Secundus, quo id dicitur in tempore esse q̃ est vel *pars temporis*, vel *quadam eiusdem affectio*, sic *diem*, *mensem*, *horam* & *annum* dicimus esse in tempore.

3 Tertius, quo proprie dicuntur illa esse in tempore, quæ *ab eodem mensurantur secundum eorum durationem*, maxime (inquam) illa quæ ortui interituiq; sunt obnoxia. Nam æterna secundum essentiam temporis imperio non subiiciuntur, vt *Deus* & illius habitatio *cælum*.

B
In distinguendis rebus vt sciamus esse alias durationes à tempore, quibus res illæ q̃ tempori nõ sunt obnoxiæ mensurantur. Harum distinctio est, vt aliæ

1 Dicantur æternæ, eædemque vel mobiles vt *cælũ* sphæræque cœlestes, vel immobiles vt *Deus*, *animus*, *intelligentia*, quæ proprie sub tempus non cadunt, sed æternitate & æuo mensurantur,

2 Appellentur à Græcis ἀδύνατα, id est, impossibilia, quale est si *Diametron*, id est, dimetientem lineam costæ & *lateri quadrati* comparabilem & *commensurabilem* esse dicas, q̃ numquam fit, cum semper lateri quadrati diameter sit incomparabilis. Et hæc (vt docet Philosophus) tempori non sunt subiecta, quia motu vacant.

3 Vocentur mediæ inter has quæ non sunt, & illas quæ sunt: intelligit Philosophus res naturales, quæ in ortu esse, & in corruptione sua non esse dicuntur: & hæ proprie (vt docet Philosophus) tempore mensurantur. Ad hoc ergo vt aliquid sit vere in tempore duo requirũtur, primo vt tempus sit diuturnius eodem, cuius motum mensurat: alterum vt id quod mensurat aliquid à tempore patiatur, id est, vt contabescat & consenescat. Hinc illam quæstionem discussimus, *An tempus sit caussa corruptionis?*

Argu-

Argumenta contra quaſdam poſitiones Philoſophi in hoc capite,& in fine præcedentis.

Opp. *Segnius videris pertractare quæſtiones hoc loco. Nã multa omittis, multa præpoſtere agis: verum ne ſic euadas impune, onerabo te argumẽtis cõtra ea quæ & in hoc capite & in fine alterius mihi aut leuiter tranſiſſe, aut negligenter omiſiſſe videris. Et primum quæro, quomodo* nunc *ſeu Inſtans dicatur menſurare tempus, vt prima illius proprietas & cõditio poſtulat?* *An Inſtans dicatur menſurare tempus.* *Videtur certe fieri non poſſe, tum quia omnis menſura proportione reſpondet mẽſurato,* 1 *tum quia id quod reliquum eſt præter Inſtans in tempore non omnino eſt, & proinde menſurari non poteſt,* 2 3 4 *tum etiam quia* nunc *communis eſt terminus, non menſura temporis (vt hic docet Philoſophus) tum denique quoniam* nunc mutata eſſe *in motu, nõ tempus menſurat. Sint hæc obiecta contra primam proprietatem.* *An Inſtans ſit ſimul cum tempore.* *Similiter contra ſecundam ſic arguo, nẽpe quod* nunc *non ſit ſimul cum tempore. Nam ſi ſit ſimul, aut erit ſimul in ſeipſo, quod eſt abſurdum, vel in tempore quod fieri nõ poteſt, cum Inſtans nullam durationem habeat, ſucceſſionem nullam.* *An tempus ſit continuum ratione Inſtantis.* *Sed curro: contra tertiam conditionem ergo ſic diſputo, tempus non eſt continuum ratione Inſtantis: ergo illa proprietas male aſſignatur: antecedẽs probo, quia nihil fieri poteſt continuũ à non continuo: ſed inſtans eſt non continuum: ergo tempus ab eo continuum fieri non poteſt.* *An inſtans ſit pars temporis.* *Pergã ad quartam proprietatem, cõtra quam ſic ratiocinor. Inſtans eſt pars: ergo male in hac proprietate negatur pars eſſe. Probo antecedens, quia antea Ariſt. docuit Inſtans eſſe formam temporis: ſed forma eſt pars rei cuius eſt forma: ergo Inſtans eſt pars tẽporis. Imo hoc addo, quod ſæpiſſime dicat Philoſophus nos nihil habere temporis niſi Inſtans.* *Ans Inſtans menſuret mutata eſſe in motu.* *Poſtremo, vltimam proprietatem Inſtantis ſic ratione conuello, proboque* mutatum eſſe *in motu Inſtans non menſurare, quippe Inſtans eſt ſolum copula & menſura temporis, & proinde nihil commercii habet cum motu. Præterea* mutatum eſſe *tempore terminatur: ergo non menſuratur Inſtanti:* mutatum *enim* eſſe *requirit motum: motus autem omnis requirit tempus: ergo* mutatum eſſe *requirit tempus & ex conſequenti tempus illius menſu-*

ra est & non Instans. Quid istis omnibus respondeas nunc
exspecto.

Resp.

Segnius pertracto nihil, sed veritus ne epitome quam scri-
bo in volumen crescat multa praetereo. Praetereo (inquam) in-
uitus, quia necessitate coactus, recusante Typographo, defici-
ente Patrono, non possum omnia quae velim excudere. Sed ad
rem. Onerabis me argumentis (vt ais.) Faxit Deus pro viri-
bus meipsum exonerabo. Ad primũ ergo iam dico, nunc seu
1 instans non sic mensurare tempus, vt singulis illius partibus
proportione respondeat, sed vt totum tempus notum & mani
festum reddat, partesq; illius distinguat ordine, non quanti-
tate, vnione partium, non successione. Est enim in instanti
nulla quantitas, nulla successio, est vero ordo vnioque parti-
um. Rationes tuae quas conglomeras ad propriam nõ ad com-
munem & analogicam mensuram spectant. Ad argumen-
2 tum contra secundam proprietatem instantis contextum re-
spondeo, non ideo simul cum tempore dici instans, quia est in
alio instanti aut in alio tempore extensum, sed quia nec tem
pus sine illo, nec illud sine tempore esse omnino potest. Simul
ergo relatione sunt, quia vno posito alterum ponitur, & vno
3 sublato alterum funditus extinguitur. Sed curris, & aduer-
sus tertiam proprietatem acute arguis, nempe tempus conti-
nuum fieri non posse a non continuo, & proinde non dici con-
tinuum ratione momenti. Falsa est haec suppositio tua, quare
fallax conclusio: nam in maiori continuum & non continu-
um sumis pro contradicentibus, & sic est verum, quod a non
continuo non fiat continuum: at sic Instans non est sumen-
dum. Nam quamuis sit non continuum, non est tamen ens
contradictorium, sed communis terminus quo partes conti-
nui copulantur. Pergis & existimas te confixisse Aristotelem
4 cum ex illo probes Nunc esse formam temporis, indeque con-
cludas esse partẽ, quod in 4. proprietate negatur: dico partem
non esse simpliciter temporis quoad successionem, sed quoad
vnionem, quia in eo aliae partes vniuntur & existunt, vt su-
perius diximus. Postremo, vbi in quinta proprietate instantis
ad motum esse requiris motum, & proinde tempus, negamus
5 vtrumque. Nam licet mutanda sint in motu & tempore pro-
gressiue (vt aiunt) mutata tamẽ esse sunt in quiete, & Instãti
perfectiue

perfectiue. Tum enim res proprie mutari dicuntur cum cessat motus cessansq; momento clauditur & terminatur. Sic (vt expectas) satisfeci argumentis tuis.

Argumenta contra proprietates temporis?

Opp.

Vt de proprietatibus Instantis *ita de proprietatibus temporis desidero sententiam tuam: in arcem ergo quam defendis sic tela coniicio mea. Primum peto quomodo in tempore inueniatur minimum, cum ipse Arist. ante docuerit, in continuis non posse inueniri minimum. Est enim continuum in partes infinitas diuisibile. Ex secunda proprietate emergit hoc dubium, cur negat Philosophus tempus esse velox & tardum, cum nihil sit velocius tempore? & cur affirmat esse multum & paucum per se, cum multum & paucum sint affectiones multitudinis non durationis. Ista peruersa Arist. adiunctorum impositio, doctissimos viros mouet, vt non solum animo cogitent, sed aperte dicant absurde & improprie tempus* multum & paucum *nominari. Festino. Dic mihi, an defendas in tertia proprietate Aristotelem, qui idem tempus numero simul in omnibus esse affirmat, nō autem eundem motum? Si hoc sit verum, quomodo mensura & mensuratum, id est, tempus & motus proportione aequiualent? Iterū, quomodo idem tempus in caelo quod est aeternum, & in grano milii quod est caducum inest, cum in aeterno totum tempus sit praesens, futurum praeteritumque nihil: in caduco autem totum sit successiuum? at praesens & successiuum* Nunc *sunt vnum idemque numero: non est ergo idem tempus numero in omnibus & vbique. Nouum & inusitatum est illud quod Philosophus in quarta proprietate tuetur & tenet: nimirum tempus & motum redire & reciprocari posse, quasi diceret aduersus decretum in Senatu & Synodo philosophorum conclusum? tempus non esse irreuocabile. At dices idem specie redire, vt in autumno, hyeme, vere, & aestate constat. Quid? an tempus vt est species in fluxu ponitur? Negant hoc certe philosophi, quia vniuersale non mouetur. Falsum denique est quod in vltima conditione adfers, scilicet tempus à motu mensurari: planeque ridiculum est, quod*

An sit minimū in tempore.

An tempus sit velox & tardum.

Vide Beuerum.

An tempus in omnib. sit idē.

An idem tēpus redeat.

An tempus mensuretur à motu.

in exemplis docet Philosophus, cadum vino, modum grano, vlnam panno, numerum numeratis rebus mensurari: quasi diceret contra seipsum, mensura non est mensura, sed res quæ mensuratur.

Resp.

1 *In arcem defensionis contorques tela, sed illam nō concutis. Ad primam tamen quæstionem dico,* minimum *vnionis non diuisionis in tempore reperiri. Nam quamuis Philosophus dicat in continuis non esse* minimum, *intelligendum est solum quoad partes diuisas & vnitas in termino. Præterea, hic etiam intelligit communiter* minimum *in quolibet tempore, vt* minimum *in hora: sic minutum, &c. Quoad secundam*

2 *proprietatem, contra quam obiicis multum & paucum absurde & inepte appellari tempus, cum hæ sint affectiones numeri: dico tempus aliquo modo esse in diuisione partium numerum, motusque partes diuisas vnitatibus quodammodo dimetiri: vt si centum sint motus partes, centum partibus temporis mensurantur: & hoc pacto non inepte multum &*

3 *paucum dicitur. Huc addo etiam illud non esse absurdum, quod tempus neque velox neque tardum dicatur nisi ratione motus, vnde alas extensas & contractas habet. Miraris quomodo sit idem tempus numero omnium & vbique, cū sit in cœlo & grano milii, quæ duo vt ens constans & inconstans, æternum & caducum, præsens & successiuum differunt. Desines mirari, si idem tempus numero quoad vnionem, non quoad prioris & posterioris diuisionem intelligas. Nam in textu ait Philosophus, tempus non esse idem numero in omnibus secundum prius & posterius, sed vt hæ partes in instāti*

4 *vniuntur. Argumentum contra quartam proprietatem à te allatum pondere suo caret. Nam cum dicamus idem tempus & motum redire, intelligimus idem specie non numero, idem (inquam) specie, non vt tu somnias dialectice acceptum, sed physice definitum, prout multis rerum motibus accom-*

5 *modatur. Postrema ratio antea in discursu resoluitur, cum demonstrauerim tempus à motu per accidens solum mensurari, id est (si placet) notum & manifestum fieri.*

Argu-

Argumenta contra tres modos existendi in tempore.

Opp. *Modus ille primus existendi in tempore videtur otiose à Philosopho inuentus, nempe vt aliquid idcirco dicatur esse in tempore, quoniam tum est cum tempus existit. Nã sic tempus erit in seipso, quia tum est cum existit, & Deus erit in tempore, quia Deus est dum tempus est. De secundo modo etiam existendi in tempore scrupulus est, quomodo pars temporis in tẽpore esse potest? Partes enim temporis sunt* prçteritum & futurum, *at quomodo præteritum & futurum (quæ non sunt omnino) sint in tempore, profecto non video. Vltimus modus existendi in tempore est, vt ea proprie dicantur esse in tempore quæ tempore mensurantur, sicut ea dicuntur esse in loco, quæ continentur in loco. Sed quænam est hæc comparatio? cum tempus semper fluens nihil in se contineat, vt hic videtur velle Aristoteles: vult enim ea solum esse per se in tempore, quæ ortui interituq; sunt obnoxia: at certe ea non sunt: ergo per se nulla sunt. Assumptio probatur, quia si sint, tum quidem sunt vel quoad essentiam suam qua constat, vel quoad motum qui teste philosopho est in momento temporis, non in tempore. Rerum enim caducarum ortus interitusque ideo proprie negantur esse motus, quoniam in instanti fiunt. Postremo huc addi potest & illud, quod hic vel superius Aristot. videatur claudicasse: quippe cum omnes modos ante inessendi (vt aiunt) tradiderit, nullam omninò mentionem de istis modis existendi in tempore fecit.* — 1, 2, 3, 4

Resp.

Non excluditur ille primus modus otiose à philosopho (vt ais) sed propria adhibita significatione existendi in tempore, vt alienior ab instituto secluditur. Cæterum si tempus generatim pro omni duratione accipias, vt olim antiqui philosophi sumpserunt, hic modus non est inutilis. Nam sic omnia æterna & caduca dicantur esse in tempore, quia tum sunt cum tempus existit, quod generatim pro omni duratione acceptum, omnia sub aliis suis comprehendit. Cum inferas ergo tempus & Deum esse in tempore fallaciter infers, quia idem semper à seipso, & primum omnium principium à finito suorum operum amplexu excipitur. Scrupulus in secundo modo refellendo antea resoluitur, vbi ostenditur partes temporis in

Partes temporis quomodo in tempore.

tempore esse, ratione vnionis in momento, & etiam ratione successionis in motu, & deniq; ratione ordinis in mobili, vniuntur enim in instanti, succedunt in motu, diuiduntur in mobili: neq; requiritur in tempore (vt docuimus.) constantia partium? talis enim existentia in ento positiuo non successiuo requiritur. Quod vrges in tertio modo proprie esse in tempore caduca, quæ tamen probas sic esse, quia neque secundum substantiam suam, quæ est constans, neq; secundum motum, ortum scilicet & interitum, quem ex Aristot. in momento non in tempore fieri affirmas. Respondeo vt supra, & secundum substantiam, quæ in fluxu posita à primo ortu semper declinat, & secundum motum progressiue non perfectiue (vt aiūt) acceptum, res naturales existere, id est, mensurari secundum prius & posterius tempore. Nihil est quod in postremo loco obiicis: nam quamuis modi existendi in tempore non enumerentur inter modos inessendi, reduci tamen non possunt ad modum illum existendi in loco, quod est satis.

Argumenta in primum problema capitis, Vtrum tempus sit causa corruptionis?

1 Opp. *Res non minus generantur in tempore quam corrumpuntur: ergo non est magis causa corruptionis quam conseruationis.*
2 *Præterea sola causa corruptionis est, vt (ait Philosophus) priuatio: sed tempus non est priuatio, ergo tempus non est causa corruptionis.*
3 *Deinceps non est in tempore oppositio contrarii, validiorque illius actio qua vnum alterum superet: ergo non est causa corruptionis.*
4 *Insuper tempus est sola mensura externa res quæ durationes rerum spectat, non est ergo causa corruptionis.*
5 *Porro tempus non est materia, forma, efficiens aut finis corruptionis: ergo non est causa. Materia aut forma non est, quia non est substantia: efficiens non est, quia nihil mouet: non est finis, quia nihil absoluit aut perficit:*
6 *Postremo rationes quibus ad hanc rem probandam in proximo capite vtitur Philosophus, nullæ sunt. Tempus (inquit) est magis causa corruptionis, quam generationis, quia est magis causa obliuionis quam scientiæ, & quia omnis mutatio fit in tempore, & quia in multis præter tempus aliam causam corruptionis non cernimus. Sed quis infirmitatem istarum rationum non videt?*

Resp.

Resp.

Omnibus istis argumentis vnum accommodetur responsum, quod instar Delphici gladii omni vsui recte inseruiat. Non dicit Philosophus tempus esse causam corruptionis intrinsecus & per se, qualis est priuatio per oppositionem & litem contrariorum, quæ se mutuo ab eodem subiecto expellunt. Neque sic esse causam extrinsecus docet, vt inuidam aut infestam qualitatem in rem quam metitur imprimat: qualis causa is est qui venenum alteri propinat aut alterius domum incendit: sed sic causam corruptionis vult esse, vt motum contrarii agentis & superantis rem aliam in se contineat. Nam aliquid dicitur in aliud agere vel per se vt ignis in aquam, vel quia id est quo continuatur impetus contrarij agentis in rem corrumpendam, & hoc quidem modo tempus recte in hæc inferiora agere dicatur causaq; appelletur corruptionis: causa (inquam) corruptionis, quia est causa adiuuans & continuans motum contrarii, quo res corrumpenda victa & oppressa languet & tandem maiore impetu facto penitus euanescit. Tempus quomodo corruptionis causa.

Opp. *Vt periti sagittarii non semper telis suis attingunt scopum: ita sane licet argumentis istis accommodes responsa, centrum tamen intactum relinquis. Quippe adhuc non ostendis cur tempus sit potius causa corruptionis: quam generationis. Per motum inquis est causa corruptionis: & sic per motum est causa generationis: ergo non minus huius quam illius causa esse videtur. Velim hic libenter etiam & illud à te petere, quomodo sit causa per se interitus (vt Arist. in proximo capite videtur dicere) cum nihil sit causa per se interitus nisi ipsa priuatio, quæ principium transmutationis dicitur?*

Resp. *Verbo respondeo tibi tempus ideo magis dici causam corruptionis quam generationis. quia facilius est res destruere quam construere, vt aiunt. Insuper vt (quidam exponunt) idcirco magis causa corruptionis dicitur, quia infligit ipsi naturæ in omni corruptiõe vulnus, quod magis quam generatio, salus aut conseruatio sentitur & obseruatur. Præterea per se causa interitus appellatur, quia per se motũ, qui est proxima causa eiusdem, dimetitur. Postremo (vt summatim omnia dicam) per se & magis proprie causa corruptionis* Tempus cur causa magis corruptionis quam generationis.

quam generationis dicitur, quia à primo momento generationis incipit rerum mortalium declinatio, & eo vsq; durat semper declinans nutansq;, donec in sepulchrum & domum corruptionis veniat. Tempus in hac declinatione est quasi currus, motus quasi auriga mortis.

Argumenta contra secundam quæstionem quæ est Vtrum præter tempus sint aliæ ponendæ rerum durationes?

Opp. *Paradoxo illo admisso quod Arist. pertinaciter defendit, nimirum mundum esse sempiternum, motumq; cæli tempore mensurari, frustra videtur præter tempus alias durationes rerum affingere. Quippe si tempus sit æterna mensura motus cælestis vt ait, & in eo propriè tanquam in subiecto insit, rationem certè non video, cur æternitatem & æuum alias mensuras rerum insinuaret.*

Resp. *Si generatim tempus pro omni duratione sumatur, vt olim philosophi sumpserunt, non opus est plures durationes assignare. Veruntamen quoniam hoc est nimis confusum ad distinctionem motuum rerumq; quæ sub motionem cadunt, aliæ eædemq; non impropriæ inueniri debent: quibus æterna à caducis, & quibus tam hæc quam illa ab auiternis discriminentur. Ad rationem ergo dico, Aristotelem quidem sumere tempus pro perpetua mensura cæli non æterna, id est, pro mensura, quæ semper successiue & mutabiliter, non constanter, fixe & definite manet. Quotquot enim sunt conuersiones cæli, tot etiam durationes successiuæ, quæ istis inferioribus applicatæ omnem vicissitudinem & (vt ita loquar) fluxum & refluxum faciunt.*

Tempus quomodo ab Arist. acceptum.

1 Opp. replic. *Aristoteles in textu negat cælum mensurari a tempore, quia est æternum: ergo motus cæli æternitate*
2 *potius quam tempore mensuratur. Præterea velim exponas quid inter perpetuum & æternum ponatur discriminis, cum apud Grammaticos sint Synonyma & eiusdem prorsus si-*
3 *gnificationis verba. Postremo ostende quomodo cælum quod est subiectum temporis existat vere æternum: & illius passio, nempe tempus, subiiciatur mutationi? Imo quomodo idem numero sit tempus omnium respectu cæli, & tamen hoc loco defen-*

defendis tot esse durationes quot sunt motiones & conuersiones cæli.

Resp. *Recte vrges. respondeo igitur considerari cælum duobus modis, vel quoad internã essentiam seu formam, qua gradu, perfectione, dignitate, & actionis sua (vt ita dicam) viuacitate omnes alias formas superat: & sic licet sit secundum materiam & compositionem suam commutabile, aeternum tamen dicitur: Æternum, inquam, dicitur quia vinci non potest: vel quoad mobilitatem id est potentiam mouendi & motum id est mouendi actum: & sic sub tempus vt mensuram cadit, nam hoc modo consideratum sæpe mutari dicitur. Interrogationi tua respondeo: etsi communiter apud Grammaticos* perpetuum & æternum *significatione coincidant: esse tamen apud Philosophos magnum discrimen, quia* æternum nunc *præsens semper est sine præterito & futuro, perpetuum autem præteriti & futuri infinita & perennis successio est:* æternum *solã respicit essentiam*, perpetuum *existentiam & motum: sic proprie generatio perpetua dicitur non æterna. At quaeris in postremo loco, quomodo tempus non sit cum sit propria affectio cæli. Primum respondeo, non necessario requiri vt accidẽs eodem afficiatur modo quo subiectum: nam sic omnes passiones animi non minus durarent quam ipse animus, quod est manifeste falsum: tum etiam dico tempus esse subiectiue in cælo, non vt consideratur in essentia sua, qua est constans & incommutabilis, sed quoad existentiam suam in motu, qui in singulos annos, mẽses, dies, horas & momenta commutatur. Sed dices, quo modo tum idem numero est tempus omnium respectu cæli? dico omnium vnum idemque tempus numero dici respectu cæli analogice, quia omnes motus à cæli motu pendent: & quoniam mensura non mutetur: nisi subiectum in quo est mutatur, at cælum cum sit vnum & simplex non mutatur. Verũ attende, quod Aristoteles non dixerit tempus omnino non mutari numero, imo contrarium postea declarat, nempe multiplicari tempus ad multiplicationem motuum quos dimetitur: sed hoc intelligit quod sit idem numero tempus in omni instanti, quo partes temporis vniantur: cæterum si secundum prius & posterius consideretur, extensiue (vt aiunt) diuersa sunt tempora. Quid multis? vnum idemque numero omnium tempus est,*

Cælum duobus modis consideratum.

Perpetuum & æternum discriminantur.

videlicet præsens quo mensurantur omnes motus simul existentes vbicunq; sunt.

Opp.

Substantia rerum corruptibilium non sunt successiua, ergo non mensurantur tempore, vt ait Aristoteles in textu. Antecedens probatur, quia substantiæ fixa, certa, immobiles & constantes sunt, nec magis & minus possunt suscipere.

Resp.

Substantia rerum corruptibilium (vt antea demonstraui) à prima conceptione ortuque suo declinare incipiunt, nec non tempore veloci & irreuocabili ad interitum & resolutionem tendunt. Infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, senectus vehicula sunt hominis ad sepulchrum: sunt ergo ipsa substantia rerum mortalium successioni & mutationi aliquando subiecta, non quod magis aut minus suscipiant subsistentiæ natura, sed quod in existentia & motu, semper vnum quasi pedem in cymba Charontis habeant.

Opp.

Res quædam sunt (vt in textu ait Philosophus) quæ non possunt non in suo esse *subsistere vt Deus: quædam quæ omnino esse non possunt, vt Chymera* aut quadratura mundi, *quædam inter hæc duo extrema, vt homo & cœlum. Res (inquit) primi ordinis æternitate, secundi ordinis duratione nulla, cum sint impossibilia, res denique tertii ordinis tempore proprie mensurantur, vt ait. Sed quæro qua mensura durationis Angeli, Animæ, Spiritus mensurentur? si dicas æuo, cur defendis Aristotel. qui hanc diuisionem rerum sufficere docet ad distinctionem omnium durationū, quibus res omnes metiamur.*

Resp. *Ambagibus relictis Angelos, Animas, Spiritus omnis ordinis sub primo gradu rerum analogice comprehendit: tum quia res sunt æternæ* ex parte post, vt *aiunt: tū quia earum essentia conuelli aut labefactari non potest nisi à Deo, qui in omnia entia quæ sunt, ius & imperium habeat: eos ergo analogice & ex parte æternos dici posse constat.*

Opp. *Virtutes animi quadam progressione & motu successiuo acquiruntur: sic etiam & actus spirituales fiunt: at neque animus, neq; virtutes animi, neque actus spirituales sub tempus cadunt (vt docet Philosophus), quia non sunt res*

corruptioni subiecta: ergo alia mensura assignanda est qua istiusmodi mensurentur.

Resp. *Agnosco, nec Animam, nec Angelum, nec vllum vtriusque actum aut virtutem proprie sub tempus cadere: analogice tamen & definite cadere affirmo, eo scilicet modo quo successiue agunt, aut ab illis acquiruntur virtutes, actusque perficiuntur tempore. Quid? an vis spiritus eorumque actus tempore definiri? nolo quoad naturam suam, sed quoad nos: quia omnem moram & successionem tempore definimus.*

CAPVT XIII.

Vtrum { *Aduerbia temporis vllum vsum in philosophia habeant?* / *Tempus sit sempiternum?* }

DVæ sunt partes huius capitis: expositio quorũdam vocabulorum pertinentium ad tempus: & plenior tractatio iam motæ quæstionis, *Vtrum scilicet tempus magis sit causa interitus quam generationis?* Mouetur etiam obiiter & alia quæstio, *Vtrum tempus sit sempiternum?* Vocabula exponenda sunt, *Nunc* seu *momentum*, *Aliquando*, *Iam*, *Nuper*, *Olim*, *Subito* de quibus velim studiosum lectorem potius doctissimum Perottum in Cornucopia, quam Aristotelem hoc loco consulere. Sequar tamen authorem & quam breuissime possum expediam singula. *Nunc* (inquit Philosophus) seu *momentum* bifariam accipitur, vel pro *instanti* quod præteritum cum futuro nectit, estque principium vnius & finis alterius: vt *punctum* in medio lineæ: vel pro *præsenti tempore* quod nõ longe ab instanti seu momẽto distat: vt si dicamus Socratem nunc non venisse, aut nunc venturum: at de his, quæ longius ab instanti distant, sic dicere non possumus: vt bellũ Troianum nunc esse, aut nunc diluuiũ mundi. *Aliquando*, significat ex aduerso *tempus à præsenti momẽto disiunctũ, quod* tamen *ad aliquod prius aut posterius momentũ terminetur.* Ad aliquod *prius* dico, aut *posterius momentũ*, quia *aliquãdo* ad vtramq; partẽ successionis spectat; vt recte dicamus aliquãdo fuisse diluuiũ: & ẽt

Nunc bifariam sumitur.

aliquando futurum incendium mundi. Obiter hic quærit Philosophus, *Vtrum tempus sit aliquando termino circumscriptum, vel sempiternum? & vtrum duraturum in omnia sæcula, sæpius idem vel aliud aliudue retrocurrat?* Ad primum respondet non dari primum momentum temporis in quo, aut vnde tempus inciperet: ad alterum ait tempus idem specie cum motu (vt superius dixit) retrocommeare.

Iam. Pergit ad alia vocabula & differentias temporis. *Iam* (inquit) tempus præteritum aut futurum præsenti momento vicinum notat. Hæc significatio secunda instantis est minus

Nuper. proprie communiterque accepti. *Nuper* designat partem temporis præteriti instanti seu momento præsenti proximam: itaque latius patet *Iam* quam *nuper*: quoniam *Iam* & ad præteritum & ad futurum spectat: *Nuper* vero solum

Olim. præteritum repræsentat. *Olim* præ se fert partem temporis præteriti longe à præsenti momento remotam. Sic dicimus homines olim more belluarum vitam degisse in syluis. Po-

Subito. stremo *Subito* fieri dicit id quod quam breuissimo tempore mutationem aliquam subit, vt cum natura in ortu interituque rerum scopum terminumque attingit.

An tempus sit magis causa corruptionis quã generationis? Tempus rerum sapientissimum & inertissimum.

In secunda parte huius capitis, in qua explicatius quæstionem *Vtrum* (*scilicet*) *tempus sit magis causa interitus quam generationis?* resoluit: primum Simonidis & Paronis Pythagorici cuiusdam sententias de tempore inducit: quorum ille tempus sapientissimam, hic rem inertissimam appellauit. Illius ratio fuit, quoniam tempore sapientia (omnium virtutum thesaurus) acquiritur: huius argumentum erat, quoniam tempore omnium rerum memoria penitus deletur, interitusque & ruina in eo constant. Causa ergo (inquit Philosophus) corruptionis ascribitur tempori, quia tempus est numerus mutationis: mutatio vero per se rem à suo statu deducit. Nam licet formæ rerum in materiam per motum inferantur, aliæ tamen prius abolentur ipsumque subiectum ad interitum & ruinam rapitur. Huc illud accedit, quod senectus sit quædam rerum omnium, quæ interueniente tempore, omnia in putredinem & sepulchrum ducit: vnde fit vt rerum potius occasum quam ortum ad tempus referamus. Sed plura de hac re in initio libro quarto meteororum, & primo de ortu

& in-

& interitu legere licebit: nunc quoniam parum vtilitatis ista verborum interpretatio lectori adfert, aliam de partibus temporis analysin aggrediar, in qua vberior vsus erit tum propter repetitionem eorũ quæ dicta sunt: tum etiam propter distinctionem partium quæ adhuc ignota latet.

Sed dices, quorsum hoc in loco istam prouinciam suscipis, cum nulla ex Aristotelis textu emineat occasio aut thesis ad quam reuocentur præcepta? Respondeo ideo me velle alia attexere, ne vlla pars sterilis videatur. Sed erras: Nam eminet occasio cum tot hoc loco enumerentur significata temporis. Præterea cum Aristoteles hoc manifeste quærat, *Vtrum tempus sit aliquo omnino initio aut fine circumscribendum?* & iterum *An idem vel aliud aliudue ex conuersionibus cæli redire dicatur?* quis nõ videt illum distinctionem temporis planissime insinuasse? Sed omissis verbis tempus in primis definio *durationem seu mensuram motus cælestis secundum prius & posterius.* Differentiæ temporis sunt *præteritum, futurum, instans.* Partes seu species temporis sunt vel analogicæ vt *æternitas* & *æuum*: vel vniuocæ vt *dies, mensis* & *annus.* Dies duplex est, naturalis & artificialis. Naturalis dies *est spacium temporis quo Sol diurno suo motu ab ortu in occasum* & *inde ad ortum redit.* Artificialis est *spacium temporis quo Sol ab exortu ad occidentem reuolutus supra terram lucet.* Huic ex opposito respondet nox, quæ est *spacium quo Sol ab occidente ad ortum sub terram mouetur.* Diei partes sunt quinque, summum mane, de quo Ouidius.

Definitio & Partitio temporis.

Dies duplex.

Diei partes 1.7. Metam. vers. 805.

Sole fere radiis feriente cacumina primis.

Ortus seu ante meridianum tempus, de quo apposite Claudianus.

2 de rapt. Proserp. vers. 120. 1. Metam. ver. 592.

Dum matutinis præsudat solibus aer.

Meridies, de quo non minus apposite Ouid.

Dum calet & medio Sol est altissimus orbe.

Tempus pomeridianum seu occiduum, *Cum Sol à fastigio cæli ad occasum tendit.* Tempus denique supremum diei, *cum Sol occasui appropinquat, non tamen adhuc Antipodas salutauit*, De quo significantissime poeta.

6. Metam. ver. 486.

Iam labor exiguus Phœbo restabat, equiq;
Pulsabant pedibus spacium decliuis Olympi.

Sunt qui diuidant noctem in sex partes, nempe in lucem dubiam, in lucem crepusculam, in tempus quieti & somno gratum, in mediam noctem, in gallicinium, quod est noctis ad diem inclinatio, in diluculum, cum Lucifer paulatim illucescit. Hinc Ouidius

2. Metam. ver. 114.

---diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.

Quid plura de die aut nocte dicam? dies certe me deficeret si omnia de die quæ vtiliter à philosophis tradita sint, dicerem. Multiplex enim & varium est hoc spacium, vt ex motu solis liceat apprehendere: nam sub Æquinoctiali directe habitantibus dies noctibus, & noctes diebus semper æquales existunt: vltra citraque degentibus non item: nam quo remotiores sunt incolæ terræ ab Æquatore, eò solstitialem diem habent longiorem, noctemq; breuiorem. Vnde circiter polos vitam agētibus aliis dies solstitialis est mensis integer. aliis vlterioribus menses duo, & sic deinceps longior, donec ad polum peruentum sit, sub quo habitantibus propter extremam obliquitatem sphæræ, dies sex integris mēsibus, totidemque nox ipsa constat. A solstitio dies semper decrescunt, à bruma ad solstitium vsque accrescunt magis: at in æquinoctio dies noctibus in vniuerso orbe adæquantur. Horæ ex quibus dies secundum artem & naturam mensurantur, sunt aut æquales aut inæquales: *hora æqualis est 24. pars diei:* hora inæqualis *pro motu planetarum considerata longius breuiusue extenditur.* Horæ æqualis partes sunt minuta 60. hinc minutum *pars sexagesima horæ* definitur. Inæqualium horarum initium est *solis exortus*, medium vel hora 6. *meridies*, finis vel hora duodecima *solis occasus*: quod idem est principium primæ horæ noctis. Vnde illud Christi saluatoris nostri, *nonne duodecī sunt horæ diei?*

Hora.

Procedam, mensis est *spacium quo sol duodecimam partem Zodiaci conficit*, quod fit *triginta diebus, horisq; decem cum dimidia*: Annus *tempus quo Sol totum Zodiacum perlustrat*: hic constat mensibus 12. diebus 365. horis 5. minutis 49. & secundis sedecem. Huius generales partes sunt:

Mensis.
Annus.

Ver,

Ver, æstas, autumnus, & *hyems*: quibus ordine 12. signa præsunt: tria singulis partibus destinata, vt recte hi versus declarant. *Anni partes.*

(Veri) (Æstati)
Sunt Aries, Taurus, Gemini: Cancer, Leo, Virgo:
(Autumno) (Hyems)
Libraq; Scorpius, Arcitenens: Caper, Amphora, Piscis.

Oceanum immensum nunc video, in quem præceps non inuitus irruerem, si vllam rationem ab alto natandi aut nauigandi in portum ante oculos viderem. O quam incredibilis est vsus temporum, signorum, motuum? quam iucunda & fructuosa eorum demonstratio? Ex fontibus prægustaui pauca, at si teipsum (studiose lector) in hoc pelagus immerseris, gustabis nectare dulciora. Didicisti quid sit *Tempus*, quomodo sit mensura motus, quid *Punctum* temporis, quomodo huius partes vniãtur in illo. Didicisti etiam quotuplex sit *Duratio* rerum, quid *Præteritum & Futurum*, quid *Prius* & *Posterius*, quid *Velox* & *Tardum*, quid *Multum* & *Paucum*, quid *Æternum*, quid *Æuum*, quid *Aliquando, Iam, Nuper, Olim, Subito*, & *Momentum*, quid & quotuplex; *Dies, Nox, Hora, Mensis*, & *Annus*, quomodo hæc omnia mensurent & mensurentur tempore. Si hic cœlestes globos & Ephemerides voluerem, Aureosque numeros, Epactas, Indictiones Romanas, aliaque mysteria & oracula temporis demonstrarem, Ætnam subirem ponderosam. Refero ergo te ad Ioannem de Sacro Bosco: Doctorem Dee, aliosque eruditissimos Astrologos & Philosophos qui de hac re scripserunt copiose, maxime vero ad Gregorianum Calendarum, si exactissimum motum cœli, planetarum, signorum, si cursum temporum, si festorum ordinem, si iustam Paschatis obseruationem, si deniq; totum vsum computi Ecclesiastici auidius scire desideres: & certe harum rerum sciendarum sitis æstum ardentem semper plura sciendi habet. Est enim in scientia temporis recondita sapientiæ gaza, imo ipsum tempus est thesaurus pretiosus, quẽ si teneas recte philosophari, si perdas aut ignores plane insanire & delirare videaris. Omnia enim sub sole tempus habent: imo tempus habet omnia, & ipsum

I De Sacro Bosco.
D Dee.

Temporis cognoscendi cupido laudata.

à nullis habetur nisi à sapientibus, qui illius comam in fronte superciliosa ventilantem capiunt. Væ ergo tarde venientibus: nam Occasio calua est, & tempus præteritum nemo nisi stultus aucupatur. O quot hodie in naui stultorum vecti sunt, qui nullam rationem temporis habentes remis velisque Charontis in Gehennam subito rapiuntur. Si ergo vis sapere (erudite lector) studeas tempori. Dies iuuentutis & adolescentiæ tuæ recordare: fuisti infans, fuisti imberbis puer, adolescens fortasse nunc es, fortasse in flore ætatis iuuenis: at in statu si sis vir, considera hæc iam euanuisse tempora: si senex, memineris hanc ætatem messi proximam, morti & sepulchro vicinam esse. Moriendum certe est: nam tempus irreuocabile volat, stultos media nocte subito oscitantes tollit, sapientes non tollit, sed in meliorem statum mutat. Quid dicam? *homo natus de muliere breui viuens tempore: repletus multis* miseriis: breui inquam, viuens tēpore. Quid addam? dies meos numerabo, *vnumq; petam & requiram, vt inhabitē in domo Dei omnibus diebus vitæ meæ* omnibus diebus (inquam) vitæ meæ.

Iob. 14. 1.
Psal. 27. 4.

Distinctio quæstionum decimi tertii capitis.

Hoc caput diuiditur in
- Expositionē aduerbiorū significantiū tempus, quæ sunt
  - 1 *Nunc* & hoc sumitur vel pro
    - 1 Instāti indiuisibili quo partes temporis actu vniuntur, diuiduntur potestate.
    - 2 Præsenti diuisibili, in quo aliqua mora inest.
  - 2 *Aliquando*, quod significat tempus ab instanti distans, vnitum tamen alteri momentis temporis secundum prius & posterius.
  - 3 *Iam*, quod significat tempus præteritum aut futurum, proximum & vicinum instanti.
  - 4 *Nuper*, quod significat partem temporis præteriti, non futuri, proximam instanti.
  - 5 *Olim*, quod significat partem temporis præteriti longius ab instanti remotam.
  - 6 *Subito*, quod significat mutationem de repentino factam in tempore.
- Demonstra-

tione

...tionem duarum quæstionũ, quarum vna obiter hic mouet, altera tractabatur antea:

Prior est An tẽpus sit perpetuum? affirmat Philosophus esse.

1 Quia illius subiectum est æternum, nempe primum mobile

2 Quia illius mensuratũ nunquam incepit, nempe motus cœli.

3 Quia non est dari aliquod primum instans tẽporis: nam instans omne arguit præteritũ aliquod extitisse, & futurum sequi.

4 Quia mundus est successione temporis, & motus sempiternus. Nã naturali ratione aut modo destrui non potest.

Posterior est, An tempus sit potius causa interitus quam generationis? quã ante in superiore capite satis demonstraui. Huc vt maior vsus temporis habeatur, distinctionem eiusdem in suas partes adhibui.

Argumenta contra expositionem aduerbiorum significantium tempus. Vnde quæstio est, An aduerbiorum significantium tempus, vllus sit vsus in Philosophia?

Opp.

Ridiculum est vt philosophi de aduerbiis & eorum significatu rixentur & litigent hæc enim contentio ad Donatum 1
& Priscianum, non Platonem & Aristot. pertinet. Præterea 2
quid vsus hæc pauca aduerbia habent, cum eorum nullum sit quod non sub partibus temporis satis aperte & dilucide contineatur? Quid enim Nunc *est nisi momentum temporis, de quo antea satis? quid* Aliquando *nisi pars prior aut posterior temporis ab instanti remota? quid* Iam *nisi tempus præteritum aut futurum proximum instanti? Breuitatis causa* 3
quid Nuper, Olim *&* Subito *præterquam partes temporis?*
Nugatur ergo Philosophus in istis enumerandis. Deinceps, 4
cum alia sint præter ista aduerbia temporis: quorsum in suo catalogo non recensuit? Insuper ingeniosum Arist. non decet

sic verbis ludere & sic id scirpo nodum quærere. Magnum;
inquit: discrimen est inter Iam, & Nunc, hoc est, si rem serio
5 perpendas nullum. Postremo, parum apposite restringit hoc
aduerbium olim ad præteritum solum, cum non minus rem
olim futuram quam fuisse dicamus, vt Despauterius aliiq;
doctissimi verborum censores putant.

Resp. Philosophi non rixantur de verbis (vt ais) sed ri-
1 mātur veritatem rerum. Cum ergo hæc aduerbia plurimum
valeant ad distinctionem rerum mobilium in tempore, obi-
2 ter à Philosopho & sapienter exposita sunt. Vsus ergo pluri-
mum in philosophia habent: vt vbi & quando in Dialectica:
distincte enim & articulate partes temporis, successiones mo-
tus, actionesq; mobilis nobis demonstrant: quæ prius & poste-
rius, præteritum & futurum generatim tantummodo & cō-
3 fuse denotant. Deinceps alia præter ista agnosco esse aduer-
bia temporis, sed illa vel ad institutum non omnino spectant,
quia hæc ad distinctionem rerum motarum tempore suffi-
ciunt, vel quia si spectent, facile ad ista iam posita reducan-
4 tur. Insuper nodum in scirpo non quærit Philosophus ponen-
do discrimen inter Iam & Nuuc. Nam quamuis Iam affine
sit significatione momento, magnum tamen est discrimen,
quoniam momentum proprie est indiuisibile, Iam vero pars
temporis præteriti aut futuri, quæ diuidi quidem potest. Po-
stremo, agnosco olim posse quidem ad rem futuram signifi-
candam adhiberi, sed improprie: idque solum propter orna-
tum & elegantiam sermonis, non propter existentiam rei
mobilis aut durationis.

Argumenta contra secundam quæstionem obiter in
textu motam, Vtrum tempus sit
sempiternum?

1 Opp. Distinxit Philosophus in textu inter Æternita-
tem, Æuiternitatem, & Tempus, voluitque Tempus esse
mensuram rerum habentium initium & finem: incepit ergo
2 tempus, quia res quas, mensurat, inceperunt. Præterea cū A-
rist. concedat subiectum prius esse accidente, concedit eadem
opera (mea opinione) mortale aliquid fuisse prius tempore,
quia vult solum res caducas proprie mensurari tempore, &
hoc

hoc quoque vult rem mobilem priorem esse mensura qua mensuratur. Porro, dicat mihi causam cur non sit aque nunc initians (*ut ita loquar*) *aut* inchoans *primum futurum, ac est* nunc initians *aut inchoans futurum, quod præteritum terminat & claudit? hoc fatetur, cur illud negat? Præterea cum ipse & in hoc libro & in 1. libro Politicorũ insinuet mundum incepisse, imo cum sæpe non solum in lib. de Mundo, sed etiam in aliis partibus suorum operum fateatur quotidie vires statusque rerum labascere, argumento mihi semper fuit illum nec tempus nec mundum vere & ex animo sempiternum posuisse. Aliter ut Hercules iuuenis contra Platonem, aliter ut senex & sapiens Arist. disputauit. Tum enim ingenio gloriam, nunc argumentis veritatem quærit: tum ne præceptori concederet Deum condidisse mundum, motorem sine mobili non fuisse affirmat, nunc vero omnium in cælo, in terra, in vniuerso factorem, rectorem, conseruatorem sæpissime appellat.* O *quantum* canicies veneranda ab æstu iuuenilis ingenii differt? *Sed de hac re postea pluribus, cum de æternitate mũdi disputemus.* 3 1. Politic.

Resp. *Amice agis, & me fere in tuam sententiam trahis. Nam equidem aliud senem aliud iuuenem de mundi æternitate sensisse Aristotelem vere tecum consentio. Cæterum quoniam hic rationes ad partes suas confirmandas adfert, earum refutationi vtcunque respondebo: infirmius fortasse quam soleo, aliter vt Christianus credo, quam vt Philosophus disputandi nunc causa ago. Esto igitur, sit tempus rerum caducarum solum mensura: quid tum? ergo initium habet? argumentum nego: quia vel in rebus caducis infinita dari potest successio, cuius mensura tempus definitur esse. Quod de subiecto addis parum mouet. Nam cum Aristoteles dicat omne subiectum esse prius accidente, intelligit esse prius ordine naturæ, non tempore. Nullum enim subiectum antiquitate temporis ipsum tempus potest superare, ordine tamen & dignitate naturæ potest. Ad 3. argumentum, de* Nunc initianti, *vbi petis cur non sit æque primum aliquod momẽtum, initium primi futuri, ac est initium futuri ordine sequentis præteritum? respondeo: quia dari non potest aliquod primum generatum in rerum natura, nisi creationem inferas ex nihilo,*

quam philosophia, ratio & natura non agnoscunt. At (studiose lector) agnosco & credo, imo equidem mihi persuadeo coactum creasdisse Aristotelem, cū animam humanam non esse materiam, non esse ex materia, non esse ex potentia materia, non esse ex traduce, sed diuinam substantiam, æternam & immortalem esse concedat, cum in primordio mundi homines rudes & belluarum more vagos sine ordine, sine domo & ciuitate vixisse planissime affirmet: principium (inquam) habuisse mundum credidisse, non generationis (nam qua vis natura esse potuit cum natura non fuit?) creationis ergo, quia tum Deus mundus, mundiq; author fuit. Sed ne euadas impune qui contra Arist. positionem disputas, ad argumentum dico ex synodo philosophorum, librum illum de Mundo nō fuisse Aristotelis opus: & ad locum ex primo Politicorum, dico ex hypothesi illic disputare, nempe homines sine lege, sine societate & ciuitate, more belluarum vixisse in montibus in sylvis, in antris si mundus initium habuerit. Excudo tibi hoc responsum, si replicando deleas silebo, & concedam me victum esse.

Lib. 3. de Gen. animal. c. 2.

Opp

An tempus idem numero vel specie redeat?

1. Lib. de Cal.

Omittis vnum in textu problema, Vtrum idem tempus numero redeat? *Scio equidem te attigisse superius, sed adhuc scrupulus vnus vel alter est quem mihi velim expedias. Videtur sane idem tempus numero redire, quoniam non corrumpitur. Quod non corrumpatur probo, quia corrumpi non potest accidens nisi ex conflictu contrarii, aut ex interitu subiecti: at in cælo (quod est subiectum temporis) nec est certamen contrariis, nec est interitus subiecti (cælum enim est perpetuum) ergo tempus non corrumpitur: quo concessō fatendum est idem numero posse redire, seu retro commeare.*

Resp.

Satisfeci isti argumento tuo superius, cum ostenderē tempus esse mensuram motus cælestis qui quotidie mutatur: hoc dico, non quod non sit simplex, & vniformis motus cæli, sed q̄ qualibet deuolutio & conuersio eiusdem nouam numero mensuram postulet. At (dicis) vbi conflictus contrariis? vbi interitus subiecti? Respondeo duas has solas non esse causas corruptionis: fieri enim potest vt res concidat, si vel detrahatur

tur necessarium, vt alimentum homini, vel impediatur subiectum ab vsu medij in quo viuit, vt Plato sub aqua mersus necessario moritur, quia frui non potest aere in quo spirat. Alia sunt etiam rationes interitus praeter istas, quas breuitatis causa omitto. Non ergo solum certamen contrarij, aut exitium subiecti est causa interimendi accidentis. Addo etiam hoc vnum (quod neruos maxime concidit argumenti tui) nimirum ens successiuum, quale est tempus, suo ipsius fluxu & motu interire: qualibet enim vicissitudo motus nouam temporis successionem infert. Quare etsi cœlum non consenescat, nec contrarium in eo insit, motus tamen illius mutatus est sufficiens causa vnitatis temporis, quod in se praeteritum & futurum partes contrarias habet.

Opp.

Videtur hac assertio contraria alteri: nam si tempus in se causam habeat corruptionis, nempe partium continuo fluentium successionem, sequetur non esse idem numero tempus omnium. Qui enim fieri potest vt sit idem numero tempus rerum omnium simul; cum quolibet instanti mutato nouum tempus generetur? Corrumpitur subito praeteritum, subitoque futurum eminet, & non prius eminet quam cadat, quia semper volat tempus, nulloque in solo pedem figit moramue facit.

Resp.

Non est hac assertio contraria alteri: nam hoc loco tempus pro ente continuo & successiuo acceptum in partibus diutius manere dicimus. Sic idem dies, idem annus, idem ver, aestas, autumnus, hyemsque redire dicuntur, specie, non numero. Considerari ergo potest tempus bifariam, vel vt sit instans seu praesens mensura rerum omnium quae in eodem instanti seu praesenti agunt aut mouentur, & sic est idem numero tempus omnium, hoc est idem praesens quo mensurantur omnes motus simul existentes, vbicunque sint: vel considerari potest quoad prius & posterius, & sic est semper diuersum in suis partibus, vt luculenter antea probauit in textu Philosophus. Omnis (inquit) mutatio praesens vna numero extat, at facta, praeterita vel futura, semper diuersa est. Omne tempus praesens idem numero habetur: praeteritum autem & futurum diuersa existunt. Insuper mutatio praesens

An idem sit numero tẽpus rerum omniũ.

VV

primi mobilis vna eademq; est: facta vero siue præterita siue futura plane diuersa: tempus ergo quod illi inhæret præsens numero idem est, præteritum & futurum diuersum. Ratio sequitur, quia diuersitas subiectorum infert diuersitatem accidentium. Postremo (inquit) numerus numerans idem est rerum diuersarum, puta hominum & leonum: at numerus numeratus semper diuersus est. Pari ratione tempus præsens (quod est quasi numerus numerans) idem est: at semel fluens in prius & posterius factum est aliud aliudq;. Sed plura de hac re in fine postremi capitis, vbi quæritur An pro numero motuum multiplicetur tempus. Sed hæc obiter, directe tamē ad propositam materiam de qua agimus. Respondeo igitur argumento, nempe tempus in quolibet instanti non corrumpi, sed potius continuari, præsensq; idem numero dici. Hoc etiam affirmo, esse quidem tempus ens successiuum, cuius essentia in fluxu consistit: non ergo proprie corrumpi dicitur cum fluit, sed potius conseruari & manere, cum illius natura talem fluxum & successionem postulet.

Tempus non corrumpitur, sed continuando cōseruatur.

Argumenta contra adiectam distinctionem temporis in fine cap.

Opp. *Multa videris in fine huius capitis intriuisse in textum Arist. de partib. temporis, quæ ipse Arist. non tangit: ergo aut claudicasse illum, aut te nimis audacem fuisse concludo. Præterea, & tu, & Arist. videmini quidem mihi plurimum falli, cum in hoc toto tractatu tempus, omnesq; differentias partes, distinctiones eiusdem à primo mobili dependere dicatis, cum omnes & singuli astrologi ad solis motum tantummodo referant: quod sane coactus aut incautus tu videris fateri, cū minuta, horas, dies, menses, annos, omnesq; distinctas partes temporis per motum cursumque solis definias.*

Resp. *Nihil intriui in textū Aristotelis quod ille non insinuauit: interpretis officium est exemplis illustrare. Sæpe diei, mensis, & anni, omniumque partium mentionem facit, cum quærit, An idem tempus numero in orbem quasi redeat? audax ergo non sum si visum quaram, si addam lucem rebus. Altera pars argumenti facile deletur: nam quamuis astrologi omnem distinctionem temporum ad motum*

solis

solis referant: hoc tamē faciunt respectu signorum in Zodiaco, vnde sol suo cursu nobis hanc rerum vicissitudinem veluti per characteras & pūcta declarat: Zodiacus autem est pars seu circulus primi mobilis, in quo fixa sunt duodecim signa, per quorum gradus minuta, secundas, aliasq; notatas mensuras sol suum iter facit, vnde nos gloriosum & diuinum illud opus Dei intuentes, tanquam in quodam volumine summi artificis manu quasi scripto, nobisq; mortalibus dedicato mirabilia naturæ secreta legimus. Ingentes enim in eo sunt literæ, distinctæ syllabæ, voces integræ: sydera intelligo, quæ Solis luce illustrata imprimis gloriam & maiestatem Dei, tum temporum mutationem, rerumque successionem & vicissitudinem apertissime demonstrant.

CAPVT XIV.

Vtrum { *Temporis existentia dependeat ab anima?*
Pro numero motuum multiplicetur tempus? }

NOn magnus labor habendus est quem dulcis quies sequitur, nec tempus longum quod tandem exitum est habiturum. De tempore & illius natura, existentia, proprietate, vsu, multa disputauit Philosophus, at nunc breui repetitione facta concludit opus (lib. hunc 4. intelligo) in quo de loco, de vacuo, de tempore seu duratione rerum mortalium egit. Verborum omitto vmbras. Primum in hoc capite quærit, sitne omnis motus in tempore? tum Vtrum omni sublata anima possit constare tempus? hinc, An sit tempus in omnibus quæ natura constant, idque omnium eorum simul vnum numero vel specie? postremo, Sitne tempus omnis motionis, vel potius primæ conuersionis propriè mensura? Hæc (inquam) omnia eodem quo proposita sunt ordine breuiter repetendo percurrit Arist. quem (vt firmius in animis lectorum fixa permaneant) vt interpres discutiendo sequar. Ac primū *Sitne omnis motus necessario in tēpore?* quis nō videt esse, si velit ab inductione, ab adiunctis, à partib. à fine motus disputare? Ab inductiōe, *Omnis motus sit ne in tēpore?*

quia nec ortus nec interitus, nec accretio nec diminutio, nec alteratio nec loci mutatio sine tempore esse possunt: cum à termino *à quo* ad terminū *ad quem* mouendo spaciū consumit. Ab adiunctis seu proprietatibus, nēpe *velocitate* & *tarditate*, quæ sine temporis fluxu & successione, nec esse, nec cognosci, nec mensurari possunt. A partibus, quæ sunt *prius* & *posterius* in motu, quibus *præteritum* & *futurum* in tempore semper respondent. A fine seu vsu, vt tempore motus rerum omnium distinguantur.

An consistentia tēporis ab anima pendeat.

Altera quæstio *An omni anima sublata possit nihilominus constare omnino tempus*? obiter antea discussa fuit, insistens tamen vestigiis Aristotelis paucis quæ dixeram ruminabo. Hæc quæstio igitur duplicem intellectum habet, vel de anima diuina, vel humana. Si illam intelligas, quæ est efficiens causa omnis motus, rerumque omnium motrix, affirmo sine ea omnino nec cœlum, nec motum, nec tempus esse. Ratio est, quia hæc anima, vita, & lux mundi (vt docent philosophi) est proxima cœlestis conuersionis causa: si ergo non sit hæc anima, non erit conuersio cœli, si non sit conuersio cœli, non erit tempus, duratio, & mensura eiusdem, quæ tota à cœlo motuque cœli pendet. Cæterum de hac mente æterna, infinita, & diuina (mea quidem opinione) hic non disserit Philosophus, at in 8. libro huius operis agit.

Age ergo, de anima humana agit, quæ cœli motum colligendo tempus obseruat & notat. De hac vero anima cum loquamur simpliciter, neque in hanc neque in illam partem lancis seu trutinæ calculum iniicimus, id est, neque affirmamus neque negamus absolute. Nam si tempus consideretur, vt est *numerus numeratus*, *seu res numerabilis* ab anima, quæ hoc respectu *numerus numerans* definitur: certe tempus sublata anima esse non potest, cum *numerans* & *numerabile* sint relata, mutuoque se ponant, & posita se mutuo perimant. Si vero *prioris* & *posterioris* remota comparatione, simpliciter in essentia sua primoque subiecto, nimirum cœli primo mobili consideretur, tempus ens rei quidem absolutum est, & per se (si non sit anima) constat: vt ergo est directe species in quantitate, vt etiam est in proprio subiecto, vt est ens rei, per se & vi sua cohæret. In prædica-

dicamento aut *quando* positum,eo modo quo est respectus numerabilis, sine anima numerante cohærere non potest.

In tertia quæstione exquiruntur duo, alterum *An sit tempus in omnibus iis quæ natura constant?* alterum, *An sit in omnibus simul, idque vnum numero?* ad vtramque partem affirmate respondet Philosophus. Quoad primum, sicut tanta est affinitas & cognatio inter tempus & motum vt seiungi & separari non possint: ita res mobiles vtrique subiectæ indissolubili quodam nexu cum vtroque colligantur, siue actu siue potestate illas tempore aut motu metiaris. Quod cum ita sit, in quibuscunque demum rebus motus reperitur, in omnibus iis & tempus inesse debet. Iam vero in confesso est, in omnibus rebus quæ natura constant, motum inesse (cum natura sit principium motus in omnibus.) Tempus ergo est in omnibus quæ natura constant. Non hic terram, non centrum, non polos mundi excipimus, quoniam & hæc naturam in se mobilem & motricem habent, quę licet non actu, potestate tamē mouētur.

Sitne tempus in omnibus quæ natura constát? idque vnum numero omniū simul?

De altera parte quæstionis satis dictum fuit supra. similitudinem solum de numero in textu repetam. Vt numerus vnus idemque est rerum diuersarum quæ eodem numero recensentur, verbi causa *denarius, decem hominum & leonum*: ita & tempus omnium eorum quæ sunt, quæque simul diuersis motionibus cientur, vel in cœlo, vel in terra, vnum idemque dicitur esse, idque numero & subiecto. Numero, quia non augetur numerus eorum quæ sunt simul: subiecto, quia non mutatur subiectum in quo inest tempus: imo si augeatur numerus, non tamen mutatur tempus, quia tempus subiectum aggregationis in hoc respectu habet, quod vnum numero habetur, sed fere ex infinitis constat: vt si ex hypothesi totus mundus *Nunc vnum* ageret, vnum numero subiectum esset aggregationis mundus, vnum numero quod est mensura huius (actionis) tempus. Quid opus est hypothesi aut suppositione in hac re? certum est non solum vnius motus aut rei, sed omnium motuum, actionum, rerumque sub sole, vnum numero tempus esse, si simul in præsenti considerentur.

Cap. 11.

Vltima quæstio sit *ne tempus prima solum conuersionis propria mensura*? hūc sensum habet, nimirum ideo tempus

Quæst. 4. Sitne tempus primæ solum conuersionis mensura?

proprie cœlestis motus mensuram dici, non quod solum eundem motum mensuret (contrarium enim huic fuit antea assertum) sed quoniam à cœlesti motu omnes alii rerum omnium motus suam continuitatem, existentiam, distinctionem, notitiam & quodammodo mensuram habent. Illud præterea non est omittendum, idcirco tempus ad illum motum proprie referri, quia ab eodem motu præcipue idipsum mensuretur. i. cognoscatur quantum sit in omni fluxu & successione. Nam vt cœlestis motus tempore: ita tempus cœlesti motu mensuratur. Rationes cur cæteri motus dicantur à cœlesti dependere, sunt, quia omnium motuum est primus, nec non reliquorum causa: tum quia est maxime æqualis: tum denique quia est maxime notus, & veluti mensura omnium. Hæc enim est vna conditio mensuræ, vt rem notiorem faciat quam mensurat: at cœlestis motus omnes omnium inferiorum motus notiores reddit. Sed dices me ab instituto dissilire, cùm directe non probem tempus esse propriam mensuram conuersionis primæ. Directe probaui & hic & alibi in definitione temporis: videtur ergo non esse mensura alterius motus, quippe id proprium est quod soli conuenit, adde etiam, quod omni conuenit, quod a primo dependeat, vt omnis motus rerum inferiorum à cœli motu pendet: cæterum quid tibi videbitur, si argumentis solidissimis euincam, tempus magis rerum inferiorum motibus conuenire, quam conuersioni cœli? quam causam reddis? quia Aristoteles antea dixit tempus rerum caducarum esse propriam mensuram. Quid hinc concludis? ergo propria non est cœlestis motus, quoniam hic non est caducus. Erras: nam licet cœlum sit æternum, illius tamen motus in dies mutatur, vt superius docui. Sed cum philosopho concludam hunc librum, inculcans hoc vnum quod ille nunc & sępe inculcat, esse vicissitudinem & reuolutionem omnium: omnium dico, excipio nihil (nisi principium omnium) in quo sunt, bene sunt, & conseruantur omnia: Ascende mecum in Olympum mundi, intuere mobiles pilas, lususque fortunæ, homines, ciuitates, vrbes, imperia intelligo: taceo diuitias, honores, voluptates mundi, quæ non citius florent quam euanescunt omnia. Quippe

Mensura mensurato semper notior.

Obiectio.

Responsio.

Nunc seges est vbi Troia fuit-----

Pastor,

Pastor, arator, Roma: consul, imperator, Roma: versa vice mutantur tempora. Sed quis hoc facit? Deus. Quod eius instrumentum quo facit? volubilis ille serpens tempus, quod sicut serpens spiris contractis circulos gyrosque infinitos facit. Hinc sapienter Aristot. hoc loco idipsum circulum appellat: imo res omnes circulares, quia in tempore stadiis suis decursis multas & magnas conuersiones mutationesq; subeunt. Dictum sapientibus sat est: non solum homines, plantæ, lapides, sed orbis terrarum errantes planetæ, Assyria, Græcia, Persia, maximaque regna & imperia suos temporum motus, declinationes, periodosque habuerunt, & habitura sunt. *Tempus circulus cur dicatur.*

Amplissimus hic mihi patet altius diuiniusque de motu cœlesti eiusdemque mensura, nimirum tempore disputandi locus. Nam certe ex vario cœli motu varius syderum aspectus, ex vario & multiplici syderum aspectu varius effectus maximarum rerum sequitur. Si de futuris non bene diuinet Astrologus, error hominis est non artis, quæ motus aspectus, influentiarum, syderum certissima omnium habetur scientia: vnde de temporibus futuris nõ incerta diuinatio oritur. Volumen enim Astrologiæ cœlum est, voluminis author Deus, elementa sunt ipsa sydera, multiplex aspectus, multiplex intellectus rerum: scribuntur in hoc libro omnia naturæ opera, multa arcana & secreta consilia Dei, qui *in signa temporum*, cœlum, sydera, & aspectus dedit: & certe Deus & natura frustra dederunt nihil. *Futura quod recte non diuinet Astrologus, ipsius vitium est non Astrologia.* *Gen. 1.*

Distinctio quæstionum capitis decimiquarti.

Quatuor quæstiões huius capitis sunt
- *An omnis motus sit necessario in tẽpore?* affirmat Philosophus esse, & probat
  - 1 Ab enumeratione seu inductione omnium quia generatio, corruptio & c. requirunt tempus.
  - 2 Ab adiunctis seu proprietatibus motus, nempe *velocitate* & *tarditate*, quæ non possunt esse sine tempore.
- *An anima* Vide in seq. pag. lit. *A*

3 A partibus, nempe *Priore* & *Posteriore*, quibus *Præteritum* & *Futurum* plerumque respondent.
4 A fine, qui est vt tépore rerum mobilium motus distinguantur.
5 A contrario, quia nullus motus est in instanti, & proinde omnis motus est in tempore.
6 A definitione temporis, quod est mensura non vnius sed omnis motus, præcipue vero cœlestis, à quo omnis motus rerum inferiorum pendet.

A
An anima sublata tempus constare possit. ad hanc quæstioné intelligédam melius distinguunt philosophi animam in

1 Diuinam: cui cœlestis motus efficientiam attribuunt, & hac (inquiút) sublata non potest cohærere tempus. Quippe si ex hypothesi anima illa tollatur, necesse est etiam cœli motum tolli: at cœli motu sublato necessario tollitur tempus: sublata ergo anima diuina motrice cœli tollitur tempus.

2 Humanam: & sic vt tempus est numerus numeratus, seu res numerabilis, in discreta sua successione cohærere, id est, distingui non potest sine anima, quæ numerus numerans definitur esse. Cæterum *priorū posterior isque* intelligentia remota vt est in subsistentia subiecti sui, mobilis nimirum primi, & in coexistentia momenti, anima sublata extare potest.

An sit in omnibus iis quæ natura constant, idq; omnium eorum simul vnum numero? Agitur in hac quæstione

De subiectis temporis, quæ sunt res omnes naturales quod probatur

1 Quia natura est principium motus in omnibus suis effectis: at vbi mot⁹ est ibi etiam & tempus.

2 Quia tempore oriuntur & consenescunt omnia.

De modo cohærendi, *An scilicet*

1 Si consideretur tempus quatenus in eo simul agantur

An

insit vt idem numero, vel idem specie? asserit Philosophus vtroque modo } multa: sic idem numero est eorũ quæ aguntur, licet res sint diuersæ quæ agunt, quęque aguntur.

2 Si cõsideretur secundum acta, quæ in successione *prioris & posterioris* fiunt. sic quidem non vnum numero, sed specie est.

An tempus sit primæ motionis seu conuersionis propria mensura? affirmat Aristoteles esse. {

1 Quia tempus est passio primi mobilis, & proinde propria dimẽsio primi motus.

2 Quia inter hunc motum & tempus est proportio cum vtraque successione sint perpetua.

3 Quia alii rerum motus à cœlesti dependeant: primum ergo illum mẽsurat tempus.

Argumenta aduersus quæstiones ordine propositas, & primum aduersus primam.

Opp

Ne videar acta sæpius agere, breuiter percurram singula 1
quæ in hoc capite repetuntur: & sic primum contra primam
quæstionem disputo. Ortus & interitus negatur esse in tem-
pore: ergo omnis motus non est in tempore. Præterea sunt 2
multa instantanea mutationes (vt docet Philosophus) quæ
instanti mensurantur: sed omnes mutationes sunt motus: er-
go omnes motus non sunt in tempore. Insuper si omnis motus 3
sit in tempore, sequeretur motus incorporearum substantia-
rum esse in tempore: at neque incorporea substantia, neque
earum motus (teste Philosopho) sunt in tempore: ergo omnis
motus non est necessario in tempore.

Resp. *Ortus interitusque perfectiue sumpta non sunt* 1

propriè motus species, quia in instanti fiunt, progressiuè verò
2 *concepti tempus requirunt. Ad alterum dico, instans tempo-*
ris mutata esse *metiri, non mutationes in progressione motu-*
que natura positas. Hinc distinguitur quadruplex mensura,
æternitas, æuum, tempus, & instans. Æternitas *Dei est*, æ-
uum *finiti spiritus*, tempus *rerum in motu*, instãs (*vt aiunt*)
rerum in mutato esse. esse *autem* mutatum *non est motus,*
sed motionis aut rei mutatæ mobilis scopus momento acqui-
situs. Cum ergo dicat Philosophus multas mutationes instã-
taneas esse, intelligit per mutationes, *terminos mutationum,*
qui in instanti *attinguntur.* *Non opus est vltimæ obiectioni*
3 *respondere. Nam ex distinctione quadripartita mensuræ e-*
mergit resolutio: nempe substantias incorporeas earumque
motus Æuiternitate mensurari si absolute sumantur, si ve-
ro comparatè quoad nos considerentur, earum actus & mo-
tus successionem habent, & tempore mensurantur.

Mensura quadruplex.

Argumenta in secundam quæstionem, An anima sublata sit vlla existentia temporis?

Opp.

Tempus est numerus motus: ergo sine anima ens non e-xistit: ratio tenet, quia numerare est officium solius animæ: tempus ergo nihil potest numerare sine anima numerante. Non potest numerare: ergo non potest mensurare: nam numerare in tempore est mensurare. Præterea, vt se habet sensus ad sensibile: ita intellectus ad numerabile: sed sensibile non est sine sensu: ergo nec numerabile, quo concesso tempus non est sine anima.

Numerare in tẽpore est mensurare.

Resp.

Non multum differunt hæc argumenta. ad vtrumque ergo vno verbo respondeo, negando vtrumque. Nam & numerabile sine numerante, & sensibile sine sensu esse potest, si alterum actu, alterum potentia sumas. Cessante enim sensu potest esse sensibile, aliter lux solis non esset nisi esset oculus qui illam intueretur. Quod verò dicat Philosophus in textu tempus non esse sine anima, intelligit quoad distinctionem prioris & posterioris, quæ in apprehensione animæ propriè existunt.

Argu-

Argumenta in tertiam quæstionem.

Opp. *Aliter in fronte huius capitis, aliter in textu hanc quæstionem moues. In fronte enim quæris, An pro numero motuum multiplicetur tempus, hic vero An omnium sit idem tempus vnumq; numero: quod affirmas. Sed contra sic arguo, multiplicatur tempus pro numero motuum: ergo non est idem numero tempus omnium. Antecedens probo, quia cuiuslibet motus particularis est mensura: quot ergo sunt motus tot sunt tempora, aliter cuiuslibet motus non esset propria dimensio, nec vlla omnino velocitatis & tarditatis distinctio.*

Resp. *Non aliter in fronte, aliter in textu (vt ais) propono quæstionem si sensum spectes: ad argumentum igitur respondeo tempus esse duplex, commune & proprium: commune cælestis motus est, quo omnes particulares motus simul mensurantur, & sic vnū numero tempus commune omnium dicitur: proprium vero tempus dicitur mensura singularis cuiusque actionis & motus secundum prius & posterius, & sic ad multiplicationem motuum multiplicantur tempora. Nam idem non est tempus ortus interitusque, idem non est accretionis & diminutionis simul. At dices, quomodo tēpus commune potest esse idem numero? Respondeo respectu subiecti sui, nempe primi mobilis quod nō mutatur, & (si velis) respectu eorum quæ aguntur in cælo & terra simul.* Tempus duplex.

Argumenta in quartam quæstionem, Vtrum tempus sit omnis motionis, an primæ solum conuersionis mensura?

Opp. *Modo harum, modo illarum partium videtur esse Aristoteles: nunc enim tempus esse mensuram omnis motus nunc esse mensuram motus cælestis affirmat. Sic sæpe delirant philosophi, cum de abstractis animi ideis & formis agunt. Sed quid ais? stat ne Aristotelis sententia? is ait superius tempus esse propriam mensuram rerum habentium initium & finem. ait? quid tum? at hic plane contrarium ait. Quippe conatur docere esse propriam mensuram conuersionis motusq; cælestis,*

qua secundum illum neque initium, neque exitum aut finem habet. Præterea, quomodo potest esse propria mensura cœlestis conversionis, cum cessante eodem motu tempus in multis remanere possit? quod quidem probat Aristot. quia omnes spirituum & intelligentiarũ motus nõ in instanti fieri contendit. Moventur enim spiritus definite, neque ubique alarum suarum quasi celeritate usi simul in eodem momẽto esse queunt: tempus ergo consumũt in motu suo: at nemo nisi imperitus Philosophiæ dicet spiritualem istum motum à cœli conversione unquam dependere. Adderem hic (si liceret dominam cum ancilla, id est, divinam Philosophiam cum humana comparare) adderem inquam extremo iudicio peracto nullam cœli conversionem fore, tempus autem fore, quia verissima beatorum & damnatorum alteratio erit, quæ sine tempore esse non potest.

Resp.

Distinctio multiplicis *sapientiam philosophi non inconstantiam arguit. Licet ergo dicat hic Philosophus tempus esse propriæ mensuram cœlestis motus, & alibi esse propriæ mensuram rerum corruptibilium, non est iusta redargutionis causa, cum diverso respectu utrumque dicat. Est enim tempus propria mensura cœlestis motus ut inhærens, est propria mensura reliquorum ut adiacens: inhæret enim primo mobili, rei autem mortali adiacet, non inhæret. Vel (si vis) propria mensura motus cœlestis dicitur, quia is motus est primus, simplex, maximeque notus, à quo alii omnes motus dependent & cognoscuntur. Propriè quoque rerum mortalium duratio dicitur, quia in earum ortu & occasu magis quotidie cernitur. Est enim in rebus mortalibus causa quadam interitus & ruinæ, quippe omnia tempore consenescunt. Quæ*

Tempus inhæret primo mobili, cæteris adiacet.

2 *urges in secundo loco equidem libenter audio, necnon consentio tecum, esse quidem motum spirituum aliquo modo successivum, sed attende, esse quandam successionem & moram in ævo, quod solum in hoc differt à tempore, quia est mensura rerum habentium initium sed carentium fine, cum in rebus subiectis tempori sit mors & vita, id est, interitus ortusque vicissitudo. Idem respondeo ad supremum de supremo die argumentum, fore quidem cessante motu cœli verissimam beatorum & damnatorum alterationem, quia hi &*

Æuum quo differat a tempore.

3

illi

illi verissima resument corpora: sed hac fieri posse in aeuo non negatur. Habet enim aeuum sua momenta, quae res mutatas metiantur, neque successio est affectio temporis, sed propria differentia motus. Si ergo vllus motus rerum, cessante motu cæli remaneat, successio in eo esse potest qui aeuo tempore sepulto mensuretur. Sunt qui respondeant huic argumento, post extremum iudicii diem, cælum motumque cælestem non cessare, sed in perfectiore gradu repurgata essentia sua remanere: qua stante sententia ratio hac tua cadit. Sunt denique qui aiunt, has motiones spirituum, & alterationes hominum post temporis occasum miraculosas fore, non naturales: sed cesso plura de hac re dicere, tempusque quod me nunc senem fere in sepulchrum traxit, calamo quasi sepulturæ tradam. O tempus inexorabile, quo totum nunc mundum rapis? ad bellum? ad mortem? ad extremum iudicii diem? deliras certe: nam si hoc facias teipsum perdis. Dies enim extremus omne tempus tollit: sed infinita est malitia tua, quæ consumptis omnibus teipsum consumet iure. Sed interim o ter beati sumus, si exequias tuas, id est, extremum iudicii diem iam iam futurum consideremus! tuba iam, surgite mortui, venite ad iudicium, *clangit.*

Successio differentia motus, non temporis proprietas.

Finis libri quarti Physicorum.

LIBRI QVINTI

CAPVT I.

An { *Omnis mutatio sit motus?*
Sit vlla mutatio inter terminos negatiuos?
Sit vllus motus naturalis forma?
Ortus & interitus sint species motus? }

Transitio.



OTVS naturæ primum instrumentum & veluti manus est, qua omnes formas apprehendit. Nihil enim agit natura sine motu. multiplex ergo & varia est motus in physiologia consideratio, eademque multis oraculis & difficultatibus inuoluta. Quocirca Aristoteles in hoc libro & in iis qui sequuntur de eo præcipue sermonem instituit, vt vltra definitionem & subiectum (quæ in tertio libro explicantur) plenior & accuratior illius nunc habeatur cognitio. Sed ne studiosus lector animum hic despondeat suum, fereque credat nullum disceptationis de motu terminum aut scopum se inuenturum, polliceor breuitatem, & sic ad maiorem industriam & laborem subeundum (breuis cum sim futurus) suadeo. Quemadmodum enim diu in Oceano iactati, nullum videntes aut sperantes littus vel portum, mirifice reficiuntur, nec non excitantur ad magnos sustinendos labores, si gubernator puppis se ad vtrumque nauem deducturum subito promittat: ita non dubito, quin (me insinuante futuram breuitatem) lectores diu in profundo quasi pelago rerum immersi animos recolligant, leueq; studiorum onus sustentent libentius, vt optato tandem portu cognitionis perfruantur.

Libri diuisio. *Triplex motus distinctio.*

Diuiditur hic liber in tres partes: in prima de generibus motus, in secunda de vnitate & diuersitate, in tertia de eiusdem contrarietate disserit Aristoteles. Verum vt ad hæc pertractanda vberius viam muniat, triplicem motus distinctionem

ctionem tradit, ratione mobilis, mouentis, & formæ. Prima distinctio ratione mobilis sic se habet. Eorum quæ mouentur alia fortuito mouentur, vt accidentia ad motum subiecti cui inhærent: alia per partem, vt Socrates cum oculo sanetur: alia simpliciter & per se, vt cœlum in conuersione sua. Similiter ratione mouentis, alia mouent fortuito, vt cum musicus ædificat: alia in parte, vt Socrates, non totus, sed manu percutit: alia per se, vt medicus curat. Quippe vt musico per accidens conuenit ædificatio: ita medico curatio per se & vi sua conuenit. Adiungam tertiam distinctionem nunc proxime, quæ est ratione formæ, licet hic multa quidem subobscure interponat Aristoteles. Ratione ergo formæ quædam etiam dicuntur moueri fortuito, in parte, & per se, vt supra ratione mobilis & mouentis. Fortuito, vt *accensa lucerna subito illuminatur aer*: in parte, vt *Æthiops oculo & dente albescit*: per se, vt *adiecta materia calescit ignis*. Illa quæ interponi ab Aristotele insinuaui, sunt quinque conditiones quę requiruntur ad motum, nimirum *mouens, mobile, tempus, terminus a quo*, & *terminus ad quem*: de quibus nunc plura dicere supersedeo. quia satis in 3. libro de iis disputatum est: vbi idipsum tum demonstraui quod iam demonstrat Aristoteles: motum scilicet non esse in mouente, non esse in termino *à quo*, non esse in termino *ad quem*, sed in ipso mobili, vt in proprio subiecto inhæsionis suæ.

Mobile quotuplex.

Mouens.

Mobile ex forma.

Ad motum requisita.

His positis hoc tandem infert, nullum motum per accidens proprie, in hac vel in vlla scientia tractandum esse: ratio est, quia infinitæ mutationes sunt per accidens, at de infinitis non est scientia: relinquitur ergo, vt ea quæ mouentur per se, proprie & vi sua sub scientiam cadant, quia hæc sunt certa & finita. Sunt (inquit Philosophus) certa & finita, quia aduersa, media, aut contradicentia (sub quibus priuantia continentur) sunt quoad rationem motus, qua vnum in alterum commutatur, termini finiti mutationis. Hoc dicit, non quod non putet negantia in contradicentibus esse infinita, sed quoniam contradicentia tum finitorum rationem habent, cum pro terminis motus capiātur: vt in corruptione hominis, cum natura ab homine ad non hominem moueatur. Animaduerte autē *non hominem*

Motus in mobili.

hoc in loco non simpliciter & absolute pro non ente, sed pro termino ad quem tendit natura sumi. Est enim omnis motus *vnius in aliud commutatio*: cum hoc illud secundum *prius* & *posterius* sequatur. Commutationis autem genera sunt quatuor, primum à subiecto in subiectum, alterum à subiecto in non subiectum, tertium à non subiecto in subiectum, postremum ex non subiecto in non subiectũ. Hoc vero postremum genus mutationis, vt alienum à natura & philosophia reiicit, quia omnis mutatio est ab opposito in oppositum: sed duo negantia, vt *non subiectum* & *non subiectum*, non sunt opposita. Hinc exponit Philosophus quid intelligat per *subiectum*: *subiectum* (inquit) omne est ens positiuum, quod motui & mutationi subiicitur: *non subiectum* vero est non ens, aut priuatiuum aut contradictorium. Ex his constat generationem ex *non subiecto* ad *subiectum*, corruptionem aũt ex *subiecto* in *non subiectum*, alterationem deniq; *ex subiecto* ad *subiectũ*, i. ab ente positiuo ad ens positiuum mutationẽ esse. Generatio aũt & corruptio nõ sunt proprie inter mot⁹ genera, si stricte & pręcise nomẽ *motus* sumatur. Hoc ergo interest inter mutationem & motum, quia omnis mot⁹ est mutatio, sed omnis mutatio non est motus. Motus enim semper requirit tempus, at mutatio semper idipsum non requirit. Quippe motus est ens successiuum à natura sua, mutatio vero potest esse cum aliud ex alio in instanti nascatur, vt in generatione & corruptione rerum, si perfectiue (vt aiunt) capiantur. Sed hic distinguit Philosophus de generatione; quod sit vel simplex, vel secundum quid: illa est substantiæ, hæc accidentis: illa ex non ente simpliciter, hæc vero ex parte, vt si ex *non albo* fiat *album*. Per *non ens* hoc locó non absolutam negationem negantem, sed priuantem aut mixtam intelligit, id est, ens tale quod forma omnino careat, vt materia prima: aut rem eam quæ forma priuata ad aliam internam vel externam naturæ vi & potentia moueatur. Sic cum generationẽ *ex non ente* simpliciter fieri in textu doceat Arist. intelligit ex *non ente tali*, id est, quod simpliciter tale non est, quale est illud ad quod natura rapitur. Epiphonema omniũ hoc est (ni fallar) nullum *non ens* mouetur: sed quicquid generatur aut corrũpitur est *non ens*: ergo quicquid generatur aut corrum-

Motus quid.
Commutatio quadruplex.
Subiectum motus.
Motus, mutatio.
Generatio duplex.
c *Generatio unde.*

corrumpitur non mouetur: & ex consequenti generatio & corruptio non sunt motus genera. At (dices) homo generatur & corrumpitur: sed homo est *ens:* ergo quicquid generatur aut corrumpitur non est *non ens.* Attende in quo sensu loquatur Aristoteles. non loquitur de subiecto, sed de priuatione à qua incipit generatio, & de negatione in quam desinit corruptio.

Concludit tandem hoc caput Aristoteles definiendo & diuidendo motum per se acceptum: est (inquit) motus per se acceptus mutatio sensibilis & successiua, vi sua inter contrarios terminos, vel medios. A qua definitione facile excluduntur generatio & corruptio: quia etsi fiant per se, non tamen successiue, sed in instanti: non inter contrarios & positiuos terminos, sed potius inter priuantes aut contradicentes. Incipit enim generatio à priuatione, desinit corruptio in contradictionem formæ: à qua nulla reuersio ad idem subiectum numero & natura datur. Diuisio motus est in tres species. Omnis enim motus est vel ad quantitatem, vt *accretio & diminutio*: vel ad qualitatem, vt *alteratio*: vel ad vbi, vt *loci mutatio.* *Definitio motꝰ.* *Diuisio motus.*

Habes (studiose lector) analysin vtcunq; à me collectam huius capitis: in quo secundum Beuerum, Collegium Conimbricense, aliaque lumina philosophiæ, aliqua desiderantur, mutilantur non pauca, dicuntur nonnulla subobscure: sed pro viribus dispersa quasi membra in vnam tabulam coegi, frontemque & mentem Aristotelis, id est, verba & sensa collegi, vt aliqua imago veritatis luceat, vsusque ex textu fiat.

Distinctio quæstionum primi capitis.

Explicantur in hoc capite:

1 Definitio mutationis, vt sit *qualiscunq; vnius in aliud translatio successiua vel momentanea.*

2 Distinctio motus à mutatione, quia omnis motus est mutatio, sed omnis mutatio non est motus.

3 Diuisio &c. Vide in seq. pag. lit. A.

A

3 Diuisio eorũ quæ mutantur, ratione mobilis, mouentis, formæ, idque vel

1 Per accidẽs, sic mouetur *lux* ad motum *solis*.

2 Secundum partem, sic aliquis *oculo* aut *pede* sanari dicitur.

3 Per se, vt *corpus animatum* augetur, nutritur, alteratur. Notandum hic est, quod per accidens moueri, sit vi alterius extrinsecus moueri: per partem mutari sit non in omni parte sed in aliqua tali, à cuius motu totum aliquo modo denominatur; per se denique moueri, sit vi sua interna moueri. Notandum etiam hic est, similem esse diuisionem mouentiũ, si iusta obseruetur proportio; nempe vt alia moueant per accidens, alia in parte, alia vi sua & per se.

4 Conditio multiplex requisita ad motum, nempe vt habeatur ratio mobilis, motricis causę termini *a quo*, termini *ad quem*, temporis, quibus multi locum addunt. Sed de his in tertio libro satis. Hinc à generibus motus excluduntur generatio & corruptio, quæ in instanti fiunt, si perfectiue considerentur.

5 Distributio mutationis in suas species, vt mutationum alia sit ab *ente positiuo ad ens positiuum*, vt ab *albo* in *nigrum*; alia ab ente positiuo ad ens non positiuum, vt ab *igne* in *materiam primam*; alia, ab ente non positiuo ad ens positiuum, vt a *materia prima* ad formam *ignis*, alia à non ente positiuo ad non ens positiuum, vt in *negationibus mathematicis*, quæ species mutationis est ab hoc instituto alienior, vt hic docet Philosophus.

6 Partitio motus, nempe vt omnis motus pertineat vel ad quantitatem, vt *accretio* & *diminutio*, vel ad qualitatem, vt *alteratio*, vel ad vbi, vt *loci mutatio*.

7 Descriptio motus proprie accepti, vt sit mutatio sensibilis successiua a termino *a quo* ad terminum *ad quem*, vi & potentia naturæ mouentis facta.

8 Acceptio bipartita generationis & corruptionis, vt sit vel simplex in substantia, vel composita seu per accidens, cum de nouo accidentia generentur.

Argumenta contra intentionem Philosophi in hoc libro & sequentibus.

1. Opp. *Mouet Aristot. sed nihil promouet in hoc stadio de motu percurrendo: nihil promouet, quia nihil prodest; prodest*
2. *nihil, quia nihil hic adfert quod antea in libro tertio Physicorum non insinuauit; vbi de natura, subiecto, proprietate, affectione, & fine motus satis copiose differuit. Praterea vincu-*

la

la rationis & ordinis hic desunt, quibus hæc cum præcedentibus colligentur. Hoc loco nihil de abrupto exordio huius capitis, nihil de mutilatis oraculorum more editis sententiis, nihil de abditis & obscuris interrogatis rerumque distinctionibus dicam; satis est ut doceam, esse interpretes qui istis adducti rationibus putarint hunc librum cum antecedenti non cohærere, neque hoc ordine ab Aristotele compositum fuisse, ut (instar omnium) grauissimum collegium Conimbricense refert. Postremo, rationem non video quorsum tam multiplex distinctio mutationis & motus adducatur; nimirum respectu mobilis, mouentis, & formæ; eademque fortuito, secundum partem, & per se; & iterum a subiecto in subiectum, à subiecto in non subiectum, à non subiecto in subiectum, & denique à non subiecto in non subiectum. Otiose (inquam) hæc adducuntur omnia, cum inter non subiectum & non subiectum nulla sit prorsus oppositio. Addere etiam licebit & illud, quod omnis motus non sit in quantitate, qualitate, & ubi, (ut hic docet) quia in substantia (ut alibi docet) generatio & corruptio sint species motus: quod hic friuola ratione & mendacio negat. Friuola ratio est, quia in instanti fiant; mendacium est, quia à non ente vel ad non ens simpliciter procedunt, quod est simpliciter falsum. Nam neque generatio à non ente simpliciter incipit (subiectam enim materiam habet) neque corruptio in non ens simpliciter desinit, cum corruptio unius sit generatio alterius, solaque forma prioris non materia extinguatur.

3.

Cap. 1. huius libri.

4.

5.

Resp. Qui alterum incusat probri ipsum se intueri oportet: *diuerberas Aristotelem verbis, sed re nugaris. Mouet enim, promouet, multumque prodest nobis in hoc longiori de motu stadio percurrendo. In tertio libro solam umbram istarum rerum sparsit, nunc radiis illustrat omnia. Non desunt vincula rationis & ordinis; nam ipsa natura quæ est principium motus postulat ut de motu primario illius affectu uberius disputetur; & certe opportunius de eo disputari non potest, quam tum tandem cum de tempore in quo fit motus copiose disputatum fuit. Aurea ergo veluti catena cohærent hæc omnia, ordinisque & rationis vincula non desiderantur, ut ais. Transitioni vel occupationi tua rhetorica de abrupto exordio capitis, de oraculorum more editis sententiis, de ab-*

Plautus in Truculento.

1.

2.

3.

ditis & obscuris interrogatis, rerumque distinctionibus, vt
tu nihil dicis, ita equidem nihil respondeo. Solum hoc dico,
desiderari fortasse aliqua verba, & in principio, & in aliis
partibus huius capitis, quæ textum obscuriorem efficiant. In
principio, vt omne autẽ ꝙ mouetur: hoc ipsum autem vide-
tur cum præcedentibus de tempore non cohærere; & iterum
Vide Bener. hoc cap. circa finem hæc oratio Similiter vero & quiescere concisa (ni
fallar) & mutilata est. Sed hic non est error Aristotel. si tem-
4. porum iniuria desiderentur pauca. Reliqua quæ addis salis
nihil habent: quippe distinctiones istæ omnes mutationis &
5. motus sunt necessariæ. At contradictionis & mendacij accu-
sas Philosophum, quod alibi generationem & corruptionem
concluserit esse motus, hic tamen pertinaciter neget; quia in
instanti fiant, & à non ente aut ad non ens tendant. Respon-
deo, si progressiue sumantur esse motus genera; aliter autem
Arg. categ. cap. de Sub. non esse. Postremo, per non ens simpliciter intelligis Philoso-
phus in generatione & corruptione formam corruptam, quæ
vt in cæteris motus generibus non potest suscipere magis &
minus, quippe substantiæ nihil est contrarium, nec magis &
minus, vt in proprietatibus eiusdem constat.

Argumenta in primam quæstionem, An omnis mutatio sit motus?

Opp. Omnis mutatio videtur esse motus, quia omnis mu-
1. tatio est transitus ab vno in aliud; at omnis transitus ab v-
no in aliud est motus: ergo omnis mutatio est motus. Maior
à definitione mutationis est; minor probatur, quia transire
2. est mouere; est ergo transitio motus. Præterea, vbicunque
reperitur mutatio, ibi est prius & posterius: ergo omnis mu-
tatio est motus. Antecedens constat ex diuisione mutationis
à subiecto in subiectum, à subiecto in non subiectum, à non
subiecto in subiectum, & denique à non subiecto in non sub-
iectum: quæ progressio naturæ à termino ad terminum, ab
extremo ad extremum fieri non potest, nisi per medium.

Resp. Nomen mutationis sumitur vel stricte, vel fuse:
stricte sumptum nihil aliud quam motum importat, fuse ve-
ro acceptum vltra limites motus extenditur, pro omni vel
successiua vel momentanea, naturali vel supernaturali con-
stitutione

ſtitutione aut alteratione rerum. Eſt enim creatio certa mutatio, non motus: ſic etiam generatio & corruptio ſecundum Ariſtotelem, à motus generibus excluduntur, quia in inſtanti fiunt: eſt tamen in generatis & corruptis certa mutatio: negamus ergo id quod tu pro fundamento ſumis, omnem ſcilicet mutationem in tempore per medium fieri. Eſt enim creatio ſine medio, ſic etiam eſt omne mutatum eſſe, *cuius (vt antea docuit Ariſtoteles) propria menſura eſt inſtans, non tempus.*

Argumenta in ſecundam quæſtionem, An ſit vlla mutatio inter terminos negatiuos?

Opp. *Eſt aliqua mutatio inter terminos negatiuos: ergo Ariſtoteles non recte idipſum negat. Antecedens probatur, quia ſi non eſſet, fruſtra poneretur in textu quadripartita illa diuiſio mutationis, cuius vnum membrum eſt tranſitus à non ſubiecto in non ſubiectum. Præterea in dialecticis & mathematicis præceptis traduntur nonnullæ mutationes negatiuæ, à quibus firmiſſima petuntur argumenta: vt, ignis non mutatur in aquam: ergo ignis non mutatur in frigidum & humidum elementum. Vt ergo ratio ex negatiuis: ita mutatio ex iiſdem conſtare poteſt.*

Reſp. *Vltimum illud membrum in diuiſione mutationis infertur ex opinione aliorum philoſophorum, ſed ab ipſo Ariſtotele in textu refellitur: & ſolum tria priora approbantur, quia in illis eſt oppoſitio. Quod vrges ex dialecticis & mathematicis præceptis nihil viriũ habet: imo exemplum quod adfers plane contra te facit. Nam ignis & aqua non ſunt entia negatiua, vt hic Ariſtoteles negantia intelligit: quippe negationem hoc loco pro non ente ſumit. Vt ergo ex puris negationibus nulla fit demonſtratio: ita in actu opereque natura ex terminis ſimpliciter negatis nulla fit ſpecies mutationis.*

Argumenta in tertiam quæſtionem, An vllus ſit motus naturalis formæ?

Opp. *Motus definitur ſolum actus mobilis: ergo inanis*

est illa distinctio quod sit motus mobilis, mouentis, & forma. Antecedens probatur libro tertio physicorum. Praeterea, forma non est antequam acquiratur: quomodo igitur est motus forma? Deinceps, forma est terminus ad quem mouetur natura, & in quo quiescit à motu: non est ergo motus forma. postremo, forma est finis: ergò non mouetur. Antecedens constat, quia est interna perfectio rei: ratio tenet, quia non opus est motu cum res perficiatur.

Resp.

Forma consideratur duobus modis, vel inchoatiue, vt delitescit in potentia passiua materiæ, & actiua naturæ mouentis, & sic est aliquis eiusdem motus: vel perfectiue in sua ipsius propria natura, & sic est potius terminus quietis, quàm motus. Hac distinctione considerata, omnibus argumentis satisfactum iri facile videbis. Si plura desideres hoc addo, Aristotelem nomen formæ largissime hoc loco sumere, tam pro interna differentia, quam externa affectione rerum.

Argumenta in quæstionem quartam, An ortus & interitus sint species motus?

Opp.

Rationes Philosophi.

Ridicule videtur Philosophus negare ortum interitumque esse motus hoc loco: primum (inquit) quia fiunt in instanti: tum quia à non ente procedit generatio, & in non ens desinit corruptio: hinc quoniam id quod generatur non est: deinceps quia non est in loco: porro quia vtrique non opponuntur motus & quies. Et quorsum quaeso? quoniam scilicet neque generatio, neque corruptio sunt motus, & proinde altera alteri vt motus opponi non potest: neque est in hac vel illa quies, quoniam natura nunquam est otiosa. Articulatim hæc omnia discurro ex Aristotele, vt quam inaniter hæc ipsa docuerit sint vlla vi demonstrationis demum intelligas.

Rationes opponentis contra.

Sed refutabo paucis. Negas ergo (Aristoteles) generationem & corruptionem esse motus genera, quia in instanti fiunt: cur alibi inter genera motus annumerasti? Praeterea, cur non eadem ratione negas augmentationem, alterationem, & loci mutationem esse motus genera, cum ipsa etiā perfi-

perfectiue, in termino ad quem *considerata in momento fiant? At hæc non procedunt à non ente, nec in non ens desinunt, vt generatio & corruptio. Si hæc sit vis rationis tuæ, non quenquam omnino vulnerat: quia neque generatio à non ente simpliciter, sed à non ente tali procedit, neque corruptio in non ens simpliciter, sed in non ens tale omnino desinit. At pergis, & requiris locum ad omnem motum. Ridicule: quem locum habet motus cæli? quem alteratio rerum? alibi hoc ipsum quod nunc requiris negas. At non opponitur motus istis vt in cæteris: quid ita? quia generatio & corruptio non sunt motus. Id restat tibi probandum: circulos iam facis, & principium petis. Hoc saltem dico, quietem illis non opponi, quod ad omnem motum plane requiritur. Dico opponi, quia acquisita forma quiescit natura.*

Resp.

Athleta non es, quamuis bicipiti gladio armatus in arenam ante victoriam triumphans irruas, verba & argumenta Aristotelis ex textu repetis, & repetita contemptui habes, leuem denique adhibes refutationem. Age, sequar quo trahis. Ridicule (inquis) videtur Philosophus negare ortum interitumque esse motus genera, magis ridicule tu quidem affirmas. Sed cur Philosophus negat? primum quia (vt ais) fiunt in instanti. Ratio Aristotelis firma est: quomodo refellis? Facile: quoniam eadem ratione aliæ motus species reiiciantur. Nego: rationemque addo: quoniam aliæ motus species veram suæ mutationis denominationem à primo gradu motus habere possunt, vt res tum augeri, vel diminui, vel alterari dicantur, cum ad hos vel illos terminos mouere incipiat natura: generatio vero & corruptio non ante vltimum gradum vestigiumq; mouentis naturæ impressum sic vere appellari possunt. Quippe homo non proprie generari aut corrumpi dicitur, antequã forma humana aut inducta aut sublata fuerit: qui actus naturæ est in mutato esse, *cuius mẽsura est instans, nõ in progressione successiua, cuius numerus tẽpus definitur esse. Sed perge, quæ alia est ratio cur hæc à motus generibus excludat Aristoteles? hæc scilicet, quoniam generatio est à non ente, & in non ens corruptio. Quid reprehendis? illud nimirum, quod nihil in rerum natura à non ente fiat. Neq; Aristot. hoc loco per non ens nihil intelligit, sed*

non ens tale, quod respectu formæ extinctæ simpliciter & verè non ens nominari potest: non autem respectu totius naturæ, quæ semper in generatione & corruptione aliquam materiam subiectam habet. Quid vltra quæris? hoc nimirum: cur Aristoteles ortum interitumque excluderet? quia non habet locum, & quoniam iisdē nec mot⁹ nec quies opponitur, vt cæteris mutationis generib. Cur (quæso) elumbes hæ rationes videntur tibi? quoniam cæli motus non requirit locum, & quoniam istis speciebus motus non minus quam cæteris, motus & quies opponuntur. Parum attendis quid velit Aristoteles. Nam non requirit locum ad motum respectu sui, sed respectu mobilis, quod in generatione locum non habet antequam forma inducatur: tum enim solum res generari dicitur. Neque (vt tandem concludam) generationi & corruptioni opponūtur termini vt in cæteris motus generibus: quia in illis vnus terminorum est ens negatiuum, in cæteris vero est ens nullum negatiuum. Hic ergo est scopus Philosophi, vt probet & concludat propriè id solum esse mutationis motusque naturalis genus, quod est ab ente positiuo ad ens positiuum, reliqua vero genera esse analogica.

CAPVT II.

Vtrum
- *Motus sit solum in quantitate, & qualitate, & vbi?*
- *Motus subiiciatur motui, aut terminetur ad motum?*
- *Gradus intensionis & remissionis in qualitatibus fiant solum per admixtionem contrarii?*

QVod modo in fine prioris capitis Aristoteles attigerat, idipsum nunc ꝓbat: nimirū, *in tribus solum categoriis reponi motū, quantitate, qualitate, & vbi.* In *substantia* (inquit) non est, quia substantię nihil est contrarium: at omnis motus est à contrario in contrarium. Non est in *relatione*, quoniam relatio de nouo acquisita nullam permutationem facit nisi ratione fundamenti. Non est in *actione* aut *passione* propriè, quoniam ad motum non est motus. Hoc dicit Philosophus, nō quod actio & passio non sint quidam actus mouen-

mouentis & mobilis, id est motus agentis & patientis; hoc enim ante in tertio libro asseruit: sed quod in *actione* & *passione* sit motus solum ratione subiecti & fundamenti. Nam hoc modo & respectu solum hæc duo prædicamenta (vt ait Gilbertus Porretanus) suscipiunt contraria, magis minusque, & motum. Exempli causa, idcirco calefactio & frigefactio sunt contraria, quia calor & frigus aduersantur: & ideo magis & minus suscipere dicuntur, quia calor & frigus intentionem & remissionem capiunt: & denique ob eam causam nominãtur motus, quia natura ab vna istarum qualitatum ad aliam vi quadã agentis & patientis pellitur. Hinc illud addit, motum neq; pro subiecto motus, neq; ꝓ temino recte sumi posse: non ergo est motus in actione & passione. Neutra enim est subiectum aut terminus alterius, sed substantia, aut qualitas: ad quas categorias, vt ad causas & fundamenta referuntur.

Quod motus non terminetur ad motum probat Philosophus trifariam, primum quia si motus esset terminus, sequeretur mobile semper moueri, nec omnino quiescere in termino *ad quem*: quippe terminus est ipse motus, in quo nulla quies sed progressio mobilis naturæ inest. Præterea, motus non terminatur ad motum, ne idem numero & natura mobile contrariis motibus simul agitetur: cum omnis motus sit à contrario in contrarium. Postremo, si motus esset terminus motus, esset progressus infinitus in motu, neque daretur primus vel vltimus motus: quod quidem est perabsurdum, omniq; rationi dissentaneum, cum motus in quietem desinat. Hic multi interpretes attoniti sunt, & secum plurimum deliberant, quomodo liberent Philosophum à contradictione, qui (non obstante quod alibi defendat ęternitatem mundi) hic tamen dicat dari motum primum & vltimum, qui si detur, mundi æternitas ruit. Sed contradictio nulla est Aristotelis, qui hic solum de motibus rerum finitarum agit, idque respectu finitorum terminorum, à quibus, & ad quos res mobiles cientur. Est enim in progressione cuiuslibet rei mobilis primus motus, primusque eiusdem gradus, est etiam vltimus, quem quies forma acquisita sequitur. In vniuerso autem stadio & Olympo naturæ dari non potest primus mouendi ictus, nec vltimus pulsus eiusdem. Et sic

Quæst. 2. An motus sit terminus aut subiectũ motus?

licet in constitutione cuiuslibet rei per motum & medium sint duo extrema, initium & finis motus: in toto tamen vniuerso æternitas triumphare potest. Consequenter probat Philosophus, motum non esse subiectum motui, primum quia non est subiectum quietis, quod sane esset, quia motus & quies priuatiue opposita vnum subiectum capax vtriusque haberent: tum quia esset processus in infinitum, nam hic motus esset subiectum illius, & ille huius sine vllo termino quietis. Hinc quia mottus ipse moueretur: omne enim subiectum motus est mobile. Deinde quia doctrina quæ est motus ad disciplinam, non est subiectum disciplinæ, & proinde generatio generationis non est subiectum: est enim par ratio vtriusque, si exempla conferas. Postremo, inter tres species motus in quantitate, qualitate, & vbi: nulla est subiectum alterius: ergo motus nullus alteri subiectum esse potest.

Motus motus non est subiectum.

2 pars cap.

Altera pars capitis est in qua resumit Philosophus illud quod in fronte proposuit, nimirum motum solum in tribus reponi prædicamentis, substantia, qualitate, & quantitate. Rationes sunt duæ, prima quoniam in hisce tribus est oppositio ad motum requisita: altera, quia in illis inest motus per se, in quibus sunt termini motus per se: sed in quantitate, qualitate, & vbi sunt termini motus per se: ergo in illis sunt motus per se. Concludit iam caput anticipatione obiectionis, & distinctione *immobilis*. Obiectio est de gradibus qualitatum quę intenduntur & remittuntur, quomodo inter illas possit esse motus, cum non sit contrarietas? Respondet Philosophus esse contrarietatem sufficientem: nam intensa qualitas remissę contraria est, & ad motum efficiendum sufficit. Distinctio *immobilis* est, vt *immobile* sumatur trifariam, vel pro eo quod omnino moueri non potest, vt *Deus*: vel pro eo quod difficulter moueri potest, vt *mons*: vel pro eo quod quiescens facultatem mouendi habet, vt *stagnum*, quod ad tempus sistit, fluere tamen potest si canalis aut meatus decliuis fiat.

Rat. pro. 1. qu.

Immobile triplex.

Quæst. 1.

Hactenus de textu, ex quo vnam præ aliis elicio quæstionem, *Vtrum intensio & remissio qualitatum sint motus per additionem gradus, vel admixtionem contrarii?* Difficilis quidem est hæc quæstio, in qua explicanda multorum ingenia

nia defatigantur. Nam cum Aristoteles statuerit nullum motum esse nisi à contrario in contrarium, non vident quomodo hoc loco sine contradictione defendant esse in remissione & intensione eiusdem qualitatis motum: quoniam vna eademque qualitas non potest esse contraria & infesta sibi. Quærunt ergo An per additionem & ablationem gradus? vel per admistionem & separationem contrarii? an denique per radicationem (vt aiunt) & impressionem formæ in subiecto hic motus remissæ & intensæ qualitatis fiat? Probabiliter defenditur, hoc neque fieri per admistionem contrarii, quoniam multæ qualitates intenduntur quibus nihil est contrarium, vt *lux* & *lumen*: neque per maiorem radicationem & impressionem formæ, quia non intelligitur vnde ista vehementior formæ impressio in subiecto fiat, neque quid priorem gradum partemque formæ aduenientē posteriore perimat & corrumpat, cum inter illas partes & gradus nulla sit oppositio. Quæ enim repugnantia est, cum vna eademque qualitas intensa aut remissa maneat? Quippe vt idem est numero & natura homo nunc infans, nunc crescens in virum; ita eadem est non diuersa qualitas, licet nunc intensa, nunc remissa, aliquando perfecta, aliquando imperfecta existat. Fallax & falsa igitur videtur illa Aristotelis in textu positio, intensionem & remissionem qualitatum motum à contrario in contrarium esse.

Qualitates intenduntur & remittuntur, non per admistionem contrarii, non per impressionem formæ maiorem.

Sed ne sim molestior verbis pergam, & docebo imprimis quid sit gradus, & quotuplex in intensione aut remissione qualitatum: tum in quibus qualitatibus consistat: postremo, quomodo hic motus fiat. Gradus aut perfectionis aut defectionis dicitur. ille est intensio eiusdem qualitatis, vi & potentia formę agentis facta, quæ rem quamlibet ad maiorem perfectionem mouet, donec ad summam peruenerit: quā quidem perfectionē tametsi res quælibet non assequaquatur, voto tamen ad illam, quantum in se est, contendit. Ex aduerso gradus defectionis definitur, vt sit remissio qualitatis impotentia materiæ patiētis facta, quæ semper ad maiorem defectionem rem trahit, donec ad extremum terminū, & (vt ita dicam) fatalem exitum & exitium suum peruenerit, vt scilicet noua successio fiat. nihil enim corrumpi agens

Gradus perfectionis.

Gradus defectionis.

natura finit, nisi ex *phœnicis* veluti cineribus sepultis rem aliam protinus oriundam videat. Sicut ergo in bene instituta & sapienter administrata republica præmia virtutis summa, vt merę proponuntur, ad quas omnes ciues contenderent, licet eorum singuli easdem non attingant: ita in naturali ciuitate rerum assignantur summi perfectionis gradus, veluti scopi ad quos insito & ardenti desiderio ferantur omnia, quamuis omnia summam perfectionem non consequantur. Cæterum si semel aculeis priuationis, aut contrariorum impetu seu conflictu vulnerentur, declinant illa, ruuntque in præcipitium, metam in extremis oppositam perfectioni.

Quotuplex gradus. Sed quid ludo? Gradus quid sit vides, nunc quotuplex sit in vtroque genere consideremus. Alii duos, alii tres, alii quatuor assignant. Qui duos solum esse volunt summum & infimum appellant, qui vero tres inferunt: summum, infimum, & medium nominant: qui denique quatuor inducunt, sensu iudice duos extremos, duosque medios esse demonstrant. His equidem applaudo, quia sententiam Aristotelis explicatius attingunt. Sed antequam ad gradus singulos describendos veniam, operæpretium erit accuratius docere, quid sibi videatur Aristoteles velle per *contrarium*, cum omnem motum à *contrario in contrarium* factum esse definiat: cui sententiæ non subscribunt multi interpretes, quia vident primum motum cœli successiuum esse, etiamsi neq; contrarii, neque medii resistentiam habeat. *Cœli motus.* Cæterum huic obiectioni satisfactum est antea, cum docuerim cœlum moueri ab intelligentia summa, quæ sine loco mouere potest omnia, cum ipsa sit motrix causa omniū. Addunt multi alias duas causas, figuram cœli, & partium cœlestium situm: illa efficit vt neque celerius neque segnius moueri possit, hic vt eiusdem motus successione fiat. Neque est inepta illorum resolutio, qui dicunt cœli motum esse à contrario in contrarium, vel quia oriens & occidens cōtrarietatis naturam induunt, vel quia est inferiorum sphærarum cum prima lucta quædam: in contrariam enim viam tendunt & renituntur, vnde impetus rapidissimus, & impetuosissimus (vt ita dicam) raptus primi mobilis cæterorum motuum quasi frænis & habenis temperetur. Hoc scrupulo

lo sublato, contrarium hoc loco stricte sumptum non definitur vt sit sola qualitas sensibilis alteri in eodem subiecto opposita, quæ agendo aut patiendo vincat aut vincatur: sed patentius se hic fundit hoc nomen *contrarii* respectu motus, quia motus etiā est in quantitate, & vbi, in quib. non est talis omnino agentiū & patientium qualitatum repugnantia: est ergo contrarietas respectu motus *duarum repugnātia formarum positiuarum, quarum vna est terminus a quo motus incipit, altera terminus ad quem desinit & terminatur*. Sic inter maiorem & minorem magnitudinem est contrarietas, quæ in *augmentatione*: sic inter locum sursum & deorsum est contrarietas in loci mutatione: maxime vero proprie est solum contrarietas inter qualitates sensibiles, q̄ passiones & patibiles qualitates dicūtur. Passiones & patibiles (inquam) qualitates, *non q quicquam patiantur ipsa, sed quoniam sensibus vel externis vel internis motum & passionem inferunt*, vt *calor & frigus tactus, gaudium & dolor appetitus*. Quare vt propius accedam in his potissimum qualitatibus graduum (de qua nunc agimus) consideratio versatur. Hæc breuiter interposui inter definitionem & diuisionem *gradus*, vt dilucidius multo & clarius verba Aristotelis de motu à contrario in contrarium per gradus intelligantur.

Contrarietas quid sit.

Contrarietas maxime proprie inter passiones & patibiles qualitates.

Sed pergam ad numerum ipsorum graduum, qui in qualitatibus susceptiuis *magis* & *minus* cernitur. Primus gradus (si à minimo incipias) est vix sensibilis intensio qualitatis, id est talis affectio q̄ valde parum sensum mouet aut mutat: qualis est (exempli causa) *susurratio*, seu vox valde submissa. Secundus gradus paulo intensius sensum percellit, vt *vox media*. Tertius qui adhuc vrget magis, vt *sonus tuba*. Vltimus est, qui vehementissime percutit sensum, ipsumque fere attonitum reddit, vt *tonitru*. Apud doctissimos medicos infinita de hac re inuenies præcepta & exempla, in omni sensili & passiua qualitate, quales sunt omnes primæ & secundæ qualitates. Sic *Buglossa* in primo gradu calida, quia spiritus vitales fouet: *Anthos* in secundo gradu calidior: in tertio feruentius *Gingiber & Piper*: in vltimo omne causticum & adurens vt *Euphorbium*, quod igneum calorem actu in sensum imprimit. Similis est ratio in gra-

Graduū qualitates.

1. 2. 3. 4.

dibus frigoris, ſiccitatis, & humoris, ſi variis modis affecta ſubiecta earum qualitatum ſpectes. Hinc liquido conſtat, quaſnam qualitates hoc loco potiſſimum intelligat Philoſophus: ea ſcilicet quæ ſunt in tertio genere qualitatis: hæ enim veriſſime intendi & remitti dicuntur. Ratio prima eſt, quia inter has fere omnes eſt naturale quaſi odium & certamen, in quo vna victoriam, altera ruinam habet. Cæterum in hoc conflictu languor huius, robur illius ineſt, vnde iſta intenſio & remiſſio naſcitur: languor ex impotentia materiæ, robur ex vi & potentia ſubiecti, in quo hi affectus & qualitates certant. Sunt aliæ quoque cauſæ ſuſcipiendi magis & minus præter hanc admiſtionem pugnamque contrarii, ſcilicet cuiuis rei inſita facultas acquirēdi ſummam perfectionem, & (vt ita dicam) actiuitas ſeu viuacitas formæ, de quibus poſtea pluribus dicam. Quid? an non ſunt aliæ qualitates aliorum generum, in quibus iſti motus & mutationis gradus ſecundum magis & minus inſint? Certe proprie non ſunt: communiter autem in aliis conſtare non nego, vt in virtute & vitio, fereque infinitis eiuſdem generis.

Aliæ cauſæ ſuſcipiendi magis & minus, præter admiſtionē contrarii.


Motus qualitatum.

Supereſt vt nunc doceam quomodo iſta qualitatum contentio & motus fiat? & an ſit ſolum à contrario vel alia quacunque ratione. Affirmant aliqui eſſe à potentia actiua ſubiecti, aliqui aſſerunt à potentia formæ, aliqui à repugnan-
1. tia contrarii. A potentia ſubiecti, quoniam res quælibet naturali quodam deſiderio appetit perfectius bonum: vnde fit vt qualitates inhærentes magis & minus ſuſcipiant,
2. prout earum ſubiecta afficiuntur. A potentia formæ, quoniam ea, (ſiue ſit interna ſiue externa) nunquam eſt otioſa. Natura enim cuilibet formæ facultatem agendi dedit, ad
3. maiorem perfectionem aucupandam. A repugnantia contrarii, quoniam non eſt actio ſine paſſione: & quoniam in ipſorum graduum acquiſitione eſt quædam pugna ſeu oppoſitio quæ ad motum hunc efficiendum (de quo hic agit
1. Philoſophus) ſufficit. Eſto igitur: ſi gradus à potentia ſubiecti fluant, quo fortius eſt ſubiectum agens eo magis illius qualitates intenduntur: vt calor ignis intentior eſt calore
2. aeris, quia ignis potentius agit, aer vero languidius. Si autem oriantur à potētia formæ, eodem modo dicendum eſt,

quoad

quoad excellentiam vel defectionem eiusdem. Si denique 3.
à repugnantia contrarii, tum quidẽ impar congressus & mixtio est, vt ea demũ qualitas *magis suscipere* dicatur q̃ minus habet contrarii, ea vero *minus*, quã potentior qualitas in actione vincit. Hanc opinionem præ cæteris defendit Aristoteles, fieri nimirum motum semper a contrario in contrarium, idque in gradibus intensis & remissis eiusdem qualitatis : quæ sane opinio tuta est: nam in gradibus intensionis & remissionis est quædam conflictatio. Exempli causa, si calor naturalis intendatur, fiatque febrilis, proculdubio hic calor febrilis opponitur naturali, nam ille aereus, hic igneus dicitur.

Distinctio quæstionum secundi capitis.



A

Secunda. *An motus possit esse subiectum aut terminus motus?* Negat Aristoteles in textu, vt ex nostra expositione directe intelligas: & quod

- Non sit terminus probatur
  - 1 A contrario, quia si esset terminus, tum motus esset contrarius sibi, nimirum quies, quippe omnis motus in quiete cessat.
  - 2 Ab absurdo; quia si motus sit terminus, esset progressus mobilis in infinitum; at quilibet motus numero & tempore definitur.
  - 3 Ab impossibili, quia si motus sit terminus motus idem numero mobile contrariis motibus simul moueretur, cum omnis motus sit à contrario in contrarium.
- Nō sit subiectum probatur
  - 1 A potentia subiecti, quod est capax vtriusque partis in priuantibus, cum ergo motus nō sit subiectum quietis, non potest esse subiectum motus.
  - 2 Ab impossibili; quia si motus existat subiectum motus, motus ipse erit mobilis: quia omne subiectum motus est mobile.
  - 3 Ab absurdo consequenti; quia sic esset progressus mobilis & motus in infinitum.
  - 4 Ab exemplo doctrinæ & disciplinæ, quarum illa videtur esse motus docentis ad auditoris disciplinam, & tamen doctrina non subiicitur disciplinæ.
  - 5 Ab enumeratione omnium specierum motus, in quib. nulla alteri subiicitur.

B

Tertia. *Vtrum intensio & remissio qualitatum fiant per additionem & sublationem gradus?* in hac quæstione considerantur

- Definitio grad^9. vt sit *vehementior vel segnior motus qualitatis sensibilis:* vel vt *sit proportio quædam qualitatis maior aut minor motu acquisita;* quæ fit vel
  - 1 Potentia subiecti agentis. in quo inhæret qualitas capax magis & min^9.
  - 2 Potentia formæ quærentis perfectionem suā.
  - 3 Repugnantia contrarii potentioris in actione sua.
- Distinctio. Vide in seq. pag. lit. C. D. E.

C. Distin-

C
Distinctio gradus; vt alius sit

1 Perfectionis, qui potentiam subiecti & formæ agentis spectat.

2 Defectionis, qui ab impotentia materię, & oppositione fortioris contrarii pendet.

D
Numerus graduũ, vt alii sint

1 Extremi in proportione, qui manifeste secundum perfectionem vel defectionem sensibus apparent; vt *frigus* in aqua, *calor* in igne.

2 Medii, qui secundum magis & minus afficiunt sensum, vt *calor aereus*, qui in *igneum* commutari potest.

E
Causæ, vnde iste motus intensionis & remissionis prouenit. In his assignandis est magna doctorũ contentio, nam alii ponunt causam esse

1 Radicationem & impressionem formę, quæ in subiecto agens maiores acquirit per se & vi sua vires.

2 Vnionem partis ad partem, vt in augmentatione; quantitatis, in qua pars parti additur, donec corpus ad perfectam proportionem peruenerit.

3 Actionem subiecti, quod semper in motu est ad maiorem perfectionem per formalem potentiam, & per impotentiam in materia fundatam nonnunquam præcipitantius in defectionem ruit.

4 Participationem & mixtionem contrarii, quam sententiam Aristoteles videtur insinuare in hoc capite, & tertio Topicorum, quia ea qualitas magis suscipit, quę minus contrarii admixtum habet, & illa minus suscipit, quæ maiore parte sibi contrarii admixta penitus declinat: & sic in ipsis gradibus est aliqua oppositio mistioq; oppositarum partium, quarum alia aliam vincit.

Argumenta contra primam quæstionem, An in quantitate, qualitate, & vbi solum reperiatur motus?

Opp. *Duo in hac lite discutienda sunt. primum*, An per se
1. motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi, tendat? *tum* An
solum in illis categoriis versetur? *Nudis Aristotelis verbis
non credam: sic ergo disputo. Quantitas est coæua & in-
genita materiæ primæ, a nullo agente naturali producta: non
2. ergo acquiritur motu per se. Item cum omnis motus sit con-
tinuus, quæro quomodo sit in qualitate per se? nisi qualita-
3. tem quantam esse fatearis. Postremo non video quomodo
ad* vbi *sit motus cum ad* situm *non sit: cum* vbi *&* situs *Pe-
ripateticorum consensu reipsa non differant. Est enim* stare
vel iacere *nihil aliud* q̄ *hoc vel illo modo loco flecti vel circū-
scribi. Quoad alteram partem, nimirum*, Vtrum motus sit
solum in his tribus prædicamētis? *scrupuli non minoris mo-
menti & difficultatis emergunt. Sic ergo contra positionem
Arist. arguo. Elementa sunt substantia, & commutantur ad
4. se inuicem per motum: est ergo motus in substātia. Imo com-
mentator secundo de Cælo formas elementorum entia posi-
5. tiua & opposita esse docet, quod satis est ad motum. Præter-
ea, definitio motus ortus interitusque conuenit: est enim ge-
neratio actus generabilis quatenus est tale: cur ergo negat
6. Philosophus motum in substantia esse? Deinceps, cum in re-
latione sit susceptio contrarietatis, magisque & minus, ra-
tionem non video quin per se sit in relatione motus. Intensio
enim & remissio non possunt esse sine motu: at est intensio in
relatione, vnde aliquid simile & dissimile, æquale &
7. inæquale alteri esse secundum relationem dicitur. Insuper
scire libenter velim, quomodo sit motus omnino in quantita-
te cum quantitati nihil sit contrarium, quod semper ad motū re-
quiritur. Eadem ratione probo non esse in prædicamento* vbi,
quoniā vbi *nihil est aduersum, neq; suscipit magis & minus.
8. Postremo concludo totam hanc disceptationem Arist. contē-
tiosam & nugatoriam esse, quia non minus probari possit in-
esse motum aliis categoriis, ac istis in quib. eundem reposuit:
nam actio & passio sunt ipsi motus. Imo Gilbertus Porreta-
nus, vir doctissimus, in illis requirit motum, cum agēs in pas-
sum transire nō possit sine motu. Præterea, quis negare potest*

motum

motum esse in quando, *si agnoscat esse in* tempore? *cum vtrumq; ens vnum re & natura faciat, si Arist. adhibeatur fides, qui* quando *inter significata temporis enumerauit. Non vrgeo esse motũ in situ, tametsi adificatio, sessio, statio, aliaq; flexiones corporis sint situs, & sine motu omnino esse non possint. Postremo, quisnam habitus est sine motu, cum omnis habitus sit applicatio rei externa corpori, qua absque motu fieri non potest?*

Resp. *Cardo huius controuersia & litis consistit in distinctione motus, in significatione contrarietatis, & duplici conditione qua ad motum requiritur. Nomen* motus *trifariam accipitur, fuse pro omni mutatione cõtinua, siue sit actus entis in potentia, qualis est* generatio, *siue actus entis in actu quo subiectum actu existens ab vno accidente ad aliud mouetur, vt in* alteratione: *secundo accipitur paulo strictius pro mutatione continua, successiua in formas aduentitias solũ, vnde generatio & corruptio à motus generibus excludũtur: tertio accipitur strictissime pro mutatione solum ea, qua est à contrario actu existente ad aliud contrarium. Significatio contrarii quoque triplex est, communis, propria, minus propria. Communiter contraria sunt termini positiui, inter quos est aliqua latitudo graduum, siue secundum magis & minus intensiue (vt aiunt) siue secundum maius & minus extensiue vt alii loquũtur. Proprie contraria sunt aduersa, qua agendo & patiendo se mutuo expellunt ex eodem subiecto capaci vtriusque, nisi vnum eorũ insit à natura. Minus proprie appellantur contraria ipsa priuantia, vt sunt principia à quibus motus oritur. Conditiones motus dua sunt: vna vt sit à contrario in contrarium: altera vt vtrumque contrarium sit ens positiuum, quod siue sit extremum, siue sit medium, semper rationem extremi induat. Ex his si diligenter attendas, omnibus argumentis accõmodetur responsum. Sed percurram paucis. Dico igitur ad primum, quantitatem non esse ordine natura coauam cum materia prima: sed ex illius potentia eductam, idque per motum, sine quo materia nullam formam aut vestem induit. Ad secundum dico, esse motum in qualitate ratione gradus, secundum intensionem & remissionem, qui gradus proportionem continuitatis habet. Ad tertium dico* vbi & situm *re plurimum differre, quia*

Motus triplex. *Contrarium triplex.* *Conditiones motus 2.* 1. 2. 3.

prædicamenta diuersa sunt, Vt in dialecticis elementis ma-
4. *nifeste constat. Ad quartum dico elementa non esse per se*
5. *contraria nec eorum formas intendi aut remitti. Ad quin-*
tum dico definitionem motus fuse acceptam conuenire, non
6. *propriam. Ad sextum respondeo, non esse contrarium, aut*
magis & minus in relatione per se, sed ratione solius funda-
7. *menti. Ad septimum respondeo contrarios terminos esse in*
quantitate, Vt maius & minus, par & impat, longum & bre-
8. ue, *quæ sufficiunt ad motum efficiendum. Ad octauum dico,*
quod omnia ista prædicamenta admittant motum, non Vt
sua, sed Vt entia respectiua ratione fundamenti, Vt antea de
relatione dictum fuit.

Argumenta contra secundam quæstionem.
Vtrum motus possit esse subiectum vel
terminus motus?

1. Opp. *Motus est aliquando mobilis: ergo potest esse sub-*
iectum motus. Antecedens probatur, quia id dicitur mobi-
le quod in se potentiam mouendi habet: sed motus teste Phi-
losopho in se potentiam mouendi habet: ergo motus est mo-
2. *bilis. Præterea si motus motui non sit subiectum, quorsum*
ponitur à Philosopho mouentium, mobilium, & motuum
subalternatio, id est Vt inferiora mouentia, mobilia, & mo-
tus superiorum mouentium, mobilium & motuum Velut
3. *sphæris & circulis subiciantur? Tertio in loco quæro an pas-*
siones sint motus? & si sint nemo inficias ibit esse mobiles,
quia in se Vim qaandam impressam agentis habent: si enim
actio sit mouens, passio erit mobilis necessario.

Motus non est mobilis nisi per accidens.

Resp. *Si Valde sterilis non esset hæc quæstio, ingenium*
tuum languere nunc dicerem: nam leuiora argumenta à te
confecta in Vllam quæstionem non Video. Sed respondeo mo-
1. *tum no esse mobilem nisi per accidens ad motum subiecti, Vt*
2. *cætera omnia accidentia, neque recte infers motum ideo mo-*
bilem esse, quia est ordo seu subalternatio motuum: subordi-
natio enim non motum motui subiectum esse inhærentiæ Vel
3. *attributionis, sed influentiæ seu ordinis ostendit. Postremo,*
si concedam passionem esse motum, non tamen sequitur ean-
dem esse subiectum, actionis, quia non transit actio in passio-

nem

nem vt in subiectum, sed ad ad eandem vt ad terminum desinit & refertur.

Opp. *Magis serio in secunda parte quæstionis tecum nunc ludam, si motus non sit terminus ipsius motus, quid respondes de motu cæli, qui perpetuo in dies singulos, menses, annos & secula mutatur, quiescit autem nunquam? quies in hoc motu non est: terminus est ergo motus. Nam tertiũ inter hæc duo priuantia non datur. Præterea, quid ais de vicissitudine omnium rerum naturalium, in quibus nulla quies reperitur? cessare enim natura dicitur acquisita forma, non quod quiescat a motu, sed quod prior cursus in alium naturæ partum desinat. Si exemplis agerem res luce clarior videatur esse. Nam quorsum generatio vnius dicitur corruptio alterius & ex aduerso, si vnus horum motuum non sit terminus alterius, id est, si ortus interitu, & interitus ortu non terminetur? Postremo pugil frequenter certat, miles sæpe hastam aut gladium vibrat, Milo non semel stadium percurrit. Et quorsum quæso? nisi motus terminus ipsius motus fiat. Hæc enim faciunt vt moueãtur facilius: quippe motum, finem & terminum proponunt suum.* 1. 2. 3. 4.

Resp. *Hæc tua argumenta Iridis quasi colores habent: apparent enim subtiliora, sed non sunt. De motu cæli respondeo tibi, quod terminetur ad certa puncta aut signa cæli, non ad motum. Satis enim est si mobile vel in puncto temporis quiescat, cum illius vis magis in motu quem in quiete, in affectione propria quam in priuatione (qualis est ipsa quies) cernatur. Sed quæris quid dicam de vicissitudine rerum omnium, in quibus natura à motu nunquam est libera. Idipsum respondeo, naturam magis delectari motu quam quiete: non tamen hoc probat motũ esse terminũ motus, cũ motus cuiuslibet finis sit ipsa forma de nouo per motũ introducta. At exẽplis vrges, quia generatio est termin⁹ corruptionis & corruptio termin⁹ generationis. Sic quidẽ videntur esse, sed reuera nõ sunt: nã termin⁹ generationis nõ est corruptio, sed res pots⁹ generabilis aut eiusdẽ forma acquirẽda, qua acquisita natura à motu cessare dicitur. Quæ in vltimo loco adfers de athletis (qui sibi motum motus finem & scopum proponunt) nihil aut parum mouent: nam hic de naturali non de artificiali motu agitur. Neque si attentius rem consideres, motum* 1. 2. 3. 4.

isti finem sibi proponunt, sed quietem, quam per motum consequi vehementer in omni certamine desiderant.

Argumenta contra tertiam quæstionem, quæ proponitur duobus modis, vel An intensio & remissio qualitatum sint motus per additionem gradus? vel, An gradus intensionis & remissionis fiant per admixtionem contrarii? Sunt qui proponant, An hæc sint per radicationem qualitatis in subiecto? Aristoteles hic & tertio libro Topicorum defendit fieri per admixtionem contrarii: contra quem sic disputo.

1. Opp. *Multæ qualitates intenduntur & remittuntur, quibus nihil est contrarium: ergo per maiorem & minorem admixtionem contrarii intensio & remissio non fiunt motus. Antecedens probatur de luce & influentia cæli, quibus nihil in eodem subiecto admixtum est contrarii.*
2. *Præterea, gradus intensionis & remissionis fiunt per radicationem & impressionem maiorem minoremque formæ: non ergo per oppositionem aut mixtionem contrarii: quod sic probo quia forma altioribus veluti radicibus infixa maiores vires acquirit agendo. Hinc splendor solis, calor ignis intensiores sunt qualitates quia sunt activæ magis. Vivacitas enim formæ in re qualibet vim auget, gradum acquirit, dum illius vis & potentia manet, vnde intensio: verum segniùs materia male oppressa hæc forma languet, vnde remissio sine vlla repugnantia contrarii nascitur.*
3. *Ab exemplis infinitis infinita peti possunt argumenta: sed vnum caloris naturalis instar omnium erit. Hic calor in infantia, pueritia, adolescentia & iuventute vires per gradus acquirit sine admixtione contrarii, stat firmus & constans in virili ætate: at tum ab alto gradu sensim & pedetentim declinat, donec extinguatur, idque non per admixtionem contrarii sed per impotentiam suam, & defectionem olei nativi quo alebatur. Nam vt videmus flammã in lucerna tam diu vigere, quam affusum est oleum quo tandẽ exhausto, evanescit: ita calor naturalis, quamdiu humido nativo fruatur vivit, at tandem & humidum & seipsum penitus consumit. Consumit inquam*

quam seipsum. nam idem calor ad mortem & sepulchrum manet, quamuis idem gradus non maneat. Insuper, perfectum & imperfectum nec specie, nec numero semper rem differre faciunt: ergo intensio & remissio eiusdem qualitatis, quæ sunt perfectio & imperfectio, appositionem gradus, non oppositionem contrariæ qualitatis postulat. Antecedens constat, quia idem est specie & numero homo ager & sanus, similiter idem calor intensus & remissus. Sed quæres fortasse vnde corruptio subiecti remissionem aut intensionem sequatur, si non sit contrarium? Audi. Vt paterfamilias sanus mente curat familiam, & omnia recte disponit atque conseruat, captus autem mente perturbat omnia, idem tamen est, & captus & sanus mente: ita qualitas, exempli gratia, calor natiuus conseruat omnia in homine, & est causa sanitatis, at vltra modum in excessu vel defectu positus perniciem infert, est tamen idem numero & natura calor, non ergo requiritur admixtio contrarii, vt motus gradualis intensionis & remissionis fiat. 4.

Resp.

Capior mirifice hoc genere disputationis tuæ, tum quia breuiter concludis singula, tum quia omnia ad viuum vrges: concederem equidem multa tibi quæ ais: sed sequor Aristotelem qui non sine ratione hunc motum intensionis & remissionis fieri per admistionem contrarii docet. At imprimis (ais) intenduntur & remittuntur lux & influentiæ cæli, quibus nihil est contrarium. Respondeo intendi & remitti, non ex parte solis aut cæli, sed respectu materiæ, quæ magis aut minus est capax impressionis. Hinc radicationem formæ in subiecto infers, quæ vegetior potētia sua facta, grad⁹ sine admixtione cōtrarii acquirit. Sed respōdeo in ipsis acquisitis gradibus esse quandam oppositionem: nam in intensione gradus vehementior minorem, & in remissione imbecillior gradus intensiorem tollit. Sic febrilis calor intensus calorem natiuum corrumpit: quia in febri calor natiuus in igneum commutatur. Sic calor post statum incrementi incipit seipsum diminuere & labefactare, donec tandem extinguatur. At dicis hunc calorem vires acquirere & gradus, sine admixtione contrarii, vt in infantia, pueritia, & aliis ætatibus constat. Acquirit sane vires & gradus (vt ais) sed

Note: margin numbers 1. (beside "At im-"), 2. (beside "Sed respōdeo"), 3. (beside "Sic febrilis").

vna pars aucta alteram præcedentem tollit, estque vnus gradus alteri contrarius. Nam vt est calor in sanguine piscium, qui comparatione facta ad tactum humanum est frigus: ita remissa qualitas intensa qualitati est contraria ex aduerso. In eo ergo quod concedas eundem gradum perpetuo non manere, fateris esse quidem in motu intensionis & remissionis contrarium: est enim & motus & gradus à contrario in contrarium.

4 *Postremo, licet perfectum & imperfectum respectu subiecti non faciant differre numero, respectu accidentium tamen faciunt. nam vir & mulier, qui sunt perfectio & imperfectio naturæ, numero & natura differunt. Sic gradus à gradu in qualitatibus intensis & remissis distinguitur. Similitudo tua ergo omni ex parte non probat, quia in ea mutatio suppositionis est, nempe à subiecto ad accidens.*

Opp.

1. *Grauissimi doctissimique interpretes defendunt hanc quæstionem in contrario sensu, nimirum fieri posse intensionem & remissionem sine contrarietate: quia vt auctum corpus idem numero & natura est, ac fuit non auctum: ita intensa qualitas eadem omnino in essentia manet ac non intensa.*

2. *Præterea, cum non constet satis aperte quid tandem priorem partem formæ seu qualitatis aduenienté posteriore corrumpat: nihil obstat quo minus directe concludam, motum intensionis & remissionis sine gradu repugnantia fieri.* (Top. 3. cap. 3.) *Nam si verum sit illud Dialecticorum, quod omne tale additum tali faciat idipsum magis tale: sequetur gradum intensionis non contrarium, sed natura amicum esse: aliter enim magis tale non efficeret, sed potius destrueret illud cui adiicitur & accumulatur.*

Resp.

Agnosco esse doctissimos interpretes, qui huic opinioni Aristotelis infesti sunt. Sed ne ab oraculo philosophiæ dissiliam, argumentis ex illis quæ adfers sic respondeo:

1. *nimirum similitudinem seu comparationem tuam in prima ratione non tenere, quia vna pars eiusdem est de materiali accidente, cui nihil contrarium, nempe de quantitate: altera*

pars

pars est de formali affectione, scilicet de qualitate, cui non solum alia realis qualitas aduersa esse potest, sed ipse gradus: vt constat in febrili calore, qui est contrarius miti & naturali. At dicis in secunda ratione te non videre causam corrumpendi priorem partem qualitatis. Doceo causam esse ipsum intensum aut remissum gradum, qui vim & rationem contrarii habet. Qui ergo (inquis) tale additum tali illud ipsum cui additur magis tale efficit? efficit subiectum magis tale cui inhaeret, non priorem partem quam tollit. Vides (bone aduersarie) vtcunque satisfactum esse tuis argumentis. Sed si vere dicam quod sentio, aliqua ex parte tibi palmam in hac controuersia cedo: quippe intensio qualitatis illius perfectio est, perfectio autem non tollit essentiam rei, sed imperfectionem minuit. Praeterea, cum sit potentia actiua qualitatis à forma subiecti fluens & suscepta vires & gradus acquirit, qui addunt multum tale: nihil autem tollunt. Insuper si exemplis vtar, non album albo, nec nigrum nigro, nec quicquam aliud alteri eiusdem naturae opponitur: intensius ergo album ab albo; intensius nigrum à nigro oppositorum more & natura non differunt. Deinceps quomodo prior pars posterioris partis additione tollatur non video, cum nulla priuationis vis & impetus intercedat, à quo noua generatio fluat. Quid? an extingui partem iustitiae in Aristide recte putemus, cum iustior vno gradu iustitia Aristides fiat? certe absurdum videtur esse. Sic non minus absurdum & à ratione alienum est, si partem caloris in igne, aut splendoris in sole imaginemur corrumpi, cum vehementius ignis calescat, aut sol splendescat magis. At (dices) quomodo tum sunt hi gradus termini motus? Respondeo non requiri vt semper vnus terminus motus alterum corrumpat: nam satis est ad motum si ab vno incipiat & in alterum desinat, quamuis vterque aliquando maneat: vt incipit motus coeli ab ortu desinit in occasum: ortus tamen & occasus perpetuo manent. Similis est ratio ignis volantis à centro ad locum suum naturalem, quorum centrum est terminus à quo, & locus naturalis ad quem, & tamen centrum atque locus naturalis igne sic moto non corrumpuntur.

2.

Ad quam opinionem in hac controuersia author propendet.

CAPVT III.

Vtrum

- *Diuersus sit motus eorum quæ sunt simul?*
- *Loco separata vnum vel distinctum motum sortiantur?*
- *A termino ad terminum in motu peruenire non liceat nisi per medium?*
- *Diuersus sit motus terminorum & medii?*
- *In contiguis quæ mutuo se tangunt numero sit idẽ motus?*
- *Continenter dicatur aliquid moueri, quod motus tamen interrumpatur?*
- *Extrema localis motus maxime distent secundum rectam lineam?*
- *Deinceps aliquid moueri dicatur sine medio rei?*
- *An res diuersarum specierum vt motus continuus vnum fiant?*
- *Omnia corpora se mutuo contingentia motu continua dici possint?*

HÆc alia pars huius libri est, in qua de vnitate & diuersitate motus disserit Philosophus: sed à longiore tractu & fuso non ducetur filum orationis meæ, quoniam fere omnia quæ hic tractata sunt, in tertio libro huius operis adumbrantur: velum nunc solum detraham & apparebit opus. In fronte huius capitis, ad vberiorem intelligentiam eorum quæ pertractanda sunt, quædam nomina expiicanda proponit: vt quid sit *simul*, quid *separatum*, quid *medium* sit, quid sit *mutuo tangere*, quid *continenter moueri*, quid sit *deinceps sequi*, & deniq; quid *habitum esse* & *continuum*, in quo partium successio inest. Omittit aliquot modos *simul*, de quibus in postprædicamentis egit, & solum nunc docet quæ proprie *loco* dicantur *simul*? *Loco simul* sunt duobus modis (vt aiunt interpretes) vel quæ cohabitant in eodem loco proprio (quod fieri non potest sine penetratione corporum) vel quæ nulli alteri locum suum communicant, quo pacto cœlestes sphæræ in ætherea regione, veluti cœlesti mundo insunt, quousque alia corpora non penetrant. Et

Quædam nomina explicat.

Simul.

hæc

hæc, mea quidem opinione, est apposita interpretatio Philosophi, de his q̃ sunt *simul loco*. *Separatim* esse dicuntur hoc loco extrema, seu contrarii termini motus, à quo & ad quem natura in omni mutatione fertur. *Medium* est veluti interiecta via seu spacium inter hos terminos limitesque motus: vel id est, per quod mobile ab vno termino ad alium peruenit. *Tangere* ea proprie dicuntur, inter quorum extremitates nullum est medium: vel si velis, quorum superficies contiguæ sint, & mutuis quasi amplexibus se osculentur. *Continenter moueri aliquid*, est nihil intermittere temporis in motu, quamuis aliquando spacii aliquid omittatur, vt in pulsante citharam constat, qui immediate digitis suis primam & vltimam chordam tangit, mediosque neruos non mouet: sic respectu temporis continuus est motus, quamuis respectu spacii & magnitudinis sit interruptus. Mentione facta spacii, arripit occasionem docendi quomodo loci extrema distent. Distant (vt ait) secundum rectam lineam, id est, ea sunt contraria secundum locum, inter quæ protenditur maxima linea recta. *Separatim.* *Medium.* *Tangere quid.* *Continenter moueri quid.* *Contraria loci quæ.*

Sequitur explanatio huius verbi *deinceps*, seu vt veteres exponunt *consequenter*. *Deinceps* seu *consequenter ens esse*, est sic rem vnam alteri annecti ordine, vt nullum intersit medium eiusdem rationis: vt sunt duæ domus ordine dispositæ, inter quas non est alia domus, licet res multæ alterius generis intercurrant. Ad talia igiur se *deinceps* seu *consequenter habentia* requiruntur duo: primo vt siut ordine disposita secundum prius & posterius, tum vt nullum medium intersit eiusdem rationis. Quid hoc verbum *Harens* significet plurimum hærent interpretes: sed sic animum induco meum hoc significare, nempe vt illud *consequenter alteri harens* dicatur, quod medium inter se & aliud, cui adhæret, non patitur: duo enim ad *harentia* requiruntur, nempe vt se tangant, & vt sint eiusdem speciei. *Ens harens esse quid.*

His succedit in textu interpretatio *continui*, quod proprie dicitur *ens quantum, cuius partes copulantur ad communẽ terminum*: communiter autem dicũtur continua, quæ quouis modo se tangunt aut copulãtur, vtputa *clauo, pice, tactu*, aut alia quacunque ratione: vel secundum artem vt in rotis horologii, vel secundum naturam, vt in articulis corporis *Continua quæ.*

humani coniunctis patet. Concludit Philosophus hoc caput, adhibita distinctione inter rem *continuam* & rem *contiguam*: quia quicquid est continuum idipsum tangitur, sed non ex aduerso. multa enim se mutuo contingunt quæ non sunt continua. Alia distinctio addita est inter punctum & vnitatem: quia puncta sunt in illis quæ apta sunt se *mutuo tangere*, vnitates vero non sunt. Iterum, inter puncta quæ sunt in eodem continuo aliquid medium esse potest, non autem est in discreta quantitate inter vnitates: inter vnum enim & vnum nihil interponitur.

Ex ista vocabulorum expositione eliciuntur ab interpretibus variç quæstiones de differentiis motuum: nempe, *An diuersus sit motus eorum quæ sunt simul? An loco separata vnum vel distinctum motum sortiantur? An à termino ad terminum in motu peruenire non liceat nisi per medium? An diuersus sit motus terminorum & medii? An in contiguis, quæ mutuo se tangunt, numero sit idem motus? An continenter dicatur aliquid moueri, quod motu tamen interrumpitur? An extrema localis motus maxime distent secundum rectam lineam? An deinceps aliquid moueri dicatur sine medio res? An res diuersarum specierum vi motus continui vnum fiant? An* denique *omnia corpora se mutuo contingentia motu continua dici possint?* Sed (dices) quorsum hic tot quæstiones simul conglomeras? Certe vt præoccupem præcox & præceps ingenium tuum, ne vanam & inutilem istorum nominum interpretationem ab Aristotele traditam & assignatam esse diceres. Dissolutus enim ignoranti videtur esse hic sermo Philosophi, neque omnino quicquam ad motum, de quo nunc agis, pertinere. Sed istis iam dubitationibus propositis facile intelligas abditum in eo sensum latere, vsumque haud mediocrem, si vberiorẽ motus scientiam quæras. At quæris cur solum leuiter proponam, & non limatius singula in illis aperiam mysteria. Respondeo proposuisse me, ne otiosæ vnitatis aut inutilis digressionis temere arguatur Philosophus: non autem vberius explicuisse, partim ne molestus esse videar, & partim quia hæc nunc insinuata paucis, in sequentibus copiosius explicentur. Cæterum ne sitim ardentem nunc tuam sine vllo succo & nectare dimittam inanem, effundam oleum, & in singulis

vnam

quasi lucernam accendam, cuius luce videas quid Delphicus Philosophus in singulis sibi velit.

Vbi ergo petis *Vtrum diuersus sit motus eorum quæ sunt simul?* dico diuersum esse: nam vnitas motus ab vnitate mobilis dependet. Cum ergo ea quæ sunt *simul* numero & natura diuersa sint, eorum motus vnus esse non potest, sed diuersus. Diuersus (inquam) numero, non specie aut genere. Nam sic eorum quæ simul sunt, idem specie aut genere motus esse potest.

An eorum quæ sunt simul diuersa sit motus?

Ad alteram quæstionem pari modo respondeo, separata loco vnum motum numero non sortiri, tum quia re, tum quia loco distant. res enim diuersæ diuersum motum, & quæ loco distinctæ sunt, non vnum motum sortiuntur.

An separata diuersum motum sortiatur?

Tertia dubitatio interpretes distrahit in contrarias sententias: sed anchoram hanc figam, esse quidem medium in omni motu, sine quo non peruenitur ad extremum. Ratio est, quia vbi sunt extrema ibi oportet esse media: at in omni motu sunt extrema, ergo sunt media. Si percurras singula motus genera, in singulis inuenies media: non est ergo dubitandum à termino ad terminum, ab extremo ad extremum, à principio ad finem moueri nihil posse sine medio, quod ex necessitate attingit, priusquam vlterius ad scopum & vltimam metam perueniat.

An à termino ad terminum in omni motu peruenire non liceat nisi per mediū?

In quarta dubitatione hæc est resolutio, diuersum esse motū terminorū & medii. Nam etsi sit vnus idemque motus à termino ad terminum respectu mobilis in quo motus proprie inest, & à quo vnitatem numeralem capit, termini tamen motus, adeoque & medium res aliæ sunt à motu: & quatenus sunt mobiles eatenus singulæ suum motum distinctum habent.

An diuersus sit motus terminorum & medii?

Ad quintam quæstionem dico, non esse eundem numero motum contiguorum: nam etsi mutuo sese contingant, & eorum superficies ad inuicem copulentur, diuersum tamen & locum, & medium & motum vendicant. Cæterum si per contigua intelligas partes eiusdem corporis mutuo se tangentes fatendum est ad motum totius cieri, vnamq; rationem sortiri.

An in contiguis quæ mutuo se tangunt sit idem numero motus?

In sexta quæstione spectanda sunt duo, tempus & locus. Fieri (inquit Philosophus) potest vt aliquid *continenter* mo-

An continenter aliquid mo-

An moueri dicatur quod motu tamen interrumpitur? ueatur respectu temporis, cuius tamen motus cesset respectu huius vel illius loci seu magnitudinis: vt exemplũ pulsantis citharam in textu probat: cytharœdus enim aliquando duas extremas claues simul pulsat, & medias intactas penitus relinquit.

An extrema motus localis maxime distet secundum rectam lineam? Alterum dubium de extremis localis motus parum litis & controuersiæ habet. Nam si motum rectum intelligas, qui in elementis cernitur, res dubia & anceps non est: si vero circularem aut mixtum motum consideres, verum quoque hoc est vel respectu centri, à quo lineæ ad circumferentiam ducuntur, vel respectu vnius poli ad alterum in quibus quædam linearum rectitudo cernitur: propter axem in vtroque polo terminatum.

An deinceps moueri sit sine medio rei. Octauum dubium est, *An deinceps moueri sit sine medio?* Respondeo nõ esse si rem (quoniam res nulla moueri potest sine medio) at esse dico sine medio si tempus spectes, quoniam *instans* persæpe est mensura eorum quæ mutantur. Sed quæ *mutata sunt*, impropriè dicuntur moueri.

An res diuersarum specierũ vt motus naturalis & continui ens vnum fiant? Sequitur alia quæstio, *An res diuersarum specierum vt motus naturalis & continuum ens vnum fiant?* Non est quidẽ leuis sed grauis & pulchra hæc quæstio: veruntamẽ quoniã in secundo libro eandẽ vberius explicuerim, iam verbo transeo, nec non affirmo res diuersarum specierum motu continuo naturali posse rem vnam numero ac specie fieri: vt insitiones, inoculationesque arborum fidem faciunt. Cum enim surculus plantæ fertilioris sterili trunco, natura & specie diuersa inseratur, consurgit ex illis coalescentibus per motum vna quidem planta, quantumuis diuersa sit ab illa quæ prior fuit.

An omnia corpora se mutuo tangentia motu continua dici possint? Vltima dubitatio est, *An omnia corpora se mutuo tangentia motu continua dici possint?* Res aperta est non posse, si propriè nomen *continuus* sumas: at si communiter pro *continuo* & *contiguo* accipias, concedi aliquo modo potest, esse quidem illa omnia motu continua: non quod omnia se mutuo tangẽtia actu moueantur, sed quod vi motus sic sint disposita, vt quodammodo eorum partes ad eosdem terminos coaptentur.

Laboriosius (studiose lector) contexui hoc filum, vt citius tactu eiusdem ex hisce labyrinthis emergas: & quamuis

tis ex quolibet fauo mellifluum succum non hauras, ceram tamẽ liquidam & virgineam inuenies, in qua aliquam imaginem veritatis cernas. Sub vmbris multa iam dicta sunt, sed remoue velum, & motum natantem in aqua fluente videas: natantem in aqua fluente dico, quia est semper Proteus & mutabilis, in perpetuo fluxu & successione positus.

Distinctio præcipuæ dubitationis in hoc capite, Vtrum res diuersarum specierum vi motus naturalis continui sic coalescere aut coire possint, vt res vna numero & natura fiant?

Vt res diuersarum specierum ens vnum fiat, requiruntur
- Potentia eademq.
  - 1 Actiua naturæ agentis.
  - 2 Passiua rei patientis, cuius species in aliam commutentur.
- Actus, idemque
  - 1 Externus cœli influentis, quo vis vtriusque potentiæ excitatur.
  - 2 Internus formæ inhærentis, quo opus nouum efficitur.
- Modus seu instrumentum, quod est
  - 1 Materiale, vt res in motu posita, eademque docilis à natura ad nouam formam induendam.
  - 2 Formale, vt qualitas actiua, maxime *calor* qui primum gradum commutationis infert, motumque continuat.
- Motus, qui est vehiculum naturæ, cuius conditiones sunt
  - 1 Vt sit continuus, non interruptus, donec perficiatur opus.
  - 2 Vt sit naturalis, non artificialis aut violentus: nam etsi artificialis motus aliquando adiuuet, non tamen per se sine ope naturalis motus res diuersarum specierum ens vnum facit.
  - 3 Vt sit vnus actus mobilis & mouentis donec noua generatio fiat; vt constat in *surculo inserto plantæ alterius generis*, & in *conuersione alimenti in naturam aliti*.

Argumenta contra dubia capitis ordine proposita.

1. Opp. *Vnus est numero & natura motus eorum quæ sunt simul: ergo male defenditur contrarium. Antecedens probatur, quia duo gemini sunt simul, eorumque motus vnus est: n.ã in eodẽ instanti concipiuntur. progrediũtur simul, & simul generãtur. Præterea, siue vnitas motus ab vnitate mobilis, siue ab vnitate tẽporis depẽdeat, videtur quidẽ esse vnus solũ numero & natura motus geminorũ: cũ ambo non aliter quã surculus & planta vnum mobile faciant, simulque eosdem tempore mensurentur. Contra secundã quæstionẽ sic*

2. *disputo. Separata quidem vno eodemque motu cieri constat, vt in multis neruis vnisonis, quorum vno pulsato reliqui omnes eiusdem soni commouentur. Sic spiritus, arteria & pulmones vnum pulsatilem motum habent, quamuis sint illa qui-*

3. *dem corpora separata. Contra tertiam quæstionem vrgeo hoc vnum, esse quidem permultos terminos motus, inter quos non est omnino medium: ergo in illis saltem non esse motum per medium. Antecedens constat, quia sunt multa contraria immediata, id est talia, quorũ nõ est medium, in quibus*

4. *tamen est motus. Quarta dubitatio refellitur argumento ab impossibili ducto, quia fieri non potest vt termini motus moueantur: sequitur ergo non esse diuersum motum terminorum & medii, quod non sit motus omnino terminorum, hinc constat: quia eorum vnus est initium, alter est finis ipsius motus: prior enim est causa motus non ipse motus:*

5. *posterior est in quo omnis motus cessat. Quinta dubitatio de motu contiguorum se inuicem tangentium, plane contrariũ sensum huic quem hic defendis, habet: nam contigua sunt partes cœli, ignis, aeris, aqua & terra, & tamen (vt experientia docet) in suis locis, ordine eundem motum cum suis totis habent.*

Res. *Siste hic vestigium, & (ne confundatur memoria lectoris) paucis istis argumentis respondeo: & primum ad pri-*

1. *mum dico duos geminos non vnum numero mobile subiectum efficere, neque vnum sortiri motum vel ab vnitate temporis, vel ab vnitate mobilis: quoniam licet vnum sit instans generationis, vnum tamen non est tempus progressionis, sed multiplex & numerosum successionis spacium. Similiter non*

non est vnum mobile, cum entia duo sint eademque distincta numero. Vix dignor secundo argumento respondere, nam 2.
exempla quæ adfers, manifeste motus diuersos arguunt: resque sunt plane diuersa. In tertio argumento acuminis species 3.
& vmbra inest, sed nullum robur, si per medium, statum mutationis, aut vtam mobilis intelligas. Nam licet sint multa immediate contraria, sine medio participationis aut abnegationis: in omni tamen motu inter terminos est transitus per media commutationis. De quarto argumento sic cen- 4.
seo, quod licet termini motus (vt termini) non moueantur, quia ab vno inchoatur, in altero terminatur motus: vt sunt tamen res mobiles, diuersum à medio motum habent. Ratio est, quia vnum mobile, à quo vnitas motus deducitur, non constituunt. Postremo male accipis nomen contigui in vlti- 5.
ma tua ratione, idq; in partibus eiusdem corporis, cum continuo plane confundis. Neq; hic de vna magnitudine & illius partibus, sed de diuersis rebus, quæ se mutuo tangunt, mouetur quæstio: cum ergo de re vna, & illius partibus continuis agas, ad rem non disputas. Nunc (si placet) perge ad alia discutienda dubia: & (si velis) more dialogi breuissime conficiamus reliqua.

Opp.& Resp. *Age, quoniam ita vis, si contra sextam quæ-* 6.
stionem vrgeo, fieri non posse vt motus interruptus dicatur continuus, quid ita? quoniam continuari & interrumpi sunt plane contraria. Non sunt, si diuerso respectu considerentur. Quæ illa est consideratio, quis respectus? Hic nimirum, vt nunc habita ratione temporis dicatur continuus, nunc habita ratione spacii & magnitudinis dicatur interruptus: sic cytharœdi motus in instrumento musico potest esse continuus quoad tempus, quia ad certum tempus sine intermissione mouet, sed respectu diuersarum chordarum, quas nō tangit, aut saltem non simul tangit, dici potest intermissus. Omnium 7.
absurdissimū videtur esse quod in 7. loco ponis, nempe extrema loci semper per rectam lineam distare. Quid de cœlo, omnique corpore globoso cogitas, in quo motus per rectas lineas fieri non potest? Respondeo, per rectas lineas posse moueri, aliter frustra polos, axes, & diametros Astrologi in cœ-
lo nobis delineassent. Age, non replico, sed quid alienius est 8.
à ratione quam quod in octauo dubio defendis? quod hoc est?

scilicet aliqd deinceps moueri sine medio. Quid quaeso in hac
positione absurditatis? hoc nempe, quod nullus motus fiat si-
ne medio commutationis, vt modo docuisti. Id ipsum nunc
doceo; nam est medium in his quae mouentur, deinceps, re-
9. *spectu rei, non temporis. Contradicis Porphyrio in 9. quae-*
stione; nam is ait in proprietatibus res diuersarum specie-
rum coire non posse vt ens vnum generetur, tu vero hic con-
trariũ plane defendis. Recte tu quidem Porphyriũ non intel-
ligis; nam quamuis diuersas species commisceri neget, non
tamen negat ex rebus diuersarum specierum ens vnum pos-
se generari, vt experiẽtia in nutritione docet, in qua solius vi
naturae rerum specie distinctarum facta est essentialis com-
mutatio, & (vt ita loquar) transubstantiatio, id est, vnius
substantia in aliam substantiam conuersio. Sic esculenta
& poculenta (quae sunt corpora inanima) vitam recipiunt,
& in vltima concoctione animata fiunt. Si hoc natura vi
propria sine mysterio, faciat ignauus & incredulus es si eã-
10. *dem in Deo potentiam neges. Sed concludam contra postre-*
mam quaestionem. Quid concludes? te fallis in ea. Conclude
si possis. Sic vrgeo igitur, motus continuus vnus est; sed o-
mnium corporum se mutuo tangentium non est vnus motus:
ergo omnia corpora se mutuo tangentia continuo motu non
mouentur. Respondeo fallax esse hoc argumentum, à bene
diuisis ad male coniuncta. Nam non quaeritur, An omnia
tangentia coniunctim sumpta continuo motu moueri possint?
sed An singula contingentia sint quoque continua? & si sint,
An motum continuum habeant? eundemque non vnum nu-
mero, sed specie respectu loci, magnitudinis & temporis, in
quibus potissimum continuatio omnis motus ponitur.

CAPVT IV.

Multa sunt dubitationes in hoc capite, sed vna praecipue quae-stio, Vtrum ad motum vnum numero requiratur vnitas mouentis, mobilis, temporis, & formae ad quam tendit motus? *Aliae quaestiunculae non inutiles in certamine opponentis & respondentis patebunt.*

LIs magna est de vnitate motus inter interpretes, sed trutinati Aristotelis textum exilis aut nulla videtur esse;

tot enim modis dicitur motus quot vnum; vnum autem dicitur tribus modis, nimirum genere, specie, & numero: ergo motus tribus modis etiam dicitur, videlicet genere, specie, & numero. Genere motus, idem sunt qui ad species eiusdem categoriæ terminantur, vt omnes alterationes in generibus qualitatis; specie autem idem qui ad particulares alterationes eiusdem speciei infimæ, non subalternæ tendunt, vt omnes dealbationes aut denigrationes. Sed attende, quod sola vnitas specifica termini non sufficiat ad vnitatẽ motus: nam sic mot⁹ circularis & rectus, volutatio & ambulatio vnum motum specie infima efficerent, si ad eundem terminum contenderent: non ergo solum à termino, sed à medio recto circulari aut obliquo motus distinctionem vnitatis sumit. Postremo, simpliciter seu numero vnus idemque motus est, qui in singulari subiecto donec ad vltimum terminum peruenerit non mutatur. Ad vnitatem ergo huius motus triplex vnitas requiritur; mobilis, tẽporis, & formæ: si ergo nõ sit idẽ mobile sine specifica mutatione, si non sit idem tempus sine interruptione, si nõ sit eadem forma in progressione inchoata, & terminatione motus perfecta, non est vnus idemque motus. Itaque si Plato albescat ad duos gradus, ibique insistat, postea vero repetito motu alios duos gradus acquirat, non erit numero vna eademque dealbatio. Sed hic subobscura quæstio oritur; si Socrates eandem alterationem alio alioq; tempore subeat, num eadem censenda sit omnino alteratio? Huic respondet Philosophus, si fieri possit, vt idipsum iam redeat quod euanuit, eiusmodi alterationem eandem esse posse. Similis est dubitatio in textu de valetudine, An eadem sit numero, si quis eadem diu perfruatur? affirmat eandem esse. Nam quamuis subiecta in quibus inhærent accidentia perpetuo labantur & fluant; manent tamen integra & illæsa eorum accidentia, nisi vel interitu subiecti eorum, aut contrariorum impetu concutiantur. Pergit Philosophus, docetque vberius quæ ad vnitatem motus requirantur. nam quamuis (inquit) omnis motus sit continuus, nullius tamen partes communi termino copulãtur, nisi illius qui numero vnus idemque dicitur. Quippe res quælibet copulari non possunt, sed eæ solum quarum extrema inter se coire & veluti coales-

Motus tribus modis dicitur, genere, specie, & numero.

Sola vnitas specifica termini non sufficit ad vnitatem motus.

Ad vnitatem motus requiruntur vnitas mobilis, temporis & formæ.

Quae res copulari possunt quae non.

cere possunt. Hinc ambulatio & febricitatio, quæ specie differunt, nullam copulam sortiuntur: genere ergo & specie differentes motus inter se continuari nequeunt, licet aliquo modo cohærere dicantur. Quid multis? ad continuitatem & vnitatem motus (vt supra diximus) requiruntur tria, idem tempus, idem mobile, eadem forma. Si horum vel vnum desideretur, non est motus continuus non est simpliciter vnus.

De altero modo vnitatis in motu perfecto pauca adiicit Philosophus, motumque perfectum appellat æqualem, disparem & inæqualem alium veteres regularem & irregularem, seu vniformem & deformem nominant. Regularis, si exacte velis ponderare singula, ab vniformi proprie distinguitur: quamuis hic in textu vterque confundatur. Proprie enim regularis motus, quod mobile æqualiter certoq; tempore ita mouetur, vt neque aliquando tardius neq; aliquando celerius moueri dicatur, qualis est motus cœli, vereque perfectus dicitur. Vniformis autem motus est, quo mobile secundum omnes suas partes cietur æquali velocitate, & talis quidem non est motus cœli, nam partes vicinæ polis tardius, & ab illis longe distantes incitatius mouentur. Hinc emergit conclusio, quod motus regularis & vniformis magis dicatur vnus quam iregularis & deformis. Ratio est, quia ille magis perfectus, hic vero minus. Non est tamen vt hinc inferas inæqualitatem motus impedire, quo minus motus censeatur vnus, si sit continuus. Nam licet minus sit particeps vnitatis, quia est minus perfectus: & minus perfectus est, quia plerunq; contrariorum motuum impetu & lucta impeditur (cum simplex & regularis motus cœli nullum contrarium habeat, certamen nullum) fieri tamen potest vt sit vnus, si nulla sit temporis, mobilis, mouentis & successionis impeditio aut mora, donec ad formam intentam, mobile suo cursu vehatur.

Lib. 1. de Cal.

Hactenus de textu ex quo licet multæ eruantur quæstiones, (quas inter opponentem & respondentē postea tractabo) vnam nunc tamen breuiter attingam. ***An ad vnitatem indiuiduam motus, vnitas temporis, mobilis & termini requiratur.*** Hic de vnitate intrinseca & extrinseca distinguitur. Intrinseca vnitas motus est, quæ primam cuiusque rei natu-

Quæstio.

Vnitas intrinseca motus.

naturalis potentiam & (vt ita loquar cum veteribus) primã rei entitatem sequitur: extrinseca vero est quam res ab aliqua externa causa sumit. Vt de vnitate ita de termino ad quem tendit motus, distinguere hoc in loco non abs re esse videtur: vnum nempe terminum esse insitum, assumptum alium: ille est exempli causa, qui partes essentiales copulat, vt *punctum partes linea, instans temporis*. Assumptus, qui est vel inchoatus, vt *nascitura iam forma*, vel perfectus, vt *completus natura partus*, seu *effectus motu acquisitus*. Mobile tertio in loco distinguitur in mobile per se, & in mobile per accidens: vsus huius tripartitæ distinctionis est, vt intelligas vnitatem extrinsecam non intrinsecam, terminum assumptum non insitum, mobile per se, non per accidens hic proprie non intelligi. Nam (vt in expositione ab vltimo incipiã) requiritur ad vnitatem motus vnitas mobilis, vnitas (inquam) mobilis per se, per se (dico) non per accidens, quia fieri potest vt aliquid moueatur per accidens, aut secundũ partẽ interim idẽ vnusq; numero eiusdẽ motus cõstet, vt si planta crescendo secundum partem vnam moriatur secundum partem vnam moriatur, secundum aliam viuat. Per accidens mouetur aliquid iuxta Scotum tribus modis, vel sicut actus in potentia, vel sicut pars in toto, vel sicut aliquid naturali necessitate coniunctum alteri, vt graue illi cui innititur. Sed hæc obiter.

Extrinseca. *Terminus insitus.* *Assumptus duplex, inchoatus, perfectus.* *Mobile duplex.* *Vsus huius distinctionis.* *Motus per accidens triplex* *Scotus in 4. distinct. 10 quæst. 6. conclus 4.*

Pergam igitur ad vnitatem temporis, quod ideo *Vnum* esse dicitur, non quod idem semper maneat tempus, sed quod nulla in eo mora, nulla quies mobilis, nulla cessatio motus, donec acquiratur terminus ad *quem* natura in suo (vt ita loquar) curru cursuq; tendat. Postremo, requiritur vnitas termini *ad quem*, termini *ad quem* dico, non termini *à quo*, vt motus vnus numero simpliciter dicatur. Sic à mobili subiectiue, successiue à tempore, à termino perfectiue motus vnitatem numeralem habet. Sunt qui istis quartam vnitatem addant, nempe mouentis, q̃ etiã ipse Arist. in 8. Phys. requirit, cum dicat vnum motum ab vno motore proficisci & nenecessario dependere. Sed quoniam instantiam ex contraria parte hæc opinio patitur, vt in *tractione nauis per cẽtum homines*, (quæ est vnus numero motus, licet sint motores plu-

Motus vnitatẽ habet subiectiue a mobili, successiue a tẽpore, perfectiue a termino.

rimi) vel omnino omittenda est, vel referenda est ad vnitatẽ mobilis, sub qua analogice recte vnitas mouẽtis cõprehendi potest. Conclusio ergo hæc est, requiri scilicet ad vnitatẽ motus eiusdem numero vnitatem mobilis, mouentis, temporis, & formæ. Ita si vel mobilia sint re diuersa, vel si forma (acquirenda vel acquisita) varietur, vel vlla quietis mora post inchoationem motus intercedat, vel denique si non sit idem mouens, vel saltem multiplex eiusdem locum gerens, non potest esse idem vnusque motus numero, de quo nunc agitur. Addo hanc vltimam mouentis vnitatem, quia Arist. in 7. & 8. Phys. addit, vbi accurate demonstrat nihil posse à seipso moueri, sed omnem motum proprio motore indigere.

Ad vnitatem motus requiruntur vnitas mobilis, mouentis, temporis & formæ.

Distinctio quæstionis, An ad vnitatem motus requiratur vnitas mouentis, mobilis, temporis, & termini ad quem tendit motus?

Omnis motus est vel
- Vnus, idéq. vel
  - 1 Genere, qui terminatur ad terminos eiusdem prædicamenti, sicut albefactio, nigrefactio.
  - 2 Specie, qui terminatur ad eundem terminum seu formam secundum speciem infimã, vt omnes dealbationes.
  - Numero, ad quẽ requiritur vnitas
    - 1 Mouentis, quod primò & per se incipit motum, sit potentia, actus, natura, subiectum aut prima causa.
    - 2 Mobilis, eiusdemque per se, vnde excluditur mobile per accidens.
    - 3 Temporis, eiusdemq; continui, sine vlla intermissione successionis.
    - 4 Formæ, sine vlla mutatione siue progressionem, siue perfectionem rei motæ speciei. *Hinc motus inchoatiue à mouente, subiectiue a mobili, successiue a tempore, perfectiue a forma suam vnitatem ducit.*
- Diuersus. Vide in seq. pag. lit. A.

A Diuersus, idemque aut
- Genere, vt motus diuersorum generum, vel in
  - 1 Eodem prædicamento, qualis est motus naturalis potentiæ ad habitum, & habitus ad actionem.
  - 2 Diuersis prædicamentis, quales sunt illuminatio cœli in *actione*, & conuersio cœli in *vbi*.
- Specie, vt motus diuersarum specierũ, aut
  - 1 Subalternarum, quales sunt motus plantæ & animalis. quæ sunt species subalternæ distinctæ.
  - 2 Infimarum, quales sunt motus hominis, qui mixtus; motus ignis, qui rectus dicitur.
- Numero, idemq;
  - 1 Per se, vt motus Socratis sursum in montem, & Platonis deorsum.
  - 2 Per accidens, & sic est motus accidentis, diuersus a motu subiecti.

Argumenta contra primam quæstionem.

Opp. *Vulgares discutis, abditas & obscuras quæstiones omittis: videris ergo non id præstare quod in vestibulo huius operis es pollicitus, nimirum te Delphica philosophiæ oracula tractaturum.*

Resp. *Non est vulgaris hæc quæstio, sed ad intelligentiam motus necessaria, & certe ea est, quam Philosophus maxime in hac parte vrget: de Delphicis oraculis ludis vt soles. si vero emergant dubia, ab illis obiter nubeculas remouebo.*

Opp. *Motus non potest esse omnino vnus numero: ergo frustra de illius vnitate mouetur quæstio. Antecedens probatur, quia ille motus qui est in vna parte tẽporis, non est vnus idemq; cum illo qui est in alia parte: quandoquidem præteritum nõ est idem cum futuro in tempore, nec præcedens pars successionis cum sequente in motu. Ratio est, quoniam tempus & motus sunt entia successiua, & se habent vt mensura & mensuratum.*

Resp. *Vnitas motus respectu temporis consideratur bifariã, vel quoad successionẽ partiũ, & sic quodammodo variatur ad mutationem temporis, vel quoad continuationẽ sine vlla* *Vnitas motus consideratur bifariam.*

cessatione, aut media (vt aiunt) quiete, donec forma intenta mobilis acquiratur: & sic idem tempus numero, idemque numero & natura motus dicitur: est enim eadem continuatio temporis & motus, nulla quiete aut contrario motu interrupta.

Opp. *Arist. in 8. Phys. dicit motum eorum quæ vi proiiciuntur non esse vnum: at in hoc motu est vnitas mobilis, tẽporis, & termini ad quem: ergo videtur esse sibi contrarius.*

Mouens vnicū in proiectu non est.

Resp. *Respondent interpretes hic agi solum de motu naturali non violento, ideoq; motum proiectorum dicunt non esse vnum, quia non est vnum mouens in proiectu: est enim mouens externum vnum quod proiicit, est aliud in medio quod adiuuat, est denique internum aliud quod inclinat.*

Opp. *Vnitas mobilis non requiritur: ergo non recte tractatur quæstio. Antecedens probatur exemplo animalis, quod mouet nunc vnum pedem & figit nec alium: vel quod deorsum præcipitatum mouendo moritur: in quo motu non est vnitas mobilis siue pedem vnum motum, alterum quietũ spectes, siue totum animal consideres, quod nunc viuum, nunc mortuum deorsum fertur. Est tamen vnus motus animalis, quia est continuum: non autem vnum mobile, vt manifeste vides. Similis est ratio de ligno eodem partim viridi & partim arido, in quo videtur esse vnus idemq; motus numero, cũ tamen hoc lignum sic consideratum secundum partes specie distinguatur: quandoquidem ea pars quæ viret, specie distinguitur ab ea quæ aruit: cum illa viuentis, hæc non viuentis formam induerit. Accedit & illud in textu de cytharœdo, qui à prima corda ad infimam (mediis non pulsatis) transit. Constat in hoc exemplo esse eundem motum continuum (vt ait) non tamen esse vnum mobile: non ergo vnitas mobilis semper requiritur.*

Cap. 5. huius lib. text. 23.

Motus animalis non vnus est, sed compositus ex multis.

Resp. *Motus progressiuus animalis non est proprie continuus & simpliciter vnus, sed compositus ex multis, nempe ex tractione pulsione. Præterea, cum sit quies in progressione animalis secundum partes, non est proprie motus vnus. De animali viuo & mortuo, ligno virente & arido, respondeo nec vnum motum nec vnũ mobile esse. Lignũ enim ex parte viride & ex parte aridum non est vnum continuum, sed contiguum, & proinde non est vnum subiectum numero neque*

est

est vnus illius motus continuus, licet sensus non distinguat. In exemplo cytharœdi quod adfers disco considerari posse duo, motum ipsum manus, & motum chordarum quæ manu quatiuntur: illum vnum numero esse affirmo, hunc nego: quia non est vnum mobile.

Opp. *Ad motum vnũ numero non requiritur vnitas formæ: ergo tot vnitates vt docet Philosophus non requiruntur. Antecedens suadetur duobus exemplis, ignis volantis à visceribus terræ ad concauum lunæ, & lapidis decumbentis à superficie terræ in abyssum, si talis fieri possit vltra cẽtrum vniuersi. In vtroq; (vt vides) est continuus motus, non tamen vnus numero: qui ascendens flamma nunc superficiem terræ, nunc superficiem aquæ & aeris terminum sui transitus motusque habet. Sic lapis decumbens viribus collectis vltra centrum (si via pateat) aliquantulum progreditur, nouumque terminum* ad quem *acquirit, cuius nomine forma in textu dicitur.*

Resp. *Mea quidem opinio est, non terminari motum per se ad superficiem corporis ambientis (nam sic vt ais, ignis à cẽtro ad locum suum naturalem peruolans multiplicem haberet terminum) sed ad* vbi, *quod est re idem cum quantitate rei mobilis: & sic licet flamma perrumpens à terra per aquam & aerem aliam atque aliam superficiem acquirat: in toto tamen eo spacio vnum* vbi *continuum habet. Alterum exemplum nihil probat: primum, quia fieri non potest, vt terra à superficie ad superficiem secundum totam diametrum perforetur: tum si perforetur, lapis nulla vi vltra ipsissimum centrum caderet, sed subito illic, vt in loco proprio, conquiesceret.*

Vbi re idem cum quantitate rei mobilis.

Opp. *Si vnitas temporis requiratur, aut erit vnitas temporis quod est mensura primi motus (quæ est vna in omnibus totius vniuersi simul effectis) vel eius temporis quod est mensura huius vel illius motus: prioris non est, nam sic motus omnium est vnus numero: si vero posterioris, ridiculum esset alias vnitates postulare, cum hæc sola sufficiat: nam vbi est mensura motus singularis, ibi necessario erit motus singularis.*

Resp. *Per vnitatem temporis, nec tempus primi mobilis, nec expresse tempus quod motum iam dimetitur hoc loco*

intelligo, sed spacium illud quo alicuius rei motus sine vlla media quietis mora vnus numero esse cognoscitur, distinguiturque ab alio, qui veluti in via ante acquisitum terminum impeditur.

Opp. *Ad vnitatem motus sufficit vnitas mobilis: ergo inanis est ista triplicis vnitatis distinctio. Antecedens probatur, quia a subiecto omne accidens distinctionem numeri & vnitatis habet: cum ergo motus sit accidens mobilis, si mobile sit vnum, vnus quoque motus ex necessitate erit.*

Resp. *Etsi omne accidens extrinsecam vnitatem à subiecto petat, quia idem numero cum accidente suo subiectum facit: intrinsecam tamen aliunde vnitatem aliquando habet, vt motus à mouente, tempore & forma.*

Opp. *Realiter distinguitur motus à mobili tempore & termino: sunt enim entia re, plane specie distincta: ergo potest motus esse singularis & vnus numero sine istis, quo posito, sequetur necessario illorum vnitates ad huius vnitatem non requiri.*

Accidens intrinsecam vnitatem à subiecto non petit.

Resp. *Non nego habere posse internam vnitatem essentiæ sine illis, sed non habere externã vnitatẽ existentiæ de qua hic agitur. Potest enim motus considerari in suo principio mouente sine mobili, tempore, & termino secundum essentiã, & sic est ens distinctum in rerum natura: sed hic vt est actus mobilis, solum physice consideratur.*

Opp. *Motus cœli vnus est numero sine consideratione temporis & termini: ergo ad omnem motum singularem non requiritur triplex hæc vnitas quã posuit Philosophus. Antecedens probatur, quoniam motus cœli est (vt ait Philosophus primo de Cœlo) simplex, vnus, & æternus: at in æternis nulla est temporis aut successionis consideratio: tempus enim & successio mortalitatem arguunt vt est in 3. Phys.*

Ex 2. de Cælo c. 1. tex. 1. & 2.

Resp. *Motus cœli æternus dicitur successione, non simplici constitutione sua: est enim solus Deus simpliciter & secundum essentiam suam æternus. Præterea est in motu cœli terminus ad quem mouetur, quia motus qui fuit heri non est hodiernus, cũ & alio alioque tempore, nec non alio alioque termino mensuretur.*

Motus cœli quomodo æternus.

Disting-

Distinctio quæstionis, Vtrum motus specie distinguantur per terminos ad quos feruntur?

Distingui motus specie per terminos *ad quos*, probatur à

Simili, quia vt actus distinguit potentiam: ita terminus distinguit motũ; motus enim respectu termini potentia est, quamuis actus inchoatus respectu mobilis subiecti dicatur.

Definitione formæ, quia terminus ad quẽ dat nomen & esse motui, motus enim semper à termino ad quem denominatur. *Cap. 1. huius lib. text. 4. & c. 4. tex. 48.*

Contrario, quia à termino à quo specie nõ distinguitur motus, à termino ergo ad quem specificam distinctionem sumit.

Quod vero non distinguatur specie per terminũ à quo hinc constat, quia duo termini motus specie differunt, & a duobus differentibus specie nihil vnitatem aut distinctionem specialem habet. *Aristot. 1. de Cælo. c. 8. text. 86.*

Argumenta contra secundam quæstionem.

Opp.

Si ignis & terra simul moueantur sursum, illius motus est naturalis, huius violentus, qui specie (vt docet Philosophus) differunt: sed hi duo motus eundem terminum omnino habent: ergo sunt motus distincti specie qui a terminis ad 1.
quos *specificam suam distinctionem non sumunt. Similis est* 2.
ratio de motu circulari & recto, qui nonnunquam eosdem terminos sortiuntur: & tamen in 7. Physic. motus circularis à motu recto specie differre dicitur. Huc addo, quod termi- 3.
ni à quibus *specie etiam distinguant motus, cum generatio distinguatur ab aliis motibus positiuis per* non ens, *a quo procedit. Postremo, cum termini ad quos sint fines terminantes motum, resq; nulla à fine specificam differentiam sumat, fieri non potest vt motus à motu specie differat per terminos ad quos destinantur.*

Resp. *Motus ignis & terræ naturales, cum ad diuersos* 1.
terminos destinentur specie differunt: non autem cum eosdem sortiantur, vt in hoc exemplo constat: neque violentum

2. *& naturale sunt contraria motu, nisi respectu eiusdem. De motu circulari & recto idipsum dico, eosdem scilicet specie non differre si vterque ad vnum vbi acquirendum destinetur. Nam vt linea recta & curua non differunt nisi specie accidentali: ita motus rectus & circularis per accidens solum differunt, si ad eosdem terminos ferantur? Quod adfers de generatione non mouet, quia generatio non est motus de quo hoc loco disputat Philosophus, sed quadã quadripartita mutationis species, de qua in primo huius libri disseruit, nempe à non subiecto ad subiectum.*

Violentum & naturale quomodo contraria in motu.

Motus rectus & orbicus per accidens solum differunt.

3. *Neq; verum omni ex parte est quod dicis de generatione nam & illa etiam à termino* ad quem *nomen & distinctionem habet: generatio enim proprie non dicitur. donec terminum* ad quem *mobile attigerit.*

Generatio quã do proprie dicitur.

4. *Postremo termin⁹* ad quẽ *est instar finis nõ ipse finis, sed pots⁹ forma & actus ipsius motus, vnde essentialẽ distinct. habet.*

Distinctio quæstionum, An diminutio sit naturalis motus positiuus? & An sit specie distinctus per terminum ad quem?

Quoniam sunt qui defendant *diminutionem & remissionem* inter positiuos motus non annumerari; defendimus tamen sic esse, & specie per terminos, suos positiuos inter se distingui: quod probatur

1 Ab authoritate Aristot. qui in quadripartita distinctione mutationis diminutionem & alterationem inter motus genera positiua annumerauit.

2 Ab authoritate D. Thomæ, qui diminutionem quantitatis, & qualitatis remissionem motus reales esse, & per terminos reales distingui affirmat.

3 A simili, nam vt planta detracta ab ea portione aliqua, nouũ modũ totius subit: ita homo decrescẽs naturali ratione ad terminum contractiorem fertur, entisq; complexi nomen & naturam habet.

4 Ab exemplo Socratis nunc forsan iuuenis sub decem, nunc senis sub 8. digitis existentis, qui sic dilapsus nouam in se quantitatem vt terminum acquirit, à quo illius motus specie ab alio quocunq. motu differt. Vt ergo amplior quantitas & moles corporis est terminus accretionis: ita minor & contractior est terminus diminutionis.

Obser-

Obseruatio notatu digna.

Mutato nomine, eadem est ratio remissionis in qualitate, quæ est qualitatis per gradus quosdam (vt ita dicam) retusio & declinatio.

Argumenta aduersus quæstiones.

Opp. *Etsi Aristot. videatur diminutionem inter motus genera posuisse, quæ terminis positiuis distinguuntur: ratio tamen & authoritas optimorum philosophorum suadent contrarium: quippe diminutio nihil aliud est quam lapsus naturæ declinans pulsus, humidi natiui decretio, totiusq; substantiæ tandem & quantitatis corruptio. Nam quamuis decurrens per præcipitium natura nouam acquirat quantitatem, maiorem tamen & meliorem semper deperdit, & tandem humido per calorem naturalem depasto, subiectum quantum in non quantum vertit. Est ergo diminutio potius corruptio ab ente ad non ens, quam motus, qui termino positiuo definitur.* 1. *Diminutio quid.* *Insuper accretio essentialiter est acquisitio quantitatis, & intensio qualitatis: ergo decretio & remissio sunt essentialiter corruptiones earundem formarum. Ratio à contrariis sequitur, quorum essentia diuersa est.* 2. *Hoc concesso, sequitur diminutionem esse motum negatiuum, & per terminum positiuum specie distingui.* *Præterea in remissione per gradus aliquando defluit qualitas in non gradum, sicut constat in aqua calida quæ deferuescens redit in frigidissimam naturam suam: ita in diminutione fieri potest decretio à quantitate in non quantitatem. Diminutio ergo nec forma quanta semper terminatur nec specie per illam distinguitur.* 3.

Resp. *Vt est flos, ita est fructus maturus, & messis naturalis rerum. Senectus enim non est contra naturam, nec mors ipsa, si non sit violenta. Agnosco Aristot. diminutionem posuisse inter motus positiuos, & quæ adfers contra hanc positionem non videntur inuicta. Metaphoras ergo tuas ad Philosophicam demonstrationem non admitto: nam quamuis pulchre naturæ occasum doceant, rem tamen in præsentiarum non demonstrant. Non est ergo diminutio corruptio sed acquisitio, non negatio sed positio & affirmatio minoris acquisita quantitatis. Altera ergo ratio tua nō valet à contra-*

Senectus non non est cotra naturam, nec mors nisi violenta.

Diminutio non est corruptio, sed acquisitio minoris quantitatis.

ris quia non obseruatur oppositionis proportio: nam neq; augmentatio est generatio proprie dicta quantitatis, nec diminutio corruptio, sed vtraque contraria ratione quadam acquisitio noua: illa scilicet maioris, hæc vero minoris, eademque naturalis, quantumuis per impotentiam naturæ fiat. Nam vt est naturalis potentia, ita etiam est naturalis impotentia, cum non vi & impetu natura horologium temporis & æstus vertat. Comparatio tua inter remissionem & diminutionem nulla est, quia negatur: affirmamus enim sic rem quantam diminui non posse, vt in non quantam desinat: quippe res quanta est continua, & continuum est semper diuisibile in partes infinitas: est ergo in diminutione perpetua acquisitio noua & minoris quantitatis. Vnde concludo eodem termino quanto & definiri & distingui hanc speciem motus. At dices me exemplum caloris effugere: non effugio, sed respondeo non esse inter qualitatem & quantitatem in hoc parem rationem, quia sola quantitas semper diuisibilis esse dicitur, non qualitas. Vel potius dico, calorem istum aquæ in vltimo gradu caloris extingui non remitti: remissio enim arguit vlteriorem gradum eiusdem speciei, qui non relinquitur cum inducitur frigus aquæ.

Phys. lib. 6 tex. 5. & tex. 15.

Distinctio quæstionis, An motus à qualitate extrema ad extremam per medium sit vnus specie?

Media qualitas considerari potest bifariam, vel
- 1 Vt ad eam tendat mobile sub ratione extremi, & sic quamuis in ea non diu persistat mobile, est tamen alius motus à motu ad extremam.
- 2 Vt ad eam tendat veluti per viam ad extremam, & sic non impedit quo minus sit vnus motus specie qualitatis extremæ ad extremam per medium, quia non à media quæ est via, sed ab extrema, quæ est forma suum nomen habet.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Opponis te in hoc dubio multis præclaris viris, sed rationi quid respondes? motus Socratis ad nigredinem est per viridem aut cæruleum colorem medium, in quo aliqua mora est: ergo non est idem vnusque motus specie. Ratio sequitur,*

quitur, quia medii colores & extremi differũt specie: differũt ergo eorũ motus. Praeterea, qs sana mēte negabit introductionē formae embryonis specie differre ab introductione animae rationalis? & tamē forma embryonis est quasi via ad formã hominis. Cur ergo simili ratione non concederes, motum per medium esse distinctum specie à motu, qui ad extremum tēdit? Postremo quem quaeso locum illa medii acquisitio obtinebit, cum motus ab extremo per medium ad extremum perget? Certe aut erit proprius, & distinctus motus specie per se, aut ad alterum extremorum, aut saltem ad vtrumque pertinebit: non ad alterum aut vtrumq; extremum pertinet, (cum medium sit species distincta ab vtroque) est ergo motus per se specie distinctus vt doctiores putant.

Resp. *Distinctio modo adhibita, omnes istas obiectiones euertit & conuellit: nã si medius color, aut alia quacũq; media qualitas, sumatur pro termino extremo motus (medium enim saepissime rationem extremi subit, si cum extremo comparatur) tum quidem motus ad medium differt specie à motu ad extremum, quod maxime alteri extremo opponitur: sin vero transeat motus per medium, vt per viam aut semitam ad oppositum, neque in eo fiat mora aut quies, motus per illud non differt specie, sed est vnus continuus, vnusq; specie motus. Neq; illud exemplũ embryonis quod inducis, quicquã valet: quippe embryo hominis (vt embryo) potius homo quam bellua dicitur, neq; simpliciter specie differt, quia est in proxima potentia ad formam humanam induendam, à qua nomen & istinctionem habet. At motus transit per medium (inquis) & est acquisitio eiusdem medii: quae acquisitio motus est, qui motus vel per se & vi propria distinctus à caeteris, vel ad motum vnius vel vtriusque extremorum pertinebit. Paucis respondeo: pertinere ad motum eius extremi ad quod tendit, si in medio non fiat mora. Nam vt in currendo stadio à meta ad metam, est vnus continuus motus, licet sit media aliqua via per quam cursor vestigia vrget: ita in motu ab extremo ad extremum, tanquam à scopo ad scopum est media quasi via, quae ab vtroq; extremorum differt: hic tamen motus vnus actus mobilis continuus est, nisi in medio diutius quiescat & commoretur.*

Vt in Ethic. lib. 2. cap 8.

Motus ab extremo ad extremum per medium quo modo vnius speciei.

Embryo hominis vt embryo, potius homo quam belua dicitur.

Distinctio quæstionis, Vtrum motus localis distinguatur specie ab alio motu per locum ad quem fertur.

Locus considetatur vel
- Materialiter, pro superficie ambientis corporis, & sic non semper localem motum specie distinguit.
- Formaliter, pro naturali respectu & *vbi* ac situ, & sic distinguit aut
  - Per virtutem motricem corporum mototum, (grauitatem, leuitatem, figuram, & potentiam, intelligo) quæ specie differunt.
  - Per relationem ad locũ, ad quẽ vi aut natura tendit, & hoc probatur
    - 1 Quia locus est obiectum quod motus respicit, & finis in quẽ tendit, quo acquisito mobile quiescit.
    - 2 Quia nomen à loco motus localis habet, quod non haberet, si loco non terminetur & distinguatur.

Argumenta aduersus quæstionem.

Opp. *Tutior partus est eorum, qui defendunt motus locales per loca materialiter accepta specie ab aliis motibus distingui: nam aliter quid respondes de motu circulari & recto? & iterum quid ais de recto sursum, & deorsum, siue vi & impetu siue natura fiat? Motus enim terræ à motu ignis specie differt, siue ille sit naturalis ad diuersa loca, vt ignis ad concauum lunæ, & terra ad centrum suum, siue sit violentus, vt terra sursum. Nam violentus motus & naturalis specie differunt, teste Philosopho primo de Cœlo c. 2. idipsum quoq; docet lib. 8. huius operis, cap. etiam 8. Præterea, quid per formalem aut formaliter acceptum locum intelligas non video, cum alii ad grauitatem & leuitatem, alii ad potentiam actiuam naturæ mouentis, alii ad figuram aptam ad motũ, vt in globoso corpore, alii ad* vbi *seu respectum loci istam formalem acceptionem loci referant. Neq; certe intelligo, quomodo magis ab istis quam à locis ipsis motus essentiales differentias sumerent: cum plus in absolutis quam comparatis insit discriminis, locus vero absolute sumptus est ens absolutum, at comparate acceptus est ens respectiuum.*

Text. 9.
Text. 64.

Resp.

Resp.

Ad prima exempla & loca quæ ex Aristotele ducis, respondeo quidem illos motus differre specie accidentali. Nam vt linea recta & linea circularis re & essentia non differunt, sed accidente: ita motus rectus & circularis. Idipsum dico de motu naturali & violento, quod non dialecticè specificã differentiam faciant, sed physicam aliquo modo. Quod addis te nescire quid intelligas per motum localem, aut per locum respectiuè acceptum parum vrget, quia à tua intelligentia non dependet quæstio. Sed vt intelligas, verbo respondeo, per locum formaliter acceptum vbi *simplex aut compositum intelligi, quod de nouo semper, vt terminus motus localis acquiritur.*

Vid. pag. 278.

Motus naturalis & violentus physicam non dialecticã differentiã faciunt.

Locus formaliter sumptus quid.

Distinctio quæstionum, An motus regularis & vniformis differant? & An omnis motus sit regularis vel irregularis?

Distinguitur motus in

1 Regularem, qui non est velocior in vna parte temporis quam in alia, vt motus cœli.

2 Irregularem, qui est velocior in vna parte temporis quam in alia, vt motus lapidis, qui naturaliter velocior est in fine quam in principio.

3 Vniformem, qui est cum vna pars mobilis non moueatur celeriore motu quam alia: vnde sequitur quod motus cœli sit regularis respectu temporis æqualis in quo mouetur, non autem vniformis respectu partis, quia partes vicinæ polis tardius mouentur quam aliæ partes remotæ, quæ in æquali tempore maius spacium transeunt. Ex his colligo, omnem semper motum naturalem esse regularem aut irregularem præter motum animalis, qui mixtus dicitur, & quodammodo voluntarius. *Nota quod motui vniformi alius motus ex aduerso respondeat, qui* defo rmis *nominatur.*

Argumenta aduersus quæstiones.

Opp.

Arist. in hoc cap. motum regularem & vniformem pro eodem sumsit: es ergo nimis curiosus in distinguendo vno ab altero. Præterea vterque definitione conueniunt: ergo non differunt. Antecedens probatur, quia & regularis & vniformis sunt motus æquales, id est tales, qui non nunc velociores, nunc tardiores dicuntur. Similis est ratio de motu irregulari & deformi, inter quos non debet esse curiosa distinctio, cum vtrique sint motus inæquales. Insuper, cum velocitas & tarditas in eodē motu simul esse possint, vt in motu cæli, qui tardior est circa polos quam in aliis remotioribus partibus suis, & in motu cuiusque rei naturalis, quæ semper velocius in fine quam in principio mouetur: non video quomodo apte istos motus distinguas, cum in omnibus, præterquam in cælo, grauitas & leuitas sint causæ effectrices motus, quibus in suis terminis distinguuntur. Postremo, quamuis placeat Beuero viro doctissimo existimare, omnē motum esse regularem aut irregularem, videtur tamen in hoc cōtradicere veritati, quia est motus dæmonum qui nullum temporis respectum, nullam velocitatis aut tarditatis rationem habet, cum omnes eorum actus auo non tempore mensurentur. Huc addo, omnes instantaneos motus, quorum mensura instans est, non tempus. Instans enim mutatum *esse demetitur, vt antea docuit Philosophus.*

Lib. 1. de Cælo c. 3. tex. 17. & 18.

Resp. *Arist. sub communi nomine, & motum regularem & vniformem in hoc capite comprehendit, & vtrumque æqualem appellat: alibi tamē distinguit, vt hic distinguo. Neque (vt ais) definitione conueniunt, nam regularis (quod est notatu dignum) partes temporis, vniformis autem partes mobilis respicit. Est enim regularis qui non est velocior in vna parte temporis quam in alia, est autem vniformis, cum vna pars mobilis non moueatur celeriori motu quam alia: vt in motu lapidis, cuius vna pars non celeriore cursu incitatur quam alia, tametsi totus lapis in fine naturalis sui motus celerius rapiatur ad centrum, ratione minoris medii resistentiæ. Si similis sit ratio irregularis & deformis motus, similem mutato*

Motum regularem & deformem quomodo pro eodem sumat Aristoteles.

Motus regularis ab vniformi quomodo differat.

mutato nomine adhibemus responsionem. Ad quartum argumentum dico, posse quidem accidentia contraria, qualia sunt velocitas & tarditas, grauitas & leuitas, inesse eidem subiecto, sed non eodem respectu, aut in eadem parte subiecti: & sic dicimus partes polares cœli tardius, partes alias velocius cieri. Similiter de motu lapidis velociore in fine quam in principio dicendum est, quippe nō eodem respectu hac contraria accidentia insunt. Ascribis aliquid Beuero, & tamen infligis vulnus, sed non contradicit veritati (vt ais,) nam omnis motus est aut regularis aut irregularis, si generatim hac nomina consideres, vt ille: si vero speciatim distinguas, motus animalis, mixtus & voluntarius, excipitur. De motu dæmonum & de instantaneis mutationibus rerum non hic agit Arist. motus enim solum naturales eosdemque per se distinguit.

Generatim omnis motus est regularis vel irregularis speciatim non item.

An motus differentes genere aut specie continuari possint?

An idem mobile contrariis motib. simul moueatur?

Argumenta contra primam quæstionem.

Opp. *Localis motus & augmentatio specie differunt (sunt enim diuersæ species motûs) sed localis motus, & augmentatio continuantur: ergo motus diuersi speciæ continuari possunt. Minor probatur, quia acquisitio noui loci, est semper coniuncta cum augmentatione. Cum enim conuertatur alimentum in naturam alitì, indeque fiat augmentatio, loci etiam commutatio necessario sequitur. Nam quis dicet eundem esse locum, aut loci respectum in plātis de nouo satis, cum adhuc vix è terra emineat, & in magnam cedrum aucta? est ergo continua loci mutatio cum augmentatione. Præterea, si motus diuersorum generum continuari non possint, ostende mihi, quomodo à statu virilis ætatis contabescere videatur natura humana? videntur quidem mihi diminutio, quæ est in quātitate, & corruptio praua in substātia, inter se continuari: siquidem æquis passibus corruptio & diminutio hominem ad sepulchrum trahunt: Vnde (vt nonnulli putant) aptius definiri nō potest diminutio, quam continua sem* 2

3

perpetua corruptio rei. Nihil hic de nutritione, concoctione, & generatione dico, quæ quidem sunt diuersæ species motus: & tamen concoctio nutritioni, & generatio vtrique continuatur. Quod sint diuersæ species motus, medici affirmant: nam etsi omnis nutritio sit generatio quædam, omnis tamen generatio non est nutritio: & quamuis concoctionem sequatur nutritio, nutritio tamen non est concoctio.

Resp.

Locus bifariam sumitur a philosopho.

Omnis extensio loci non est commutatio eiusdem: fatemur esse in augmentatione extensionem loco, negamus tamen esse alium locum: non ergo hi duo motus continuantur: neque est quod mireris eundem esse respectum plãtulæ, ac cedri iam in immensum auctæ: siquidem locum non solum pro superficie ambiente, sed pro respectu & vbi acquisito sumit Philosophus. Ad alterum argumentum aio, decretionem non esse corruptionem, sed (vt superius docui) acquisitionem minorĩ quantitatis: corruptio enim ad non ens tendit: hæ ergo species continuari non possunt. Postremo, instas in cognatis motibus, non penitus diuersis si ordinem naturæ spectes: est enim nutritio particularis generatio, & est concoctionis perfectio nutritio, non sine noua generatione. Sed esto, specie differant (vt quidam medici docent) non tamen est cõtinuatio eorum, quia interposita est quies & mora inter terminos ad quos tẽdunt, & a quibus essentiales distinctiones sumunt.

Nutritio est particularis generatio.

Argumenta contra secundam quæstionem, An idem mobile contrariis motibus simul moueatur?

Opp. *Idem mobile, vt orbis Saturni, aut Iouis, aut cuiusuis planetæ inferioris, motu diurno ab oriente in occasum, & motu retrogrado ab occasu in orientem simul mouetur: ergo idem mobile contrariis motibus simul mouetur. Antecedens constat quia raptu primi mobilis inferiores orbes in dies singulos ab ortu ad occasum cientur, suoque ipsorum motu sensim & pedetentim, vt musca in rota plaustri renituntur. Ratio constat, quia isti motus sunt violentus & naturalis, adeoque ad contrarios terminos, nempe ad ortum & occasum solis. Deinceps, quid ais de paroxysmo tertianæ febris, in quo*

Lib. 2. de cœl. text. 16.

frigus

frigus primum inuadit, & intus subito sine vlla mora & quiete furit: isti ergo motus contrarii non solum sunt continui, sed & idem mobile, id est ager misere afflictus inter immane frigus & flammas, eodem instanti languet. Nam si aliter se res habeat, ostende instans in quo vtrumque malum non sauiat, aut ostende duo pluraue momenta, in quibus frigus desinat, & calor vires colligat: certum est non citius mitescere frigus, quin calor efferuescat, imo simul cum frigore febrili declinante & calore succrescente conflictatur ager.

Resp. *Breuissime respondebo istis argumentis, nempe contrariis motibus nullũ orbem cœlestem agitari. Nam quamuis raptu primi mobilis inferior quisque orbis incitetur, & renitatur proprio motu: non est tamen contrarietas, quia termini isti non sunt distincti nisi quoad nos, cum eadem pars cœli vtrumque terminum vicissim faciat. Neque hic de violento motu agitur, sed de naturali. Alterum exemplum de paroxysmo seu accessione febris nihil probat, cum sit quadam certa periodus vtriusque qualitatis, certaque quies & cessatio, quam licet ager vix senserit propter tyrannidem morbi & velocitatem motus, est tamen status quidam, est etiam declinatio.*

Termini ortus & occidentis non sunt diuersi nisi respectu nostri.

CAPVT V.

Vtrum { *Motus motui vt est fluxus, vel vt fluens forma opponatur?*
Forma fluens sit eiusdem rationis cum forma terminante motum? }

RESTAT vt in extrema parte huius libri de contrarietate & quiete disputet Philosophus, de quibus ante obiter, nunc autem distincte agit. Cæterum ne nimio quasi motu defatigeris (studiose lector) cum nihil præter motum hi libri sequentes sonent, velocius incitabo nũc cursum, & quæ fusius dicta sunt discutiam paucis. Quinque ergo modis (vt hic docet Arist.) motus motibus contrariari videntur: primo cum alter ab vno termino procedat, vt motus cœli ab 1

Motus motibus contrariantur quinque modis.

oriente, alter ad eundem tendat, vt motus solis ad oriẽtem: secundo cum vterque à terminis contrariis fluat, vt calefa-
2 ctio & frigefactio à calore & frigore: tertio cum vterque ad
3 terminos contrarios & repugnantes destinetur, vt sanatio & ægrotatio ad sanitatem & morbum: quarto cum alter ab
4 vno contrario proficiscatur vt à sanitate, alter ad oppositum
5 eiusdem contrarii flectatur vt ad ægritudinem: quinto cum vterque & à contrariis terminis incipiat, & in cõtrarios desinat, vt sanatio & ægrotatio: motus à contrariis caussis orti ad contraria effecta contendunt. Sed dices, quorsum est ista apud Philosophum numerosa distinctio? huc nimirum tendit, vt intelligas quinam motus proprie adinuicem opponantur. Quid multis? Contrarii motus proprie definiuntur, qui ex terminis contrariis, aut a mediis ad contrarios fiunt. Sumitur enim contrarietas motuum præcipue ex termino *ad quem* tendunt, sic calefactio & frigefactio, augmentatio & diminutio, intensio & remissio, omnes locorum mutationes sursum & deorsum contraria dicuntur, quia terminos diuersos (vt ita dicam) se terminantes habent. In cæteris vero mutationibus quas a motus classe antea exclusit Aristot. id est, in generatione & corruptione spectatur contrarietas ex accessu & recessu ad eũdem terminum, vt generatio tendens ad esse rei cõtraria & corruptioni quæ inde recedit.

Vsus huius distinctionis. *Contrarii motus qui sint.* *Contrarietas motuum unde.* *In generatione & corruptione contrarietas unde.*

Quæstio. Ex hisce vnam quæstiũculam eliciam, *Vtrum motus motui opponatur vt est fluxus seu successiua acquisitio formæ, vel vt est ipsa fluens forma?* Superius inter fluxum & fluentem formam hoc discrimen posui, vt fluxus sit propria & formalis significatio motus, forma autem fluens impropria & materialis. Est enim fluxus *naturalis acquisitio formæ*, fluens vero forma est *ipsa inchoata, & quasi in herba succrescens forma.* Hac distinctione posita admodum anceps nõ est dubitatio: quippe motus motui non vt forma, sed vt fluxus & acquisitio formæ alteri mutationi opponitur: sic enim proprie motus dicitur definiturq; *actus inchoatus rei mobilis in potentia ad formã:* actus (inquã) in potentia ad formã, non ipsa forma: q̃ licet vt cera calore naturali liquescẽs fluat, aut vt planta crescat: nõ est tamen per se motus, sed terminus eiusdẽ ad quẽ tendit. At dices, quomodo ad formã tẽdit motus, quã in amplexu fluentẽ habet? Vt mater in vtero suo embryonem

Discrimen inter fluxum & fluentẽ formã. *Motus motui opponitur, non vt forma, sed vt fluxus formæ.* *Motus quid sit.*

bryonem seu fœtum crescentem fouet, & tamen non cessat laborare, donec infantem perfectum in lucem ediderit, ad quę mouetur: ita motus in amplexu veluti suo formam pullulantem tenet, & tamen non quiescit donec absolutã eandem produxerit, qua sic producta terminatur. Natura.n.in re qualibet non florem sed fructum, non inceptum opus sed perfectum, non principium sed finem quærit: medium vero naturale quærendi motus est, i.actus: actus inquã, non perfectus qui forma dicitur, sed actus inchoatus seu fluxus formæ, & sic alii opponitur motui, quia sic proprie & per se motus est. Veruntamen obseruandum est, non in omnibus istis modis contrarietatis, quos posuit Arist. sic opponi & cõtrariari motum (generatim.n.in illis de repugnantia motus agit) sed existimandum est opponi solum in illis contrariis quorum extrema aut media sunt positiua. Nam aliter cum ad non ens tanquam ad terminũ declinet aliquid, vt in corruptione rerum, motus fluẽs forma diceretur: at potius forma defluens & deflorescens, quam fluens, vt fiat perfecta dicitur. Hinc generatio & corruptio negantur esse motus genera, quia vel à non ente, vel ad non ens fluunt. *In quibus motibus sit opposi-tio.*

Desiderari exempla probationis in hac quęstione nõ possunt: vnum vel alterum solũm proponã. Calefactio est motus contrarius frigefactioni, & dealbatio non solũ denigrationi, sed etiam mutationi cuiusque coloris medii. Medium enim comparatum cum vno extremorum rationũ extremi induit, vt in fine huius cap. docet Philosophus. Sed quorsum hæc? vt intelligas per ista exempla non solum quid sit motus proprie acceptus, scilicet fluxus non fluens forma, sed etiam quomodo alter alteri opponatur. Si enim v.gratia, sumas calefactionem pro calore, & frigefactionem pro frigore: quęro An existimes hæc inter se opponi vt qualitates, vel vt motus? certe calor & frigus sunt qualitates: opponuntur ergo vt qualitates. Hinc infero, calefactionem & frigefactionem, vt sunt motus contrarii non pro formis accipi, sed pro formarum potius fluxu & acquisitione, quæ tamen suum nomen habet à forma seu termino ad quem tendit: vt frigefactio à frigore, calefactio à calore, quibus primario repugnantiam acceptam ferunt. Præterea cum calor & frigus sint ipsi termini terminantes motum, id est, tales in

quibus cessat motus, quomodo motus dicuntur contrariari, cum formis seu terminis acquisitis omnino desinant esse motus? est enim in acquisitis terminis quies non motus, cessatio mobilis, non progressio aut imperfectio rei. Quippe termini sunt vltimi quasi scopi ad quos in omni motu contendit natura: si quæ lucta aut certamen contingat, in via est, non in meta, in motu non in forma, in progressione non in perfectione rei. In via enim, motu, & progressione naturæ est sæpe aliqua contentio, quia non est actio sine passione, sed in meta, forma & perfectione est ab omni pugna cessatio & quies, quæ vel priuatio, vel cessatio omnis motus definitur.

In terminis quies, non motus.

Actio non est sine passione.

Distinctio quæstionis, Vtrum motus motui vt fluxus, aut vt fluens formæ opponatur?

Motus sumitur vel
- Generatim, pro omni mutatione, & sic hoc loco à Philosopho non distinguitur.
- Speciatim idque trifariam
  - 1 Pro forma naturali fluente à materia, & actiua potentia naturæ.
  - 2 Pro actu inchoato, id est, pro imperfecta progressione naturæ ad formā perfectam acquirendam.
  - 3 Pro fluxu, qui partim ex forma fluente, partim ex actu inchoato cōstat: & sic alter alteri opponi dicitur: quod probatur
    - 1 A necessario, quia in omni vero motu sunt actio & passio, quæ contrariantur.
    - 2 A repugnantia terminorum ad quos motus tendit.
    - 3 Ab exemplis calefactionis, & frigefactionis, aliorumque motuum qui sunt contrariis.
    - 4 A comparatione mediorum & extremorum, in quibus motus proprie versatur, vt hic docet Philosophus.

Argu-

Argumenta contra primam quæstionem.

Opp.

Sæpe antea interpretibus satis confidenter, nunc audacter ipsi Aristoteli te ipsum opponis, qui in textu plane contrariam opinionem tua defendit. Is enim ait omnem contrarietatem motus à contrariis terminis ad quos *depẽdere: tu autem hic ais motum motui opponi, vt est in fluxu aut forma fluente, non in terminis ad quos tendit.*

Resp. *Nemo me rarius aut formidolosius à maiorum vestigiis flectitur: sequor tamen aliquando directiorem ad scopum viam: & si mea me opinio fallat, veniam peto ab illis, à quibus iniustus discedo. Hic vero non sum contrarius Aristoteli, vt ais: nam idipsum cum illo defendo, à contrariis nimirum terminis motus nominari contrarios. Sed attende quod termini contrarii sumantur duobus modis, vel vt sunt fluentes formæ, vel vt sunt terminãtes: vtroque autẽ modo sunt eiusdem specificæ rationis. Priori modo motus vt motus contrariantur, non posteriore, quoniam motus pro formis terminantibus, in quibus cessat motus, non nisi improprie capiatur.*

Termini contrarii duobus modis.

Opp. *Motus nihil aliud est secundum optimos interpretes quam fluens forma: ergo non vt fluxus formæ, sed vt ipsa forma fluens alteri opponitur. Antecedens ratione suadetur, quia fluens forma & motus sunt vnus numero actus, idemque inchoatus: definitur enim motus actus imperfectus, & sic etiam definitur forma fluens, quæ actus perfectus dici non potest, donec periodum fluendi & mouendi attigerit.*

Resp. *Motus & forma fluens non sunt idem actus numero, imo natura differunt: nam quamuis vtrumque actum inchoatum recte definias, est tamen essentiale discrimen, si rem diligenter consideres: nam motus dicitur actus mobilis, id est progressio, forma autem actus definitur, id est, perfectio. Iterum, per motum vehitur mobile ad formam, per formam autem quiescit mobile. Postremo, motus est actus vel dispositio: forma autem est actus, vt habitus dispositione acquirendus aut acquisitus. Cum ergo motus sit instru-*

Motus & forma fluens non sunt idem actus numero.

Discrimen inter motum & formam fluentem.

mentum quo acquiritur forma, & forma res acquirenda, nulla est vtriusque essentialis confusio. Vt ergo fructus plantæ crescere dicitur, cum adhuc planta herbescat: & tamen fructus plantæ ab accretione & nutritione (quæ sunt motus plantæ) differt: ita à potentia & traduce materiæ fluit forma simul cum motu, & tamen fluens forma res eadem non est cum motu, cuius vi tandem ad perfectionem ducitur.

Opp. *Noua videtur quidem hæc tua opinio & inaudita: nam neque fluentes formæ, neque formarum fluxus sunt contrarii, sed qualitates aut termini, qui se inuicem simul in eodem subiecto aut loco non patiuntur, quales sunt calor, frigus, albedo, nigredo, gaudiū, dolor: quæ qualitates dum sunt in motu non sunt contrariæ, sed entia (vt ita dicam) incerta, planeque imperfecta: nō sunt ergo motus vt fluxus in via contrarii: sed vt habitus in statu, secundum qualitates aut terminos acquisitos, non acquirendos.*

Resp. *Noua opinio videtur tibi, sed re non est omnino noua, si iterum memineris illud quod modo dixeram, nempe formam fluentem & terminantem re non differre. Vt ergo à formis terminantibus contrariis motus cōtrarii dicuntur: ita à formis etiam fluentibus contrariis, si contingat in mobili esse illarum certamen, vt sæpe venit. Exempli caussa, aer commutetur in ignem, vtriusque motus sunt contrarii: ratio est, quia in ipso trāsitu pugna siccitatis cum humiditate contingit: non in statu sed in cursu, nō in fine & perfectione sed in progressione naturæ: furtim enim in via vna qualitas insidiatur alteri, & quæ viuacior est, alteram imbecilliorem vincit, vnde facta est commutatio: & quod dico in hoc exemplo de motibus elementorum contrariis, idipsum dico de omnibus, qui in via luctam & conflictum habent.*

Distinctio

Distinctio secundæ quæstionis, Vtrum forma fluens in motu sit eiusdem rationis cum forma terminante motum?

1 Forma fluens in motu est eiusdem rationis cum forma terminante motum, quod probatur

1 A simili, quia vt eadem est anima influens in grano, quæ est perficiens in planta: ita eadem est forma fluens in motu, quæ est in quiete motũ terminans & definiens.

2 A comparatione, quia perfectum & imperfectum non faciunt differre specie. sed forma fluens & terminans se habent vt perfectum & imperfectum: ergo specie non differunt.

3 Ab exemplo: quia succrescens forma in ouo sub gallina posito, re non differt à forma pulli.

4 Ab hypothesi, si enim re differet, genere, specie, aut numero differret, sic autem (teste Philosopho) non differt, ergo per se nullo modo.

Argumenta contra secundam quæstionem.

Opp. *Fluere & terminare sunt plane contraria: ergo formæ fluentes & terminantes sunt quoque contraria. Antecedens constat, quia fluere motum, terminare quietem respicit: quies autem & motus sunt contraria: ergo fluere & terminare sunt contraria. Argumentum tenet, quia contraria eidem non conueniunt.*

Resp. *Fluere & terminare formaliter accepta videntur esse contraria, materialiter tamen pro re, qua fluit & terminat accepta, non sunt contraria: forma enim inchoata re à forma perfecta non differt: nam quamuis in motu sensibus non percipiantur, est tamen veluti in vtero concepta, eademque cum terminante. Quippe vt scintilla in silice aut ferro non cernitur, & tamen est eiusdem rationis cum flamma, quæ inde nascitur: ita forma fluens occulta in motu aut potentia materia, eadem est cum forma terminante, in quam accrescit.*

Opp. *Forma terminantis proprium est definire, & essentialiter distinguere rem cuius est forma: sed forma fluens, hæc officia non præstat: ergo forma fluens & terminans non sunt eiusdem rationis. Antecedens constat in formis plantæ,*

bruti, & hominis, quibus res istæ definiuntur, & secundum essentiam inter se differunt & distinguuntur: at quis putabit inchoatas eas formas quicquam tale præstare, cum adhuc res ipsæ non sint quas definirent & distinguerent?

Resp.

Proprium quidem munus est formæ perfectæ definire, & essentialiter rem cuius est forma, distinguere, quod etiam munus aliquo modo formis fluentibus conuenit, non tamen adeo perfecte & complete: forma enim terminans, essentiam completam rei actu: forma fluens, incompletam essentiam potentia definit & distinguit. Sed vt essentia completa & incompleta re non differũt: ita nec forma fluens & terminans re distinguuntur.

Lib. 2. de gene. animal. cap. 3.

Opp. *Embryo hominis, ante certum & definitum tempus à natura, formam humanam non induit, neque hæc forma omnino dicatur fluere, nisi velis eandem à potentia materiæ traduci & deriuari: quod negat Philosophus, qui eandem diuinitus accedere præparatæ materiæ plane demonstrat. Manifestum ergo est, formam fluentem embryonis re differre à forma terminante hominis.*

Anima ratiocinatrix diuinitus infunditur præparatæ materiæ.

Forma embryonis re non differt à forma hominis ad quam tendit.

Plures animæ non sunt in homine.

Resp. *Vnum exemplum inter mille protrudis, sed in hoc non vincis: nam etsi libenter fatear diuinitus accedere animam ratiocinatricem, eandemque præparatæ materiæ infundi, & non à potentia materiæ traduci: affirmo tamen formam embryonis eatenus non esse re diuersam à forma hominis, quatenus ad illam tendit, à qua embryo nomen hominis, non plantæ, non belluæ, non lapidis habet. At dices quænam est ista opinio? Certe non noua: nam vt infusa & vnita anima rationali non sunt plures animæ in homine sed vna solum anima: ita quidem ante vnionem, cum embryo est in motu ad formam hominis, forma illa fluens embryonis non est re diuersa à forma hominis: quia est in proxima potentia & motu ad eandem: & alterius animæ pars in embryone dici non potest, quia non cessat fluere & moueri, donec ad eam peruenerit. Vt ergo radius solis transiens cum radio ignis vnum lumen facit, quamuis vnus mortalis, alter immortalis dicatur: ita forma fluens embryonis vnita cum forma hominis, non diuersam sed vnam efficit.*

CAP.

CAPVT VI.

An quies motui contrarietur in termino à quo? Sunt alia dubia capitis de quibus vide plura sub fine capitis.

MOtus motui contrarius est (studiose lector) vt vides: nunc quomodo quies cum motu, quiesque cum ipsa quiete pugnet, paucissimis aduerte: conclusiones huius capitis non sunt multæ. Prima est, scilicet non minus quietem quieti, quàm motum motui vbique aduersari: non solũ ergo motus motui, sed etiam quies motui opponitur: eadem tamen ratio & species oppositionis vtrique non conceditur, motus enim vt affirmatio, quies vt negatio cum motu certat. Altera conclusio est, motum quieti contrariari in termino *à quo*, non in termino *ad quẽ*: vt motus qui est à sanitate in ægritudinẽ contrariatur quieti quæ est in sanitate: quippe illam configit & vulnerat, morbumque inducit, quo inducto quiescit motus: at huic quieti motus non opponitur, quia ad eandem vt ad finem tendit. Tertia conclusio est, quod quies in termino *à quo* contrarietur quieti in termino *ad quẽ*: siquidem quies in termino *ad quẽ* priorem quietem tollit. Quarta conclusio est, non solum motum motui, motuique quietem, & quietem quieti contrariari: sed etiam mutationem mutationis vacuitati, seu *immutationi* (vt veteres loquuntur) hoc enim nomen vsurpant, pro vacuitate aut priuatione mutationis.

At (dices) quorsum hoc addit Philosophus, cum omnis motus sit mutatio? Quamuis omnis motus sit mutatio, omnis tamen mutatio non est motus, vt in generatione & corruptione, cunctisque mutationibus instantaneis manifeste constat, de quibus satis copiose supra. At quomodo est mutatio *immutationi* (vt aiunt) contraria? quia in mutatione est rei quodammodo motus, in *immutatione* vero seu vacuitate quies. Quid? an vacuitates mutationis (quas *immutationes* vocant) sunt contrariæ? Sunt: quo (quæso) nomine? non eo quidem quo motus motui in terminis positiuis, sed in terminis disparatis & contradictoriis. Vt ergo quies est priuatio motus: ita mutationis vacuitas, no-

men quietis respectu mutationis obtinet, & similiter huic repugnat opponiturque.

Sed hic suboriuntur quædam in textu dubia, quorum primum est, *Verum violentum & naturale in omni genere motus & mutationis reperiantur?* Vt propositam controuersiam diluat Philosophus, ait violentũ id esse *quod est præter aut contra naturam, cuius mouens est extra se.* Hoc posito respondet dari nõ solum in lationibus, sed etiam in cæteris generibus mutationis, vt aliquãdo naturales, aliquando violentæ dicantur: quod exemplis patefacit, primumque in generationibus ait, quasdam esse fatales seu naturales, cum ordo á natura constitutus seruetur: alias vero esse violentas, quales sunt generationes ranarum & serpentum, qui artificio aliquo procreantur: aut intempestiua rosarum & fructuum productio, qualem sæpe in Anglia (hyeme sæuiente) videmus. Sed dices, quomodo corruptio dici potest naturalis, quam Arist. 2. de Cœlo cap. 6. contra naturam desinit esse? Imo (quod magis est) ipsam senectutem illic omnesque affectus, qui trahunt ad interitum, per vim fieri aperte demõstrat. Soluetur hoc dubium, si dicas illic nomen violẽti communiter sumi, pro omni declinatione quæ perniciem tãdem minetur subiecti, quod ad se tuendum ingenitam vim & propensionem habet. Veruntamen hoc non impedit quo minus corrumpi hominem naturaliter dicamus, cum senio confectus ab arbore vitæ, vt folium in hyeme aut fructus maturus in autumno cadat. Res ista non est difficilis cognitu, si impense attendas & obserues naturæ ordinem & leges in augmento & decremento hominum, plantarum, & belluarum, quibus (vt ita dicam) in infantia & iuuentute duplicem calorem natura concedit: idque ob duplicem caussam, nutritionẽ scilicet & augmentationem: nutriuntur ergo semper quam diu viuunt, at augmentantur ad certam periodum, quam & consistentem ætatem seu statum accretionis medici sapienter vocant. Hinc autumnus sequitur, eminetque hyems & occasus vitæ, cum defluentis humidi materiam resarcire non possit natura. Languente enim tum calore naturali, minus reparantur vitales spiritus, sensimque decrescunt & labuntur. Cum ergo sic ordo naturæ, gradus & modus seruentur, decretio vocatur naturalis,

naturalis

Violentũ quid.

Generationes naturales.
Violenta.

Senectus violenta.

Calor naturalis in infantia & iuuentute duplex, idque ob duas caussas.
Nutritio per totam vitam, augmentatio ad certam periodum.

naturalis quoque corruptio: quia vita cum morte aut subito aut sine sensu commutatur.

Immortandum non est in istis, Alterationes similiter hic docet Philosophus, violentas & naturales esse: naturales (exempli caussa) si conualescant ægroti in criticis diebus, in quibus plerunque natura vitæ aut mortis signum aliquod medico sapienti, quasi digito suo demonstrat. Si enim præualeat natura, aut per concoctionem vrinę, aut per sudorem, aut per euacuationem aliquam sanguinis, vel alterius humoris infesti, futurum statum ægrotantis indicat. Plura de hac re vide apud Galenum lib. de Crisibus: nunc vero si alio modo quā vi naturæ fiant, violentæ & non naturales à Philosopho dicuntur: vt si quis ab equo lapsus apostema intus in corpore putridum dirumpat, maximoque periculo vitæ imminente sic liberetur. Sed attende, nomen violenti fusiore modo hic capi quam in 3. Ethic. Nam violentam illam accretionem hoc loco nominat, qua quis (vberiore victu saginatus) vltra modum accrescit, sicut multi pueri voraciores solent. Sed cauendum est ab epulis: *ciborum enim helluones sæpe & subito suffocantur*. Nam vt ingenti viridioris ligni cumulo adiecto ignis potius extinguitur quā inflammatur: sic vita ingurgitatione ciborum frequentius opprimitur quam conseruatur.

Corruptio quomodo naturalis.

Alterationes naturales.

Violenta.

Vides nunc (doctissime lector) quomodo violentum & naturale omni generi motus mutationisque conueniant, & de contrarietate non dubitas, cum in commutatione loci sursum & deorsum corpus moueri cernas, siue naturali vi siue violento impetu motus localis fiat: quippe motus ignis sursum est naturaliter contrarius motui terræ deorsum: & si ignis deorsum & terra vi sursum volet, contrarius est quoque iste motus scilicet violenter. Similiter est quies in loco supero, cōtraria quieti in loco infimo, siue internam vim motricem rei, siue externum impetum cogentem fortioris spectes.

Dubia quæ sequuntur magni momenti non sunt, attingam igitur verbo. Primum est, *Vtrum quies violenta generetur?* in vtramque partem arguit Philosophus, affirmatiue hoc modo: omne ens quod habet esse post nō esse generatur, sed quies violenta habet esse post non esse: ergo quies

Dubium primum.

Quod quies violenta generetur.

Quod non generetur.

violenta generatur. Negatiue vero sic: si motu violento generetur quies, motus violentus esset propter quietem, velociorque in fine quam in principio existeret: sed in motu violento contrarium contingit: motu ergo violento non generatur quies. Dubium hoc non soluit Philosophus, vt ait Auerroes: at Simplicius affirmat tacite insinuari solutionem, cum dicat in textu motum solum naturalem, non violentum viam esse ad statum seu quietem: motus enim naturalis proprie ad quietem tendit non violentus. Nam vt lapis vi forti in altum emissus, & forte in sublimi retentus, neque naturaliter moueri ad hunc statum, neque proprie in loco suo quiescere dicatur: ita sane de omni motu violento dicendum est, eundem nimirum nec semitam naturæ in progressione, nec portum quietis in perfectione vnquã inuenire: non est ergo motus violentus progressus ad quietem, sed solum naturalis ille qui natiuo impetu ad formam tendit. Alterum dubium quod mouetur antea dissoluitur, *Vtrum* scilicet *quies motui in termino a quo contrarietur*? videtur (inquit Philosophus) quod sic non opponatur, quoniam mobile dum mouetur, aliquid semper illius habet à quo mouetur: si ergo quies motui contrarietur in termino *a quo*, sequetur contraria simul inesse. Verum soluit hunc nodum, demonstrando quietem motui simpliciter nõ contrari. Si ergo inchoate secundum formam fluentẽ in eodem mobili reperiantur, non est absurdum: nam vt retusæ & remissæ qualitates elementorum simul esse possunt in vno mixto: ita in eodem mobili motus & quies, si quies pro forma fluente intelligatur. Reliqua quæ sequuntur in textu de comparatione motus & quietis, Aristotelis acumen non sapiunt. Sunt qui existiment ex Theophrasti commentarus in textum irrepsisse: libenter igitur omitto, ne aut plumbum cum auro coniungere, aut crambem bis coctam apponere omnino videar.

Dub. 2.

Cur reliqua in textu prætermittat.

Distinctio

Distinctio quæstionis, Vtrum quies motui contrarietur in termino à quo?

Quies accipitur bifariam.

1 Proprie, & sic nihil aliud est quam priuatio motus in subiecto apto nato ad motum, & sic opponitur motui saltem priuatiue, idque potius in termino *ad quem*, quã in termino *à quo*: nam quamuis in hoc incipiat, vis tamen priuationis non cernitur, donec mobile noua forma deuestiatur.

2 Communiter seu improprie, & sic est forma sub qua quiescit mobile, & hoc modo videtur Philosophus nomen quietis in textu accipere. cum dicat motum quieti repugnare in termino *à quo*, & non in termino *ad quem*: & etiam cum doceat quietem in illo termino quieti in hoc contrariari. Summatim quæstionem sic dissoluo, quod motus, vt est fluxus formæ, & quies, vt est terminatio seu cessatio motus, opponantur priuatiue: vt autem motus est forma fluens, & quies forma acquisita, sic quidem opponuntur aliquando vt aduersa, vtroque tamen modo in termino *à quo*, vel inchoate vel absolute vt aiunt. Rationes apertæ sunt in expositione, quas idcirco nõ repetam.

Argumenta contra quæstionem.

Opp.

Vnum vni solum contrariatur, vt in Topicis docet Philosophus: sed motus motui opponitur: ergo motus quieti non contrariatur, vel in termino à quo *vel in termino* ad quem.

Resp. *Vnum vni solum contrariatur in aduersis sub ratione extremi: nam sic medium participationis aut abnegationis, comparatum cum vno extremorum, vim semper extremi induit.*

Opp. *Non est quies omnino in termino* à quo. *Ergo quies non opponitur motui in termino* à quo. *Antecedens probatur, quoniam in termino* à quo, *naturalis cursus & motus incipit: non est ergo quies in illo. Praterea, disertis*

Verbis docet Aristoteles, quiescere solum naturam in fine, id est in termino ad quem, *non in principio, id est in termino* à quo *finit motus. Postremo, terminus* à quo *est ens respectu motus imperfectum, quia ab illo ad alium perfectiorem natura per motum tendit sicut ab ouo ad pullum, ab embryone ad hominem: at in imperfecto non est quies, in portu & forma ad quam tendit, natura quiescit: nam semper agit propter finem, id est propter formam, vt multi aiunt. Nō est ergo in termino* à quo *quies, & ex consequenti quies motus in illo termino non opponitur.*

Resp. *Est quies in termino* à quo, *nam aliter Arist. quietem quieti in terminis non opposuisset: quamuis ergo motus incipiat à termino* à quo, *quies tamen in illo termino residere potest, siue pro forma mobilis, siue pro priuatione formæ iam defluentis sumatur. Licet ergo Aristoteles dicat, solum quiescere rem naturalem in termino* ad quem, *intelligit perfectiue non inchoatiue vt aiunt: est enim perfecta quies in termino* ad quem, *mora etiam est aliqua in termino* à quo, *quæ mora recte quies definiri potest. Postremo terminum* à quo *non semper imperfectum esse dicimus: si naturam spectes: imo nonnunquam perfectior est termino* ad quem, *vt in corruptione terminus* à quo *est homo, terminus* ad quem *non homo. Similiter in diminutione terminus* à quo *est quantitas, terminus autem* ad quem *quædam corruptio quantitatis. Nonnulli huic argumento respondēt, quod quies hoc loco pro forma terminante sumatur, & tamen recte dicatur opponi motui in termino* à quo, *quia eundem incipientem in eodem termino claudit: sed priorem responsionem magis nunc equidem probo.*

Res naturalis quiescit in termino ad quem *perfectiue, inchoatiue in termino* à quo.

Terminus à *quo interdum perfectior termino ad quem.*

Opp.

Motus sumitur pro forma fluente, si ergo quies sit forma, quomodo motus quieti opponatur nō video, nisi idem sibi opponatur, id est forma formæ: nam quies est forma (vt docet Philosophus) & etiam motus est forma, vterque actus ipsius mobilis.

Forma fluens bifariam dicitur.

Resp. *Fallaciter nobiscum agis: distingue igitur, formam fluentem sume duobus modis, vel pro forma mobilis à qua incipit motus, vel pro forma terminante ad quam tendit. At dices hanc formam terminantem motum non fluere. Erras, nam*

nam naturalis cum sit, in potentia materiæ delitescit ex qua vi naturæ agentis educitur & fluit: neque est hoc absurdum vt duæ formæ hoc modo insint: vna actu quæ per motum defluit, altera potentia ad quam tendit mobilis natura. Neque est alienum à ratione vt motus vterque opponatur alter in termino à quo *actu incipit, alter in termino in quem desinit. Præterea, motus non propriè pro forma (sed pro fluxu formæ, vt in 4. Physic. docuimus) accipitur.*

Opp.

Quies est contraria motui in termino ad quem: *ergo non est oppositus in termino* à quo. *Antecedens probatur, quoniam quies in termino* ad quem *motum præcedentem tollit. Argumentum tenet, quia contrariorum contraria est ratio: sed termini & quietes terminorum sunt ad se inuicem contraria: ergo si quies in termino* ad quem *sit contraria motui, quies in termino* à quo *non erit.*

Resp. *Vt duo extrema nō solū inter se pugnant, sed etiam medio vtramq́; ex parte opponūtur: ita termini* à quo & ad quem, *adeoque eorum quietes motui contrariantur: quoniam motus mediastinum locum inter vtrumque tenet. Si ergo cum hac vel illa extremorum quies comparetur, rationem contrarii subit.*

Opp. *Quies propriè definitur priuatio motus: ergo motui in termino* à quo *non opponitur. Ratio tenet, quoniam ab illa quiete potius incipit motus quam cessat.*

Resp. *Vt motus bifariam capitur, aut formaliter & propriè pro fluxu formæ, aut materialiter & impropriè pro ipsa forma fluente, sensim acquisita: ita quies propriè & formaliter accepta est priuatio, impropriè & materialiter sumpta est ipsa forma sub qua quiescit mobile. Iterum cum priuatio si formæ habitæ vel habendæ (vt in primo Physic. docet Philosophus) quies vt est priuatio formæ iam habitæ, declinantis, est opposita motui, quia in ea est aliqua commoratio.*

Quies propriè & formaliter sumpta priuatio, impropriè & materialiter forma.

Argumenta in dubium 1. An quies quieti opponatur?

Opp. *Nulla priuatio priuationi opponitur: sed omnis quies est priuatio: ergo nulla quies quieti opponitur. Maior constat, quia omnis priuatio est negatio: sed nulla negatio negationi opponitur: ergo nulla priuatio priuationi opponitur. Minor ex definitione propria priuationis petitur.*

Resp. *Quies sumitur duobus modis (vt ante docuimus) vel proprie, vt est priuatio in subiecto apto nato ad motum, & sic non opponitur alteri priuationi, quia vtraque est negatio: vel communiter vt est forma, & sic opponitur, quippe forma à qua motus incipit formæ in quam desinit opponitur. Sunt enim contrarii termini, quoniam motus est à contrario in contrarium.*

1 Opp. *Quæ non pugnant in eodem subiecto capaci vtriusque non sunt contraria: sed quietes duæ non pugnant in eodem subiecto: ergo quietes non sunt contrariæ. Maior est Aristotelis in Postprædicamentis, cap. de Oppositis, vbi legem hanc tradit contrariorum. Minor probatur, quia quietes nec*
2 *agunt nec patiuntur. Quippe si agerent, esset in illis motus: at non est motus in illis, quia semper in illis cessat & quiescit mo-*
3 *tus. Præterea, fieri non potest vt vnum subiectum sit capax duarum quietum, cum quietes hoc loco pro duabus formis oppositis sumantur: at res vna duas formas habere non potest. Deinceps, si vllum subiectum sit vtriusque quietis, erit ipsum mobile: at mobile id dicitur quod semper in motu est, non in quiete: frustra ergo dicitur in textu quietem (sub qua*
4 *quiescit mobile) alteri quieti repugnare. Postremo si quies sumatur pro forma, & omnis forma sit perfectio rei, & perfectio rationē finis habeat, & in fine nō sit oppositio: sequetur quietē quieti non opponi: nam in oppositione non est perfectio, sed contentio & certamen rerum.*

1 Resp. *Si quietes sumantur pro oppositis formis in eodem subiecto capaci vtriusque pugnare possunt: nam vt remissæ qualitates elementorum certant in mixto donec vna multis gradibus prædominetur aliis: ita duæ quietes, id est formæ à* qua & ad quam *luctantur in mobili, donec illa ab hac per motum superetur. At non agunt (vt ais) non patiuntur quietes:*

quietes: nam agere & pati arguunt motum, non quietem. Respondeo agere & pati (si pro formis easdem sumas) imo etiam si pro priuatione sumatur quies, est quidem in ea quadam (vt ita dicam) actio per accidens, nempe per motum. 2
In secundo argumento sophistam agis: nam mutas suppositionem, nomenque formæ æquiuoce accipis. Dico igitur duas formas vnius rei esse non posse essentiales, accidentiales vero in remisso gradu posse. 3
Non absimile est tertium illud argumentum quod ab æquiuocatione mobilis subiecti petis, quod mobile dicitur subiectum primario respectu motus, cuius propria sedes est: dicitur etiam subiectũ quietis perfectiue, quia ad illam vt ad finem tendit. 4
Quod in postremo loco addis omnem formam esse perfectionem, falsum est, nisi subiectũ sub illa maneat: sed in termino à quo motus incipit mobile non manet: aliam enim formam aucupatur.

Argumenta in dubium 2. An quies in sanitate contrarietur quieti in ægritudine?

1 Opp. *Docuisti modo per quietem intelligi formam: ergo cum in textu doceat Philosophus quietem in sanitate esse contrariam quieti in ægritudine, intelligi debet ac si dixisset, sanitatem & ægritudinem esse contraria. Nam hæ sunt formæ in quibus motus cessat.* 2
Sed vtcunque, sic contra Aristotelem vrgeo: primum quod non sit quies in ægritudine, quæ est intemperies præter naturam, qua læditur actio naturalis: est ergo in ea labor, & dolor potius quam quies, lãguor & declinatio quam status & conseruatio naturæ. 3
Tum si concedatur esse in ægritudine quietem, non est contraria quieti in sanitate, quia solum secundum intentionem & remissionem gradus hæc ab illa differt. 4
Postremo, in neutro corpore sunt ambæ quietes simul (tale enim corpus est partim sanum partim ægrotum) non sunt ergo hæ duæ quietes contrariæ: nam contraria ea sunt quæ mutuo se expellunt.

1 Resp. *Docui modo per quietem intelligi formam, sed non simpliciter: est enim alia eademque duplex significatio quietis, vel vt sit qualiscunque cessatio mobilis, vel vt sit priuatio motus: non ergo nego quin sint in sanitate & ægritudine duæ*

quietes, quarum altera inchoatio motus, altera perfectio mobilis dicatur. Vtraq; autem quies, quia in vtraq; ad tempus mobile & motus cessant. Sed dicis in ægritudine esse laborem
2 *non quietem. Insidiose hic cauillaris: nam etsi concedam in ægritudine esse languorem respectu ægrotantis, affirmo tamen esse quietem respectu humoris tendentis ad illum scopum & formam in qua terminatur: sic mors ipsa quies recte nominari potest. Neq; est (vt ais) solum intensio & remissio*
3 *in duplici hac quiete, quia vt extrema differunt: Veruntamen si esset, non tamen sequeretur quin essent cōtraria, quia (vt ante docuimus) in intensione & remissione qualitatum est satis efficax ad motum repugnantia. Quod in postremo*
4 *loco addis, de vnita duplici hac quiete in corpore neutro, ratione videris non acquiescere: nam primum Arist. negat esse aliquod medium inter morbū & valetudinem: verum si id ipsum concedam, nego tamen vtramque quietem in illa extense (vt aiunt) inesse: solum enim inest illa quies cuius temperies prædominatur.*

In ægritudine quomodo quies.

Argumenta contra dubium 3. An in omni specie motus naturale & violentum opponantur? id est, An sit generatio non solum naturalis, sed violenta? similiter, An sit corruptio naturalis & violenta? & sic de cæteris.

Opp.

Natura est principiū omnis motus: ergo nullus motus est
1 *violentus. Antecedens ex definitione naturæ patet. Ratio sequitur, quia qualis est causa talis est effectus: natura ergo existente causa omnis motus, fieri non potest vt motus ab illa fluens sit violentus & contra naturam. Præterea, ostende*
2 *vllam generationem aut augmētationem violentam esse: ostende (inquam) quomodo illud dicatur violentum, in quo causa mouens sit interna, visq; nulla externa vigeat: sed omnis generatio talis est: ergo nulla generatio est violenta. Deinceps, miror in tertio loco quid sibi velit Philosophus, vbi*
3 *dicat corruptionem aliquam esse naturalem, cum perniciem*

& pro-

& interitum, tanquam anguem odiosum fugiat, imo corruptio omnis violenta sit: configit enim naturam, formam naturalem delet, ad non ens rem omnem naturalem trahit. Postremo, quid aliud est decretio rerum quam tabes naturæ in illis? quid aliud remissio qualitatum quam quædam à statu suæ perfectionis occasum præcipitatio? qui motus omni modo violenti, non naturales dicuntur: corruptio ergo, diminutio, nutritionis defectio, remissio qualitatum, sunt motus violenti omni modo, nulloq; modo naturales. Vnde cõcludo, naturale & violentum non esse in omni specie motionis. 4

Resp.

Natura est quidem principium omnis motus naturalis non violenti: nitis enim est motus naturæ: si vero præter cursum naturæ contingat, immitis, infestus & violentus dicitur. Sed vt mater aliquando ex falsa conceptione monstrum aut molem deformem parit: ita natura externa aliquando causa aut impulsa aut impedita violentum motum gignit. Sed vt mater propriè non dicitur naturalis causa monstri: ita natura per se & vi sua dici non potest principium motus violenti, qui semper externã causam ferocius solito trahentem, vehentem, aut impellentem habet. Petis in secundo loco quomodo vlla generatio aut augmẽtatio sit violenta, cum & generationis & augmentationis sint solum causæ internæ? Respondeo, internas solum non esse causas, nam multa vi artis non minus quam vi naturæ generantur, vt rosa aliiq; flores in hyeme. Similiter de accretione dico, vt si puer vltra modum helluo ciborum plus iusto crescat, talis generatio talisq; accretio violenta dicuntur. At quæris quomodo corruptio dicatur naturalis, cũ sit infesta naturæ? Est quidẽ omnis corruptio infesta naturæ huic vel illi, non autẽ vniuersali: quia corruptio vnius est generatio alterius, & vicissitudo vtriusque est conseruatio totius. Vt ergo casus foliorum in hyeme, deficiente influentia solis, humidoq; natiuo diminuto, habetur naturalis: ita est occas⁹ interitusq; rerũ, si impetu & procella furẽtis externa causa nõ fiat. Idẽ de diminutione quãtitatis & remissione qualitatis dico: non ergo rectè tabẽ aut præcipitẽ ruinam appellas, quia in tabe est violenta causa vt febris (& sic si fiat diminutio est quidem violenta) sed in na-

1 — *Natura aliquãdo causa externa impellente violentum motum gignit.*

2 — *Generationis non sunt solum internæ causæ.*

Corruptio infesta naturæ particulari non vniuersali.

3 — *In tabe est violenta causa vt febris in naturali diminutione non est.*

turali definitione talis caussa non existit, sed sola louis defectio & declinatio naturæ, cùm oleum vitale & ardens lucerna naturæ deficiat. Quid multis? Duo in omni specie motus spectanda sunt, fatalis ordo seu nexus caussarum naturalium, & sic omnes mutationes in omni specie motus sunt naturales: aut accessio & impetus aliarum caussarum, & sic habentur violenta, vt in pilorum, ranarum, plantarum artificiali generatione & accretione, ante tempus definitum à natura constat.

Argumenta in dub. An in Critico die sit maxima quies morbi, vt Philosophus hoc loco insinuat?

Opp. *Digredi videtur philosophus cum de crisi agat: sed ad rem. In critico die est acerrimus conflictus inter morbum & naturam: ergo in eo die non est maxima quies. Hoc nomen crisis à foro translatum est, in quo, vt inter accusantem & accusatum est atrocissima pugna, vnusque tandem vincit, alter superatur: ita quidem in crisi & iudicio, morbus & natura communis atrociter certant, vt æger subinde à perito medico de morte aut vita sententiã expectet. Fallitur ergo Arist. qui in die belli pacem, in die periculi maximam quietem, in die mortis vitam & portum emergere & imminere censeat.*

Resp. *Non digreditur omnino Philosophus cum de crisi agat, sed luculenter hoc exemplo ostendit, quomodo alteratio nunc naturalis, nunc violenta fiat. Respondeo igitur argumento, primoque definio crisim esse subitam & præcipitem in morbo mutationem, quæ mutatio quatuor fieri solet modis: quippe ægri in critico die subito à morbo liberantur, aut miram in melius alterationem sentiunt, aut moriuntur subito, aut longe deteriores euadunt, donec labefactata natura concidat. Ex hac distinctione constat, maximam esse quietem in crisi si primum & proximum membrum distinctionis consideres, in quo dicitur ægros nonnunquam in critico die subito à morbo liberari. Hæc enim est propria crisis, maximaque quies, cum natura hoste deuicto sana euadit. Vt ergo nauta fluctibus & procellis diu iactatus, in ipso littore sæpe*

Crisis quid? Crisis quadruplex?

nau-

naufragio facto perit, sape vero sapienter gubernata nauis triumphat in portu: ita ager diu multumque sauiente morbo vulneratus, nonnunquam in critico die concidit aut declinat, nonnunquam praualente natura saluus euadit, & sic quies maxima in ipsa crisi dieque iudiciario habetur. Sed (dices) quid est hic criticus dies? quot sunt? quomodo cognoscuntur? Atlantis onus mihi imponis. si dicerem, mitto te ad Galen. lib. de Crisibus, qui te docebit peritissime crisim citius tardiusque euenire pro ratione morborum, quorum alii sunt acuti, alii graues & lenti: acuti suos gradus habent, vt alii peracuti, alii perperacuti, id est vehementissimi dicantur, qui plerumque in 3. die suam crisim habent. Hactenus de hoc exemplo alterationis. Notandum nunc est (vt concludam) esse in alteratione, vt in alia omni specie, & naturalem & violentam communicationem rerum. Notandum etiam insuper est, naturale hoc loco sumi pro conueniente illo motu, qui secundum communem ordinem & cursum natura fit: violentum autem pro eo, qui leges ipsius natura non omni ex parte seruat, sed nunc vim, nunc artem, semper externam aliquam causam prater naturam spectat.

Morborum diuisio.

Naturale quid sit.

Violentum quid sit.

Argumenta in dubium, An mobile semper quiescat in termino reflexionis?

Opp.

Videtur Philosophus & hic & in 8. Physic. defendere omne mobile in termino reflexionis sua quiescere: sed error est (mea quidem opinione) quod sic ab exemplis probo. Si mola grauissima deorsum tendat, & pila sursum proiecta sit, obuia pila subito reflectitur, & in termino reflexionis omnino non quiescit. Similis est ratio si funiculo saxum in adificatione pyramidis sursum trahatur, & subito disrupto fune idipsum cadat, nulla in termino reflexionis (vt vides) est mora, quies omnino nulla. Si vero vllam esse putes, ostende quomodo? An ab aere qui non impedit? An ab impresso impetu, qui fracto funiculo iam cessauit? Sexcenta sunt talia exempla de pila proiecta in terrã, & à terra sine quiete reflexa: de musca reptante in altum per lanceam, & subito pulsa, in quibus omnibus est terminus reflexionis, quies vero nulla, nulla cessatio à motu.

Motus reflexi qui.

Resp. *Primum obseruandum est, quod motus reflexi dicantur, quorum terminus* à quo *vnius est, terminus* ad quem *alterius. Deinceps, animaduertendum est duplex esse punctum reflexionis, naturale & violentum. Naturale est ad quod mobile mouetur naturaliter, vel à quo natura vt reflectitur: violentum à quo reflectitur contra naturam. His positis respondeo, non requiri omnino vt mobile in puncto reflexionis violento quiescat. Concedo igitur hæc omnia tua argumenta, & exempla probo. quippe de motu violento non de naturali sunt, hic vero propriè de motu naturali agitur, in cuius reflexu quædam mora & quies inest. Habes (studiose lector) minutulas quæstiones à me obiter breuiterque discussas, in quibus solum propono tibi quasi lac ex vberibus philosophia, quo gustato solidiora desideres: sed si impensè aduertas, vt fibræ non minus nutriunt & conseruant plantam quam ipsa radix, cuius sunt partes: ita hæ de rebus leuioribus ingeniosæ quæstiones non minus ingenium humanum sale philosophiæ condiunt, quam magna mysteria in quibus vita sapientiæ lucet. Imo nonnunquam in rebus neglectu, quæ videntur minimi aut nullius fere momenti, potentia & maiestas Dei maximè cernuntur. Concludam omnia. Non est vera quies in hac vita. nam motus semper motui, motus quieti, imo etiam & quies quieti opponitur. Sola quies est in vita futura (sola inquam) quies ibi est, vbi non est motus: prima caussa sempiterna quies est, portusque quietis, ad quem in vita omnique motu, dicta, facta, cogitata humana tenderent.* O CHRISTE IESV SIS MEA SALVS, SIS MEA SOLA QVIES!

Punctum reflexionis naturale, violentum.

Mobile non requiescit in puncto violento.

Non est vera quies in hac vita.

Finis quinti libri Physicorum.

CAP.

CAPVT I.

An indiuisibile sit ens rei actu positiuum in continuo?



Mirabere fortassis (erudite lector) idq; non sine caussa, quorsum Arist. tot libros de motu scripserit? periodo & portu nunc opus est, ne vt corpus nimis longum stadium aut iter currendo: ita animus nimis magnum volumen de motu legendo vsque defatigetur. Sed verte mecũ folium, & id non esse longum agnoscas, quod vberrimum fructum tandem pollicetur. Agnosco equidem in aliis libris multa de motu tradita esse præcepta, sed ea communia sunt obiterque tractata, vt axiomata naturæ, temporis, loci, infiniti, & vacui (de quibus præcipue in illis agitur) accuratius intelligantur. Nunc autem cum motus sit ipse quasi pulsus vel potius vitalis spiritus naturæ, cuius vi in omni opere suo & effectu viuat: non est quod mireris, si, vt Galenus de pulsu, spiritu, & vita plures libros scripserit: ita Aristot. plures de motu nunc scribat, in quo pulsus, spiritus, & vita naturæ insunt. In his ergo libris sequentibus, ea quæ ad motum spectant seorsim & vberius tractantur.

Cur Arist. tot de Motu libros scripserit.

Motus pulsus est, vel potius vitalis Spiritus Naturæ.

Hic vero liber in quatuor distinguitur partes, in quarum prima motum ex partibus diuisibilibus cõstare docet, contra eos qui atomos & corpora insectilia inuexere: in secunda parte quot modis secari potest motus, demõstrat: in tertia diuisionẽ quietis explicat: in quarta Zenonis & aliorum aduersa argumenta dissoluit. Axioma generale primi capitis est, nullum scilicet continuum ex partibus coalescere indiuiduis: quod ostendit in linea, tempore, & motu. In linea hoc modo: si linea (inquit) ex indiuiduis punctis conficeretur, puncta illa essent cõtinua vel contigua, vel deinceps: sed puncta non sunt continua, cõtigua, vel deinceps: ergo linea ex indiuiduis nõ cõstat. Assumptiõ probatur, quia continua sunt quorũ extrema existunt vnum: cõtigua sunt quorũ extrema sunt simul, *deinceps* sequuntur quorũ nihil est mediũ eiusdẽ rationis: sed punctorũ omnino nõ sunt extrema, neque se inuicem puncta vllo vnquam modo tangunt, neque

Synopsis huius 6. Libri.

Nullum continuum componitur ex Indiuisibilibus. Physi. li. 5. ca. 3.

fine medio eiuſdem generis exiſtunt: quippe inter duo puncta ſemper intercedit linea: puncta ergo non ſunt continua, contigua non ſunt, nec deinceps conſequentia. Præterea, quoniam vnum quodque ex his conſtat in quæ diuiditur, diuiſioque continui fit ſemper in partes diuiſibiles, vt ante probatur: fieri non poteſt vt ex indiuiduis conſtet. Eadem (inquit Philoſophus) eſt ratio magnitudinis, temporis, & motus quæ ex punctis illis indiuiduis coaleſcere non poſſunt. Cauſſa eſt, quia nec magnitudo, nec tẽpus, nec motus, quorum partes omnes & ſingulæ ſunt continuæ, poſſint in indiuiſibili vnquam moueri. Diuiſio enim continui ſemper ſucceſſionem poſtulat, ſucceſſio autem cum inſtanti & indiuiſibili nihil commercii habet. Exempli cauſſa, ſint in Zodiaco, aut æquatore, aut in alio quocunque circulo cœli puncta indiuidua: quæro an in illis fiat motus? Si dicas motum fieri, concludo motum non eſſe diuiſibilem, quoniam in indiuiſibili fiat. Exempla Ariſtotelis in textu difficiliora ſunt, quia litteris, primiſque elementis, tanquam notis incertis deſignantur: vt ſi A, B, C, verbi cauſſa *tria inſtantia* in ſtadio percurrendo ponantur, fieri (inquit Philoſophus) nõ poteſt vt in A, B, C, ſit vllus omnino motus, quia motus requirit tẽpus, tempus requirit continuationem motus, continuatio motus requirit ſucceſſionem partis, ſucceſſio partis diuiſionem mobilis, diuiſio mobilis nullo modo in ictu oculi aut inſtanti ad terminum ſuum & quietem tranſit. Non ergo vel magnitudo, vel tempus, vel motus, vel aliud quodvis cõtinuum ex indiuiſibilibus conſtat, neque in hiſce vlla effecta ad inſtans fiunt. Factum autem & mutatum iri non negamus: cum rerum faciendarum tempus, factarum vero inſtans menſura dicatur. Quid multis? Cum nihil ſit dictum de communi ratione motus quod non ſit dictum prius, foliis luxuriantis oliuæ diuulſis, oleum ſubtile tantum atque ad vſum ſtudentium accommodatum exprimam.

Huius lib. ca. 1. tex. 4.

Rerum faciendarũ Tempus, Rerum factarum inſtans, menſura dicitur.

Et quoniam toties in hoc capite ingeminatur hoc verbũ *indiuiſibile*, nec nõ ſæpe vrgetur illud axioma philoſophorum: *nullum* ſcilicet *continuum ex indiuiſibili poſſe conſtare*, quæſtionem hanc moueo, *An indiuiſibile ſit ens: vel actu poſitiuum?* Acris quidem eſt de hac quæſtione Nominalium & Realium (vt aiunt) philoſophorum contentio: nam illi indi-

Nominales. Reales, Neutri.

indiuisibile ens rei esse negant, hi vero pertinaciter affirmant.

Sunt autem alii Metii Suffetii, qui sub neutro vexillo pugnent. Quid? inquit Nominalis, estne indiuisibile ens rei? esse Realis ait. Age ergo, si sit, ostende subiectum aliquod adæquatum, id est, substantiam indiuisibilem in qua contineatur: at substantia nulla est indiuisibilis, nullum ergo indiuisibile ens rei positiuum dicitur. Præterea, quid aliud est punctum in linea, quam negatio vlterioris longitudinis? quid aliud punctum in tempore, quam negatio durationis, vt Ochamus in tractatu de sacra Eucharistia docet? at negatio non est ens rei actu positiuum: non est ergo indiuisibile ens actu positiuum. Insuper indiuisibilis contemplatio tota Mathematica est: imaginamur enim in linea puncta, in superficie lineas: in corpore superficies sub indiuisibilium ratione: non quod hæc omnia indiuisibilia sint, si naturā spectes, sed docendi caussa sic esse supponimus & imaginamur. Indiuisibile ergo vt est indiuisibile, nō est ens rei, sed ratiōis. Deinceps, cum Aristot. in textu neget motum omnino fieri posse in indiuisibili, eatque inficias vllū omnino continuum ex indiuisibilibus posse constare, planissime videtur insinuasse, indiuisibile non esse ens rei: nam si esset, tū continuum in diuisione sua tādem ad ens indiuisibile perueniret, quod antea & sæpe disertissimis verbis à Philosopho negatur. Sed ad hanc sententiam corroborādam accedunt alia innumerata Arist. testimonia. Nam in 8. huius operis cap. 8. docet indiuisibile non actu sed potestate solum in continuo reperiri: in tertio de Anima cap. 6. docet, punctum sola priuatione cognosci: quasi diceret, est punctum negatio sola vlterioris longitudinis: saltem hoc tandem ex illo loco colligo, nō esse ens actu positiuum. Lib. 3. Met. cap. 3. ait aperte superficiem sub ratione indiuisibilis consideratam in solido, non aliter inesse quam Mercurium in lapide, seu ignem in filice; sed Mercurius in lapide est solum potentia: ergo superficies vt est indiuisibilis terminus corporis, est in eo solum potentia. Hoc dico, vt intelligas superficiem sub cōsideratione indiuisibilis termini non esse ens rei, sed rationis: si vero eandem vt partem corporis consideres, ens rei verissime dici potest.

Rationes Nominalium contendentium indiuisibile non esse ens rei.

2 *Ochamus in Tract. de sacra Eucharist. ca. 1.*

3 *Text 15. & 32. & passim per totum lib.*

4

5

Tex. 28.

Tex. 17.

Quid plura addam? in libro de Animalium motu cap. 2. dicit Aristoteles polos cœli esse indiuisibiles, neque esse vllã eorum substantiam: quasi diceret, poli sunt puncta animo concepta, & ab Astrologis docendi caussa, sic discripta, vt accuratius cœlestis motus circa polos intelligatur. Tacco hic D. Augustinũm, qui in lib. de Quantitate animæ cap. 11. ait, longitudinem realiter in corpore non inueniri: sed sola mente concipi. Quis enim nisi imaginatione, potest in mole corporis solas longitudines discribere & designare?

6. D. Augustinus. Longitudo realiter in corpore non inuenitur, sed sola mente concipitur.

Absurda & incommoda alterius contrariæ opinionis lubens omitto, nisi illi qui eam defendũt mihi accuratius demonstrent necessitatem ponendi puncta in linea, aut quoduis indiuisibile in quantitate. Necessitatem fortasse aiunt esse vt vniantur partes lineæ ad punctum, extremitatis ad lineam, corporis ad extremitatem, temporis ad instans & momentum. Agnosco hæc omnia vera esse quoad Mathematicam considerationem mensuræ, & rationem disciplinę, non quoad Physicam constitutionem essentiæ. Nam si sit, aut erit substantia aut accidens: non substantia, quia nec materia, nec forma, nec compositum ex vtroque: non accidens, quia nullum subiectum adæquatum habet, quod ad omne accidens actu positiuum requiritur: non est ergo indiuisibile ens rei actu positiuum, sed imaginarium (vt aiunt) docendi caussa à Mathematicis inuentum, vt iusta in omnibus mensuris & mensuratis habeatur proportio, certaque proportionis cognitio. Probabilis est (vt vides, studiose lector) hæc de indiuisibili opinio, quod non sit ens actu positiuum in continuo.

Verumenimuero, quoniam magna in philosophia lumina contrariam sententiam tuentur, vt D. Thomas, Iohannes Scotus, Scaliger, & alii: quorum aliqui indiuisibile reipsa dari in omni cõtinuo asserunt, aliqui sola diuina virtute addi & conseruari putant. At ex illis qui re ipsa inesse existimant, alii indiuisibilia sola extrema, non media copulantia, alii & hæc & illa esse defendunt. Rursus, nonnulli realiter distingui a mensuris quibus insunt, nonnulli cum illis commisceri & confundi docent. Quid inducam certantes de indiuisibili actu & potentia? de fluxu & statu eiusdem in continuo

Aquinas opusc. 36. ca. 2. Scotus 2 dist. q. 1. Scaliger exer. 6 Fab. Stapulensis.

tinuo? Certum eſt nullam eſſe ex hiſce omnibus opinionib. quas retuli, quæ ſuam non habeat probabilitatem, quam non multæ vrgeant difficultates. Agam ergo in tanta varietate, vt illi, qui in biuio conſtituti, & incerti quam ſequantur viam, eam eligunt ſemitam quam veſtigiis hominum magis preſſam, tritam, & ſignatam vident. Sic vtraque via delineatâ, lector quam velit ingrediatur. Æquilibrio enim pendet mihi animus in quam lancem calculos iniiciam meos, quippe aurum Lapidemque philoſophicum in vtraque ineſſe video. Mea ergo ſic eſt ſententia, vt ſicut duæ fuerunt viæ Thebis Athenas, & Athenis Thebas, quæ videbantur contrariæ, & tamen re ipſa ad eandem vrbem vtrinque viatores direxerunt: ita duę hæ opiniones de indiuiſibili in continuo apparent quidem inter ſe contrariæ, ſiue hanc ſiue illam approbes, & tamen ad eundem finem tendunt, vt ſcilicet omnis continui (maxime vero motus de quo hic agitur) certiſſima habeatur ſcientia.

Vtrinque in æquilibrio pēdet hac quæſtio.

Sed videamus quænā ſit hæc opinio, & illius fundamēta examinemus. Opinio eſt quod puncta, lineæ, ſuperficies, & *inſtantia* ſint entia rei poſitiua, realiter exiſtentia in magnitudine. Fundamenta opinionis ſunt multa, quorū primum in definitione reali ipſius continui ponitur: definitur enim continuum id eſſe, *cuius partes copulantur ad terminum indiuiſibilem: indiuiſibilem dico*, quia ſi diuiſibilis eſſet, ſequeretur partem ad partem, idemque ad ſeipſum continuatum aſtringi & applicari: neque eſt punctum ſola negatio vlterioris longitudinis, ſed indiuiſibilis & realis extremitas definitæ lineæ, quæ non imaginatione ſolum mathematica, ſed reali puncto terminante, & veriſſime exiſtente clauditur.

1 *Rationes Realium, qui volunt indiuiſibile eſſe ens reale.*

2 Præterea, multa realia accidentalia in ſola ſuperficie termino communi inſunt: ergo ſuperficies eſt ens rei. Ratio tenet, quia realia accidentia reale ſubiectum poſtulant. Antecedens etiam conſtat, quia figurę, colores, lux, & lumen in extima ſola ſuperficie ſedent. Lux enim & lumen viſcera corporum non penetrant: nam ſi penetrarent, nō opaca ſed diaphana corpora dicerentur. Inſuper, quid aliud eſt corporis continentis ſuperficies quam inſectilis extremitas, inter quā & corpus contentum nihil occurrit? at quis negabit ſu-

superficiem istam esse ens rei positiuum? Si addam contigua ea esse quorum extrema sunt simul, quis inficiari potest duas superficies continentis & contenti mutuo se tangere & amplexari? Sed qualis (quæso) est iste contactus & conglutinatio, si superficies tangens sit res solum imaginaria? Quorsum porro philosophi de punctis, lineis, extremitatibus, & momentis reales demonstrationes texunt, si hæc non sint entia rei actu positiua? Quid? an nullum indiuisibile ens rei actu existit? vanissima ergo est Aristotelis de generatione & corruptione tota disceptatio, qua concludit ortum interitumque non esse motus genera, quoniam in instanti fiunt. Vanissima etiam erit illa Maxima, quod *instans mensuret mutatum esse*. Vanissima denique tota illa de quantitate continua vbique assertio, nimirum quod in ea sint puncta, lineæ, superficies & *instantia*, vt indiuisibiles termini communes eorum respectu, quorum partes in illis vniuntur. Sed (ne molestus sim verbis) ostende mihi quomodo perfectus globus attingat planum, nisi in indiuisibili & reali puncto: est ergo punctum ens reale & positiuum. Postremo (vt concludam omnia) si ab authoritate & testimoniorum multitudine argumenta ducerem, aures pertunderem lectori: satis est hoc vnum, quod Aristoteles primo de Anima cap. 4. punctum rem esse, & habere positionem in continuo; idem 5. Metaph. ca. 13. asserit: huc confertim omnes fere interpretes accedunt, vt etiam affirment *indiuisibilia* res esse, quæ ad motum corporis, non aliter quam accidentia ad motum subiecti sui mouentur.

In Categor. Phys. lib. 3. 4. 5. & 6. Metaph. lib. 5.

Lib. 1. de Ani. c. 4. tex 68. Meta. li. 5. cap. 13. tex. 18. Huius lib. c. 10. text 86. vt sic expon. Aquinas illum textum.

Qui superest in hac lite? nihil certe nisi vt eandem trutinæ & iudicio prudentis relinquam. Nam si procedam vlterius in aliam opinionem diuersam ab vtraque incidam, quę defendit aliqua indiuisibilia esse entia rei, aliqua non esse. Secundum hanc opinionem entia rei sunt vt linea, superficies, non sunt vt puncta & instantia tẽporis: illa. n. in magnitudine apparent, hæc mente sola concipiuntur: apparẽt illa, quia accidẽtibus vestita obiiciuntur sensibus, sic linea recta à curua, sic sup̃ficies picta à rasa tabula oculis discernitur: at

puncta

puncta animo solum apprehensa mathematicam solam designationem habent. Grauissimi quidam authores indiuisibilia non actu sed potestate in continua quantitate habitare affirmant: quam potentiam in actum produci asserunt trifariam: aut diuisione rei, aut figuræ conformatione, aut designatione partium. Diuisione, vt superficies quæ potentia in corpore clausa latet, actu vero in corpore dissecto eminet: semper enim dissectionem corporis noua superficies sequitur. Conformatione figuræ indiuisibilia in actum trahuntur, vt lineæ & puncta, quæ potẽtia in corpore sphærico delitescunt: at si hoc corpus sphæricum in cubicum seu angulare commutetur, actu statim inesse demonstrantur, actu (inquam) non physice, sed mathematice. Postremo, designatione partium ducuntur in actum, cum mente solum concepta & apprehensa secundum vsum proportionis accommodentur rebus.

Indiuisibilia producuntur in actum trifariam.

1

2

3

Sed dices, quorsum tam otiose hæc omnia? quid (quæso) ad motum ista de indiuisibili tam subtiliter in vtramq; partem disputata spectant? Otiose allatum nihil est, totaq; hæc disputatio præcipue ad motũ pertinet. Nam primum hinc discimus quid & quotuplex sit indiuisibile, tum cognito axiomate (quod nullum continuum ex indiuisibilibus constet) liquido etiam patet, motum in indiuisibili omnino fieri non posse. Recte ais. Sed adhuc ancipitem & suspensum lectoris animum relinquis, cum in tanta controuersia nihil certi concludas. Agnosco equidem adhuc sub iudice litem esse. Sed audi, lis philosophorum cos & examen est optimorum ingeniorum. Aurum & gemma hic proponuntur tibi, distinguere tuum erit, tuumque eligere quod maxime placet. Si primam teneas opinionem (nempe indiuisibile non esse ens rei) aurum pondere, si alteram (esse scilicet ex parte) gemmam fortasse inuenies: si denique vtramque sententiam coniungas, tenebis thesaurum. Nam vt aurum & gemma recte in vno annulo copulantur, quamuis illud minus hac pretiosum ducatur: ita hæ duæ sententiæ optime possunt coniungi in continuo, etsi hæc illa illustrior habeatur. Verum vt insinuem apertius quid velim, distinguo de indiuisibili nempe quod sit vel metaphysicũ, vel physicum. Metaphysicum est aut infinitum, vt Deus, qui secundum

Metaph. lib. 3. tex. 1.

Melius se habebit ad iudicandum, qui vtrinque rationes oppositas audiat.

Indiuisibile duplex Metaphysicum atq; hoc

finitum vel infinitū Et Physicum hocq́, vel absolutum vel respectiuum.

essentiam suam nullo omnino modo diuidi potest: aut finitum, vt inferior spiritus, qui essentiam simplicem & indiuiduam habet: sed de hoc indiuisibili hic non agit Philosophus. Physicum indiuisibile duplex est, vel absolutum, quod simpliciter partes non habet in quas secari possit, vt punctū & instans: vel secundum quid (vt aiunt) & respectu, & sic superficies respectu corporis, & linea respectu superficiei dicuntur indiuisibilia; non quod prorsus diuidi & secari nequeant, sed quod eo respectu quo sint termini, indiuisibilis rationem subeant. Ex his emergit dilucida interpretatio quæstionis, nempe indiuisibilia solum hic physica à Philosopho intelligi, eademque entia rei esse aut actu, aut potestate, ita tamen vt eorum aliqua solum à Mathematicis demonstrentur, aliqua vero accidentibus suis perpolita in cōtinuo magis innotescant & appareant; sicut superficies colore, figura, & luce distinctæ in corpore.

Linea & superficies sunt respectiuè indiuisibilia.

Dub.

Adhuc videris incertam ferre sententiam, cum indiuisibilium aliqua solū à mathematicis tractari & demonstrari asseras, qualia sunt punctum, linea, instans, quæ si sint mathematica (vt ais) non sunt realia: quippe mathematica sunt abstracta idola rerum, animo solum apprehensa. Respondeo, quod in Mathematicis considerentur duo, apprehensio, & applicatio: apprehensio, & sic mathematica sunt entia rationis, quia nihil aliud sunt hoc modo quam abstractæ imagines, & animo concepta idola rerum: applicatio, & sic entia rei dicuntur, ita tamen vt eorum diuisio, conformatio & designatio potius logicè quā physicè in magnitudine collimentur. Nemo enim potest punctum separatum à linea, aut solam per se longitudinem, aut instans sine fluxu temporis sensibus percipere & definire: hoc tamen non arguit esse illa quidem aut non entia, aut entia rationis: quippe indiuisibilitas (vt ita dicam) est causa cur non percipiantur. Præterea, cum hæc sint principia earum quantitatum quarum partes iisdem copulantur, constat esse realia: quoniam eorum effecta res sunt: nam qualis est effectus, talis est causa in genere entis, vt in Topicis & Metaphysicis docet Aristoteles.

Sol.

Qui Mathematici sint entia rei: & qui sint entia rationis.

Top. li. 2. cap. 1. lib. 3. ca. 1 & 4. lib. 4. cap. 4. Metaph. lib. 1. cap vii. tex. 43 & lib. 2. cap. 2.

Distin-

Distinctio capitis & quæstionis in eodem propositæ.

Demonstrantur in hoc capite præcipue duo:

- Axioma philosophorum scilicet *continuum nullum constare ex indiuisibilibus*: cuius axiomatis probatio est, vel
  - Generalis, quæ ducitur
    - 1 Ab adiunctis continui, quod si ex indiuisibilibus constaret, oporteret illa esse continua aut contigua: sed indiuisibilia nec continua nec contigua esse possunt: ergo ex illis continuum non constat. *Text. 1.*
    - 2 A proprietate, quia omne continuum est in diuisibile in semper indiuisibilia, quod nō fieret si ex indiuisibilibus coalesceret: quippe in eadem resoluitur ex quibus cōstituitur. *Tex. 3.*
  - Specialis, quæ ducitur ab exemplis
    - 1 Magnitudinis, quæ si cōstaret ex indiuisibilibus, non esset semper resoluēda in partes diuisibiles. *Tex. 4. 5. & 8.*
    - 2 Motus, quia fieri nō pōt vt motus sit motus si in indiuisibili fiat, cum forma vel proprietas saltē motus sit ipsa successio partium.
    - 3 Tēporis, quia vt in motu est successio, ita in tempore est vicissitudo partiū, eademque semper mensura motus.
- Problema quod est, *Vtrū indiuisibile sit ens rei actu positiuum?* Huius problematis ex positio triplex est,
  - Nominaliū, qui contēdūt nō esse ens rei,
    - 1 Ab impossibili, quia nullum indiuisibilis dari potest adæquatum subiectum.
    - 2 A probabili, quia termini videntur nihil aliud quam negationes vlterioris quantitatis, vt *punctum* longitudinis, *instās* durationis.
    - 3 A demonstratione Mathematicorū, qui de indiuisibili, vt de ente rationis agunt.
    - 4 Ab authoritate Aristotelis, qui negat motum in indiuisibili fieri, aitq; punctum solum priuatione intelligi.
  - Realium Vide in seq. p. l A

5 Ab incommodis, nam si teneatur hæc opinio, continuum ex non continuis, quantitas ex non quantis, ens absolutum ex nō ente simpliciter constaret, à qua cōtradictione natura abhorret.

A Realiū, qui defendunt ens rei esse, idq;

1 Ab enumeratione terminorum indiuisibilium in quantitate, qui sunt *punctum* respectu *lineæ*, *linea* respectu *superficiei*, *superficies* respectu *corporis*, *instans* respectu *temporis*.

2 A ratione & proportione subiecti: quia in linea *rectitudo* & *curuitas*, in *superficie* *color*, *lux*, *lumē* insunt: quæ realia accidentia inesse nō possunt, si linea & superficies non essent entia rei.

3 A reali inhærentia quia linea, superficies, punctum insunt subiecto reali, quod non capit entia rationis.

4 A nexu contiguitate, & continuatione partium continuarū cum indiuisibili, quæ omnia arguunt illud esse ens rei. Nam quomodo ad ens rationis aut nihil, connecti aut copulari possunt realia?

5 A demonstratione reali, quæ de singulis terminis indiuisibilibus à Philosophis constituitur.

6 Ab effectis quæ in indiuisibili fiunt, qualia sunt *generatio* & *corruptio*, omnisq; realis mutationis finis seu periodus, quæ quoniam entia rei sunt, reales causas postulant.

7 Ab experientia globi tangentis planum in reali puncto.

8 Ab authoritate interpretum.

Neutrorum, qui neque hanc, neq; illam opinionem tuentur, sed partim vtramque

Obser-

Obseruatio.

Quæstionem hanc (studiose lector) iudicio tuo reliqui in vtramque partem discussam: eorum tamẽ philosophorum vestigia magis sequor opinione mea, qui indiuisibile hoc loco ens reale, actu positiuum, in continuo esse defendunt. Non est vt expectes opponentis & respondentis vlterius certamen: nam siue hanc, siue illam sententiam approbes, in vtramque argumenta in analysi & discursu habes. Vnum vel alterum argumentum aduersus axioma capitis adferam & ad alia procedam.

Relinquit Author quæstionem iudicio lectoris: interim ostendens quã potius sequatur opinionem.

Argumenta aduersus axioma capitis.

Opp. *In tertio libro huius operis copiose hoc ipsum generale axioma docuit Philosophus, nimirum,* nullum continuum coalescere posse ex indiuisibilibus: *quoniam (vt illic demonstratur) in partes semper diuisibiles distribuitur: otiose ergo idipsum hoc loco repetit. Sed vtcunq; res se habeat, sic contra Philosophi positionem disputo, idq; ex Philosopho, ait in reb. naturalibus dari posse minimũ. Minima (inquit) caro dari põt: si minima, fieri nõ põt vt vlterior fiat carnis diuisio: si vlterior nõ fiat diuisio, ad indiuisibile peruenire necesse est: si ad indiuisibile peruentũ sit, liquido constat rem ex indiuisibili constare. Præterea, cũ totũ cœlũ sit indiuisibile vt docet Philosophus, primo de Cœlo & mundo, non video quin ex indiuisibilibus coalescat. Postremo, si continuum non cõponatur ex indiuisibilibus, sequetur millesimam partem milii actu tot partes in genere entis habere ac totum vniuersum: quia secundum Arist. qualibet pars continui in infinitas partes diuidi & secari potest: & certe in plures partes quam infinitas totum vniuersum distribui non potest.*

1

2 *Physic. lib. 1. ca. 4 tex. 38.*

3

4 *Physic lib. 3. c. 6. 7. per totum & passim.*

Resp. *In tertio huius operis copiose quidem egit de diuisione continui, idq; ex instituto: hic obiter, vt ad particularem vsum motus accommodet. De minima parte carnis quod addis, agnosco verum esse quod ais, quoad partes eiusdem quantitatis, sed non quoad partes eiusdem proportionis. Pari ratione fateor, verum id quoque esse quod de cœlo obiicis, esse illud quidẽ indiuisibile quoad separationem partium, non autem quoad ordinem & dispositionem vniu-*

1 *Qui datur minima caro.*

2 *Cœlum indiuisibile qui.*

partis extra aliam. Est enim cœlum indiuisibile, id est secari & frangi non potest in partes: sed est diuisibile si multitudinem, ordinem, & situm partium consideres. Alii respondent cœlum esse indiuisibile actu, quoad simplicem & diuinam essentiam suam, nō quoad potentiam & materiam primam,
4 *quam communem cum aliis rebus naturalibus habet. Vltimum quod addis de grano milii vrget absurdum, si partes eiusdem quantitatis & actum physice, nihil vero absurdi vrget, si partes eiusdem proportionis, & potentiam mathematice spectes.*

Phy. lib. 4. c. 11. Opp. *Instans in tempore forma temporis esse ante de-*
1 *fenditur à Philosopho: constat ergo continuum ex indiuisibi-*
2 *li. Praeterea, motus aut tempus nullam existentiam habent nisi per instans: videtur ergo instans esse pars vtriusque: actu enim neutrum eorum est, si non sit instans: si vero sit pars, ex illa necessario constant.*

1 Resp. *Instans temporis forma dicitur, quia illius partes*
Instans temporis forma qui. *copulat & connectit, vt verbum substantiuum partes categoricæ propositionis: non tamen ex illo constat, vt homo ex anima, aut res physica ex propria sua differentia. Neq; sufficit*
2 *ad institutum tuum probandum, quod in 2. loco adfers, tempus & motum suam existentiam in ipso instāti habere, quia existentia non tam per partes & principia, quam per effectus & accidentia fieri quidem potest. Imo etiam & hoc addo, quod tempus & motus non solum in actu sint per indiuisibile instans, sed per partes quæ indiuisibili instanti adiacent & annectuntur.*

An indiuisibile indiuisibili additum faciat idipsum maius?

Lib. 1. de Ani. cap. 4. Opp. *Vnitas est indiuisibilis, sed vnitas vnitati additi facit illam in maiorem quantitatem excrescere: ergo indiui-*
1 *sibile indiuisibili additum facit idipsum maius. Praeterea,*
2 *species intelligibiles & ipse intellectus sunt (teste Philosopho) res duæ indiuisibiles: sed species intelligibilis addita intelle-*
Et lib. 1 de Anima. cap. 4. *ctui, re quiddam maius facit: ergo indiuisibile indiuisibili adiectum idipsum maius facit. Maior est Aristotelis tertio*
3 *de Anima. Minor probatur, quia species intelligibilis cum*

intel-

intellectu quiddam totum facit: sed totum est maius parte: cum ergo geminum hoc indiuisibile in vnum coaluerit, quiddam maius redditur. Porro, si indiuisibile indiuisibili additum non faceret idipsum maius, cur à philosophis linea dicitur nihil aliud quam punctorum fluxus? quasi insinuaret nobis, in linea esse permulta puncta, quæ inter se connexa lineam maiorem aut minorem faciunt. Et quod hoc verum sit, scilicet esse in vna linea realiter multa continuata & inclusa puncta, hinc constat: quia intelliges diuisa linea statim alia aliaq; puncta eminent. Videtur ergo probabile, quod ex indiuisibili addito diuisibili aliquid maius efficiatur.

Resp. *Quæstio hæc intelligenda est de continuis non de discretis quantitatibus. Nam indiuisibile additum indiuisibili, ex ea parte qua indiuisibile est nullo modo quantitatem continuam cui additur maiorem facit: ex ea, inquam, parte qua indiuisibile est. Nã aliter linea & superficies, quæ sunt diuisibiles vt species quãtitatis, indiuisibiles vt termini communes recte ad constitutionem aliarum quantitatum concurrunt, diuisionemque admittunt. Hinc constat resolutio alterius argumenti de intellectu & re intelligibili, quia hoc axioma in sola quantitate suas vires vendicat: neque hoc semper verum est quod ais, omne totum maius esse sua parte, nisi totum in quantitate intelligas. Sed generatim hoc verum est, omne totum maius esse sua parte in genere entis & perfectionis, quia omne totum magis actu existit, causisq; omnibus vnitis in eo magis perfectum opus naturæ dicitur. De fluxu punctorum est quidem inter Interpretes ingentiosum certamen: sunt enim qui affirmant, sunt qui negant punctum posse in longum fluere. Imo non desunt qui asseuerent lineas nihil aliud esse quam continuata puncta, superficies nihil aliud quam cotinuatas lineas, & sic deinceps. Sed manifestus est hic error, & doctrinæ Aristotelis aperte oppositus. Dico igitur ad argumentum quod adfers, apparentiam nouorum punctorum in diuisione lineæ, vel superficierum in diuisione corporis, nõ recte probare quod pũcta punctis in linea, aut superficies superficiebus in corpore continuentur. Sed hoc recte probare existimo, quod præter terminãtia & copulantia puncta actu in linea posita, alia põtate in illa delitescant, quæ tũ in actu producũtur cũ linea actu in partes*

Intelligitur quæstio de continuis, non de discretis quantitatibus.

Omne totum maius sua parte qui verum.

dissecetur. Quippe vt inflicto vulnere statim apparent nouæ superficies: ita diuisa linea protinus noua puncta oriuntur, eademq́ue indiuisibilia, quæ nec maius nec minus subiectum suum aut effectum reddunt. At (dices) quomodo tum linea fluxus punctorum dicitur? Respondeo fluxum dici metaphorice aut analogice, non quod punctum materialiter fluat in longum, sed quod longitudo suam originem ortumq́ue à puncto trahat. Vt ergo anima influit in corpus & facultates corporis, & tamen nec corpus est, nec pars aut facultas corporis: ita punctum fluere dicitur in lineam partesque lineæ, & tamen nec linea nec pars lineæ haberi debet, sed communis terminus idemq́ue indiuisibilis, qui in singulis partibus lineæ diuisis per suam potentiam inest.

Punctum nec est linea, nec pars lineæ.

CAPVT II.

Vtrum motus vllus ex indiuisibili constet, vel vnquam in indiuisibili fiat?

IDipsum quod in primo capite huius libri, nunc in secundo probat Philosophus, *nullum scilicet continuum ex partibus indiuiduis confici & componi:* argumenta vero hic adhibita magis institutum quam quæ antea allata fuerunt, vrgent. Quippe illa generatim de magnitudine, tempore, motu, hæc speciatim de motu solo (qui est susceptæ disceptationis seges) contexta sunt. Et quoniam omnia fere & singula à velocitate & tarditate motus petuntur, tres leges velocitatis & tarditatis in primis veluti sancit, indeque apertam suæ opinionis confirmationem ducit & concludit. Lex prima est, quod mobile velocius in æquali tempore pertrāseat maius spacium: secunda est, quod velocius in minore tempore transeat spacium æquale ei quod tardius in maiore decurrit: tertia est, quod velocius in minore tempore maius spacium conficiat quam tardius in maiore. Generalis probatio istarum legum est à definitione velocioris: nam velocius est *quod in æquali tempore maius, vel in inæquali æquale, vel in minore maius spacium conficit.*

Tex. 11.
Tres leges velocitatis & tarditatis.

Obscura hæc forsitan in textu videantur, sed vt fiant dilucimote

Tempus & motus sunt quasi

luci-

lucidiora hoc disce, quod tempus & motus sint quasi duæ alæ naturæ. Est enim natura veluti aquila, & temporis motusque veluti pennis innixa quotidie per vniuersum mundum circumuolat, operaque primi motoris (à quo virtutem potentiam, & influentiam habet) mirabili ordine & facilitate perficit In hoc volatu (vt ita dicam) dextra ala velocitas est sinistra tarditas seu lentitudo: illa celerrime magnum spacium conficit, hæc vt testudo agitatur. Et sane vtriusque magna est necessitas, quia res omnes naturales variis modis ad suum cursum & stadium istis veluti alis incitantur. Sunt enim aliæ grauiores, leuiores aliæ, vnde illæ velociores, hæ tardiores dicuntur. Quid multis? omnia volant in rerum natura: cœlum, elementa, mixta, omnia. Res enim singulæ suum iter, suumque scopum ad quem ferantur, habent. In cœlo tres causæ velocitatis sunt figura docilis ad motum, quinta essentia nobilissimæ formæ, virtusque infinita primi motoris qui ad clauum sedet. In elementis autem & mixtis, siue animatis siue inanimatis, sensu præditis aut priuatis aliæ causę sunt cur velocius aut tardius moueantur, nimirum grauitas leuitasque, quæ sunt secundæ qualitates ex primis elementorum qualitatibus ortæ: nam grauitas plus frigoris quam caloris, leuitas plus caloris quam frigoris in sua mixtura & constitutione habet. Hinc ignis omniũ elementorum velocissimum, aer proxime illi leuitate respondet, aqua grauis est, terra pondere grauissima centrum vniuersi dicitur. Est ergo leue simpliciter vt ignis, & secundum quid vt aer: est graue quoq; absolute vt terra & ex parte vt aqua. Ex his & horum temperie omnia mixta perfecta & imperfecta oriuntur, sortiunturq; suũ motũ: nã quæ plus aquæ & terræ habent segnius quę plus aeris aut ignis celeri' mouẽtur, maiusq; spaciũ in suo motu cõficiunt, vt hic docet Philosophus. Exempla horum omnium in textu obscuriora sunt notata per literas Alphabeti. Vt, verbi gratia, sit velocius A (per quod perspicuitatis causa ignem intellige,) sit tardius B (per quod aerem suppone) collocentur A & B id est ignis & aer in fistulis meatibusque terræ, quibus reseratis vtrumque euolet, certum est A, id est ignem, citius quam B, id est aerem magnum spacium medii conficere: idipsum de aliis legibus velocitatis & tarditatis dico, habita propor-

duæ alæ naturæ

Natura est veluti aquila cuius pennæ sunt tempus & motus.

In cœlo tres causæ velocitatis.

In elementis aliæ, scil. grauitas & leuitas.

Lib. 4 de Cœlo tex. 26. 27. & sequen.

tione leuitatis & grauitatis, ex quibus in inferioris mundi incolis & effectis motus celerioris & segnioris causa & origo ducitur.

His conditionibus iam positis, quædam non indigna cognitione axiomata infert Philosophus, quorum primũ est, fieri non posse vt in tempore infinito transigatur finita magnitudo sine iteratione motus: ratio est, quia inter magnitudinem, tempus, & motum debet esse proportio, quæ in infinito non cernitur. Sit exempli causa A cœlum, sit B infinitum tempus seu æternum in quo mouetur cœlum: A id est cœlum, in B id est in æterno non mouetur, nisi infinities hic motus iteretur: nam aliter duratio excederet magnitudinẽ quæ mouetur. Ex aduerso aliud axioma est, nimirum tempore finito non posse infinitam molem aut magnitudinem pertransiri. Hinc Zenonis emergit efficax refutatio, qui conatus est probare, fieri omnino non posse vt aliquid pertranseat spacium vllum siue finitum siue infinitum finito tempore. Ratio illius est, quia in quolibet spacio, vt ait, sunt infinitę partes, (omnis.n. magnitudo in infinitas partes secatur) sed in finito tempore infinitæ partes transigi non possunt: nullum ergo spacium aut magnitudo infinito tempore confici potest. Sed facilis est solutio huius argumenti, si de partibus eiusdem proportionis & eiusdem quantitatis Aristotelem in textu distinguẽtem legas & intelligas. Nam omne spacium seu magnitudo in partes infinitas eiusdem proportionis, non in infinitas eiusdem quantitatis diuiditur. Vltima & primaria conclusio, seu epiphonema vtriusque capitis sequitur: nempe nullum motum, imo nullum prorsus continuum ex indiuisibilibus posse constare. Non motum, quia tum sequeretur in ipsa natura contradictio, idem scilicet & moueri & non moueri simul: non moueri, quia indiuisibile reuera negat motum (est enim motus quiddam continuum & successiuum) non autem tollit (vt ais) quia ex eodem vt ex parte constat. Adde etiam aliam absurditatem (si placet) nimirũ indiuisibile posse diuidi si ex indiuisibilibus motum constare dicas, vt ex sesquialtera proportione, (quæ est proportio trium ad duo) aperte in textu Arist. ostendit. Si enim magnitudo ex tribus indiuiduis partibus, & tempus ex duabus cõstet, proportio mensuræ

Tex. 19. *Finita magnitudo in tẽpore infinito non potest transiri.*

Text. 23.

Text. eod.

mensuræ & mensurati non erit, id est, temporis & magnitudinis, nisi indiuisibile in tempore in plures partes diuidatur. Similis & par comparatio est, si velocitatem temporis & mobilis tarditatem, in pari aut impari motione consideres. Demonstratio hæc in textu valde difficilis est cognitu, nisi quis sit ad hoc genus probationis instructus & assuetus, quo Arist. per literas & elementa vtitur. Sed pro viribus (vt vides studiose lector) vela obscuritatis remoueo, & nouis exemplis vsus rem planiorem reddo. Esto igitur exempli causa A motus, B mobile vt cœlum, C indiuisibile pũctum cœli, sit illud polus Arcticus vel Antarcticus. His positis, quis non videt B, id est cœlum, quod semper est volubile, moueri super C, id est super polos. Nunc si ponas motum esse in ipsis polis id est in indiuiduis partibus cœli, facile eadem opera videbis polos diuisibiles esse, quia motus fieri non potest nisi per partes diuisibiles: & sic coactus fateberis indiuisibile in partes secari posse, quod est & à ratione & à veritate penitus alienum. Ad euitandam ergo geminam contradictionem, Aristot. concludit motum fieri non posse in indiuisibili. Nam si fieret (vt iam demonstratum est) sequeretur idem moueri & non moueri simul, ipsumque indiuisibile in partes diuisibiles & posse, & non posse secari.

Distinctio quæstionis secundi capitis.

Probatur in hoc capite idem axioma quod demõstratum est in primo: nempe *motum, neque in indiuisibili fieri nec ex eo constare:*

1 Ab essentia motus quæ est continuũ, quód semper diuidi potest in partes diuisibiles.

2 A differentia motus, quæ est successio: at successio non est in indiuisibili: ergo motus ex indiuisibili constat.

3 A proprietatibus motus, nempe velocitate & tarditate, quæ semper diuisionem magnitudinis motæ, & temporis successionem postulant.

4 Ab efficientibus causis motus, quæ sunt aut internæ vt naturales formæ aut externæ vt accidentia. In formis spectantur duo, potentia

mouens & fluxus ipsius formæ, in quibus requiritur tempus: quia non est naturalis progressio à termino *à quo* ad terminum *ad quem* sine medio. Accidentia quæ habentur causæ motus sunt grauitas & leuitas, quæ nec in vacuo, nec in instanti eminent.

5 Ab oppositis. quoniam quies est in indiuisibili, cum omnis motus cesset: motus ergo in indiuisibili fieri non potest: nam *oppositorum opposita est ratio*.

Top. lib. 7. c. 2. Huius lib. text. 5.

6 A comparatione, quia tempus, motus, & magnitudo eodem modo se habent in proportione; sed nec tempus, nec magnitudo ex indiuisibilibus constant: ergo nec motus.

7 Ab absurdis, quæ in textu duo sunt; nimirū hoc posito quod motus ex indiuisibili constet, illud necessario sequi, aliquid moueri & non moueri simul, adeoq; ipsum indiuisibile posse & non posse in partes distribui. Hæc antea exemplis demonstraui.

Argumenta contra quæstionem huius capitis.

Opp. *Motus componitur ex eo per quod actu subsistit: sed solum per indiuisibile actu subsistit: ergo ex indiuisibili componitur. Maior videtur esse vera, quoniam subsistentia esse nō potest nisi per partes essentiales. Assumptio probatur, quia non solum motus, sed quodlibet successiuum nullum actum omnino habet nisi in indiuisibili: successiuum enim fluit, & nunquam permanet nisi in indiuisibili, vt Philosophus ante docuit. Præterea, eadem est ratio temporis & motus: sed temporis pars instans est: ergo pars motus instans est, & per consequens ex indiuisibili motus componitur. Quòd instans sit pars temporis hinc liquet, quia tempus in præteritum, futurum, & instās seu præsens diuiditur. Postremo, motus cæli ex perpetuis instantibus & indiuisibilibus constat: ergo motus ex indiuisibili componitur. Antecedens sic probo, quia motus cæli est æternus, & in æterno non est successio, sed continuatum præsens. Instans enim instanti annectitur semper in æterno: si ergo motus cæli sit æternus, vt est (teste Philosopho in primo de cælo) illius motus ex indiuisibilibus momentis constat.*

Phys. lib. 4. c. 5. In categor. cap. de quantitate. Phys. lib. 4. cap. 11. t. 89. & c. 13. tex. 128. Lib. 1. de cælo c. 3. t. 102. 103.

Resp. *Arguis recte contra primam partē quæstionis: maior tamen primi syllogismi suspecta est: imo non tenet in entibus successiuis, quorū esse in successione partiū ponitur, tenet*

autem

autem vniuersaliter in ente positiuo. Ad alterum argumentum à comparatione temporis & motus deductum respõdeo, propriè instans non esse partem temporis, sed indiuisibilē terminum vtriusq; partis. Priore ergo parte antecedentis negata, consequentia tollitur. Quod verò tempus in præteritū, futurum & instans diuidatur (vt totum in partes suas) hoc vulgo non propriè & per se fit, vulgus enim instans partem temporis esse existimat, nec non in philosophiis sic esse existimamus, si pro fluxu temporis formali accipiatur: at sic non est punctum indiuisibile, sed quiddã capax vtriusq; partis, quæ suum proprium nomen assumit si diutius momentum fluat, ad breuissimum autem tempus rectè præsens dicitur. Quod adfers in postremo loco non vulnerat, quia propositio illa, nēpe quod nulla sit successio in æternis, solum vim suam & veritatem habet in æternis simpliciter, quæ nullam mutationem aut speciem mutationis in sua essentia subeant, & sic propriè solusq; Deus æternus dicitur in quē non cadit vlla alteratio.

Instās qui pars temporis.

In æternis nulla successio quæ intelligatur.

Argumenta contra secundam partem quæstionis, Vtrum vllus vnquam motus in instanti fiat?

Opp. *Omitto generationem & corruptionem duo motus genera, quæ (teste philosopho) in indiuisibili momento & instanti fiunt. Ad subtiliora venio & sic arguo. Dari potest prima pars motus, aliter quidē nõ esset prima, sed prima pars mot⁹ est indiuisibilis. ergo dari põt motus in indiuisibili. Maior constat, quia mobile incipit moueri in instãti primo, quia in instãti primo habetur mutatū esse. Hoc quidē videtur Arist. cõfirmare in 7. Phys. vbi docet alterationem vel aliquid alterationis in instãti fieri. Deinceps velim me doceas aliquo exemplo, quomodo sit* mutatum *esse in indiuisibili, quod nūquam est sine motu & tamen motus nullo modo fiat. Quid? in ipso instanti exorientis solis quiescit sol? statne in puncto quietus? mouetur certè, & non quiescit: fit ergo motus in indiuisibili, quod tam pertinaciter negas. Porro considera mecum omnem formam naturalem, quæ semper motu acquiritur: certum est eandem vel aliquid eiusdem in instanti acquiri: ergo ipsa erit indiuisibilis, vel saltem aliquid eiusdem, & proinde motus per quem acquiritur, indiuisibilis erit.*

Phys. lib. 3. c. tex. 6. & lib. 5 tex. 8.

Phy. lib. 7. c.

catēg. cap. oppositis. interpretatione cap. 10.

Quippe, nec tota forma nec pars formæ acquiri potest sine motu: est enim ipsa acquisitio formæ motus. Cum deniq; inter esse *formæ & non* esse *nullum sit medium (sunt enim hæc disparata seu contradicentia quæ medium non admittunt:) cumq; in primo instanti temporis, in quo alterans incipit alterare, aliquid sit non* esse *formæ de nouo inducendæ, quæ tamen in eodem instanti esse nunc incipit: sequitur in indiuisibili motum esse, quia in eodem à non* esse *ad* esse *res aliquantulum fluere, moueri, & mutari dicitur.*

Resp. *Omitto generationem & corruptionem, quia sæpissime argumentis de illis adductis satis feci, nempe quod perfectiue considerata non sint motus genera. Ad secundum argumentum dico, primam partem motus respectu mobilis dari & assignari posse, sed nego illam partem esse indiuisibilem. Nam etsi incipiat motus ab instanti, non tamen motus omnino est, priusquam continuus fiat. Deinceps (vt optas) te doceo exemplo, quomodo aliquid incipiat mutari sine motu. Esto igitur sagittarius qui emittit telum, esto instans in quo emittit, incipit quidem ab instanti moueri, sed ante successionem temporis actu non mouetur. Instans enim velocius velocitate est, & citius cogitato euolat: est autem terminus à quo fluit motus, non est mensura motus, mensurat enim* mutatum esse *nō motum: quippe* mutatum esse *indiuisibili non tēpore mensuratur. Neq; proprie res mutari dicitur in prima parte motus, cū omnis mutatio omnisq; motus à termino* ad quē *potius quā à termino* à quo *sua nomina mutuētur. Quid ergo (inquis) stat sol oriens in pūcto cæli? si hemisphæriū & horizōta nostrum spectes, recte stare aut saltē ab eodē incipere motum dicitur, hoc enim pūctum artificiale est respectu nostri, non naturale respectu cæli. Quare fallax argumentum est, siquidem res de qua agitur mutatur sensim. Considera (inquis) mecum formam naturalem, quæ vel tota vel ex parte motu, non instāti acquiritur: hoc ipsum nego, nam quamuis perfectio formæ sit in momento, motio tamen non est. At dicis in affini postremo argumento inter* esse *& non* esse *formæ non esse medium. Quid tum? sed in instanti quo incipit mutari mobile, forma est, & tamen tum incipit non esse per motum: ergo motus in instanti fit. Agnosco formam priorem*

Generatio & corruptio qui sint motus, qui non.

Instās velocius velocitate.

in instanti sentire primum pulsum motus, non motum, donec fluat instans in tempus, in quo noua forma sensim & pedetentim acquiritur, vt in infinitis exemplis rerum videre licet.

An mutatum esse sequatur motus?

Opp. *Instans (vt docet Philosophus) mensurat* mutatum esse, *tempus mensurat motum, hinc sic disputo. Instans mensurat* mutatum *esse, ergo motus idipsum non sequitur: ratio est, quia motus rem mutandam, non rem mutatam sequitur. Præterea,* mutatum esse *sequitur quies, ergo motus non sequitur. Antecedens probatur, quia* mutatum esse *est quidē perfectum esse, at perfectum esse rerum quies sequitur: ergo quies* mutatum esse *sequitur.* *Huius lib. c. 7.*

Resp. *In vtroq; argumento fallaciter & insidiose agis, à mutatione (vt aiunt) suppositionis: nam cum docet Philosophus, ad* mutatum esse *motum sequi, intelligit* mutatum esse *inchoatiue, non perfectiue, in termino* à quo, *non in termino* ad quem. *Vt ergo tempus præteritū sequitur instans, ad quod copulatur: ita motus sequitur momentum illud, in quo aliquid mutari incipit, quod iā mutatum esse dicitur, non quod adhuc formam aut vestem acquirendam induerit, sed quod à priori statu & forma nunc deficere & denudari incipiat: tu vero vrges* mutatum esse *in termino ad quem in quo motus quidem (vt ais) cessat, imo fortasse dices motum tum non cessare, quia generatio vnius est corruptio alterius: & nunquam est natura otiosa, nunquam à motu vacua. Verum est quod ais, si vniuersalem naturæ ordinem & cursum consideres: at aliter in re particulari contingit, nam cum res ad naturalem suum locum aut formam peruenerit, quiescere & diutius non moueri dicitur, donec priuatio nouam mutationem innexerit.* *Lib. 1. de gen. & corrup. ca 3. tex 17 & Phys. l 3 c. 8 text. 73. Natura nunquā otiosa est.*

An nullum omnino sit indiuisibile per se in motu?

Opp. *Videtur nullum quidem indiuisibile omnino esse per se in motu, quoniam si esset, recte sequeretur hac simplex conuersio,* Nullum indiuisibile per se habet motum: *ergo* nullus motus per se habet indiuisibile. *Præterea,*

Phys. lib. 8. c. 7. tex. 63.

Aristot. videtur hoc ipsum vrgere in 8. Physic. vbi dicit nihil in rerum natura generari vt duret per instans: quasi diceret, si indiuisibile sit per se in generatione, tum generatum solum ad instans duraret, quod est absurdum. Concludam, si indiuisibile omnino sit in motu, id ipsum erit mutatum esse, quod neque in termino à quo incipit, nec in termino in quem desinit, est sine motu nam si sit, videtur quidem generari & corrumpi in eodem instanti. Exempli causa, sit homo ens illud mutatum embryo sit ens, corruptum, quæro nunc Vtrum forma embryonis in eodem instanti, vel in alio sit corrupta, in quo forma humana est acquisita? si dicas in eodem, tum concludo contraria fieri in eodem instanti: si dicas in alio, tum infero motum non habere indiuisibile mutatum esse.

Prior. Analyt. lib 1. ca 1.

Conuersionis prima lex vt in recto fiat.

Resp. Conuersionis lex prima est, vt propositiones conuersa & conuertentes in recto fiant, vt Nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo: si vero aliter formentur, recte à conuersione non disputatur: vt Nullus fornax est in pane: ergo Nullus panis est in fornace: aut Nullus panis rodit murem: ergo nullus mus rodit panem. Tale est hoc argumentum tuum, & proinde non sequitur at si sic conficeres, Nullum indiuisibile est motus: ergo nullus motus est indiuisibilis, rectissime à regulis conuersionis tenuisset. Ad secundum dico, Aristot. locum intelligi de permanentibus, non de successiuis rebus, quæ raptim transeunt, qualia sunt instantia & mutata esse. Ad postremum respondeo, formam corrupti embryonis non corrumpi in alio instanti quã in eo in quo generatur forma hominis: ergo duo contrarii actus fiunt (inquis) in eodem instanti. Non est absurdum, cum instans non sit subiectum vtriusque, cumque ipsi actus non progressiue sed perfectiue considerentur. Sed (dices) quodnam est hoc demum indiuisibile per se, quod in motu collocas? Breuiter respondeo quod sicut in linea sunt puncta indiuidua per quæ partes lineæ ad se inuicem copulantur: & sicut in tempore sunt instantia: ita in motu quidem sint mutata esse, per quæ illius partes continuantur. Si vrgeas mutata habere partes, & proinde indiuisibilia non esse: dico te non recte intelligere quid per mutata esse velit Philosophus: mutata quidem habent suas partes, sed esse mutata, id est. nunc perfici, nunc mutari in vllo genere mutationis, non habent diuisionem temporis.

Duo contrarii actus possunt esse in eodem instanti.

Quidnam sit illud indiuisibile quod in motu collocatur.

CAPVT III.

An aliquid quiescat in instanti.

ARticulatius nunc agens Philosophus de indiuisibili, quædam capita de instanti seu momento tẽporis motusque instituit. Est enim instans præ cęteris indiuiduis maxime notum si nomen, maxime vero ignotum si rem ipsam spectes. Age ergo: est *nunc* seu instans communis terminus temporis, quo præteritum & futurum copulãtur: & hæc est prima conclusio capitis. Secunda est, quod sit quiddam absolute & simpliciter indiuisibile: aliter enim particeps præteriti & futuri existeret, diuisionemque partium suarum vendicaret: sed vtrumque horum falsum est. Nam si particeps præteriti & futuri existeret, vna illius pars præterita, & altera futura esset: imo hoc modo secundum se totum partes temporis nõn definiret, id est, non clauderet præteritum, nec inchoaret futurum. Adde etiam & illud, quod sic acceptum sit plane diuisibile: nihil enim est præteriti & futuri particeps, quin idipsum sit quoque in partes suas diuisibile. Alia conclusio est, quod in indiuisibili seu momẽto temporis nihil moueatur: vt antea demonstratum est. Ratio huius positionis est, quia si in puncto temporis aliquid omnino possit moueri: sequeretur ipsum tempus punctum esse in partes diuisum: hoc probat Philosophus in textu exemplo. Nam si capiatur (inquit) mobile aliquod tardum & otiosum (puta testudo) quod in instanti trãseat aliquod spacium, certum est velocius mobile (puta aquilam) duplo celetius id ipsum spacium in instanti posse cõficere: quod si fiat, quis non videt duas medietates & partes vnius & eiusdem instantis, quod est absurdum? Sequitur alia conclusio, nempe in momento temporis nihil posse quiescere: quod probat Philosophus à contrario, & ab absurdo hoc modo. In quocunque nihil natum est moueri, in eodem nihil potest quiescere: sed in *nunc* seu puncto temporis nihil potest moueri: ergo in eodem nihil potest quiescere. Ab absurdo: quia si aliquid quiesceret in momento, sequeretur idem simul moueri & quiescere. Nam ponatur aliquid moueri per totum tempus, vt cœlũ: necesse est vt in momento quiescat & mo-

Definitio instãtis: siue nunc.

Instans (siue Nunc) est quiddam absolute & simpliciter indiuisibile.

Tex. 29. & seq.

In momento temporis nihil mouetur.

Colleg. Conimb. in explanat. 3. cap. huius lib.

ueatur simul. Apertius exemplum est quod Collegium Conimbricense habet. *Si idem* (inquit) *mobile primo quadrante huius horæ cieatur, & in secundo quiescat: cum idem punctū vtrumq; quadrantem copulet, & id quod in toto mouetur tempore in quouis ipsius pūcto (in quo moueri aptum est) moueatur, & id quod quiescit simili modo quiescat*, fiet vt idem simul quiescere & moueri possit. Sed attende, ne hic mihimet in expositione Arist. contrarius esse videar, nō dico hoc loco quietem non incipere in forma de nouo subito acquisita, sed rem mobilē in momento proprie non esse quietam & tranquillam demonstro, nisi diutius & forma acquisita, & quiete per formam illata perfruatur. Qualis .n. quies esse potest, si in eodem momento quo oritur labefactata concidat? (sed o peruersitatem humani generis!) puncta & atomos voluptatis capimus, & in punctis rapimur in gehennam, in qua æternitas luctus, doloris, omnisque miseriæ viuit. Quid? estne voluptas punctum? est: nam & minime durat, & imagine pungit. Sed ad rem: in puncto seu indiuisibili nec motus nec quies inest, vtrumque tamen ab eodem suum ortum originemq; trahit. Vltima conclusio huius capitis est, omne scilicet mobile diuisibile esse: ratio est, quia omne mobile dum mouetur partim est in termino *à quo*, partim in termino *ad quem*: sed omne tale est diuisibile: omne igitur mobile est diuisibile: vnde illud quod est in præsenti propositum liceat concludere: nihil in indiuisibile posse moueri, quiescere posse nihil. Nam tempus & huius & illius mensura est, quia vtrumque successionem habet.

Voluptas punctum.

Tex. 32. Omne mobile est diuisibile.

Distinctio quæst. 3. capitis:

Motus & quies considerantur tribus modis.

1 Inchoatiue in termio *à quo*, qui terminus consideratur bifariā: vel vt manet sub priore forma sua: & sic quies est in illo vsque ad vltimum instans declinationis: vel vt tendit ad aliam formam, & sic motus ab eo instanti suscipitur. Motus tamen proprie nō dicitur, donec forma deflorescat, nec quies proprie appellatur ad instans.

2 Progressiue, & sic solum motus est vehiculum mobilis, & medium quo ad formam intentam à natura feratur.

3 Perfectiue, & sic forma acquisita mobile quiescere, motusque cessare dicitur: quietis enim propria sedes terminus *ad quem* definitur esse.

Opp.

Opp. *Naturalem motum nunc imitaris, qui est velocior in fine quam in principio: defessus fortasse es, & festinas nimium, sed caue ne cæcos parias catulos, & tuam ignorantiam prodas. Dixisti modo quietem esse in puncto cum generatur forma, nunc idipsum negas: contradictionis te accuso. Sed esto, affirmas quietem non esse in indiuisibili: rationem addis, quia motus non est in indiuisibili: inuerto hanc rationem, & cõcludo idcirco quietem esse in indiuisibili, quia motus non est, causamq; ex Topicis Arist. reddo, quia motus & quies sunt contraria, quorum semper diuersa habetur ratio: si ergo motus non sit in indiuisibili, quies erit. Præterea, quies non est quantitas sed priuatio quantitatis: non opus ergo successiua aliqua mensura habet. Postremo, cum natura sit principium motus in mobili, & quietis in forma & fine, cumq; forma & finis in momento attingantur, sequetur necessario quietem in momento etiam acquiri.*

Top. lib. 2. ca. 3. & lib. 7. cap. 2.

Physic. lib. 2. &c 1. Tex. 3.

Resp. *In fine equidem velocior sum, quoniam minus nũc spacii & medii transigendum habeo, quod motui naturali frænum & impedimentum est: non sum tamen (vt ais) defessus, neq; festino nimium, sed vna iam est disserendi seges oblata, vt si non festinarem, non solum cæcos, sed mortuos fortasse catulos producerem: vnũ. n. idemq; præceptum sæpissime inculcatum lectorem enecat, animumq; scribentis vsq; defatigat. Quod modo dixerim quietem & formam in momento generari, idipsum non iam nego: recte ergo me non accusas contradictionis: dico enim formã perfici in momento, ipsamque quietem induci vna cum illa: non tamen propriè respectu subiecti quies dicitur, nisi continuetur. Inuersio rationis meæ à comparatione motus & quietis nulla est, si quietẽ materialiter, hoc est si subiectum quietis (quod indiuisibile esse non potest) intelligas. Neq; illud axioma inseruit tibi quod adfers: nam licet diuersa sit cõtrariorum ratio quoad naturam, eadem tamen esse potest quoad disciplinam. Quamuis ergo motus sit pulsus & actus mobilis, & quies cessatio motus: motus tamẽ & quies in hoc conuenire possunt, vt in indiuisibili nihil vel quiescere vel moueri possit. Quod vrges quiatẽ non esse quantitatẽ, & proinde concludis non esse diuisibilem secundum partes successionis, respondeo non esse diuisibilem per se, sed per accidens, ratione subiecti in*

Forma in momento generatur, qui verũ.

Contrariorum ratio qui diuersa, qui non.

Quies non est diuisibilis per se, sed gratia subiecti.

quo inest. Postremum argumentum de acquisitæ formæ instanti concedo, nec non agnosco, quietem in prima apprehensione formæ positam indiuisibilem esse: sed quoniam proprie accidens nec esse nec considerari potest sine subiecto, talis apprehensio mathematica quies est, non realis de qua hoc loco quæritur.

An vllus sit vsus indiuisibilis in Physiologia?

Variæ de Indiuisibili opiniones.

Opp. *Vsus indiuisibilis videtur esse admodum exilis aut nullus: quippe philosophorum aliqui illud omnino non esse ens existimant, aliqui idipsum ens esse fatentur, sed negant esse ens rei. Nonnulli ens rei esse definiunt, ita tamen vt nihil ex eodem constet, & nihil in eo fiat: cuius opinionis videtur esse ipse Arist. qui hoc loco docet continuum nullo modo ex indiuisibilibus posse constare, ipsumq; tempus, motum, & quietem in eo non esse. Permulti deniq; hoc ipsum partim physicum, partim mathematicum esse autumant, non pauci contrarium sentiunt: non desunt qui puncta punctis, instantia instantibus realiter posse connecti in continuo affirmant, plurimi hoc ipsum penitus à re & ratione alienum esse arbitrantur. Quis (quæso) est iste vsus? aiunt, negant: philosophorum principes distrahuntur omnes & singuli, nihil certi, nihil definiti concludunt, & si concluderent, quid est indiuisibile de quo tantopere oracula sapientiæ contenderent? Vmbra certe, momentum, nihil, aut saltem, vt ipsi fatentur, fere nihil.*

Cap. 1. tex. 1. huius lib. & passim.

Resp. *Qui indiuisibile penitus excludunt à natura rerum (vt Nominales solent) sunt illi quidem à theatro philosophorum in exilium & insulam ignorantiæ abdicandi: qui vero ens esse defendunt, sed non ens rei, audiendi non sunt: quia vt infantuli balbutiunt sine ratione, non aperte ad rem eloquuntur. Qui ens rei definiũt sunt illi quidem audiendi, quamuis non admittant continuum vllum ex indiuisibili constare, aut tempus, motum, & quietem in eo eminere: vsum tamen vel maximum ex eodem eliciunt: res enim quælibet suum vsum & finem habet. Sed (vt summatim dicam) vsus indiuisibilis præcipue triplex est, primus vt cognoscatur infinita potentia Dei, qui rem minorem minima (id est rem indiuisibilem existentem) finxit: altera vt certa continua habea-*

Vsus indiuisibilis triplex est.

habeatur demonstratio, quod cõtinuum sine indiuisibili nec definiri nec demonstrari potest: Vsus postremus est, vt ordo totius vniuersi ad centrum accurate intelligatur: quod centrum respectu cœli punctum est & tamen nos ambulantes in eo non admiramur cælum, cæliq; motorem non colimus, non veneramur. Verbo attingam singula. Contemplare mecum culicem: o miram potentiam Dei, qui in eo pedes, vngues, alas, caput, os, oculos, partesq; alias fere infinitas finxit! Sed ecce rem culice minorem fecit, atomum, adhuc perge, & animum tuum indiuisibilem intuere, cui potentias & virtutes admirabiles dedit. Ne hic sistas pedem, sed ad ipsum indiuisibile veni, remq; actu subsistentem agnosce in Deo, in mente in toto vniuerso. In Deo, est enim indiuisibilis prima causa: in mente, est enim indiuisibilis imago primæ causæ: in vniuerso, cuius partes continua terminis indiuisibilibus copulantur, & ad indiuisibilem primam causam, vt ad suum vltimum bonum referuntur. Omitto particulares vsus indiuisibilis in geometria, astrologia, cosmographia, musica, quæ scientiæ florere non possunt (si nulla indiuisibilis habeatur cognitio) vt in figuris, circulis, terræ Zonis, clauibusq; & modis harmoniæ descriptis ab Euclide, Ptolemæo, Mercatore, Boetio constat. Quod addis de delirio & distractione interpretum, qui partim physice, partim mathematice indiuisibile considerãdum volunt: velim intelligas me idipsum sentire: nam quamuis indiuisibile reuera sit ens rei, potest tamen mathematice cõsiderari ad vsum artis. Postremo ad interrogatum respõdeo, oracula sapientiæ de lana caprina non contendere cum de indiuisibili disputent, quia in eo sunt multa mysteria naturæ & sapientiæ, quæ nos ad primam sapientiam ducant. Imo aliquid certi & definiti concludit de eo Arist. quem sequor. Habes ergo anchoram quam in hac quæstione variis opinionibus & argumentis iactatam teneas.

Contemplatio potentiæ diuinæ in Indiuisibili.

Multiplex vsus Indiuisibilis.

An sit vlla realis cohærentia indiuisibilium?

Opp.

Valde probabilis videtur esse illa opinio, quæ tuetur indiuisibilia posse vi naturali conglutinari. Si enim nulla sit eorum realis cohærentia, quorsum entia rei dicuntur, eademq;

cognata? & quid (quaso) est inter punctum, quod est initium lineæ, cæteraq; eiusdem lineæ, cum nulla pars lineæ exsecari possit quin apparebunt puncta? Præterea, instans immediate succedit in tempore instanti: est ergo realis cohærentia indiuisibilis. Antecedens probatur, quia tempus solum actu in instantia existit, & certe non existeret si instans cum instāti non cohæreret. Porro verba Arist. apertæ sunt. 1. Top. cap. 14. ita (inquit) se habet punctum ad lineam, ac vnitas ad numerum: sed in numero est realis vnitatum cohærentia: ergo in linea est punctorum realis cohærentia. Explicatius loquitur Philosophus lib. 1. Post. cap. 4. vbi docet indiuisibilia per se & vt sua in continuo includi & contineri. Deinceps, quid respondes de tempore quo intellectiones spirituum mensurantur? Certum est id tempus ex solis instantibus constare: nam angeli nō per discursum successiue, sed per intuitū in instanti intelligunt: cohærent ergo indiuisibilia. Insuper, duæ lineæ circulares contingentes se inuicem in arbore quæ in aqua & aere crescit manifeste realiter cohærent: est ergo indiuisibilium realis cohærētia: nam lineæ respectu superficierum sunt indiuisibiles. Postremo, Geometra supponit punctum fluens lineam gignere, lineam fluentem in latum superficiem, hanc corpus: videtur ergo indiuisibilium realis cohærentia.

Resp.

Quamuis indiuisibilia sint entia rei, eademque cognata: non tamen sequitur inter se esse contigua continuaue. Nam vt anima res indiuisibilis, & corpus rem vnam numero faciunt, nemo tamen est tam imprudens, qui diceret hæc duo esse continua: ita licet punctum lineæ, instans tempori essentialiter conueniant, non tamen recte concluditur, instantia aut puncta esse realiter coniuncta, tempusq; & lineam nihil aliud esse quam instantia & puncta continuata. Ratio est, quia indiuisibilia addita similibus non faciunt quantitatem. At dicis, quid est inter punctum, quod est initium lineæ, & cætera puncta quæ requiruntur in omni diuisione lineæ? Respondeo lineam esse, si diuisim, nihil si collectim sumas. Age ergo, si nihil intersit, necessario continuantur puncta. Sophistice cōcludis: nam cum dico nihil, intelligo præter lineam nihil. Quomodo tum in omni parte lineæ diuisa sunt puncta? sunt potestate, non actu, in diuisione, non continuatione rei.

Indiuisibile additum indiuisibili non facit quantitatem.

Perge,

Perge, quid ais de cohærentia instantium in qua solum actu existit tempus? Dico non instans instanti (vt somnias) realiter & immediate succedere, sed tempus ipsum cuius essentia in successione cõstat: quippe licet nihil temporis simul existat præter instans, *successiue tamen aliquid existit quod momẽtum non est, nimirum tempus. Quid de testimoniis ex Arist. ductis existimas? Reuerenter vt decet, quippe non in omnibus vnitas & punctum comparantur, sed in hoc vno: quod sicut vnitas est principium numeri aut multitudinis: ita pũctum est principium lineæ seu magnitudinis in quantitate. Male hinc quidem infers: ergo inter indiuisibilia esse realem cohærentiam. Similiter de altero loco dico indiuisibilia scilicet vi sua & primo modo de continuo dici, seque habere non aliter quam formas in eiusdem definitione, respectu partium quas copulant. Non tamen magis sequitur, istorum indiuisibilium esse cohærentiam in continuo, quam atomorum in sole: ratio est, quia non est naturalis ordo colligandi. Ad argumentum à mensura intellectionum spiritualium respondeo, tempus illud quo mensurantur esse discretam quantitatem (vt Ægidio in tractatu de Mensura Angelorum cap. 9. placet) est enim tempus numerus actionum: & sic non nego posse ex indiuisibilibus constare. De duabus lineis circularibus quæ plantam in aere & aqua crescentem ambiunt, dico easdem vnam solam efficere in plãta: neq; est absurdum duo indiuisibilia in diuersis subiectis immediate cohabitare, vnumque respectu tertii efficere. Ad postremum respondeo, Geometras non docere realiter ex fluxu punctorum lineas, & superficies ex fluxu linearum, aut hinc inde corpora nasci sed vti eos tali fictione docendi causa, vt certa habeatur in arte rerum demonstratio.*

Instans instanti realiter & immediate non succedit.

Ægidius.

CAPVT IV.

Vtrum totius motum cuiuslibet partis motus sequatur?

SImplicem essentiam motus multiplex potentia sequitur: essentiam definitio, potentiam diuisio explicat. Diuiditur ergo motus hoc loco bifariam, nimirum ex parte mobilis, & ex parte temporis. Ex parte mobilis, vt si

A B, id est, exempli causa, si totum cœlum moueatur, necesse est vt D E & F, id est partes cœli simul moueantur: totius enim motum cuiuslibet partis motus necessario sequitur, ita tamen sequitur (teste Philosopho) vt licet ad motum totius eiusdem partes omnes & singulæ agitentur, alia tamen nonnunquam huius quam illius partis motio habeatur. Sic pro diuersitate partis mobilis motus ipse diuiditur. Vna enim pars forsan tabescit, intumescit alia: illius ergo motus diminutio vel remissio, huius augmentatio vel intentio dicitur. Præterea, si hoc non fieret, id est, si ad motum totius non sequeretur motus partium, tum quidem motus & mobile non essent adæquata: quippe vna vel altera pars mobilis existeret inanis & otiosa, cui motus non conueniret. Sed hoc est absurdum, cum quælibet pars mobilis in horologio naturæ rota sit, & in conuersione temporum gyros suos circulosque faciat. Sed vt in horologio artificiali non est singularum rotarum aut circulorum idem motus numero & natura, quamuis idem tempus denotent & designent: ita in toto mobili non est cuiuslibet partis eadem motio, licet singulæ partes motæ ad eandem mensuram in fine motus referantur. Quid restat? nihil certe, nisi vt obserues, mobile esse multiplex, violentum, naturale, artificiosum: & quamuis hoc axioma possit quidẽ intelligi de omni mobili, proprie tamen ad corpus physicum & naturale pertinere, in quo non vis, non ars, sed ipsa natura præest. Hoc sane insinuat Philosophus, cum dicat partes non semper eodem motu specie cieri cum toto: intelligit quidem partes naturales motumque naturalem: nam in violento & artificiali aliter se res habet. Rapta enim arteque mota in toto & parte vim vnam impressam habent (quamuis) vt modo dixerim in arte varia sit intentio artificis, motioque distincta partium, quæ ad nutum artificis commouentur, vt in horologio & mola molendinaria liquido apparet. Omittendum quidem hoc loco illud non est, quod quidam interpretes obseruandum volunt, totum dici mobile duobus modis, vel simpliciter, vel comparate. Simpliciter, quando vna cum omnibus & singulis partibus mouetur, vt nauis expansis velis & ventis impulsa: vel quando vna primaria parte mota, totũ inde mobile dicitur, vt corde male affecto totus homo languet.

Quomodo ad motum totius, eiusdem singulæ partes moueantur.

Mobile triplex. 1. Violentum. 2. Naturale. 3. Artificiosũ.

Totum dicitur mobile duobus modis. 1. Simpliciter. 2. Comparate.

languet. Quamuis in posteriori hoc sensu accipi possit mobile, in priori tamen per se intelligi debeat. Multa certe latent in hac quæstione si motum animalis impensius consideres, nimirum quomodo aliæ partes in eo quiescant, & tamen mobiles, aliæ moueantur, & tamen quietæ sint: iterum quomodo aliæ vna, aliæ diuersa specie motus agitentur. Postremo, quomodo toti animali vna formalis mouēdi potentia, & secundum eandem aliæ aliæque singulis partibus distribuantur. Sed de his fusius & vberius alibi dicemus: nunc ad alteram partem capitis accedo, in qua docet Philosophus motum etiam ex parte temporis diuidi & secari. Sunt enim tempus & motus mensura & mensuratum, quæ diuisione partium semper adæquari debent. Tempus alis motus, & motus quasi pennis ipsius temporis enixus volat. Morari in his non licet: tempus & motus sunt quasi duæ lances naturæ: nam vt illæ mercibus ponderandis recte inseruiunt, vt iusta rerum & ponderum in commutatione habeatur proportio: ita tempus & motus rebus mobilibus ęqualiter quasi librandis destinantur: vt horum in vicissitudine & successione, secundum totum & partes æqua notetur dimēsio. Nam, vt ait Philosophus in textu, vt totus motus est in aliquo toto tempore (puta motum cœli) ita partes eiusdem motus sunt in partibus illius temporis: ex quo infert hæc quinque, scilicet tempus, mobile, motum, magnitudinem & spacium similiter moueri & diuidi, id est (vt ita dicam) proportionem in toto & partibus secundum durationem temporis & successionem motus vendicare. Nam vt tempus, sic motus: & vt motus, sic mobile: & vt mobile, sic magnitudo & vt magnitudo, sic spacium transit: Tātum enim temporis transigitur quantum motus, & mobile non plus temporis quam motus vendicat, & magnitudo denique tantum spacii decurrit, quantum temporis & motus ipsum mobile in mouendo consumit. Proportio ergo est in his quinque (vt ait Aristot.) sed attende, quod sit proportio ad iustitiam (vt aiunt) non ad pondus, geometrica non arithmetica. Nam velocius (vt ante demonstratum est) breuiore tempore longius spacium conficit, quam quod tardius mouetur. Est tamen ipsius mobilis, magnitudinis, motus, temporis & spacii geometrica proportio: quia cuilibet

Multa abstrusa in hac quæstione.

Lib. 8.

Tempus & motus sunt quasi duæ lances naturæ.

Text 17.

Proportio inter tempus, mobile, motum, magnitudinē, spacium.

ſecundum iuſtitiam naturæ proprius motus datur. Quamuis ergo ignis celerior aere ſit, citiuſque à centro ad ſedem naturalem volet, ſi æqua tamen fiat comparatio ad idē ſubiectum mobile (vt docet) æqualis horum omnium inuenietur proportio: maxime in hoc ſenſu (vt concludit Ariſtoteles) quia ſicut mobile pertranſit ſpacium aliquod totum: ita ſecundum partem motus tranſit partem ſpacii: vt conſtat in cœlo, quod in diurno motu totum ſpacium circumferentiç ſuæ conficit naturali quouis die, partes vero illius aliquot etiam partes ſimiliter quauis hora pertrāſeunt. Verbo concludam omnia: huc tendit in hoc capite ſermo, vt intelligas quomodo ad motum totius partes moueantur, quam rem ſatis demonſtrauimus.

Summa huius 6. capitis.

Diſtinctio quæſtionis, Vtrum ad motum totius ſequatur motus ſingularum partium.

Motus diſtinguitur in

- Violentum
- Artificialem
  - De quibus hoc loco nō agit Philoſophus, licet quibuſdam adhibitis conditionibus in iiſdē poſſit defendi hæc quæſtio.
- Naturalem, qui in omni genere mutationis vim & veritatem huius axiomatis habet. Nam toto moto omnes & ſingulæ partes in eodem genere aut ſpecie motus mutantur: vt probatur
  - 1 Ab inductione ſingularum ſpecierum motus: verbi gratia, ſi generetur totum generantur partes, ſi augeſcat totum augētur partes, & ſic deinceps.
  - 2 A definitione totius, quia totū nihil aliud eſt quam ſuæ partes: eodem ergo modo afficiuntur.
  - 3 A contraria hypotheſi, quia ſi moto toto non mouerentur partes, ſequeretur idem ſimul moueri & quieſcere.
  - 4 A comparatione mobilis artificioſi cum naturali: nam vt tota naui mota omnes partes nauis vehuntur: ita quolibet naturali agitato ſingulæ illius partes commouentur.
  - 5 A cauſa motus in toto & partibus, quæ eſt vel forma, vel actiua potentia formç influens in ſingulas partes.

Argu-

Argumenta contra quæstionem.

Opp.

Totum cælum mouetur, & tamen omnes illius partes non mouentur: ergo ad motum totius non sequitur motus singularum partium. Antecedēs probatur, quia poli qui sunt partes cæli non mouentur, vt omnes philosophi & Astrologi consentiunt. Præterea (teste Philosopho) totus mundus est mobilis, omnes tamen partes non mouentur: quia centrum mundi est (vt alibi docet Philosophus) immobile. Deinceps si ad motum totius sequatur motus singularum partium, tum pari ratione ad motum singularum partium sequeretur motus totius: sed hoc est falsum, vt videmus in imperfectis & fixis animalibus, quorum partes dilatatione mouentur, totum vero nō mouetur. Postremo, toto homine aucto qualibet pars non augetur: ergo motum totius motus cuiuslibet partis non sequitur. Antecedens constat, quia fieri potest vt partes quædam hominis obstructione aut alia affectione impedita nutrimētum non capiant, vnde augmentatio fieret, partes autem eousq; dicuntur & sunt, donec penitus defectione alimenti contabescant. De Cælo li. 1. 2. & 3. passim. 1. Lib. de Cælo. 2. Lib. de cælo ca. 14. text. 96. & sequen.

Resp.

Poli cælestes dicuntur immobiles, non quod non moueantur, sed quod à loco in locum, vt partes remotiores cæli non moueantur: respectu ergo fixi sunt, motu tamen (vt aiunt) circumgyrationis (vt axes in plaustro) conuertuntur. De instantia centri quam adfers, dico ipsam terram mobilem esse, vt constat in partibus remotis à loco suo, ad quem impetu & appetitu naturali feruntur: immobilis tamen dicitur secundum totum, quia est centrum, & sine ruina omnium concuti & moueri non potest. Ad tertium argumentum respondeo, quod singulis partibus fixorum animantium motis, moueatur etiam & totum eadem motus specie qua partes commouentur: vt in ostreis alijsq; imperfectis bestiolis constat, quæ motum lunæ aut elementi in quo viuunt sequuntur. Nihil est quod vrges in postremo loco. nam hoc loco: totum bene affectum intelligimus, cuius vis & potentia motrix in omnes partes bene affectas fluit. Poli immobiles quomodo. Terra immobilis secundum totum.

An temporis, motus, magnitudinis, mobilis, & spacii, sit æqualis in diuisione partium proportio?

Opp. *Est aliqua magnitudo indiuisibilis, ergo eadem non est proportio horum omnium in diuisione: Antecedens probatur ex Aristot. duobus in locis, vbi docet minimam partem carnis esse 1. Physi. & in primo de cælo, vbi docet cælum diuidi non posse. Praterea quid inter magnitudinem & mobile intersit ex Arist. non video. Insuper si sit horum omnium eadem proportio, sequetur vnam esse quantitatem, qua hæc omnia mensurentur: sed quanam sit illa quantitas adhuc non intelligo. Postremo, cum alia horum sint entia successiua vt tempus, motus, mobile: alia constantia & fixa, vt magnitudo & spacium: ostendas velim, quomodo diuisione & proportione adaquentur.*

Phys. lib. 1. ca. 4. tex. 38. Id est de cælo cap. 3.

Cælum indiuisibile qui.

Caro minima qui.

Inter magnitudinẽ & mobile quid intersit.

Resp. *Omnis magnitudo est diuisibilis secundum partes quantitatis, non in simplici essentia sua, & sic cælum indiuisibile dicitur. Similiter caro minima est & indiuisibilis, si partes quantitatis: non est autem minima, sed semper diuisibilis si partes proportionis spectes. Inter magnitudinem & mobile hoc interest, quod alterum sit corpus in quantitate, alterum corpus in substantia, illud mensura, hoc mensuratum dicitur: sed inter mensuram & mensuratum debet esse proportio, neq; (vt ais) illud requiritur, vt sit communis mẽsura omnium, si sit in omnibus aqualis proportio: aqualitas enim est in diuisione partium & comparatione earum ad se inuicem, vt si totus motus (exempli gratia) sit in toto tẽpore, pars motus erit in parte temporis, & sic mobilis, magnitudinis & spacii eadem erit ratio. Nam si totum mobile vt cælum sit in toto motu, pars cæli mobilis erit in parte motus, & si tota magnitudo seu mensura cæli sit in toto spacio, & circumferentia mũdi, pars magnitudinis in parte ipsius spacii erit: nam qualis est totius ad totum, talis est partis ad partem proportio diuisioq;. Postremo, etsi alia horum sint entia successiua, alia fixa & definita, eorum tamen in aliquo tertio fieri potest comparatio. Vt enim eadem est proportio naturalis tua forma & reflexa imaginis à speculo in quo teipsum contemplaris, licet illa sit in te fixa, hac vero ad motum speculi fluxa & caduca: ita quamuis horum alia sint quidem entia*

Qualis est totius ad totum, talis est partis ad partem proportio.

incerta

incerta & successiua, alia constantia & definita, eorum tamen potest esse in diuisione partium eadem proportio si inter se partes cum partibus, tota cum totis comparentur. Verbi causa, vt aliquid mobile pertransit totum spacium in toto tempore totaq; mensura magnitudinis: ita pars mobilis pertransit partem spacii in parte tẽporis parteq; magnitudinis.

CAPVT V.

Vtrum detur in motu primum mutatum esse primaq; pars motus?

VT de diuisione motus ex parte mobilis & temporis in priore cap. disseruit: ita nunc de ordine eiusdem respectu suarum partium disserit Philosophus: quatuorq; de eo (vt colligit Beuerus) theoremata seu generalia præcepta, ad omnem motum spectantia tradit. Horum primum sic se habet. Id quod mutatum est in aliquid, quando mutatum est, necessario est in eo in quod mutatum est. In omni mutationis genere hoc ipsum demonstrat Aristoteles, sed antequam sigillatim agat, mutationem ex aliquo in aliquid nihil aliud esse definit, quam defectionem aut separationem à termino *à quo sic* mutari ex aliquo & illud deserere, re non differunt, similiter *mutatum esse*, & *deseruisse* illud, ex quo facta est mutatio. Ex hoc textu (si placet) hunc mecum syllogismum collige: Quicquid mutatum est, vel est in termino *à quo*, vel in medio, vel in termino *ad quem*: sed non in termino *à quo*, quia mutatum esse est deseruisse terminum *à quo*: ergo quicquid mutatum est existit illud quidem in termino *ad quem*, vel in medio quod ad eundem tendit. Res hæc perspicua erit, si motus genera percurras: nã quod gignitur acquirit esse, & deficit à non esse: quod vero corrũpitur deserit esse & est in non esse: quæ denique alia mutationis genera subeunt (in quibus medium datur) paulatim veluti repunt & incedunt, quantumque abiiciunt de termino *à quo*, tantum acquirunt & assequuntur de termino *ad quem*.

Iohan. Beuerus in cap. 5. huius 6. libri.

Primum theorema.

Text. 40.

Alterum theorema, seu pręceptum est: nempe quod illud sit indiuisibile tempore in quo aliquid primo mutatum est:

Theorema secundum.

hæc conclusio notata & demonstrata antea fuit, cum Arist. docuerit mutatum id esse in motu, quod instans est in tempore; sed instans in tempore est indiuisibile: ergo mutatum esse in motu est indiuisibile. Præterea, vt tempus mensurat ens mobile: ita instans mensurat mutatum esse, quod nec in partibus nec in toto successionem & durationem habet. Si enim eius quod primo in aliquid mutatum est partes signentur aut fingantur, (exempli causa) in aere per solem exorientem illuminato, si A B, & C, ponantur partes, id est, docendi gratia oriens, meridies, occasus, quæritur an in hoc mutato esse, id est, in alterato aere pars vna vel altera illustretur prius? Certum est aerem splendore exorientis solis mutatum aut alteratum non dici nisi in instāti, si proprie & per se hoc nomen intelligas. Cęterum (vt in textu hic docet Philosophus) est duplex *mutatum esse*, scilicet cōpletum & incompletum: illud terminans ipsum motum, hoc continuās dicitur: illud (inquam) proprie & perfecte definitur *mutatū esse* in finali (vt ita loquar) instanti: hoc proprie & imperfecte in *fieri* (vt aiunt) & progressione naturæ, cum res à termino aut forma sub qua fuit, deficere & declinare incipit.

Cap. 3. huius libri text. 24.

Mutatum esse duplex.
1. Completum.
2. Incopletum.

Theorema 3.

Hinc tertium theorema seu conclusio nascitur, in qua insinuatur distinctio inter *mutari* & *mutatum esse*: nempe in temporis puncto rem primo *mutatum esse*, *mutari* autem non item: nam *mutatum esse* instans requirit mensuram sui: *mutari* autem res incipit, cum primum à termino sub quo fuit deficit & declinat. *Mutari* enim in tempore incipit, sed in temporis pūcto res primum *esse mutata* dicitur: nam *mutari* in motu ipsi tempori, *mutatum* autem *esse* terminus motus est, & ipsius temporis puncto respondet.

Theorema 4.

Quartum theorema est, verissime dari & assignari posse complete & perfecte *mutatum esse*: id est tale genitum aut corruptum, tale augmentatum vel diminutum, tale alteratum vel loco mutatum, quod motum in omnibus & singulis istis motus & mutationis generibus subito & indiuisibiliter claudit. Ratio illius in textu est, quia nisi daretur tale *mutatum esse*, fieri non posset, vt esset vlla perfectio aut completa motio mutatiove. Nam vt in progressione partium successio & tempus: ita in perfectione mutationis repentina periodus & conclusio semper eminet requiriturque.

Posite-

Postremum theorema est, dari non posse primum *mutatum esse* incompletum. Causa assignatur huius theorematis triplex: ex parte motus, mobilis, & temporis: quia horum pars nulla prima dari potest, & proinde *mutatum esse* in illis primum aliquod assignari non potest. Vt ergo sunt partes infinitæ in motu, mobili, tempore, spacio, & magnitudine: ita sunt infinita *mutata esse*. Non ergo primum aliquod *mutatum esse* demonstrari potest, primũ (inquam) incõpletum & imperfectũ, at *mutatũ* primum & perfectum id dicitur, *quod acquisita forma motũ in puncto terminat & cõcludit.* Theorema 5.

Sed quoniam difficilis est huius theorematis explicatio, mouebitur hæc quæstio. *Deturne primum mutatum esse, primaq; pars motus an non?* Mirum est videre distractos interpretes in varias opiniones: sed rem paucis expediam. Pro explicatione ergo huius controuersię *mutatum esse* definio *nouam & repentinam existentiam subiecti in tali statu formæ qua motu subito acquiritur.* Vel (si vis) affirmo *mutatum esse* significare defectionem à termino *à quo*, non tamen proprie sic dici donec terminum *ad quem* attigerit. Hinc fit vt ea duntaxat indiuisibilia, quibus partes motus vtrinque inter se mutuo cohærent, vel quæ totum motum claudunt, proprie *mutata esse* censeantur.

Esto igitur, si *mutatum esse* potius periodum motus quam initium aut progressum respiciat, recte concludas non dari primum *mutatum esse*. Imo vero si tempus & motus duratione adæquentur, nullumque sit initium temporis aut motus, necessario infertur nullum primum *mutatum esse*, id est, nullam primam defectionem à termino *à quo* primus motus incepit. Sed (dices) vt sunt infinita instantia temporis: ita sunt infinita *mutata esse* ipsius motus. Quid tum? ergo videtur aliquod vnum assignari posse primum: otiose: imo potius diceres, dari ergo nõ posse primum, quoniam in infinito non est omnino primum. Quid? nõ est ordo in motu? est: ergo est in motu primum. Argumentum nego: nam ordo est successionis non multitudinis. At successio suarum partium numerum seu multitudinem habet: respectu rei mobilis huius vel illius habet. Sed vt in æternitate mundi (licet assignari possit certum & definitum tempus in quo hic vel ille homo nascatur) primus tamen homo non datur.

Ob.
Sol.
Ob.
Sol.

Est in motu ordo successionis, non multitudinis.

Primus homo, primum momentum temporis, primum mutatum esse non dantur in philosophia humana, in diuina philosophia dantur.

ita in perpetua successione temporis nec prima pars motus, nec primum mutatum in motu notari aut definiri quidem potest. Hoc dico solum secundum humanam philosophiam, nō diuinam: in qua primum fuisse hominem, primum momentum temporis, & primum *mutatum esse* humillime agnosco: fideque firmissima credo, vltimum hominem, vltimum momentum temporis & motus, vltimum *mutatum esse* futurum, cum fabrica istius mundi in vltimo iudicii die concussa ruet. Sed hæc (vt vides) miraculose, non ratione & ordine naturæ fient.

Distinctio quæstionis, Vtrum primum mutatum esse *primaque pars motus detur?*

Duplex est *mutatum esse* vel

1 Cōpletum: q̄ est nihil aliud quam terminus totius motus subito acquisitus, & sic est dare primum *mutatum esse*.

2 Incompletum: quod est copula partium ad se inuicem in motu. & sic non est primum *mutatum esse*: nam talis defectio à termino, talisque vnio partium in motu, semper motum præcedentem arguit. Nam vt instans in tempore tempus præteritum: ita *mutatū esse* in motu motum præter fluxum demonstrat. Rationes & argumenta in textu aperta sunt, hoc solum addo. non poss: assignari primam partē motus, si partes proportionis in continuo, non partes diuisionis in mobili subiecto spectes. Sunt enim in motu partes proportionis infinitæ: partes vero quantitatis seu diuisionis finitæ existunt. Hinc ergo Aristoteles, cōcludit nec primum *mutatum esse* incompletum, nec primam partem motus esse: quia omne continuum partes proportionis infinitas innumerasque habet.

Phys. l. 3. c. 6. text. 59.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Dari potest primum mutari, primumq;* mutatum esse: *male ergo hic contrarium defenditur. Antecedens probatur, quia in motu finiti corporis, quantitatis, aut qualitatis dari potest prima pars & vltima: sed prima pars motus est* mutari, *& vltima est* mutatum esse: *proinde dari potest primum* mutari *primumq;* mutatum esse.

In motu considerantur duo.

Resp. *In motu considerantur duo: essentia continui, & coharentia subiecti: in priore etiam duo considerari solent, com-*

continuitatis proportio, & quantitatis diuisio: secundũ proportionem continuitatis & continuitatẽ proportionis in motu, nec est dare minimum: quia continuum est semper diuisibile in partes eiusdem proportionis nec est dare primum, quoniam quæ pars prima sit proportionis nemo philosophorum assignare potest. At secundum diuisionem quantitatis, & secundum quantitatem diuisionis liceat peruenire ad minimum, quod vlterius realiter secari non potest: & sic quidem dari potest primum & vltimum, quia omne finitum cancellis & terminis clauditur & definitur. Præterea respectu subiecti quod incipit aut esse aut moueri in certo & definito tempore, primum mutari & mutatum dari & assignari potest, vt recte dicas nunc incepisse generationem hominis, nunc interire. In motu qui nõ datur minimũ nec primum, & qui datur.

Opp. Datur primum acquisitum esse in omni motu: ergo datur primum mutatum esse. Antecedẽs patet, quia cum corpus agitari incipiat, datur primum vbi seu primus locus: & cum incipiat fieri aliquid, datur prima forma generationis: & cũ crescat corpus, datur primus gradus maioris quantitatis. Similiter in reliquis generibus motus. Argumentum tenet, quia mutatum esse, est nihil aliud, quam subito nouam rei existentiam acquiri: vt in mutatione loci nouum locum aut vbi: in alteratione nouum gradum qualitatis: in generatione nouam formam substantia.

Resp. Inter acquisitum & mutatum esse hoc interest, quod illud semper perfectionem, hoc sæpe inchoationem motus significet. Est enim mutatum esse (vt antea demonstraui) incompletum. neque hoc verum est, simpliciter dari primum vbi seu locum, cum res mobilis incipiat (vt ais) agitari, aut primam formam cum res incipiat fieri: nisi locum destinatum aut formam inchoatam intelligas: verum in istis nõ est proprie & perfecte mutatum esse, sed mutari: nã prima pars motus est mutari, postrema mutatum esse. Inter acquisitum & mutatum esse, quid intersit.

Opp. Si moriatur animal præcipitatum ab alto (vt sæpe contingit) in medio motu est primum mutatum esse terminans motum animalis: ergo est in motu primum mutatũ esse, quod motum cadaueris inchoat: cum ibi nulla quies intercedat, quippe cuilibet instanti temporis datur vnum mutatum esse motus. Argumentum difficile.

Resp. *Agnosco hoc difficile esse argumentum quod adfers: quippe in solutione eiusdem multi interpretes distrahūtur: Sed pro viribus (optimos secutus) respondeo, esse quidem primum* mutatum esse, *cum moriatur animal: ratio est, quia tum terminatur motus animalis, & incipit motus cadaueris. Caterum cum dicas nullam quietem intercedere, respondeo in corruptione rei hoc non requiri: etsi vrgeas ex Arist. in omni termino* ad quem *cessare motum: respondeo id verum esse in motus generib. in quib. nulla est vel priuatio forma, vel declinatio natura: vel deniq; (si placet) affirmo, esse quietem sub forma cadaueris subito acquisita. Caterum si hinc intones ex Arist. nullam quietem esse indiuisibilem: respōdeo id verum esse in vltimo termino* ad quem, *non in medius qui ad vltimum & extremum tendunt.*

Phy. l. 5. cap. 1.

Huius libri c. 3.

Opp. *Mens sapientis vnius hora spacio mille fere actiones discurrit, in quarum singulis est quadam mutatio: sed in hoc certo & definito numero est dare primum* mutatum esse: *ergo primum* mutatum esse *dari & assignari potest.*

Mentis actiones sunt immanentes non transeuntes.

Resp. *Mentis actiones sunt immanentes, non transeuntes motus animi: sed de hoc genere motus hic non agitur. Praterea, si concedatur esse quidem in hisce actionibus motum naturalem: non est tamen proprie vlla mutatio animi, qui ab impressionib. istis est immunis & alienus propria essentia sua.*

Opp. *Si non detur primum* mutatum esse *in motu, sequetur motum cuiusq; rei versus initium non terminari vllo* mutato esse, *sed permanere infinitum: quod non est admittendum, cum res qualibet mota sit finita: datur ergo primum aliquod* mutatum esse à quo *motus inchoetur.*

Resp. *Resoluitur hic nodus antea, distinctione adhibita de partibus proportionis & diuisionis: quippe si illas in motu consideres, non est pars prima motus, nec primum* mutatum esse *si vero diuisionem species quantitatis in mobili, est quidem primum initium motus. At hic concludes fortasse esse primum* mutatum esse *in primo instanti temporis, in quo mobile incipit agitari, quoniam cuilibet instanti temporis* mutatum esse *ipsius motus respondet. Respondeo verum hoc esse quoad mensuram, non tamē quoad ordinē essentia: nam potest esse primum instās motus in tempore sine* mutato esse, *at* mutatū esse *non potest sine instāti aliquo quo mensuretur.*

Opp.

Opp.

Sit prima pars motus pedalis, ut saepe in plantis euenit, antequam alia pars motus sequatur: concludo hinc directe esse aliquam primam partem motus, quod in ultima parte huius quaestionis negatur.

Resp. *Dicendum est dari quidem in motu primam partem designationis, sed non primam partem proportionis. Est enim pars aliqua prima in eo designata respectu mobilis aut mensura: non tamen est aliqua pars prima absoluta: quia omnis motus (cum sit ens successiuum) motum priorem arguit: quippe est quidem continuum quod ex partibus infinitis constat. Ut ergo motam umbram in solari horologio ad lineam designatam videas, ipsum vero progressionem umbrae non vides: ita mansuram huius vel illius motus in hoc vel illo mobili intueri licet, quamuis motus simpliciter & infinite accepti primas partes non possis assignare. Et ut in cursu solis est quaedam certa mensura si artificialem diem aut horam, infinita autem si motus essentiam spectes: ita se res habet in motu cuiuslibet rei naturalis, ut prima pars punctumque motus designetur si stadium mobilis consideres, at si motum simpliciter (qui perpetuo alium motum sequitur) ante oculos ponas, pars nulla prima nominari potest: est enim motus continuus, & proinde secundum partes proportionis infinitus.*

Datur in motu prima pars designationis, non proportionis.

Opp. *Curiosa sunt ista commenta nugacis ingenii quae adfers, de* indiuisibili, *de* puncto, *de* mutari & mutato esse, *& vereor ne hamus sophistarum sub ista esca & veneno lateat: nam detur, exempli causa,* mutatum esse *in instanti corruptionis, sequetur Platonem nec alium quempiam unquam interire posse. Nam si intereat, aut interit cum viuit, aut cum iam mortuus est, non cum viuit, quia tunc superstes est: non cum mortuus fuerit, quia toto tempore mortuus dicitur: non ergo est ulla veritas in illis instantaneis* mutationibus & mutatis esse, *de quibus hoc loco cum aliis delirantibus somnias.*

Resp. *Non sunt ista curiosa nugacis ingenii commenta, sed magna sapientiae mysteria, quippe in illis oracula philosophiae loquitur: neque est quod verearis sophistarum hamum, escam, aut venenum; cum Arist. sit piscator veritatis non vanitatis. Quid multis? haec docet Philosophus, ut per haec altiora & diuiniora discas. Nam quomodo Deum infinitum*

Aristoteles piscator veritatis non vanitatis.

& indiuisibilem causam omnium esse intelligas, in quo nec moueri, nec mutari, nec mutatum esse vnquam fuisse aut esse potest, vt in 8. li. Phys. docet, si in istis rebus sensibus obiectis partes proportionis infinitas, indiuisibile magnitudinis punctum, durationis instans, moueri & mutatum esse non percipias: quippe ex istorum dissimili & dispari comparatione magnum lumen nobis oboritur, vt ad cognoscendum authorem omnium, qui est infinitus, indiuisibilis, aeternus, simpliciter incommutabilis pertrahamur. Sed vt sophistico tuo argumento respondeam, dico Platonem nec interire eo tempore quo viuit, nec eo quo iam mortuus fuisse dicitur: sed in instanti medio inter vtrumq; tempus vt Collegio Conimbricensi placet, quod quidem instās existit finis praeteriti, & initium futuri in quo non viuit Plato: quia desinit nunc viuere per primum suum mutatum esse, id est per primum sui non esse. Si vrgeas, duo ergo contrararia esse in eodem momento, nimirum viuere & mori: respondeo, nō esse absurdum vt duo contraria sint in eodem momento, sed absurdum & contra naturam est, vt simul sint in eodem subiecto.

Physic. lib. 8. c. 6. tex. 4. 5. & 6.

Colleg. Conimb. in explanat. t 45. huius 3. cap.

Contraria duo possunt esse in eodem momēto in eodem subiecto non possunt esse simul.

Dubium ex 1. Theoremate: *An mutatum esse recte definiatur per* defecisse & separari à termino *à quo?*

Opp. *Si* mutatum esse *sit nihil aliud quam deficere & separari à termino* à quo, *necessario sequetur esse rem mutatam, quam primum ab eodem termino incipit moueri: sed hoc negat Philosophus in textu, cum mutatum esse primum in acquisito termino ad quem constituat.*

Tex 42.

Resp. Mutatum esse *proprie & absolute primum in termino* ad quem *inest, cum res tota mutetur, nouaq; forma deuestiatur: communiter vero & comparate sumptum est quidem tum, cum prior forma, sub qua mobile est, veluti lāguescat & declinet: vt oui forma sub gallina, cuius vitellum in sanguinem commutatur, & tamen nondum pulli forma induitur.*

Mutatum esse proprie est in termino ad quem.

Dubium ex 2. theo. An sit indiuisibile tempore in quo primum mutatum fiat?

Opp. *Primum mutatum non fit sine motu: ergo non fit in instanti: ratio tenet, quoniam successio est de essentia motus. Praeterea moueri & motū seu* mutatum esse *sunt coniugata: sed*

sed moueri non est sine tempore: ergo nec mutatum esse.

Resp. *Solutio accommodata priori argumento hanc obiectionem tollit, si de mutato esse distinguas: vel si placet responde negando argumentum: nam etsi* mutatum esse *non fit sine motu progressiue vt aiunt, fit tamen sine motu perfectiue: quippe in momẽto temporis res proprie mutari dicitur: & ad alteram partem argumenti dico,* moueri & motum esse *appellari posse coniugata, at* moueri & mutatum esse *non sunt coniugata.*

Mutatum esse non fit sine motu progressiue, fit tamen sine motu perfectiue.

Opp. *Non implicat contradictionem motum in instanti fieri: ergo non implicat cõtradictionem* mutatum esse *in motu quod negas. Antecedens probatur, quia successiuum est accidens motus, & proinde separari potest à motu sine interitu illius. Quod successiuum sit accidens probo, quia motus habet successionem à tempore, cui proprie conuenit. Præterea, cum* velox & tardum *per accidens conueniant motui teste Philosopho, videtur quidem successiuum (de quo* velox & tardum *essentialiter prædicantur) conuenire quoq; per accidẽs: nam omne successiuum est essentialiter aut* velox *aut* tardũ. *Insuper spiritus à cælo ad terram localiter moueri potest in instanti: fieri ergo potest motus in instanti. Postremo, bene sequitur hoc argumentum: motus fit: ergo in momento fit. Ratio patet, quia directe sequitur. Motus fit: ergo motus nunc est: &, immediate ante hoc ipsum* nunc *& momentum non fuit: ergo fit in instanti. Huc omnia quæ dico iam tendunt, vt probetur ratio Philosophi esse in textu nulla, vbi docet idcirco* mutatum esse *indiuisibile existere, quia nõ est in motu: at nunc hanc rationem infirmam & elumbem esse vides, quia motus in instanti & indiuisibili fiat.*

Phy.l.4. c.10.

Resp. *Probationes huius argumenti valde inermes & imbecillæ sunt: nam vt ordine respondeam,* successiuum *non est accidens motus, sed essentialis & interna differentia: neque est (vt ais) à tempore, cuius duæ aliæ sunt velocitas & tarditas, sed in motu primum & per se existit. Successio tamen hic distinguenda est in formalem, quæ proprie motui conuenit ratione formæ, quæ per motum acquiritur, vel in materialem, quæ tempori conuenit ratione mobilis quod mouetur. Erras ergo cum dicas idipsum proprie tempori conuenire. Præterea,* velox & tardum *per accidens in concreto,*

Successiuũ non est accidens motus.

non essentialiter in abstracto de successione prædicantur. Nam sic est motus velox aut tardus, ut homo sagax aut ignauus, de successione vero in abstracto velocitas aut tarditas nō dicuntur. Nihil est quod addis de motu spiritus, quia hic agitur de motu corporu, seu rei naturalis, neque est ut hinc concludas moueri spiritum in instanti, nisi per diuinam potentiam, quæ sæpe sine medio res tum corporeas tum incorporeas mouet. Postremo, sophistica est ultima ratio, plena insidiis, tum in mutanda suppositione, tum in æquiuocatione nominis: nam quamuis necessario sequatur: motum tum esse cum fiat. & fieri immediate cum antea non fuerit, tamen supponis fallaciter motum incepisse, & instantis nomen multipliciter & insidiose accipis.

Dubium ex tertio theoremate, An *mutari* & *mutatum esse* re differant.

Opp. Mutari & mutatum esse *sunt coniugata: ergo re non differunt. Præterea idem mobile numero &* mutari & mutatum esse *dicitur: ergo re conueniunt. Antecedens constat, nam aqua cum incalescit &* mutari & mutata esse *à sua primæua qualitate dicitur.*

Mutari & mutatum esse, sunt coniugata dialectice, non Physice.

Resp. *Dialectice accepta hæc duo sunt coniugata, sed voce tantum non sensu physico. Philosophi enim* mutari *duratione,* mutatum esse *instanti perfectione mensurari volunt. Ad exemplum dico, aquam in primo gradu incalescentem* mutari, *non tamen proprie* mutatum esse, *nisi improprie communiterq́; hoc ipsum nomen capias pro inchoata defectione à termino* à quo: *sed per se* mutatum esse *est terminus motus, temporis momento respondens, in quo forma, ad quam mobile tendit, acquiritur.*

Dubium ex quarto theoremate, An detur complete *mutatum esse* in omni genere motus?

Opp. *Perfecte & complete ens nec* mutari *nec* mutatum esse *dicitur, cum in non ens migret: sed in corruptione Socratis, remissione qualitatis, & quantitatis diminutione,* mutatum esse *potius ad non ens quam ad ens tendit: ergo perfecte & complete* mutatum esse *in omni genere non cernitur, ut in hoc textu insinuat Philosophus.*

Resp.

Resp. *Mutatio non semper perfectionem spectat, sed motionem ad terminum* ad quem, *in quo termino perfectio dicitur respectu motus tendentis ad illum, non semper respectu mobilis deferentis meliorem formam. Praeterea, in amplexu communis naturae non minus digna est forma quae per interitum ex consequenti acquiritur, quam quae generatione directe absoluitur: cadaueris enim forma non minus naturalis est quam Socratis, quamuis haec sit diuinioribus, quam illa, potentiis & accidentibus dotata.*

Mutatio non semper perfectionē spectat.

CAPVT VI.

Vtrum ante omne mutari *sit* mutatum esse.

VEla ita contexta sunt à Philosopho in sequentibus praeceptis, vt praeter velata & tenebras tyrones in philosophia nihil videant. Vt ergo sine lumine imagines seu simulachra, quantumuis graphice coloribus suis sint distincta & delineata, non cernuntur: ita haec optima praecepta & theoremata Aristotelis de motu, licet sint variis argumentis & exemplis probata, sine lucerna interpretis recte non percipiantur. (Sed dices) cur tam obscurus est hoc loco Philosophus? Respondeo, inter multas causas has duas praecipuas esse: quia res de qua iam agit sit longe difficilima, motum intelligo: & quia res ad quam notandam nunc propius accedit sit omnium diuinissima, motorem primum intelligo: adde illud (si placet) vt thesaurus ille maximi aestimatur qui laboriosius ab altis venis & medullis terrae effoditur: ita maiori in pretio habentur literae rerũq; notiones, quas non leui, sed magna ingeniorum contentione assequimur: iuxta illud Platonis, difficilia pulchra. Sed ad rem.

Cur Aristoteles obscurus hoc in loco.

1

2

3

Plato in Hippia maiore.

In hac parte tractatus, de ordine ipsius motus, & *moueri* ad *mutatum esse*, & ex aduerso de ordine *mutati esse* ad motum agit Philosophus: docetq; in primis omne id quod mutatur, in tempore mutari, idq; bifariam, vel in tempore primo & per se (quia in qualibet temporis parte) vel in parte per accidens, & non in toto tempore: vt qui vno die sanatur, eo mense qui illum diem cõtinet sanari dicitur. Sed vt vides per accidens, non primo & per se. neq; est hoc contrarium ei

Omne quod mutatur in tempore mutatur: duplicem habet sensum.

quod antea demonstrauit, scilicet temporis primum reperiri non posse in quo aliquid mutatur, vtrumq; enim verum est: illud enim ad tēpus attinebat in quo aliquid primo mutari incipit: hoc de toto tempore dicitur in quo tota mutatio perficitur.

Ante omne mutari est mutatum esse. *Ante omne mutatum esse est mutari.*

His positis sequuntur duæ conclusiones, quarum prima est, quod ante omne *mutari* sit *mutatum esse*: altera, quod ante omne *mutatum esse* sit quoq; *mutari*. Pars prima probatur à parte magnitudinis, temporis, & instantis. A parte magnitudinis quam mobile ita transigit, vt quot in ea sint partes transactæ, tot sint *mutata esse*: sed partes magnitudinis sunt infinitæ, cum sit continua: ergo *mutata esse* sunt infinita. Ex parte temporis similis & affinis ratio est: nam tempus & magnitudo sunt æqualiter continua, licet differenti modo cum in tempore successio, in magnitudine partium constantia insit. Ex parte ipsius deniq; motus hoc etiam verum est, quia vt in tempore sunt infinita instantia: ita in motu sunt infinita *mutata esse*, quæ instantibus temporis respondent. Cum ergo res nulla in momento cieri aut mutari possit, vt antea probatur, necesse est vt ante *mutari* (quod requirit tempus) sit *mutatum esse* in instanti, quo partes tēporis vniantur. Altera conclusio (nēpe quod ante omne *mutatum esse* sit mutari) hinc constat, quia perpetua est temporis successio, & vicissitudo partium in eo. Quare vt est *mutatum esse* ante mutari ita necessario est etiam mutari ante *mutatum esse*, illud respectu instantis quo mensuratur: hoc respectu mobilis quod semper secundum se totum & partes in tempore mouetur. Non opus est in hac re pluribus: proponam familiare exemplum. Mutetur Plato ab A ad B, id est, ab albo ad nigrum: mutatur ergo aut in eodem instanti aut in alio alioq;, non in eodem. nam sic simul semelq; albus nigerq; erit: nō in alio alioque, quia alteratio requirit tempus: vt ergo *mutatum esse* præcedit *mutari*: ita ante omne *mutatum esse* est *mutari* Ratio est, quia omne quod *mutatum est*, peruenit ad illud, in quod *mutatum est* tempore: at *mutari* tempus, non instans respicit: est ergo ante *mutatum esse* hoc ipsum mutari. Postremo, cum quælibet magnitudo sit diuisibilis in infinitum, sequetur, vt quemadmodum dari nō possit pars prima magnitudinis: ita assignari non poterit

pars

pars prima mutationis: est ergo *mutari* semper in tempore ante *mutatũ esse* in momẽto. O inutiles & nugaces circulos! fortasse dices: nam quis tandem vsus est istarum vanitatum? Otiosissime profecto conteritur tempus, cum de istis vanissimis vmbris agatur. Vbi aurei montes quos in fronte capitis polliceris? ridiculos mures proreptantes video. Ostende mures: *Mutari* mus vnus est: *mutatum esse* mus alter est, idemq; ridiculus: esse autem ante omne *mutatum esse* semper *mutari*: & esse ante omne *mutari mutatũ esse*, murium veluti lusus est, Sardinio risu, & cachinno dignus. Philosoph⁹ non es si sub istis velis remotis secretiorem artẽ naturę non videas, non cõtẽpleris. Sed felis oculos assumã, vt istos ridiculos mures in tenebris accuratius nunc videã. *Mutari* (inquis) mus vnus est, i. res nullius momenti, vt insinuas: da veniam, si in refutatione istius vanitatis tuæ Dominam cum ancilla sacram philosophiam cum humana coniungam. *Canet* (inquit Apost.) *tuba, & mortui resurgent, & nos immutabimur*: nos (inquit) immutabimur Quid? estne hoc ipsum immutari mus, id est, res leuis, aut nullius momenti, vt ais? Adde illud quod Beatus Apost. habet: *Omnes inquit resurgemus, sed non oẽs immutabimur: in momento, in ictu oculi in nouissima tuba.* Quid? estne hoc etiam *mutatum esse* m⁹, vt ais, Sardonio risu & cachinno dignus? Indoctus, profanus, impius es, si hoc affirmes: quippe qui videas hic manifeste discrimen inter *mutari* & *mutatum esse*: nempe quod illud tempore, hoc in ictu oculi & momento fiat. Cur ergo adhuc rides (vanissime homo) & nugacis ingenii fabulas seu commenta hæc magna oracula appellas? Considera mecum te in lethalem morbum nunc incidisse, laboras, langues, in sepulchrum tendis: à sanitate in morbum cum incidas, *mutari* diceris, quod tempus requirit. At lucerna vitæ subito extinguitur: & mors te occupat repentina in ictu oculi & momento vt aiunt: est ergo inter *mutari* à valetudine in morbum, & *mutatum esse* a morbo ad mortem reale discrimen. Nam declinatio a sanitate tempore, præcipitatio ad mortem (quæ est *mutatum esse*) instanti clauditur & definitur. Neque est iusta illa tua contra Philosophum exclamatio, O circulos! cum ponat ante omne *mutari mutatum esse*, & ex aduerso, si vel tempus in successione æternum, vel in

Ob. [marginal note]

Sol. [marginal note]

1. Cor. 15. 51. & 52. [marginal note]

Ita. n legit Hier. com. in hũc locũ & epi. ad Min. & Alex. Aug qua. 3. ad Dul. & or cõt. Iud. cap. 10. & cont. Arc. 20. aliq. fide quorũda Græc. exemplarium sequuti, in quib. Ciar cod. ita legit. [marginal note]

πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. [marginal note]

proportione partium æqualium finitum consideres. Vtroque enim modo acceptum partes infinitas habet, priori modo simpliciter & physice, nimirum si pro æternitate sumatur: posteriori modo secundum quid (vt aiunt) & mathematice, si partium symmetria & proportio consideretur. Sunt enim (vt docet Philosophus) in omni continuo partes infinitæ proportionis: si ergo neutro modo dari possit prima pars temporis vel motus, (quorum illud semper huius mensura est) sequetur necessario ante quamlibet partẽ temporis & motus præcedere *mutatum esse*, quod instans, & ante quodlibet *mutatum esse* præcedere partem temporis & motus, id est, *mutari* quod durationem mensuram habet. Omne (inquit Philosophus) tempus infinite diuiduum est in minores partes, ita vt nullum sit instans quod non præeat pars temporis: & idcirco in motu qui fit in tẽpore, id ipsum accidit, vt quodlibet *mutatum esse* terminet aliquam partem motus, & partem etiam illius partis terminet aliud, & sic reciproce in infinitum progrediendo. Hinc liquido constat dari motum ante *mutatum esse*, & *mutatum esse* ante motum, procedendo à fine versus initium motus. Hoc (inquit Philosophus) locum non solum habet in lationibus, sed etiam in alteratione, & in omni genere motus, imo generationem & corruptionem non excipit: sed (quod notandum est) accipit & hanc & illam vna cum antecedentibus alterationibus, alioqui non in tẽpore, sed in omni momẽto fierent. Rem istam verbis adorno magis (studiose lector) vt tyrones in philosophia sapientiæ helluones euadant, resq; nullas leuiter prætereant, tametsi primo fortasse intuitu leuioris momenti & ponderis esse videantur. Res leuior videtur culex, sed miraculum naturæ si partes formatas in illa consideres: discas in formica prouidẽtiam, in aranea artem, in atomo vsum solis: imo (quod optimum est) in minimis maximum Deum omnium opificem & authorem discas. O disce creata vt creatorem, opera vt artificem Deum optimum maximum & infinitum discas.

Physic. lib 5. c. 6. tex. 59. & passim.

Phy. l. 3. c. vlt. & passim.

Tex. 59.

Ex consideratione minimorum peruenitur ad sciẽtiam maximorum.

Distin-

Distinctio quæstionis, Vtrum ante omne *mutari* sit *mutatum esse*.

In hac quæstione cōsideranda sunt.

1 Distinctio nominum, sc licet quod *mutari* nihil aliud sit quam *translatio progressiua per motum ex vno in aliud quod requirit tempus.* *Cum* ergo nec tempus, nec motus primas partes habeant, recte concludere videtur Philosophus, quod ante omne *mutatum esse* sit *mutari.* Sed quid est *mutatum esse*, fortasse quæris? est certe vel ipse terminus *ad quem*, si complete illud intelligas, vel in instanti perfectio mobilis, cessatioque motus, & sicut instans partes temporis, ita *mutatum esse* partes motus copulat.

2 Demonstratio veritatis: nempe quod ante *moueri*, id est ante omnem partem motus sit *mutatum esse*. & quod ante omne *mutatum esse* sit *moueri*, id est pars motus, vt ex demonstratione a tempore, magnitudine, motu, & ab exemplis dilucide à nobis antea concluditur & explanatur.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. Mutatum esse *in instanti non fit: ergo male hic definitur esse perfectio mobilis aut realis terminus & cessatio motus, qua in instanti nascitur. Antecedens probo, quia motus &* mutatum esse *sunt contraria vt hic docet Philosophus: at in hoc non sunt contraria, quia ipse motus, in instanti fiat; ratio est, quia mobile in instanti moueri potest. Quod vero mobile in instanti moueatur,* visio *(qua est momentanea actio oculi, qua corpus iam in motu cernimus) euidenter probat: probat etiam relatio noua loci, qua in singulis momentis temporis acquiritur: probant immateriales substantia, qua impedimenta medij aut materia non habēt vt corpora, quin in instanti moueantur: probat assertio D. Augustini, qui in Quæstionibus de resurrectione docet, corpora gloriosa in instanti fore mobilia: id ipsum aperte etiam concludit in 22. li, cap. vltimo de Ciuitate Dei: probat denique illuminatio solis, qui super horizonta ortus in momento totum hemisphærium illustrat.*

Resp. *Extorques ex Arist. argumenta, ideoque* mutatum esse *momentaneum non esse probas, quoniam motus (qui ei*

contrarius esse debet,) etiam in momento fiat: sed verum hoc non est quod dicis. nam motus est ens semper & simpliciter successiuum, vt supra & sæpe edocui. Ad exempla ergo respondeo, primumq; dico visionem mobilis non esse momentaneam actionem, si momentaneum sumatur pro eo quod indiuisibili puncto temporis durat, & immediate post euanescit. Similiter affirmo, relationem distantis loci non esse momento acquisitam: nihil enim mouetur sine medio, quod semper tempus in motione postulat. Quod adfers de immaterialibus substantiis nihil est, nam etsi sint finita natura, expertes tamen materiæ medium non requirunt in suo motu, vt tardius aut velocius moueantur. Assertio D. Augustini non est tam aperta vt ais: sed esto: moueantur corpora gloriosa in instanti, dico hoc fieri miraculo, non vi natura suæ. Sunt autem qui asserant vi spiritualis natura, quam corpora tum induent, posse hoc fieri. Nam (si liceret minima cum maximis comparare) vt aurum est per se graue, & fere immobile vi sua, in quintam tamen essentiam terreis suis partibus sublatis versum vt fumus in altum volat, celerrimeque euanescit: ita hoc corpus hominum crassum natura sua, igne (vt ita loquar) diuino spiritus quasi sublimatum, factumq; spirituale, medio non impeditur in motu, sed vt iam est perenne, ita in præsenti seu instanti nullius successionis aut mutationis capax agitatur.

Visio mobilis nō est momentanea actio.

Corpora gloriosa mouentur in instanti, miraculo non vi natura.

Cor. c. 15. 44.

Opp. *Assignari potest primum* mutari *primumq;* mutatum esse: *ergo ante omne* mutari *non est* mutatum esse, & *è contra. Antecedens constat, quia cuiuslibet finiti prima pars & vltima assignari potest: sed prima pars motus est* mutari, & *primus terminus motus est* mutatum esse: *ergo assignari potest primum* mutari, *primumq;* mutatum esse. *Praterea, nihil potest* esse mutatum *quin prius* mutetur: *ergo ante* mutatum esse *est semper* mutari, *sed ante omne* mutari *non est semper* mutatum esse. *Postremo, nunquam terminus finiēs motum aliquem præcedit eundem motum quem finit, sed* mutatum esse *est terminus finiens motum: ergo nūquam præcedit motum.*

Assignari possunt primum & vltimum in permanentibus non successiuis.

Resp. *Primi enthymematis negatur antecedens. quod est quidem verum in permanentibus non successiuis: nam in permanentib. assignari possunt extrema, primum scilicet & vltimum*

Vltimum, non autem in successiuis qualia sunt tempus & motus. Ad secundum dico, nihil quidem mutari quin prius mutetur: sed quoniam in ente successiuo pars prima assignari non potest, sequitur perpetuam vicissitudinem esse inter mutari & mutatum esse *Ad postremum argumentum respondeo, non esse idem* mutatum esse *terminans finiensq;* mutari, *quod pracedit* mutatum esse:*nam in successiuis aliter se res habet, si partes eius proportionis spectes.*

CAPVT VII.

Vtrum aliquid finitum infinite moueri possit?

REpetitio facta hic est quorundam theorematum, quæ antea vberius tractata & discussa sunt à Philosopho: est ergo (inquis fortasse) nugator Philosophus: temere & inconsiderate hanc nugacem conclusionem infers, cum materia de qua disputat sit difficilis & fructuosa: vt ergo aqua sepulta in venis terræ latenter fluit, saliens autem ex fonte limpida & clara cernitur: ita multa sunt theoremata apud Philosophum, sub velis quasi sapientiæ inserta: repetita vero maiorem lucem & vsum habent. Repetitio enim est quasi Echo & reciproca vocis ingeminatio, quæ licet sit penitus eadem, frequentius tamen facta imagines rerum significatarum firmiores imprimit. Vt *Christus est Deus, Christus est Deus* (inquam) *Christus Deus est.* Athee nega si audeas: hæc ingeminatio Dei adamantina præcordia Atheorum vulnerat. Sed omitto verba, theorema primum quod repetit Philosophus est, scilicet *fieri non posse vt tempore infinito finitum aliquid transeat magnitudinem seu spacium, modo per idem semper, aut saltem per aliquid eiusdem moueatur.* Ratio est, quoniam motus, tempus & magnitudo, seu spacium, proportionem æqualem in partium suarum diuisione habeant, proinde si motus sit finitus, spacium finitum erit, tempusque etiam finitum, quod est mensura vtriusque. Alterum theorema est ex aduerso, nimirum fieri non posse vt aliquid tempore finito moueatur per spacium infinitum: ratio eadem est cum superiore. Postremum est, nempe fieri nō posse vt mobile infinitum, pertranseat spacium finitum tēpore

Simile.

Repetitio est quasi Echo.

Theorema 1.
Tex. 60.

Huius l. c. 1. t. 4.

Theorema 2.

Theorema 3.

finito, causæ semper inculcātur eædem: quia temporis, motus, & magnitudinis eadē proportio esse debet, quā natura in stadiis suis trāsigendis vt legē inuiolatā tenet & obseruat.

Sed (dices) quorsum hæc de infinitate & finitate, motus temporis, & magnitudinis facta est repetitio, cum ex eadem sæpius inculcata Aristotelis vulnus recrudescat? Nam hinc emergit error immanis ille de æternitate mundi, quia somniauit motum, tempus & cœlum, successione, duratione, virtute infinita esse. Longe aliter fortasse accepit Philosophus hæc omnia quam tu nunc cogitas; opus est frequenti repetitione vt quid velit intelligas. Non vult (vt tu otiose hic putas,) motum, tempus, cœlum infinita esse, sicut Deus est infinitus; sed diuisione, potentia, proportione partium, quarum prima in rebus finitis successiuis assignari non potest; & sic licet sæpe in textu de infinitate motus, temporis, & magnitudinis mentionem faciat, intelligit infinitatem aut in successione, aut in proportione partium, quæ rebus finitis recte conuenire potest, vt antea à nobis demonstratum fuit.

Motus, tempus cœlum infinita qui.

Quid moror? summa omnium hæc est; statuit in hoc capite Philosophus primum fieri non posse vt res finita magnitudinem infinitam tempore finito transeat; secundo fieri non posse vt res infinita finitum spacium decurrat, postremo fieri non posse, vt res infinita infinitam magnitudinem tempore finito conficiat. Ex his elicio quæstionem, *Vtrum aliquid finitum infinite moueri possit?* Distinguendum est de potentia mobilis, aliam esse internam à forma, aliam externam ab efficiente causa; potentia mobilis interna à forma plerumque finita est, vt res ipsa finita quæ limitibus naturæ continetur: potentia autem externa sic se habet, vt causa efficiēs vnde fluit. Hinc cœlum, quamuis sit magnitudine, figura, & essentia finitum, infinite moueri potest; quoniam causa mouendi prima infinita est, quæ omnem impetum contrarij retundit, cœloque virtutem infinitam dedit, vt materiæ tabem & malitiam priuationis non sentiat. Vt ergo sentientis & vegetantis animæ potentiæ (licet sint in propriis & distinctis subiectis mortales) in homine tamen, (in quo vna solum anima inest) immortales fiunt: ita cœlū, licet sit natura sua finitum, infinite tamen moueri potest, vt po-

Potentia mobilis duplex.
1. Interna à forma.
2. Externa ab efficiente.

Cœlum licet natura sua finitū, tamen infinite moueri potest.

vt potentiam mouendi primæ causæ infinitæ acceptam refert. Certum est inesse in re qualibet immortale veluti semen, quo ardentius ad studium infiniti feratur. Sed hoc omitto, venioque ad illud, vt probem nullo modo hoc fieri in aliis rebus, quibus hæc diuina & infinita mouendi potentia nō communicatur. Verumenimuero sunt qui theorema hoc Aristot. vniuersaliter teneant in omnibus esse verum, in eo sensu scilicet, quod fieri possit vt omne finitum infinite moueatur quoad partes proportionis, non disparis quantitatis, cum omne mobile continuum sit, idcircoque infinitum potentia, motu, tempore, si partes proportionis (quarum prima & vltima dari non potest) considerentur. Subtilis quidem & ingeniosa est ista quæstionis propugnatio: nam verum est tot partes proportionis habere granum milij, quot habet grande & immensum cœlum, vt ait Arist. sed an hic fuerit sensus Aristotelis vehementer dubito: imo potius non dubito, quia in primo theoremate affirmat, fieri non posse vt aliquid finitum certam magnitudinem & spacium in infinito transeat, nisi eiusdem motus perpetuo iteretur, vt motus cœli. Rationes & causæ duæ sunt: prima à proportione temporis, magnitudinis, motus, & spacii, quæ æqualia esse debent: fieri ergo non potest vt finitum infinite moueatur. Nam si sic moueatur, sequetur istorū inæqualitas in finita & infinita proportione rerū, quod negat Philosophus. Altera ratio seu causa est, quia nihil mouetur in æterno, quia omnis motus est successiuus: at in æterno non est successio: ergo in æterno non est motus. Hinc necessario (vt vides) concluditur, finitum non posse moueri in infinito tempore, id est, in æterno: nam proprie infinitum tempus æternitas est, vt constat ex vulgari distinctione durationis in tempus, æuum, & æternitatem. *Infinitum tempus æternitas est.*

Huc reduci possunt alia permulta præcepta ex opposito, nempe quod sicut finitum nullum possit moueri in infinito tempore: ita nullum infinitum possit moueri in finito spacio. Sed quoniam oppositorum eadē est ratio quoad disciplinam (vt docet Philosophus) lubēs hæc omnia omitto, interim memineris tempus designari per vitreum horologiū, ex quo arena defluit, motum per trutinam seu librā temporis, qua res omnes æqualiter mensurantur. Ex istis hoc volo, *Top. lib. 7 c. 1. Met. l. 4 tex. 4. Proportio debet esse inter*

tempus, motũ & mobilia.

hoc(inquam)insinuo, si non sit æqualitas & proportio temporis motusque, & rerum quæ mouentur: recta non fit in philosophia comparatio: id est, si dicas tempus esse finitum, & infinitum motum, aut si dicas rem esse finitam, & infinitum tempus in quo mouetur: dispar est ista omnino proportio, planeque contra naturam rerum, quæ consociari debēt.

Mensura & mensurata debent esse proportione æqualia.

Causa est quoniam mensuræ & mensurata, qualia sunt tempus, motus, & res mobiles, debēt esse proportione æqualia.

Vitrea est vita nostra.

Hebr. 13.14.

Contemplatio vitæ mortisque nostræ.

Ex istis etiam ad vsum vitæ hoc concludo, si tempus sit quasi vitreum horologium, vitream esse hanc vitam nostram, & proinde *Non hic habere nos permanētem ciuitatem sed expectare aliā*, in qua æternitas & beatitudo viuunt. Libra ergo tēporis sic ponderētur omnes motus & actiones nostræ, vt infinitum fructum æternitatis pro caducis istius vitæ foliis & flosculis nō amittamus. Mouemur hic inquilini dum sumus: mutari ergo oportet: mutamur indies: mori ergo necesse est: necesse est mori, at mors bonis vita est: nam qui bene vixit non morietur male, cum in eodē momento mortuus fœliciter mutatus viuat.

Distinctio quæstionis, An finitum infinite moueri possit?

In Categor. c. de oppositis. Physic. lib. 5. cap. 5.

Probatur finitũ infinite moueri non posse

1 A proportione mensuræ & mensurati, quæ semper æqualia esse debent: at si finitum in infinito moueatur, æqualis illa proportio tollitur.

2 A contradictione naturæ seu impossibili, quia infinitum tempus sit nihil aliud quam æternum: at motus finiti, qui est ens essentialiter successiuum, non potest esse in æterno, in quo nulla successio inest: ergo finitum in infinito moueri non potest.

3 A lege oppositorum quia finitum & infinitum sunt contraria, quæ simul cohabitare non possunt, neque vnum in alterum sic commutari, vt maneat: at si finitum in infinito moueatur, aut finitum in infinitum commutabitur (quod est absurdum) aut finitum in infinito permanebit, quod non est minus à ratione & veritate alienum.

4 Ab essentia seu natura finiti, quod in tempore oritur, & occumbit in eo, & proinde in infinito moueri non potest, cum infinite esse non possit.

Argu-

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Ludis cum Arist. nam in priore parte discursus affirmas posse finitum infinite moueri, in posteriori idipsum negas: lubrica & anceps via est: dic ergo in qua stare oporteat.*

Resp. *Ingeniose in vtramque partem discuti potest hæc quæstio: sed quoniam disertis verbis Aristoteles affirmat, non posse fieri vt finitum in infinito tempore moueatur, illius vestigiis insistens idipsum defendo.*

Opp. *Si defendas finitum non posse omnino moueri in infinito tempore, quid respõdes propriæ obiectioni tuæ de cælo quod est finitum corpus, & tamen in infinito tempore circũuoluitur? Præterea, est quod alteri argumento satisfacias, in quo vrgebas finitum secundum partes proportionis (quæ sunt infinitæ) posse moueri in infinito tempore: nam aliter vt in toto: ita in partibus non esset inter mensuram & mensuratum proportio.*

Resp. *Concedo cæli motum perpetuum esse posse si iteretur: nam hoc non negat in textu Philosophus: imo prius id ipsum in cæli motu verissimum esse insinuat: sed hoc potẽtia, non actu, comparate non absolute contingit, vt cælestis motus sit perennis. Præterea non est quod instes in primo mobili: quoniam primam causam infinitæ potentiæ suum motorem habet, cui vel à philosophis datur humillime ea virtus, vt vltra sortes naturæ pro beneplacito operetur. In altero argumẽto techna inest & esca Sophistarum: nam fallis nos multiplici sensu huius nominis* proportionis, *cuius partes non ideo dicuntur à Philosopho infinitæ, quod numero & reuera ita sint, sed quod vel in minutissimis datis alia semper proportionis partes assignari possint, neque in illis liceat peruenire ad non ens. Cæterum si hoc totũ continuum natura finitum, infinitum partibus proportionis, in partes quantitatis diuidas, indiuisibile punctum inuenies, vltra quod non eminet vlla naturalis diuisio. Cum ergo in magnitudine sint puncta, in omni tempore instãtia, in omni motu* mutata esse *quæ terminant magnitudinem, tempus, & motum, re quidem hæc sunt finita, licet potentia, vt in priore argumento concedo, & mathematica proportione, vt in posteriore non nego, sint illa quidẽ infinita. Hic vero realem & physicam constitutionem*

Cæli motus perpetuus quomodo.

Primum mobile primam causam infinita potentiæ suũ motorem habet.

Partes proportionis qui finita.

rerum non intentionalem & mathematicam consideratio-nem proponit Philosophus: & certe in reali constitutione fieri non potest vt actu finitum in tempore actu infinito, aut infinitum actu tempore actu finito, nisi per potētiam diuinam quæ est plusquam infinita, moueatur.

Opp. *Quæritur hoc loco an possit fieri* vt finitum infinite moueatur: *non quæritur, an actu fiat? Quod vero sic possit fieri, nec ratio, nec natura, nec experientia negant: nam hac sola hypothesi data, mundum creatum æternum esse, sequetur finitum, scilicet mundum, in infinito, id est in æternitate motu cieri. Ratio hoc fieri posse suadet, quia destrui nō potest mundus nisi violenter: natura suadet, quæ sibi esset iniusta si violenta manu seipsam confoderet: experientia suadet, quia perennis & æterna vita mundi est ex noua sobole & successione rerum.*

A ratione.
A natura.
Ab experiētia.

Resp. *Hypothesi hac tua data quam postulas, non sequitur mundum actu in æterno agitari: sed hæc omnia quæ vrges potius concludunt mundum potentia, non actu in tempore infinito posse moueri. Mundum dico actu finitum, sed noua sobole & successione rerum (vt ais) renouatum: hoc est, si aliis verbis velis teipsum interpretari, mundum potentia infinitum. Nā quamuis æthereā illa pars mundi non consenescat, fabrica tamen inferior eiusdem perpetuo ruit, & nisi corruptio vnius esset generatio alterius, tota machina citissime dissolueretur: & certe dissoluetur. Iam Atlantis humeri grauissimo onere & mole defessi sunt, iudicioq; optimorū Astrologorum sydera propius ad centrum cadunt. Certum est elementa & mixta in eo viribus suis languere, & veluti senio confecta ad vniuersalem interitum properare.*

Tendit ad interitum ipsum vniuersum.

Opp. *Teste Philosopho in lib. Meteororum violentum pōt esse perpetuum, vt media aeris regio non naturaliter sed violenter frigida. Similiter ab ortu ad occasum inferiores cœli orbes vt in perpetuum rapiuntur: sed hæc omnia sunt finita: finita ergo in infinito tempore* mutari & moueri *possunt. Aer enim medius perpetuo alteratur, & perpetuo cœlestes sphæræ raptu primi mobilis incitantur. Hoc concesso, videtur sequi multo magis naturaliter finita posse in infinito tempore moueri, cum violenta (teste Philosopho) non sint diuturna.*

Meteor. li. 1. c. 4 & 13.

Resp. *Nihil est quod vrges: nam illa alteratio aeris est successiua,*

cessiua, & proinde potentia infinita. Similis est ratio violenti motus in cælo, quam si non admittas, alteram causam à prima causa ductam reddo, cui virtus est infinita, vt finitum in tempore infinito conseruet & moueat.

Alteratio aeris est successiua, & potentia infinita.

An actu infinitum in infinito tempore moueri possit?

Opp. *Anima humana est actu infinita à creatione sua: sed anima (teste Philosopho) semper mouetur: ergo aliquid infinitũ in infinito tempore moueri potest. Assumptio probatur, quia anima est nunquam otiosa, sed humoribus affectibusq; corporis agitata.*

Resp. *Intelligitur theorema in textu de re naturali, & motu physico, nõ de re incorporea, & motu metaphysico. Praterea, nomen* infiniti *in motu anima strictius sumitur quã in textu Aristotelis. Postremo, anima humana in absoluta sua essentia vt est spiritus non mouetur sed mouet, licet in comparata sua natura, vt est forma actusq; corporis moueatur quidem per accidens: sed hic motus tempore finitus est: morteq; corporis terminatur.*

Quo sensu intelligatur theorema.

Anima qui moueatur, qui non.

An æqualis proportio mobilis, motus, temporis, spacii, & magnitudinis sit simpliciter necessaria?

Opp. *Hoc fundamentum istorum theorematum quod ponis videtur esse incertum & arenosum, nam quomodo eorum qua sunt distincta natura fieri potest vlla proportio: cum distinctio essentia semper ordinis & proportionis distinctionem arguat? Si instarem exemplis facile probarem, magnitudinem non semper aqualem esse tempori, cum hoc velocius illa tardius moueatur: imo nec aqualem esse spacio, cum omnino motus in eo nunc incitatior, nunc segnior fiat.*

Resp. *Quanquam hac sint inter se natura realiter distincta, quoad quantitatem tamen & continuitatem necessarium ad se inuicem habẽt ordinem & proportionem, quia motus suam continuitatem à magnitudine tempus à motu capit: & idcirco quoad esse diuisibile, & quoad esse finitũ & infinitũ necessario adaquantur. Conclud. igitur quo tẽpore*

Mobile, motus, tẽpus, spacium, magnitudo quã distincta, quã aqualia.

existente finito infinita spacii magnitudo transiri non possit, & quod vt finitum & infinitum se habeant circa tempus & spacium, ita se habeant circa mobile & motum: proportio ergo illorum est necessaria si finitatem aut infinitatem spectes.

CAPVT VIII.

An idem simul stare & moueri possit?

VT de motus definitione, diuisione, vnitate, ordine, & proportione egit Philosophus ita nūc de status & quietis distinctione perpaucas conclusiones addit. Animaduertēdum hic est (vt ait Beuerus) hoc verbum ἵστασθαι quod proprie est *stare*, præter communem consuetudinē, proximam motionem ad statum & quietem hoc loco significare. Sed hinc quidam interpretes, non animaduerso Arist. instituto, pro simpliciter *stare* verterunt, locumq; vel admodū difficilem, vel aperte falsum crediderunt: cum præter rationem, & contra naturam plane videatur esse, vt id quod stat omnino moueatur. Status ergo non pro cessatione, mora aut quiete in summo (vt ita dicā) stadio, aut medio cursu mot⁹ sumitur (quamuis proprie id solū stare dicatur quod à motu cessat & quiescit) sed status aliquando sumitur pro ipsa immediata & proxima apprehensione puncti, ad quod tēdit mobile: vnde probat quidem in isto octauo capite huius libri Philosoph⁹, moueri id omne, quod ad statum siue quietem tendit: Nam vt æger non solum in principio & incremento morbi, sed etiā in statu & declinatione (quæ sunt quatuor tēpora morbi) languet & affligitur: ita mobile nōn solum in primo termino *a quo*, & progressione motus, sed etiam in medio & fine moueri dicitur. Omnis ergo status non est quies, aut priuatio motus: sed ipse motus, qui ad vltimum terminum, & quasi portum quietis suæ tendit. Est igitur status hoc loco nihil aliud, q̄ *actus quidam mobilis constans in medio inter principium & finem motus*: & vt status morbi inter principium & finem morbi, nunc ad mortem seu interitum, nunc ad salutē: ita status ipsius motus aliquando ad mobilis quasi ruinam, aliquando ad eiusdem conseruationem tendit.

Ioh Beuerus in hoc l. cap.

Status qui accipiatur in præsenti.

Simile à quatuor morbi temporibus.

Status hoc in loco quid sit.

Res

Res hæc difficilior fortaſſe videtur eſſe cognitu, quocirca multiplici ſimilitudine vtor ad eam illuſtrãdam, ne ſtudioſus lector, tædio & difficultate attonitus, à ſtudio rerum digniſſimarum deficiat. Res hæc triuialis eſt (fortaſſe dices) nã non multum refert, vtrum ſtatus motum vel quietem ſignificet? toto cœlo erras: quippe iſta diſtinctio eſſentiam & formam motus explicat: ſiquidem motus eſſentia & forma in ſucceſſione conſtat: at motus ſucceſſiuus eſſe non poteſt, ſi in ſtatu interruptus quieſcere & ceſſare dicatur. Non eſt ergo ſtatus quies, nec ſtare quieſcere, ſed ad quietem tendere & proficiſci. Quod ergo ad ſtatum tendit, nec ſtat, nec quieſcit, ſed ad quietem proficiſcitur: ſequitur ergo ipſum neceſſario moueri, & hæc eſt prima concluſio. Altera eſt, nimirum id omne quod ad ſtatum & quietem tendit, in tempore ad vtrumque moueri. Hoc Philoſophus in textu bifariam demonſtrat, tum ex natura motus, qui fit in tempore: tum ex eiuſdem differentiis: videlicet *celeritate*, & *tarditate*, quæ ſimiliter in tempore ſunt, eique quod ad ſtatum & quietem tendunt, neceſſario adſunt. Recte ergo quæ antea de motu & re mobili demonſtrantur, nunc ad ſtatũ & quietem pertinent, id eſt, vt neque ſtatus, neque quies ſint ſine tempore. Hoc etiam addo, quod ſicut nec temporis, nec motus prima pars dari poſſit: ita nec quietis & ſtatus. Sed hæc antea probata ſunt, cum demonſtrauerim quietem in puncto, aut in indiuiſibili non eſſe.

Omne quod ad ſtatum & quietem tendit, in tempore ad vtrumq; mouetur.

Cataſtrophe huius capitis eſt præludium alterius, in quo claſſicum Zenoni canit, qui omnem motum funditus è medio ſuſtulit: ſed caput cum membris, & præludium hoc cum ſequentibus præceptis coniungam, vt fortiora vnita, quam diſperſa refutationis argumenta videantur. Nunc ad diſtinctionem accedam, vt accuratius intelligas, eſſe in hiſce rebus minimis naturæ, vſum magnum philoſophiæ: res enim leuiſſimæ non ſunt negligendę, quippe ſuum fructum in ſtudio philoſophiæ habent.

Cap. 3. huius li.

Res leuiſſima non ſunt negligenda.

Distinctio quæstionis, An idem simul stare & moueri possit?

Stare sumitur duobus modis vel

- Pro cessatione & priuatione motus: & sic quod *stat*, non *mouetur*: vel *stare* & *moueri* simul non potest: ratio est, quia priuatio & habitus non sunt simul in eodem.
- Pro actu & progressione mobilis circa medium aliquod punctum, mixtumque terminum motionis, & sic idem simul *stare* & *moueri* potest. quod probatur à
  1. Natura & proprietate ipsius verbi, quia *stare* significat potius actum standi, qui est motus, quam priuationem eiusdem, quæ est quies.
  2. Ab antithesi seu contrarietate, quia res quietæ proprie non *stare*, sed *iacere* aut *sedere* magis dicuntur.
  3. A necessario, quia omne quod natum est moueri, eo tempore quo natum est moueri, vel quiescit vel mouetur: sed illud quod stat, vere quando stat natum est moueri, & non quiescit: ergo quod stat mouetur: Minor probatur, quia natum moueri tendit ad quietem per motum & nondum quiete fruitur: non ergo quiescit sed mouetur.
  4. A simili: quia vt sol in solstitio hyemali aut æstiuali stare dicitur, & tamen tum quidem non minus quam antea in suo cursu fertur: ita mobile stat quidem in summo gradu motus, ita tamen vt stans moueri verissime dicatur.

  Alia comparatio est temporis, in morbo & motu quam in discursu videas.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Triobolares profecto sunt istæ quæstiones, quas nunc moues non mysteria philosophiæ. Quod stat (inquis) mouetur: quam ridiculum? quam absurdum? docebis breui hominem simul posse sorbere & flare. Stans (inquis) mouetur: quo, quæso, motus genere? non gignitur, non corrumpitur, non crescit aut imminuitur, non mouetur loco, nō alteratur. Loco respondes, moueri: quam otiose. Stat in eodem loco, ergo loco non mouetur.*

Resp.

Resp. *Vrges ad nauseam vanissima animi phantasmata & conceptatui: omniaq; somnias esse in philosophia nugamenta, in quibus cæcus pretiosas gemmas non cernis. Rides, derides hanc quæstionem, ac si in ea nullus vsus esset. Sed audi, vt constant sensus in propriis organis & subiectis suis, potentia tamen feruntur in obiecta: ita quæ stát locis suis, apta nata tamen cum sint moueri, non recte quiescere sed moueri dicuntur. Nam si id quod stat quiescere affirmes, concludis eadem opera id ipsum & ad quietem tendere, & in quiete iã esse: quandoquidẽ, quod stat eodẽ ipso tẽpore quo stat aptũ est moueri & non quiescere, donec ad periodum optatum & destinatam venerit. Si vsum quæras, intuere solem in vertice cæli cum meridiem nobis facit: stare in medio cælo tũ dicitur, & tamen mouetur, vt vides. Similiter in motu latitudinis suæ à meridie in septentrionem: & ex aduerso cum solstitia brumale & æstiuale attingit, stare ab Astrologis dicitur: mouetur tamen vt manifeste cernis. Homo ab infantia in pueritiam, à pueritia in adolescentiam, ab adolescentia in iuuentutem, à iuuentute in virilem ætatem crescit, quæ ætas ideo consistens dicitur, quia in ea stare videtur homo: & stat sane ad tempus, sed ita stat vt moueatur tamen, &, si cæcus non sis, oculis idipsum notas. Laborasti semel in vita morbo, in quo quatuor sunt tempora, vt Galenus ait, initium, augmentum, status, & declinatio: inter hæc tempora status ponitur, quia in eo morbus stare videtur, sed tum (vt opinor) motum & aculeum morbi (si non fuisses lapis) persensisti. Infinitus essem si plura exempla de statu lunæ, plantarum, omniumq; rerum naturalium adderem, quæ certe vt ortum & occasum, ita suum statum non sine motu habent. Nunc enim veluti in radice, flore, & vere sunt: nunc in æstate, fructu, & statu: nunc in autumno, occasu, & hyeme ætatis suæ, nunquam vero sine motu, donec scopum attigerint, ad quem à natura destinantur.*

Vsus huius quæstionis.

Sol dicitur stare in meridie & in solstitiis, cũ tamen moueatur.

Ætas consistens.

Gal. l. de Morborum temporibus.

Status morbi.

Opp.

Adhuc satisfactum sic mihi non est, quin scrupulus iste me vehementius vrgeat, quomodo aliquid simul stare & moueri possit: status enim mora est, non motus rei. Nam si pulsus tum immobilis stare dicatur, cum intermittat ictum: quæro quomodo tum pulsus sic interceptus dicatur moueri:

Monstrum hoc certe est Aristotelei ingenii sine fide, sine sale, nisi adhuc maiorem lucem addas.

Resp. *Si vis vt tibi in hac replenius satisfaciam, considera exemplum pulsus quod adfers. Pulsus (vti nosti) est horologium cordis, & si proprie definire velis, est certus & naturalis motus spirituum vitalium in arteriis, vnde motus & affectio cordis à medico cognoscitur: age nunc, viuente homine vnus vel alter saltus aut ictus istius pulsus cesset: quid hinc concludis? ergo inquis immobilis pulsus stare dicatur. Nego hoc argumentum, nam etsi stet quidem pulsus, aptus tamen est moueri, neq; simpliciter quiescit, & proinde recte moueri dicitur. Contentio enim & conatus naturalis vt moueatur, quidam motus est, imo hoc ipsum stare est quidem actus mobilis, qui motus ipse definitur: non ergo sequitur hac ratio: statur: ergo non mouetur. Sed vt adhuc planiorem hanc rem tibi faciam in loci mutatione, hoc solo concludam exemplo: homo stans in naui vndis huc illuc deuecta & stare & moueri simul manifeste cernitur; cur ergo negas fieri posse vt idem simul stare & moueri dicatur.*

Pulsus est horologium cordis. Definitio pulsus.

Homo in naui & stat & mouetur.

Dubium ex 2. theoremate: An detur primum *mutatum esse* in statu?

Opp. *In statu est mutatio mobilis: ergo in statu est primum* mutatum esse. *Hoc totum probatur exemplis supra positis, quia res qualibet naturalis incipit stare, quod aliam atatem rei arguit ab illis in quibus ortum & incremẽtum habuit. Praterea, inuicta hac ratio videtur esse: est primum* stare *in re qualibet; ergo est primũ* statum esse. *Quod sit primum* stare *constat, quia medium quasi punctum & instans in quo res est mobilis, nec vlterius perfici nec declinare videtur, status est de quo hic agitur.*

Tex. 70. & 71.

Resp. *In statu (inquit Philosophus) non est dare primum* mutatum esse. *vel statum esse: quia in motu non est dare primum motum esse. Rationem probat Philosophus quia status ipse est quidam motus, in quo prima pars nulla dari aut assignari põt. Neq; illud verum est quod loco secundo adfers:* stare *nimirũ esse medium punctũ & instans rei: est. n. potius secundũ formã suã pars motus in medio cursu rei tẽdens ad quietẽ & finẽ: at in eo quod dicitur motus excluditur quies;*

Stare non est medium punctum, & instans rei: sed pars motus.

&

& deniq; in eo quod dicitur tendens ad quietem, manifestū est adhuc quietem mobilis non acquisitam esse, sed ad illam omni conatu & contentione natura ferri.

Dubium ex vltimo cap. theoremate, An omnis quies sit in tempore?

Opp. *In omni perfectione rei est quies: sed perfectio rei in instanti acquiritur: ergo etiam & quies. Praeterea, motus est in tempore: ergo quies in momento. Ratio tenet, quia contrariorum contraria est ratio.*

Resp. *Quamuis omnis forma & perfectio in instanti sit, si motus terminum* ad quem *spectes, non tamen acquiritur nisi in tempore, per proprias actiones motusq; natura qua ad illam perfectionem tendit. Neq; illa ratio quam à contrariis ducis omnino tenet, quoniam ab illo petitur argumentum quod vtriq; contrariorum conuenit: nempe à tempore. Tempus enim communiter & motui & quieti conuenit, vt inesse subiecto albo & nigro. Vt ergo non sequitur, est album in subiecto, ergo nigrum non est: ita non cohaeret haec ratio, motus est in tempore, ergo quies non est. Sed vt bene sequitur, album est in hac parte subiecti, ergo nigrum in eadem parte non existit: ita recte tenet argumentum si sic disputes, motus mobilis est in hac vel illa parte temporis, ergo quies eiusdem mobilis non est in eadem parte temporis. Sed hoc certum est, nec motum, nec quietem in instanti fieri.*

Dubium ex vltima parte capitis, in qua refutationem Zenonis insinuat, An ex omni motu sit necessaria vnius in aliud mutatio?

Opp. *Ex motu caeli non est necessaria vnius in aliud mutatio, ergo ex omni motu talis necessitas, de qua loqueris, non emergit. Antecedens patet, cum neq; caelum, neq; locus caeli mutetur, neq; vlla externa alteratio in substantia, quantitate, aut qualitate ex caeli motu nascatur.*

Ex motu fit necessaria vnius in aliud mutatio duob. modis. 1. Effectiue. 2. Constitutiue.

Resp. *Ex motu fit necessaria vnius in aliud mutatio duobus modis (vt quidam interpretes volunt) extrinsecus seu effectiue, & intrinsecus seu constitutiue vt aiunt: ex motu (in-*

quiunt) cœli fit effectiue necessaria mutatio vnius in aliud, nam ex conuersione cœli omnes rerum inferiorum mutationes pendent: interna vero ipsius cœli non fit mutatio. Alii (quibus magis subscribo) respōdent, mutari cœlum secundum partes à loco in locum, quia pars vna est alteri parti locus. Sed illud maxime placet responsum, quod concedit ex motu cœli non esse mutationem, tum quia est principium omnium motuum quod excipitur, tum quia sine loco per infinitam potentiam primi motoris proxime & immediate voluitur. Hi qui sic respondent existimant hoc axioma solum de motus generibus in inferiore globo mūdi (qui mutationi solum obnoxius est) intelligi.

Opp. *Non est mutatio vnius in aliud antequam perficitur motus, sed omnis motus non perficitur: ergo ex omni motu non fit necessaria vnius in aliud mutatio. Maior constat, quia mutatio tum est cum inducitur forma: forma autē non inducitur antequam motus terminetur: motus non terminatur antequam res perficiatur: non est ergo mutatio vnius in aliud antequam absoluatur motus. Assumptio prioris syllogismi patet, quia motus est ens inchoatum & imperfectū a natura sua, & proinde non perficitur: quod sit ens inchoatum ex illius definitione cōstat, in qua dicitur actus inchoatus mobilis in potentia. Huc adde quod motus interruptus* Physl. lib. 3. c. 2. *sit motus, qui tamen non perficitur, quoniam terminum ad* quem *tendit, impeditus adhuc non attingit.*

Resp. *Mutatio duplex est, inchoata & perfecta: hæc quidem non est antequam motus absoluatur inducaturq; forma: illa vero est in ipso conatu progressuque naturæ, dum adhuc tendat ad formam seu terminum* ad quem. *At dices, re eadem existente non est mutatio. Primum dico, rem eandem simpliciter non esse si motum inceptum, eiusdemque incepti progressum spectes: tum respondeo, esse quidem mutationem inchoatam, quia quantum de priori forma amittitur, tātum de posteriore per motum acquiritur. At vrges, quod motus ipse sit ens imperfectum, vt in definitione ipsius constat. Concedo ens esse imperfectum, non in se, si per se & vt sua consideretur, sed respectu entis positiui & permanentis, cuius essentia fixa est & non fluit, vt tempus & motus fluunt. Postremo, dicendum est interruptum motum hic nō intelligi: aut si intelliga-*

Motus quomodo ens sit imperfectum.

telligatur, affirmo esse in eo vnius in aliud inchoatam illam (de qua modo dixeram) mutationem. Nam vt species planta in flore non minus quam in fructu cernitur: ita mutatio in primis aliquando gradibus motus euidenter apparet: præsertim cum omnis motus à termino ad quem, *non à termino à quo denominetur. Embryo enim humanus vtero materno clausus homo dicitur, quamuis adhuc forma hominis non sit: imo quamuis adhuc vitam potius planta aut bellua quã hominis in claustro suæ matris viuat.*

Omnis motus à termino ad quem *denominatur.*

Embryo humanus homo dicitur.

CAPVT IX.

An Zenonis argumenta quibus probat motum omnino non esse, sint sophismata?

IN hoc itinere tam bene longo, vnus aduersarius (nempe Zeno Eleates Parmenidis discipulus) ex densa veluti sylua sophistarum in viam irruit, nostrumque Arist. ad certamen prouocat. Hic Zeno non sine strepitu & motu tumultuatur, & tamen omnem motum vmbris & laruis fucatæ rationis tollere contendit. Abs re certe non est inita & instituta hæc controuersia à philosopho: quoniam eiusdẽ profligatio potissimum ab his pendeat quæ in hoc libro pertractãtur: nimirum ab vnitate, proportione, ordine, compositione, diuisione, finitate & infinitate, statuq; & quiete motus, tẽporis, spacii, magnitudinis, in quibus cardo totius libri vertitur.

Sed ne indicta caussa iniustum suscipiatur bellum, contentionis causas quatuor in medium profert Philosophus, easdemque ordine refellit. Prima hæc est, si daretur motus, omnino sequeretur illud quod rapidissimo cursu fertur (vt iaculum intortum) moueri simul & stare: sed hoc contradictionem naturæ inuoluit: non est igitur omnino motus. Maiorem huius syllogismi demonstrat Zeno, quia omne mobile (cum est in spacio sibi ęquali) aut mouetur aut quiescit: quod autẽ fertur singulis momentis, est in spacio sibi æquali: iaculum ergo dum fertur (quoniam singulis momentis moueri non potest) necessario in iis quiescit, ideoque si in aliquo moueatur, simul mouetur & quiescit. Propositã rationem diluit philosophus, negans tẽpus ex solis momẽtis coalescere & constare: res. n. nulla mouetur aut quiescit in momentis, sed in partibus temporis quæ momentis cohærẽt &

Prima Zenonis ratio.

copulantur. Animaduertendum est (studiose lector) hanc rationem nunc propositam & solutam non primo, sed 2. in loco apud Arist. in textu huius capitis tractari. At dicis, cur ergo tu Aristotelis ordinem inuertis? Respondeo eandem in prima fronte capitis proponi, resolui vero in fine. Sed (ne te suspensum diutius teneam) vtrumque locum continuaui.

Ratio 2. Phys. lib 3. cap. vlt.

Sed pergam. Altera ratio hæc est: in qualibet magnitudine seu spatio (teste Philosopho) sunt infinitę partes: si quid ergo motum omnino subeat, pertransibit illud quidem infinitũ in quolibet finito tempore, quod naturæ infiniti penitus repugnat: non est ergo omnino motus. Respondet Aristoteles, quod licet sint in qualibet magnitudine seu spacio infinitæ partes secundum subsistendi potentiam, nõ tamen in actu subsistendi, quia scilicet sunt actu adinuicem diuisæ.

In magnitudine seu spacio qui sint infinitæ partes.

Quarta Zenonis ratio.

Tertia ratio in fronte capitis proposita est & resoluta: eandem nunc ergo omitto & accedo ad quartam, quæ sic se habet. Nihil quod est in loco sibi æquali mouetur (æqualis enim locus sedes naturalis est, in qua res mobilis quiescit) sed omne mobile est in loco sibi æquali,) nã aliter corrumperetur) ergo nullum mobile mouetur.

Admonendus es hic (erudite lector) rationes istas Zenonis à nonnullis veterum ordine retrogrado annumerari, earumque numerum seu multitudinem augeri: alii enim quatuor, alii quinque ex textu formant. Nonnulli enim secundam rationem diuidũt, quam iuxta opinionẽ antiquorũ philosophorum Aristoteles Achilleiam, id est, acerrimã, fortissimamque vocat. Secundæ ergo rationis pars vna hæc est, in qua Zeno argumentatur ad hunc modum. Si vllus motus foret, id ꝙ velocissimum est, vt Achilles, rem tardissimam, vt testudinem fugientem, assequi & prehendere nõ posset: hoc autem ridiculum est: nullus ergo motus existit. Maior probatur, quia hoc posito, quod testudo vno stadio ab Achille distet, reptetq; perpetuo, necesse est vt fatearis infinitas partes stadii non minus à testudine quam ab Achille transigi & decurri. Nam in omni continuo spacio sunt partes infinitæ vt Aristoteles fatetur, si ergo testudo vno stadio in principio distabat ab Achille, Achilles non potest testudinem pernicitate sua apprehendere, quia non est maius aut minus in infinito

Phys lib. 3 c 7. & 8 & huius li. c. 2.

finito. Sed dices, ridicula sunt hæc argumenta: libenter fateor, nam iacula in arcem veritatis missa plerunque arundinea sunt, nihilque roboris & momenti habent. Breuissime ergo ambagibus relictis rationem hanc secundæ annexam vel (si placet) numero, ordine, & loco quintam, verbo sic texo. In infinito non est motus: sed omne spacium est infinitum: ergo in nullo spacio est motus, & proinde nullus. Maior & minor sunt Aristotelis, sequitur ergo conclusio, quod nullus sit motus: nam si esset, infinitum spaciū aliquod quaslibet hora conficeret. Sed cur chartulas sapientiæ præceptis depingendas atris istis maculis denigro? Vanissimum est *An sit res?* quærere, cum sensus, ratio, experientia rem esse manifeste doceant. Intuere ergo (Achilles sophistarum Zeno) intuere mecum cœlum, totamque mobilem æthercam regionem, intuere elementa, mixta, teipsum, & omnia. Nihil vides si mobilia non videas, mobilia vides, ergo est motus: est motus: operam ergo & oleum perdis qui motū non esse captiose contendis.

Huius lib. ca 7.

Nihil videt qui motum negat.

Distinctio eorum quæ in hoc capite continentur.

Duo præcipue in hoc capite considerari debent,

- Caussa refutationis quæ duci potest, vel
  - 1 A persona Zenonis: quem refellit: hic enim vir magni nominis fuit, & à multis inter Philosophos Achilles, propter acre & subtile ingenium in contradictione aliorum dictus.
  - 2 A re ipsa, nempe motu, quem Zeno tolli è rerum natura voluit fallacibus argumentis, quibus facile rudi multitudini imponatur.
  - 3 A modo, quia Zeno ab illis fundamentis rationes ducit, quæ Aristoteles in contrariam partem duxit.
- *Ipsaque refutatio*, quæ topice opponitur quatuor aut quinque paralogysmis quorum
  - 1 Primus ducitur à bene coniunctis ad male diuisa.
  - 2 Secundus ab equiuocatione nominis infiniti.
  - 3 Tertius à falsa suppositione impossibilis.
  - 4 Quartus à fallacia per accidēs: sub qua fraudis specie quintus falligraphus continetur, vt ordine iam in proxime sequuturis intelligas.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Quæso (ne fuco & apparentia rationis animus incauti aut imperiti adolescẽtis in sophistarum retia ducatur) permitte vt ordine percurram rationes Zenonis, teq; rogatũ velim vt breuiter respondeas. Primum ergo sic obiicio: omne quod est in loco sibi æquali, aut mouetur aut quiescit: sed omne quod fertur in quolibet momento est in æquali sibi spacio vel loco; ergo in quolibet momento mouetur aut quiescit: sed non mouetur (nihil enim in momento mouetur) quiescit ergo. Age igitur, si in nullo temporis momento moueatur, sed potius quiescere videatur, sequitur id ipsum in toto tempore (quod ex infinitis momentis constat) non moueri.*

Resp.

Paralogismus iste est (vt in distinctione capitis monueram) à bene coniunctis ad male diuisa: nempe à partibus temporis & momentis, quibus hæ partes copulantur. Omne (inquis) quod est in loco æquali sibi, aut mouetur, aut quiescit: sed omne quod fertur in quolibet momento est in æquali sibi loco. Hanc minorem nego & etiam argumentum: Minorem, quia nihil propriè in momento fertur; argumentum: quia à momentis diuidis partes temporis & motus, in quibus propriè omnis motus cernitur: non in momentis per se sumptis, vt falso & fallaciter velis concludere. Licet ergo tempus ex infinitis momentis, & motus ex infinitis mutatis esse *coalescant, vt hæc duo (momentum scilicet &* mutatum esse*) cum partibus temporis & motus cohærent, res tamen nec in momentis per se, nec in* mutatis esse *mouentur, sed in cohærentibus partibus vtrinsque.*

Res nec in momentis per se, nec in mutatis esse mouentur: sed in cohærẽtia vtriusque.

Opp. *Age, quoniam hæc ratio non* succedit, *alteram oppono. Si quid moueatur per totum aliquod spacium, necesse est vt prius decurrat eiusdem totius spacii dimidium, antequam finem attingat: sed cum illud medium sit indiuisibile, conuenit etiam vt illius medii dimidium prius pertranseatur, & sic progrediendo in infinitum: quandoquidem omnis magnitudo sit infinitè diuisibilis. Cæterum (vt tandem concludam) infinita in tempore finito transiri non potest: ergo nihil moueri potest, & per consequens nullus existit motus.*

Resp.

Secundus paralogismus (vt dixi) ab æquiuocatione nomi-

nis infiniti ducitur. Omne quidem spacium aut continuum, posuit philosophus infinitum esse, non actu, sed potentia, non in partib. quantitatis, sed proportionis, non in separatione reali, sed mentali (vt ita loquar,) quæ minimarum partium symmetriam & proportionem tenet? Phys. li. 3. ca. 7.

Opp. *Pergam, & quoniam flecti non potes istis, Achillem (vt loquar cum Arist. in textu) in certamen nunc ducam. Si sit motus omnino, sequetur velocissimum leporē vincere currendo non posse limacem, quod est animal omnium tardissimum motu, vt pote tecto suo depressum, & onustum quocunque reptat. Verbis omissis sic probo si limax seu testudo prius lepore moueri inceperit, antequam eam persequens attingat, eo prius peruenire debet vnde testudo paulo ante decessit: sed in eo tempore segne & tardum hoc animal longius progressum est, quo rursus leporem peruenire necesse est priusquam testudinem apprehendat: huc autem cum peruenerit, illa iterum vlterius reptando progressa erit, quamquam minore semper spacio præueniat, prout pernicitate leporis vinci contigerit, ita tamen præcedit in maiore vel minore proportione testudo leporem, vt lepus testudinem nunquam apprehendat. Nam vt vnda sic præcedit vndam in circulari fluxu maris, vt præcedens à sequenti non absorbeatur: ita in spacio motuque infinito, segnis anser ab hirundine volatu non vincitur: ratio est, quia vterque infinitum transigit, in quo tardius à velociore non superatur.* Tex. 78.

Resp. *Non opus est Hectore, vt cynicus iste Achilles, superetur, si fortius non pugnet. Arma hæc leuia sunt, & potius iudicio poetæ, Vlyssi propter astum ingenii, quam Aiaci propter æstum bilis & belli concedenda. Sed ludo. Hoc totum argumentum fallax est à mutatione sensus, vel falsa suppositione impossibilis, quia ponit illud quod plane fieri non potest: nimirum posse limacem semper prorepere, tum posse semper prorepere ante leporem, si spatium (puta vnius milliarii) ei à lepore concedatur. Postremo posse talem omnino assignari mediorum diuisionem qualem hic fingit. Si ergo ob hanc rationem Achilleiam (vt ais) afferat Zeno motum non esse: refutandus est vt olim eundem philosophum Diogenes refutauit, qui cum audiret Zenonē disputantē non esse omnino motum, subito surrexit, & discedens dixit, refutaui Zenonem.* Diogenes facete refutat Zenone negantem esse motum. Diog.

Laer. in v. philosophorum & Benerus in 9. huius li. c. Phy. l. 1. ca. 2 t. 10. & eiusd. li. 3. t. 22.

Opp. *Quicquid est in loco suo quiescit, sed omne corpus naturale est in loco suo, nisi ut demoueatur: ergo omne corpus naturale quiescit, & per consequens non mouetur: quo concesso non est omnino motus.*

Resp. *Vno absurdo dato sequuntur mille: falsa sunt hæc omnia, si naturam motus vere consideres. Maior enim falsa, nam ignis & cælum sunt in suis locis, & tamen mouentur: minor quoque falsa, quoniam multa naturaliter extra locũ feruntur, ne admittatur vacuum. Conclusio etiam falsa est: quippe non sequitur hoc argumentum, quiescit aliquid in suo loco: ergo moueri non potest, quiescit homo in somnio, & tamen vigilans moueri potest.*

Dub. ex 5. ratione.

Dubium ex 5. ratione.
An duo mobilia pari velocitate æquale spacium decurrant tempore æquali?

Opp. *Vitio inprimis vertendum tibi est, quod omnes Zenonis & aliorum rationes in textu à Philosopho discussas in expositione non attuleris. Sed esto: quoniam moues hoc dubium, sic cum Zenone aliisq; te contra disputo. Ponãtur duo mobilia eiusdem magnitudinis, vnum plumbeum, alterum ferreum aut lapideum. Emittantur hæc duo vi tartarei pulueris ex æneo scorpione, transuolent per idem medium: experientia tamen docet, quod plumbeum tardius, lapideum velocius scopum pertingat. Fieri etiam potest vt plumbum violento motu & impetu liquescat, quamuis ad metam veniat. Præterea, eadem non est numero forma duorum mobilium, eademq; potentia & virtus mouendi: ergo æquale spacium æquali tẽpore non decurrunt. Ratio tenet, quoniã vnitas formæ & potẽtiæ mouẽdi æqualẽ velocitatẽ aut tarditatẽ facit.*

Resp. *Multa hic consideranda sunt: mobilia, eorum motus, velocitas, æqualitas spacii seu temporis: paria hic parib. comparantur. Sed audi; hæc omnia considerari possunt vel quoad internam caussam, vel quoad externam caussam motus, vel quoad vtramque. Si vna adsit, altera que desit, æqualitas motus non sequitur: at si singula concurrant, id est, caussa interna, quæ est vel forma, vel potẽtia actiua mouẽdi, vel vtraque coniuncta: & caussa externa, quæ est nõ violẽter motu*

Quomodo mobilia par velocitate æquale spacium in æquali tempore sint decursura.

motis vis extrinsecus impressa, & in naturaliter motis aqualis gradus leuitatis & ponderis cum simili facilitate medii: si inquam hac omnia concurrant, certum est mobilia pari velocitate aquale spatium in aquali tempore decursura. At ex his quadam in hoc tuo exemplo desunt, quia eadem non est forma, potentia, & virtus mouendi in plumbo & in ferro.

Dubium ex ratione aliorum tollentium motum inter contradicentia.

An de mobili pendente inter terminum *à quo* & terminum *ad quem* vnum contradicentium vere dicatur?

Opp. *Qui tollebant motum inter contradicentia, hoc negant quod affers: nam si (inquiunt) subiectum mutetur, nec est in termino* à quo, *nec in termino* ad quem. *Exempli caussa, nec est in non albo vt in termino* à quo, *nec in albo vt termino* ad quem: *neutrum ergo cotradicentium vere de eo dicitur. Quippe nec erit album, nec non album: at de quolibet affirmatiue aut negatiue vnum contradicentium diceretur: cum vero de mobili pendente inter vtrumque non dicatur, recte non esse motum inter contradicentia veteres isti probarunt Philosophi. Praterea, mobile pendens inter terminos participat de vtroque eorum: ergo neutrum vere de eodem pradicatur: vt ouum sub gallina nec vere non ouum* à termino à quo *cum tendat ad pullum, nec vere pullus adhuc sub ous forma existens dicitur.*

In Categor. c. de opposit.

Resp. *Etsi mobile deficiens & declinans à termino* à quo *vt homo albescens qui antea fuit niger, recte sub neutro terminorum habitare & residere dicatur: vnum tamen contradicentium verissime de eo affirmatur, quia id quod necessario & fatali natura cursu & ordine fieri debet, non aliter ac si iam esset existere dicatur. Hinc illud axioma Philosophorum, motum scilicet omnem denominari à termino* ad quem. *Si ergo Æthiops albescere incipiat, certe Æthiops in hoc respectu albus dici potest, quia natura à nigredine ad candorem vi & potentia sua non impedita tendit. Mobile ergo pendens inter vtrumque terminum* à quo & ad quem *nomi-*

Axioma. Motus omnis denominatur a termino ad quem.

natur ab eo ad quem *natura vi & potentia mouetur: Vnum ergo contradicentium vere de eo dicitur.*

Dubium ex vltima ratione tollentium motum: An sphærica mobilia quiescant simul & moueantur?

Opp.

Quæcunq; in sphæram aguntur aliquandiu in eodem loco manent: ergo aliquandiu quiescunt. Eadem quoque mouentur secundum partes suas, vt eorum forma, figura, potentia actua postulant. Quod vero quiescant, constat in cælestibus sphæris quarum poli non mouentur: constat etiam in aliis, quæ molem suam in alium locum non possunt traducere: quiescunt ergo in proprio.

Cæli polares partes qui dicantur quiescere, & qui moueri.

Resp. *Etsi respectu cæli aliquarum partium, polares partes quiescere dicantur, earum tamen motus est, vt in axi artificiali cernitur, qui ad motum plaustri a loco in locum trahitur. Præterea, hoc non sequitur, idcirco cælestia corpora quiescere, quia semper in eodem loco manent, aut quia suas moles in alium locum non possunt traducere: quippe ad sua loca conseruationis a natura in perpetuum destinantur, & vt perpetuo voluantur in suis locis forma, figura, potentia, & virtus eorum postulant.*

CAPVT X.

An vllum indiuisibile sit separabile, idemq; mobile per se?

Intelligitur indiuisibile in quantitate hoc loco. Vide Synopsis cap.

SÆpe de indiuisibili in motu tractando mentio facta est. In postremo igitur actu huius libri quærit Philosophus, *An indiuisibile per se moueri possit?* & inprimis narrat quodnam genus indiuisibilis hoc loco intelligat: illud nimirum quod in quantitate ponitur, vt punctum, linea. Hinc insinuat, moueri illud quidem per accidens ad motum magnitudinis, in qua est non per se & vi sua, vt corpora quæ in se caussam mouendi habent. Deinceps dubitatiunculam mouet, *An moueatur vt pars?* Distinctione facta de partis motu per se & per accidés, postremo negat indiuisibile magnitudinis

tudinis partem esse, aut ad partis modum simpliciter moueri.

Sed (vt hæc omnia articulatius disponam) syllogistice agam, & singula deducam in conclusiones, quarum prima hæc est. Si indiuisibile moueatur, vel interim esset omnino in termino *à quo*, vel omnino in termino *ad quem*, vel partim in vno, & partim in alio: sed non datur primum, quia adhuc mobile non mouetur: non secundum, quia in termino *ad quem* cessat motus, & quiescit mobile: non tertium, quia tum esset particeps vtriusque, & ex consequenti diuisibile partesque haberet, nullo ergo modo mouetur indiuisibile. *Conclusio 1.*

Secunda hæc: omne quod per se mouetur de loco in locum, prius locum sibi æqualem vel minorem decurrit quam maiorem: sed indiuisibile non potest transire locum vel æqualem vel minorem seipso: ergo indiuisibile non mouetur. Propositio axioma philosophorum est, quod omne mobile prius æquale aut minus spacium decurrat quam maius. Assumptio probatur, quoniam nihil est minus quam indiuisibile in quantitate. Exempli caussa, nihil minus puncto in linea, nihil minus linea in superficie, nihil minus instanti in tempore. Quod vero non transeat æquale hinc manifestum est, quia tum sequeretur indiuisibile cum indiuisibili proxime & immediate commisceri, terminumq; communem non esse partium. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio à diuisione tẽporis deducta est hoc modo: Omnis motus per se fit in tempore: sed nulla pars temporis est indiuisibilis: ergo nullum indiuisibile per se mouetur. Maior constat, quia tempus est mensura motus. Minor probatur, quia tempus est continuum quod in singulis partibus semper est diuisibile. Quid superest? hoc scilicet vt contra Heraclitum (qui omnia iugi & infinito motu versari docuit) nullum indiuisibile posse moueri, nullumque motum actu infinitum esse doceat. Ratiocinatio in textu ab enumeratione seu inductione hæc est: Generatio, corruptio, accretio, diminutio, loci mutatio & alteratio, certis terminis definiuntur: ergo nullus motus est infinitus. Antecedens probatur, quia generatio & corruptio sunt inter terminos contradicentes, vt inter ens & non *Conclusio. 3.* *Tex. 91.*

ens: augmentatio, diminutio, alteratio inter terminos contrarios: loci etiam mutatio, illa saltem quæ est recta, cancellos limitesque suos extremos habet, licet circularis (concessa mundi æternitate) infinita aliquo modo dicatur, quia à caussa motrice infinita pendet, principiumque omnium motuum ipsa iure habetur.

Hactenus de textu, vnde oritur hæc quæstio, *An vllum indiuisibile sit separabile, idemque mobile per se?* Exercitatissima ingenia philosophorum in hac quæstione vehementius desudarunt, & tamen adhuc sub iudice lis est anceps & indefinita: causa (vt opinor) ea præcipua istius litis redditur, quod relicto vexillo Aristotelis ad castra Democriti, & Heracliti: id est ab oraculo philosophiæ, ad noua phantasmata hominum dissiliunt. Vt enim armenta & greges belluarum sine custode: ita homines solertes sæpe sine certo authore & quasi duce quem sequantur, turpiter & otiose errãt. Sed ad rem. Democritus & Heraclitus atomos & indiuisibilia corpuscula inuexerunt, ex quibus fortuito permixtis omnia in rerum natura originem traxisse inaniter somniarunt. Sed animaduertendum hic est, quod Democritus indiuisibilia non posse per se moueri: Heraclitus vi sua posse moueri dixerit. Hunc Iohannes Scotus secutus, classicum canit Aristoteli, & confidẽter affirmat indiuisibile & posse separari, & posse per se moueri.

Caussa litis in hac quæstione.

Scotus classicũ canit Aristoteli.

Sed age (docte Iohannes) quæ caussę præsidia habes? Scio te dicturum indiuisibile immobile esse respectu mobilis, quod partim in termino *a quo*, & partim in termino *ad quem* inest: non autem respectu spacii in *quo* per se & vi sua separatum moueri queat. Sed plus subtilitatis quam veritatis ista iam sapit distinctio, quippe non dubitandum est, quin secundum Aristotelẽ omnis motus tam ex parte spacii, quam ex parte mobilis continuitatem requirat: aliter toties non dixisset Philosophus, omnem motum continuum & successiuum esse: omneque mobile esse inter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, ratione motus cuius mensura tempus est.

Huius lib. ca. 3. & passim.

Aliter (inquam) non dixisset æqualitatem esse mobilis, spacii, temporis, motus, & magnitudinis: & sane inanis fuisset tota illa disputatio de differentia inter motum & mutatum


Huius lib. ca. 1. tex. 4.

tum esse, si motus aut mobile, vt *mutatum esse*, in instanti fiat. Longissime ergo in hoc discedit Scotus ab Aristotele, cum tam tam pertinaciter defendat indiuisibile separatum per se moueri posse. Per accidens coniunctum moueri posse non nego: at separatum & auulsum à suo continuo (cuius partes pertingit) cieri posse vere & asseueranter nego. Huc accedit illud, quod omne mobile feratur super magnitudine cui adæquatur proportione motus: sed qui fieri potest vt indiuisibile vlli magnitudini adæquetur? Præterea, omne quod per se mouetur, prius spacium minus aut æquale sibi quam maius conficit; at indiuisibile separatum spaciũ nullum maius, minus, aut æquale potest transire (cum omne spacium sit diuisibile) ergo nullum indiuisibile separatum vnquam moueri potest.

Sed hic suboritur dubitatio *num diuina virtute hoc fieri possit, nimirum vt indiuisibile separetur per se, & moueatur?* Pace doctissimorum (qui id hodie negant) affirmo vtrumq; fieri posse: est enim in Deo infinita potentia omnia cõmutandi finita, & ita commutandi, vt sæpe illæsa eorum natura maneat. Potest enim efficere vt ignis nõ ardeat, vt aqua non mergat, & tamen ignis & aqua maneant. Scrupulosas istas dubitatiunculas de diuina potestate in discursu philosophiæ sparsas libenter fugerem, nisi me authoritas ambigue de illis differentium, ad explicãdam animi sententiam traherẽt. Dico igitur, & nõ sine probabilitate dico, nullã protinus implicari contradictionem, si Deus indiuisibili puncto naturæ diuisibilem quandam virtutem naturalis æmulam conferat, vt manifestum est angelis & incorporeis substantiis omnis materiæ expertibus sæpe contulisse. Sicut ergo spiritus (licet sit impartibilis) spacio tamen diuisibili coexistit: ita punctum (tametsi partibus naturaliter omnino careat) nihilominus lineæ nonnunquam virtute diuina respondeat. Sed omitto ista & hic de indiuisibili distinguo.

Diuina virtute indiuisibile potest separari, semper moueri.

Distinctio quæstionis decimi capitis.



Notandum est proprie indiuisibile in quantitate, idemq; simpliciter hic intelligi, quod per se nullo modo aut separari aut mutari possit, vt argumenta docuere.

Argumenta contra quæstionem,

Opp. *Separatum punctum per se moueri potest : ergo non recte defenditur quæstio. Antecedens probatur, quia corpus perfecte sphæricum sæpissime voluitur super corpus perfecte planum: at nihil in hoc motu attingit planum nisi indiuisibile punctum: indiuisibile ergo punctum moueri potest.*

Punctum in corpore perfecte sphærico super planum moto qui moueatur.

Resp. *Hoc argumentum recte probat punctum moueri posse, sed neque separari posse, neq; per se posse moueri probat. Concedo equidem perfecte sphæricum corpus attingere planum solummodo in puncto, idemq; etiam punctum moueri, sed tantum ad motum globi, vt clauus mouetur in naui, sydus in orbe, per accidens & fortuito, non per se & vi sua.*

Opp.

Fieri potest vt punctum seu indiuisibile aliquod diuina

virtute

virtute separetur: (hoc enim concessisti modo) esto igitur, si hoc concedas, sic arguo: non posse illud moueri, nisi per se etiam aliud punctum medii cedentis viam moueatur. Praeterea rationem aliam non reddis cur punctum separatum moueri non possit per se, nisi quod inde sequatur punctum puncto immediate conglutinari, & proinde continuum ex solis indiuisibilibus constare. At haec ratio (si vim haberet) concluderet punctum corporis perfecte sphaerici per accidens non moueri: siquidem vnum punctum spacii aliud priori immediatum contingere deberet. Nihil ergo impedit quo minus punctum separatum possit per se moueri.

Resp. *Si ab infinita & diuina virtute arguas, in hoc argumento nihil nego: moneo tamen vt directius conclusionem inferas. Nam etsi diuina, virtute separatum aliquod punctum moueatur, non sequitur tamen puncta ipsius medii per se moueri. potius conclusisses per accidens hoc fieri. Sed vt vnum vtrique argumento accommodetur responsum, dico non solum requiri ad motum per se vt mobile vi sua moueatur, sed vt medium eidē adaequetur: mobilis enim & motus spacii aequalis proportio esse debet, at nullum medium solum ex punctis constat.* *Ad motum per se quae requirantur.*

Opp. *Punctum globi tangit planum (vt fateris) idemque mouetur in instanti sine vlla mora aut quiete interposita: ergo mouetur continue. quod negas, id est vnum punctū immediate alteri annectitur. Nec mihi satisfacies si dixeris immediate annecti respectu temporis, non respectu spacii: Nam partes temporis & spacii (teste Philosopho) aequabilitate sibi inuicem respondent. Si ergo punctum immediate punctum sequatur respectu temporis, necesse est vt in plano, partes lineae continuas transeat & decurrat.* *2 ca. huius lib.*

Resp. *Fateor punctum globi in puncto planum attingere, nec non continue moueri in illo, sed per accidens vt superius docui: id est ratione plani, quod tactu discreto & numeroso attingit: non sequitur tamen vt ipsi puncto aliqua pars continua respondeat, quia discreto non continuo veluti saltu deuoluitur, & agitatur. Licet ergo partes temporis, magnitudinis, & spacii aequaliter respondeant, cum tamen illud adsciatur respectu continui & successiui motus, in hoc exēplo non tenet, quia in indiuisibili non est omnino successio* *Huius l. cap. 1. t. 4.*

partium, non est proportio magnitudinis, non est vlla mora aut duratio temporis.

Opp. *Globus ex parte inferiore qua planum tangit non cessat a motu, igitur non solum respectu spacii circumfusi, sed etiam respectu plani (quod tamen per indiuisibile duntaxat tangit) continue mouetur; vnde sequitur punctum per se cõtinue moueri, cum globus non nisi illius osculo & interuentu planum premat.*

Resp. *Si vllum in hac causa argumentum sit magni momenti & ponderis, hoc quidem est, sed occurro & respondeo, quod licet globus ex parte inferiore (qua solius puncti osculo & intersectu planum attingit) non cesset moueri, eiusdem tamen partes comparatione plani non mouentur. Distinguo ergo, duplicem esse motum, continuum & discretum; ille æqualem successionem temporis, hic disparẽ diuisionem multitudinis spectat. Attende ergo quod punctum in plano mobilis dicatur à motu non cessare, quia non intermittit discretos contactus, nec vllum temporis momentum & instans in quo mouetur. Cæterum quoniam spacii & magnitudinis nulla fieri possit proportio, nulla adæquatio motus, hic propriè continuus dici non debet. Vt enim partes aquæ fluentes continuo moueri dicuntur, quia sine mora vnda vndam pellente, perpetua & æqualis est inter motum, mobile, tempus, & spacium proportio. & ex aduerso, vt pulsus febre laborantiũ aut morientium idcirco non cótinui, sed intermittentes discreti, & inæquales appellãtur, quia ordo & proportio motus naturalis non obseruatur; ita certe in motu continuorum & indiuisibilium euenit, quia illa mouentur (vt ita dicam) ad pondus in æquis lancibus naturæ, hæc vero numeros suos habent, sed extra limites naturæ posita dispar genus motus sine proportione motus sequuntur.*

Motus duplex 1 continuus. 2 discretus.

Simile ab aqua.

Simile à pulsibus.

Opp.

Dæmones indiuisibiles sunt, & mouentur (vt philosophi docent) hoc est indiuisibiliter motu continuo ab vno loco in alium demigrant; cur igitur non pari ratione indiuisibile punctum motu continuo agitari poterit? Si enim spiritus sese in punctum colliget vt facile potest (cum sit substantia indiuisibilis) idem, inquam, spiritus potest contiuo motu in aliũ

Iamblicus de Mysteriis. Psellus de Dæmonibus. Proclus de Anima. & Dæm.

locum moueri; moueri dico, quia nihil est simpliciter immobile nisi solus Deus. Si ergo moueatur, cur negas indiuisibile per se moueri posse? cum animus humanus separatus spiritus sit, omnisque molis & materiæ expers.

Resp.

Quandoquidem spiritus omnis materiæ expers neque à corpore neque à loco pendeat, non nego quin possit se in punctum loci contrahere: sed hypothesi hac data, negandum est posse illum per spacium continuo moueri, nisi concedas punctum à spiritu separatim posse continue etiam deferri. Præterea, non est hic proprie continuus motus sed discretus (vt antea edocui) quippe spiritus transit spacium punctim (vt ita loquar) non continue & adæquate. Huc addo, quod magnum sit discrimen inter motum globi in plano, & spiritus in continuo, quia spiritus ictu quasi virtutis, globus vero tactu quantitatis sola puncta tangit; sola (inquam) puncta, quia vtrumque quidem est indiuisibile, & ideo locũ indiuisibilem vtrumque postulat; postulat autem diuerso modo, quia vnum virtute sua, alterum virtute alterius, vnum per se & definite, alterum per accidens est discrete, neutrum vero proprie & continue moueatur.

Spiritus potest se in punctũ loci contrahere: non autem per spacium continue moueri.

An indiuisibilitas essentiæ omnem motum animæ humanæ spiritibusque neget?

Opp. *Non video ex qua parte textus eliciatur hæc quæstio, hic enim solummodo de motu naturali agitur, qui spiritibus non conuenit. cæterum quoniam eandem hic moues, sic arguo in oppositum. Animus spiritusque nec locum nec motum omnino habent: ergo non mouentur omnino. Antecedẽs probatur; quia si sint in loco, locus ille erit indiuisibilis (vt inter locum & locatum sit æqualis proportio) sed talis locus in rerum natura non eminet. Similiter non sunt in motu; nam si sint, motus iste erit quoque indiuiduus, quia mobile & motus quantitate æqualia sunt. Concludã igitur indiuisibilitatem essentiæ omnem motum animæ humanæ spiritibusque penitus negare.*

Resp. *Non vides ex qua parte textus eliciatur hæc quæstio? elicitur quidem ex illo axiomate in textu, quod nullum*

indiuisibile per se moueatur. Cum ergo animus humanus spiritusq; sint in essentia indiuisibiles, quaestio indirecte non mouetur. At vrges spiritum non esse in loco: respondeo aliquid esse in loco, & secundum substantiam, & secundum operationem. Secundum operationem id dicitur esse in loco, quod producit aliquem effectum in loco, licet illius essentia absit ab eodem: & sic solem dicimus esse in aere quem illuminat: illud vero dicitur secundum substantiam esse in loco, cuius essentia vere & realiter continetur in eo, & sic non solum corpus circumscripte, sed etiam spiritus definite in loco inest. At vrges maximam philosophorum, quod locus locato debeat esse aequalis. Verum est respectu eorum quae circumscriptiue in loco continentur, non respectu incorporearum substantiarum, quae definitiue in eo insunt. Id ipsum mutato nomine de motu spiritus dicendum esse puto, quippe non requiritur indiuidua loci aut motus proportio, quamuis res sit indiuidua quae locatur & mouetur: satis enim est si res mobilis corporis expers definite in loco insit, moueaturque tota secundum essentiam suam, imo sit tota in toto, totaque in omnibus partibus loci simul. Quid? hoc non credis? audi: anima tua est indiuisibilis substantia, quae est tota in toto & tota in qualibet parte tui. Secundum qualitatem & virtutem fortasse dices: imo tota secundum essentiam suam, vt philosophia probat: ratio est, quia haec essentia est indiuisibilis, nec in partes diuidi & secari potest. Quid? credis animam finitam essentiam esse realiter in multis partibus loci simul, & tamen hoc ipsum negas Deo qui est infinitus, vt essentialiter vbique totus & indiuisus maneat? Quid multis? indiuisibilitas essentiae spiritibus nec locum nec motum negat, sed metaphysicum modum in loco inessendi, & mirabilem rationem mouendi ad motum primi motoris docet. Moueri enim animum aut spiritum definite, nihil aliud est quam habere locũ amplum aut strictum, diuisibilem aut indiuisibilem, prout primae caussae motrici optime visum fuerit, cuius virtute spiritus omnes proxime mouentur. Multa hic difficilia cognitu & obscura de loco & motu spirituali opportune dicerẽ; opportune dico, tũ quia indiuisibiles essentiae sunt quib. hoc loco negatur motus, tũ quia proxime proponitur haec quaestio, An omne quod mouetur extrinsec⁹ moueat᷑ ab alio? *In qua quaestione interpre-*

Animus humanus spiritusque sint in essentia indiuisibiles.

Aliquid est in loco dupl.

Aequalitas loci & locati in circumscriptiuis tenet.

Moueri definite quid.

tes magni nominis cœlestium corporum motores ſpiritus eſſe ex Ariſtotele & Platone operoſe contendunt. Sed hac in alium locum (cum ex inſtituto de ſpiritibus agendum eſt) refero, & iam concludo hunc de motu libellum: in quo (ſtudioſe lector) ſi quid vtilitatis ceperis, pro me quaſo nunc ora, vt ſpiritus meus ſit ſemper indiuiſibilis à Deo, & in choro beatisſimorum ſpirituum Chriſtum æternam ſapientiam patris contempletur.

Finis libri ſexti.

LIBRI SEPTIMI

CAPVT I.

An omne quod mouetur ab alio moueatur? An mouentium infinitus ſit numerus?



LIS magna eſt inter quoſdam interpretes an hic liber ſeptimus ſit ſuppoſititius? Nō eſt mihi in animo de lana caprina diſputare, certum eſt eiuſdem ſcriptorem Ariſtotelis ſtilum, ingenium, & artem ſapere; conſenſu ergo optimorum concludo Ariſtotelis opus eſſe. Sic D. Thomas, Simplicius, Auerroes, aliique palmares viri in philoſophia cenſuerunt, à quorum calculis & iudicio non latum (vt aiunt) vnguem diſſiliam. At (dices) cramben bis coctam appoſuit nobis, ſi hunc conſcripſerit librum; quid ita? quoniam id ipſum fere ad nauſeam in octauo ab illo repetitur quod in hoc ſeptimo demonſtratur. Non cramben bis coctam (vt ais) ſed nectar & quaſi ſuccum philoſophiæ bis optime digerendum apponit Philoſophus. Imo vt Apelles facultatis ſuæ peritiſſimus, cum graphice aliquod opus exprimere vellet, ſolitus eſt in vna tabella primum exēplar rudius delineare, antequam exquiſite vmbram perficeret: ita Ariſtoteles futurum opus rudioribus lineis adumbrat in hoc libro, vt eorum quæ limatius tractāda ſint in octauo certior & excellentior habeatur ſcientia.

Verbis inhærendū non eſt, hic liber in duas præcipue partes diuiditur: prior theoremata de principio motus cōtinet, poſterior mouentia & mobilia inter ſe quoad velocitatē & *Diuiſio libri.*

tarditatem ipsius motus confert. Multa hic sparsim de Deo primo motore tradita sunt oracula, quæ vberius in prima philosophia (cuius proprium est de eo agere) demonstrantur. Hic vero sub nubecula naturæ apparent radii, quibus ad solem lucemque inaccessibilem tandem perducimur. Moles adhuc corporis nos deprimit, sed animus separatus cum aquila ad solem facile penetrabit. At quomodo (inquis) hic agit philosophus de Deo? agit quidem vt physiologus, qui omnium caussarum secundarum auream catenam primæ caussæ motrici nectit, motrici inquam nectit: quoniam omnes naturales caussæ ad primam verissime, vt ad principium & finem referuntur.

Quomodo agit Aristoteles de Deo.

Omissis verbis ad quæstionem venio, quæ ex illustri theoremate in fronte huius capitis posito elicitur. Quicquid (inquit philosophus) mouetur ab alio necesse est vt moueatur. Thesis sic se habet: *Vtrum omne quod mouetur moueatur ab alio nec ne?* Textus hic methodicam (vt ita loquar) fortasse expositionem postulat, eamque certe inuenies, si legeris sequentem analysin quæstionis, in qua veluti in cardine, summa huius capitis voluitur reuoluiturque. Tria præcipue in hoc problemate consideranda sunt, vniuersalitas, veritas & vsus. Probabiliter multi defendũt hoc theorema simpliciter esse vniuersale: & per hanc dictionem *quicquid mouetur* omnia mobilia physica, methaphysica, mathematica intelligunt. De physicis (inquiunt) mobilibus in textu constat, de metaphysicis quoque (vt aiunt) non est dubitandum; nam anima humana omnesque spiritus finiti, vt *dæmones* & *intelligentiæ*, mouentur illæ quidem ab alio, nempe à prima causa & motore omnium. Mathematica (vt docẽt,) nullum omnino motum habent nisi ab arte, vt *columba* Architæ, *horologia*, & similia. Agnosco equidem posse defendi hanc thesim vt vniuersalem propositionem ex Aristotele, sed relinquo hoc liberum cuiuis adolescentulo studioso, vt in spaciis Philosophorum id agat, quod possit & velit. Cæterum quoniam sensus authoris interpreti accuratius expiscandus est, motiones hoc loco distingui debent in eas quæ incorporeis substantiis, & in eas quæ rebus corporeis accommodantur. Certum est per hæc verba *quicquid mouetur* hic nunc physica mobilia præcipue intelligi, & naturales mo-

Gellius noct. Att. lib. 10. ca. 12.

Motionum distinctio.

tio-

tiones: neque disquirimus, *Num aliquid physicum à seipso ex accidente moueri possit,* id enim constat fieri: quoniã formæ animantium, motu quem ipsæ pariunt vna cum formatis agitantur. Neque solliciti nunc sumus *Vtrum id quod mouet, ab eo quod motum suscipit, re aut hypothesi solum distinguatur.* Scimus enim rem quamlibet naturalem moueri à forma, à qua solum supposito (vt aiunt) distingui & discriminari oportet. Hoc ergo tãtum quærimus: *Anne omne physicum quod per se mouetur, ab eo quod mouet, reipsa distinguatur?* Nam *quicquid,* aut *omne* ad ens physicum solum (vt grauiores volunt) restringitur.

Formæ animantium eodem, quo animantia formata, motu cientur, l. 8. Phy c. 6. tex. 51.

Quid velit Philosophus per (quicquid.)

Veruntamen, vt paulo articulatius hanc rem persequar, ampliorem scopum & campum disserendi, eundemque à philosopho non alienum candidatis philosophiæ aperiam. Esto igitur: omne mobile aut mouetur physice, aut mathematici, aut metaphysice: sed omne sic motum ab alio mouetur realiter à se distincto: ergo omne mobile mouetur ab alio realiter à se distincto. Assũptio particulatim inductiõe ꝓbatur, quia si aliquid moueatur physice efficientẽ caussam sui motricem habet, qua acuitur & excitatur à potentia ad actum, vt in omni genere motus aperte cernitur. Generabile enim non solum ab interna forma quæ adhuc non emergit, sed à generante mouetur ad formam: sic corruptibilia aliaque mobilia in omni specie motionis. Externa enim vis, eademque amica non violenta, innata non impetu impressa est: qua res physica affecta ardentius ad suam formam & scopum fertur. At dices, quæ vis externa in ortu interituque rerum inest? vno verbo resoluam: vis solis externa inest: omnia enim quæ generantur aut corrumpuntur, à sole sui cursus initium periodumque habent. Sol enim & homo generant hominem, totaque series & vicissitudo rerum ab ecliptica linea (quæ est via solis per signa cœlestia) pendent. In augmentatione aliisque generib. naturalis motus res liquidius apparet, in quibus præter formam & materiam subiecti, alia externa caussa mutationis ad motum vrget, sit illa potentia actiua formæ, aut alia aduentitia qualitas, seu virtus quæcunque, vt in accretione potentia insiti caloris, & in diminutione resistentis impotentia, in loci mutatione mouens aliquod externum sicut in

Ortus & interitus rerum à sole 2. phy. text. 26.

Deus extrinsecus effecta sua mouet.

conuersione primi mobilis Deus: qui licet in omnibus mobilibus essentialiter sine diuisione sui subsistat, extrinsecus tamen vt summus artifex mouere sua effecta dicitur. Sed pluribus de physica & naturali re mobili statim dicendum est, cum lineas huius disceptationis ad quæstionem strictius pressiusque tenendam duxero, id est, cum defendam cum Collegio optimorum Interpretum, per hoc *Omne mobile*, solummodo physicum & naturale intelligi.

Quid per omne mobile intelligatur.

Adhuc vero in Olympo & spaciis philosophorum pugnās ampliorem segetem inuenio, & non solum de physico, sed etiam de mathematico & metaphysico mobili hanc thesin posse exponi & demonstrari, si hoc inficias ibis, ostende mihi aliquod mobile mathematicum, seu artificiale, quod aliunde motum non sortitur suum. Ars quidem res externa est, res quoque externa artifex, mouendi vis non insita & inserta, sed assumpta & aduentitia. Nauis mouetur aqua, horologium rotarum æqualitate. Quid multis? omnia quæ arte fiunt, artem matrem & motricem habent. Insuper, in artificiosis non est internum principium mouendi; externū ergo mouens est. Antecedens constat, quia hoc discriminis est, (vt docet Philosophus) inter artificiosum & naturale, quod hoc interno, illud externo solum mouendi principio moueatur. At de metaphysicis mobilib. fortasse dubitas: videntur illa quidem moueri per se, cum excellentes & diuinas formas habeant; imo cum ipsæ formæ mouentes & per se subsistentes potius, quam res mobiles in rerum natura existentes à Philosopho dicantur; attende, nihil quod finitū est in rerum natura à Philosopho immobile simpliciter demonstrari. Omnes ergo spiritus præter solum omnipotentē Deum essentiæ mobiles sunt: id est, tales quæ mutari & alterari possunt. Nam licet propter diuinissimam sortem Deo proximam, occasum essentiæ non videant; mouentur tamē, & respectu diuinæ infinitæ essentiæ vmbras motrices, veluti in primo mundi cœlestis horologio habent. Ratio est, quia finiti spiritus seu intelligentiæ sunt, finiti (inquam) non infiniti: finiti vt mutentur; non infiniti vt ab omni mutatione & mutationis specie immunes viuant. Mouētur ergo & mouent: mouentur ad nutum Dei, qui omnia mouet, mouentur etiā ad motū orbium quibus præsunt, vt nonnulli philosophi defenderūt. Certissimū quidē est moueri illos loco de-

Ars mater in artificialibus.

Nullum finitū naturale simpliciter mobile.

Quomodo intelligentiæ moueant & moueātur.

finite; idearũ alteratione infinite. Volunt.n.& non volunt; ignorãt, multa sciunt reuelata; per se finita sciunt, infinita in facie Dei, quã intuentur, sciunt. O fœlices & ter beatos spiritus, quorum speculum Deus est, in quo oẽs omniũ rerum essentiæ mirabili & ineffabili modo vniuntur! Hi spiritus vt ab aliis mouentur; sic quoq; alia mouent, (partim proprietate essentiæ suæ, quia sunt simplices puriq; act⁹, partim necessitate rerũ naturaliũ, quibus præficiendis destinantur. Sic intelligentiæ (vt classici doctores tum humanæ tum diuinæ philosophiæ docent) orbes cœlestes in sempiternum vertũt.

Finita & infinita qui sciunt.

Hactenus (studiose lector) causam tuam egi, si hoc problema vniuersalius de omni mobili iri intellectum velis; nunc vero alia vestigia pressiora sequar, & stricte ingenueq; textum, sensumq; Aristotelis loquar. Is quidem hoc capite ad illud centrum omnia vrget, vt probet nihil physice seu naturaliter moueri, nisi idipsum ab alio moueatur. Animaduertendum hic est omne corpus naturale constare duabus partibus, mouente & mota; illa forma, hæc materia dicitur. Præter has duas partes alia influens mouendi causa est, quæ efficiens nominatur; hęc autem vel foris est & aperta, vel intus latens & occulta. Quæ foris est, nunc violenta, vt impetus proiiciẽtis telũ, nunc amica naturæ, vt potentia prædominantis qualitatis in mixto, quæ gradus limitesq; naturæ non excedit. Est enim mixtum ad pondus, & mixtum ad iustitiam, in quo licet vnum elementum vna cum sua qualitate præsit, optima tamen partium & elementorũ temperies est, prout natura sagax ad salutem & conseruatioñẽ rei præscripsit. Non est vt excurram longius, siue illam potentiam actiuam in subiecto, siue externam vim, amicam aut violentam rei motricem spectes, aliam mouẽdi causam in omni mobili præter formam manifeste vides. Quicquid ergo physice & naturaliter mouetur ab alio necesse est vt moueatur.

Quot partibus constet corpus naturale.

Diuisio efficientis

Quotuplex mixtum.

Præterea, cum actio naturæ in omni mobili sit destinata ad finẽ, cuius desiderio res oẽs vehemẽtius ardent, quia in fine est quies & perfectio rerum. Nemo sapiẽtior inter philosophos est, qui negat omne mobile physicũ ab alio moueri: finis enim est externa & aduentitia causa, quæ veluti adamas omnia in vtero naturæ concepta editaq; in lucem, ad suũ vsum trahit. Si nulla ergo alia causa existeret mouendi Philosophũ, vt existimet nihil posse moueri nisi ab alio moueat*,

In fine quies & perfectio.

Finis quid.

hæc quidem sufficeret: finem intelligo, quo per accidens & fortuito res quælibet in Olympo naturæ excitata suum stadium conficit. Insuper, cum mouens & mobile non sint res vna sed diuersa respectu motus: penitius consideranti, ipsa forma mouens a materia mobili reipsa distinguitur: distinguitur (inquam) vt mouens. Hoc si verum sit, nihil per se primo mouetur, sed ab alio: quia omnis materia mouetur à forma, cum ipsius motus in materia non formalis, sed efficiens aut finalis caussa verissime habeatur. Formalis enim caussa rei completa & perfecta est, non mobilis & imperfecta, cuius motus vt actus inchoatus inest. Porro, quis non videt idem esse simul actu & potentia, si mobile & mouens res vna eademque numero existant? cum mobile potētia, mouēs actu in rerum natura constet: si ergo mouens & mobile re distinguantur, euidēter apparet nullum mobile moueri, nisi ab alio non à seipso moueatur. Concedo tamē aliquid moueri posse à seipso per accidens, vt anima non potest mouere animal, aut intelligentia cœlum, quin per accidens ad motiones animalis & orbis moueantur: hoc vero (vt dixi) fit per accidens, non per se & vi sua. Deinceps, hoc ipsum series & ordo rerum mobilium dilucide enucleant: quippe si à cētro ad circumferentiam globos mūdi mobiles circumgyratos consideres: Imo si in his res alias ingenitas & comprehensas ante oculos ponas, inuenies præter formam insitam aliud mouens: sit illud vel efficiens caussa, vel potentia naturalis, vel impetus externus, qui vi sæpe res naturales furētius pellit, vt flamma, halitus, aut intumescens aqua in cauernis terræ contenta, quæ nonnunquam latera & fundamenta eiusdem concutiunt furiose.

Formalis caussa qualis.

Aliquid potest moueri a seipso per accidens.

Sed hic miror quorundam interpretū in defensione istius quæstionis pusillanimitatem, qui non audeant expādere vela, cum in omni mobili & motu verissimum sit, nō cieri nisi ab alio. Sed magis equidem miror, q̃ per hoc verbum *aliud* inter cætera mouentia formā, quę est essentialis pars rei, intelligāt, quasi vero forma secundū Aristotelem sit aliud à re mobili, quā intrinsecus & simpliciter definit. *Aliud* (inquā) i. (vt Porphyrius docet) re quiddā diuersum, & distinctum ab eo, cum quo confertur. Sed scio vnde hanc timidā (vt ita loquar) interpretationē loci afferūt, ex prima .s. parte hui⁹ capitis,

Ca. de differen.

tis, vbi distinguit Philosophus, omnia moueri vel ab externo, vel ab interno principio: ab externo, vt ea quæ proiiciuntur: ab interno, vt animalia. At ea (inquit Philosophus) quæ extrinsecus mouentur, ab alio aliquo moueri omnibus constat: quæ vero intrinsecus mouentur (vt animantia) ab anima: quomodo ab alio (inquit) moueantur multos latet & fugit. Hinc multi quos hoc mysterium latuit, intulerunt per hoc verbum *aliud*, in internis motibus & etiam mobilibus formam necessario intelligi, quia aliter (inquiunt) animantia ipsæque animæ non mouentur. Sed si subtilius Philosophi pedem secuti fuissent, considerassent rationem quæ proxime in textu sequitur, eam nimirum, qua conuincit, & conuellit planissime eorum errorem: quippe in ea probat, per *aliud* in internis motibus formam solam non intelligi. Ratio sic se habet. Quicquid alio quiescente moueri desinit, id ab alio aliquo mouetur: at omne quod totum, non ratione partis mouetur, alio aliquo quiescente moueri desinit: ergo omne quod mouetur, ab alio aliquo moueatur necesse est. Assumptio probatur, quoniam omne quod mouetur diuiduum est. OEdipo opus est (fortasse dices,) vt reseratur hoc breuissimum argumentum parum attendis, sed rem tibi planiorē reddā. Cor humanū in syncope aut deliquio animæ à motu cessat: tot' ergo homo moueri desinit. Est n. syncope mors quædā ad tēpus: donec spiritib. ad cor redeuntibus homo reuiuiscit. Vides hic aperte desinere motū totius, quia cessat pars hominis moueri: mouetur ergo totus homo ab alio præterquam à forma, quæ est anima. Nam cor non est anima, neque in eo (vt docet Philosophus) sedet. celsiorem enim globum requirit, caput nimirum, in cuius arce triumphās, & primum mobile, & alias partes minoris mundi mouet. Idem dicendum est de cerebro in somno, quo quiescente totus homo in lecto veluti in sepulchro iacet. Exemplum in textu per literas adumbratū satis obscurum est, illustriora igitur adhibui, quorum alterum sic textui accommodari potest. Sit A res mobilis, vt homo, sit EF pars quiescens, vt cerebrum in somno, aut cor in syncope: si vel F, aut E, id est, si harum partium vna quiescat, totus homo à motu cessat: si vero moueatur, attonitus reuiuiscit homo, & ad motum redit. Hinc (vt vides) ex opposito consequentis oppo-

Syncope mors ad tempus.

Caput animæ sedes.

situm antecedentis concluditur; nec non infertur illud quod in votis est, nempe moueri animal ab alio præterquam à forma, scilicet à parte primaria aliqua, quæ non est formata. lis autem est, in qua viuacitas spirituum vitalium aut animalium inest.

Ab alio præterquam a forma mouetur animal.

Quid restat? vt pauca de altera parte capitis diuisi dicam, quæ pars veritas est huius quæstionis. In veritate quæstionis consideranda sunt tria: quid sit mouere seipsum? quid mobile? quid moueri? Breuius quam dici potest percurram singula, quoniam antea hæc satis discussa sunt. Mouere seipsum nihil aliud est, quam esse sibi caussam motus. Mobile est quod partim in actu, partim in potentia inter terminos *a quo* & *ad quem* pendet. Vel est ens illud quod mouetur. Moueri est per gradus pati impressionem formæ, quæ ab agente infertur. Quoad primum, si mouere seipsum sit nihil aliud quam sibi esse caussam motus: & si verum quoque hoc sit, nihil esse caussam alicuius sibi, quin idipsum eidem primo & per se conueniat (quoniam quicquid est primum in re qualibet, est caussa eorum quæ sequuntur) fieri certe non potest, vt aliquid moueatur à seipso, quin etiam ab alio moueatur: quippe dari non potest aliquod primum mobile, cuius motus non dependeat ab alio: ab alio ergo vnumquodque mobile moueatur necesse est. Præterea, lib. 6. huius operis alio sensu operose declaratum est, in motu non posse assignari primum ex parte temporis, spacii, aut mobilis. Ratio est, quoniam motus & tempus sunt continua & in infinitas partes diuidenda: si ergo motus totius sit semper diuisibilis in partes, necesse est vt illius esse dependeat à motu partium; si à motu partiũ sequitur necessario à partibus moueri: si à partibus moueatur, ab alio præterquam à sua forma mouetur: si ab alio præterquam à sua forma moueatur, habetur propositũ, concluditurque institutum: & hæc est veritas huius quæstionis.

Mouere seipsum quid.
Mobile quid.
Moueri quid.
Tex. 45.

Vsus huius theorematis est duplex: physicus & metaphysicus: ille est in cognitione legis seu conditionis quæ ad omne mobile requiritur, nempe vt ab alio moueatur: hic vero in contemplatione primi motoris consistit; vterque in textu demonstratur. Nam (vt omittam primum, de

Vsus theorematis duplex.

de quo satis iam dictum & disputatum est) Aristoteles in fine capitis quærit, *An sint infiniti motores?* resoluit hoc dubium verbo: in mouentibus (inquit) non est progressus in infinitum: sed ad primum aliquod mouens (quod ab alionō mouetur) peruenire necesse est, id est ad Deū, si aperte explicare velis. Nam quid primo mouere potest omnia, ipsumque non moueri, nisi solus infinitus, immensus, & incomparabilis Deus? Hic ergo est vsus huius quæstionis optimus, vt posito & concesso nihil à seipso moueri nisi ab alio moueatur, tandem gradibus mouentium caussarum cognitis ad primum aliquod mouens veniamus, ex quo omnia mouentia & mobilia pendent. Sed pergam, & syllogismo ex Aristotele collecto enucleatius ostendam, fieri non posse vt sint infiniti motores rerum. Si quid (inquit Philosophus) ab infinitis mouentibus (quorum semper alterum ab altero mouetur) possit moueri: finito quidem tempore infinitus motus absoluatur necesse est. Sit enim, exempli caussa, ordine non numero primum infinitum mobile A, & hoc A moueatur à B, & B à C, & C à D, & sic deinceps in infinitum numerum mouentium & mobilium rerum: quid, quæso, ex hac hypothesi sequetur? nihil aliud certe quam quod hæc omnia ex hypothesi infinita mouentia & mota simul finito tempore moueant & moueantur: quippe qualibet hora, q̄ est finitum tempus, mouent & mouētur. Præterea quis ordo, q̄ certitudo, q̄ successio & vicissitudo rerū, qui scopus & periodus, si nullus sit mouentiū terminus, nullus definitus rerum mobilium numerus, nullus vtriusque Deus, in quo eorum essentiæ perpetuo vniantur & conseruentur? O quam admirabilis Deus est in omnibus operibus suis? in nullo tamen magis quam in hoc, quod faciat & moueat finita omnia, is tamen infinitus & immobilis in sempiternum maneat. *Deus admirabilis.*

Distinctio eorum quæ in hoc capite continentur.

Duo in hoc capite problemata continentur: quorum

- Primum est, *Vtrũ omne q̃ mouetur, ab alio moueatur?* hui⁹ demonstratio duplex est.
  - 1 Generalis, in qua nullum mobile excipitur; & probat vel
    - 1 Inductione omniũ mobilium, quæ sunt vel
      - 1 Physica, vt *corpora naturalia.*
      - 2 Mathematica, vt *corpora artificiosa.*
      - 3 Metaphysica, vt *incorporea substantia, & anima humana.*
    - 2 Conditione & lege vniuersalis propositionis, quæ in materia necessaria nullam instantiã patitur, vt si dicas *omne animal esse substantiam* excipis nullum: pari ratione, si dicas *omne mobile ab alio moueri*, ad naturale solum restringere non debes.
  - 2 Specialis. Vide in seq. pag. lit. A.
- Secundũ, *Vtrum sint infinita mouẽtia?* defendit Philosophus contra alios non esse, probatq; hic & alibi rationibus non paucis; quarũ prima in textu est solum, duciturq; vel
  - 1 Ab absurdo, quippe si aliquid ab infinitis mouentibus moueatur, sequetur infinitũ motum finito tempore perfici & absolui, vt in vltima parte discursus, & expositione constat.
  - 2 A contradictione naturæ, quæ actu abhorret infinita: infinita ergo mouentia non sunt: sed vt in mobilibus vnum primum mobile: ita in mouentibus vnum primum motorem agnoscit & colit.
  - 3 A comparatione naturæ & artis, quia vt omnia ratione ordineque sunt certa, quæ subiiciuntur arti, vnusque est primus eorum author: ita in vniuersitate rerum, licet sit magna mouentium & mobilium varietas, finita tamen hæc est, & ad primam vnitatem, veluti librata redit; vnusque est motor omnium per quem mouentur, & in quo conseruantur, omnia.
  - 4 A testimonio veterum, qui cum Aristot. vnum primum motorem, omnium authorem defendunt.

A Specia-

A

1 Specialis: in qua solum mobile physicũ & naturale intelligendum est, quod sim; liciter probatur non posse moueri, nisi ab alio moueatur, idq, vel

1 A sufficienti diuisione: quia omne mobile physicum mouetur vel ab interno, vel ab externo principio motus. Internum principium forma dicitur, quæ adhuc non acquisita aliud à materia dici potest, quam mouet. Externum principium accidens est, vel innatum & amicum rei, vt *leuitas ignis, grauitas terræ*: vel violentum, vt *flamma*, qua terræ motus efficitur. sed hæc omnia mouentia sunt alia à re mota: nihil ergo mouetur nisi ab alio.

2 Ab opposito consequentis, quia quicquid alio quiescente moueri desinit, ab alio moueatur necesse est; sed totum naturale quiescente parte moueri desinit: ergo quicquid mouetur, mouetur ab alio, videlicet à parte.

3 A potentia actiua motus, quæ à mobili est aliud quiddam, & tamen primaria idipsum mouendi causa.

4 A fine, qui mobile vt *magnes* ferrum ad se trahit, nec non est causa extrinseca mouendi rem mobilem.

5 Ab enumeratione mobilium in omni genere motus; nam omne generabile est ab influentia solis, omne corruptibile ab impotentia mobilis: omne augmentabile à vi & potentia caloris; à defectu eiusdem omne quod diminuitur, alterabile non est sine alterante, & sine medio adiuuante vel impediente loco mutabile non existit.

Argumenta aduersus primam quæstionem, Vtrum omne quod mouetur, ab alio moueatur?

Opp. *Primum quæro à te quid per* aliud *intelligas in hac quæstione? an motorem cum re vnitum aut distinctum à mobili? Id quoque expedias velim, an forma rei dicatur mouens distinctum necne? quod videris in vno argumento expositionis insinuare. Postremo, ostendas an per* omne *in hac thesi ens mobile physicum solum intelligat Philosophus?*

Forma rei bifariam sumitur.

Resp. *Per hoc Verbum* aliud *in hac quæstione re diuersum & distinctum mouens intelligo: quare ad alteram partem dubitationis tuæ respondeo, formam rei considerari posse duobus modis, Vel respectu materiæ mobilis, & sic est mouens distinctum, Vel respectu rei compositæ & perfectæ, & sic est pars essentialis coniuncta cum re, non in motu, sed in quiete & fine posita. Re enim adhuc mobili & tendente ad perfectionē forma potētia est, at re tandē pefecta actus essentialis est: priori modo mouēs distinctū, posteriori verò modo rei proprium principiū dicitur. At dices, quomodo forma, cū sit pars essentialis compositi, re differt à materia, quæ est pars altera definiti? Respondeo differre non in compositione, sed in diuisione Vtriusque, cum adhuc forma inchoata est non absoluta. Nā Vt concepta figura domus adhuc non ædificatæ à domo re differt, ipsaque est efficiens causa mouendi: ita forma adhuc in motu inchoata & non simpliciter acquisita, causa quidem mouendi materiā est: & tamen non materiæ sed solum compositi & perfecti existit. Ad Vltimū quæsitum respondeo, per hoc signum* omne *communiter ens totum mobile, propriè in hoc loco mobile ens Physicum à Philosopho intelligi.*

Quomodo forma potentia & actus.
Quomodo forma differt à materia.
Mobile quid propriè, quid communiter significet.

Opp. *Graue existens sursum, mouetur à se deorsum: ergo omne mobile ab alio à se distincto non mouetur. Antecedens constat, quia res alia nulla præter grauitatem caussa mouendi deorsum à Philosopho assignatur.*

Forma & potentia causa motus sursum & deorsum.

Resp. *Æquiuoce disputas: nam si per* graue *solum intelligas accidens, negamus argumentum: si Vero intelligas per* graue *corpus pōderosum affirmamus alias esse motrices causas, nempe formam & potentiam qua ad cētrum fertur, addo etiam efficientem causam, quæ eam formam & potētiam dedit, addo denique remouentem causam quæ impedimentum tollit: hæc (inquam) addo, quia Aristoteles in 8. Physic. addit.*

Opp. *Constat sensibus aquam calefactam propria sua Vi naturaliter redire ad natiuam frigiditatem suam, quod nihil aliud est quam moueri: omne ergo quod physice mouetur ab alio non mouetur.*

Resp. *Certum est aquā Veluti postliminio recuperare natiuum frigus suum, idque propria Vi & forma adhuc non extincta, sed aliis etiam adhibitis mediis, nempe aere, eiusdemque*

quæ frigida motione, qua flammis remotis natiuam qualitatem & virtutem inducit. Memineris etiam subesse potentiam motricem caussam, qua vis externa potius quam interna definitur esse: proxime ergo reuocatur aqua ad natiuum frigus à forma, remote autem ab alia qualitate, sit illa potentia, vel virtus alia elementaris, quæ proprie ex essentia non est. Non ergo redit aqua ad natiuum frigus solum per circumfusum aerem frigidum, vt Burleus, neque per partes frigidas adhuc occultas & abditas in aqua feruēte, vt Auerroes, neque per virtualem habitum, vt Doleretus somniauit, sed per formam internae, & per hæc aliaque adiuuantia instrumenta naturæ. Burl. circa initium l. 2 Phys. Caietan. ad art. 3. q. 45.

Opp. *Difficilior est hæc quæstio & intricatior quam existimas, quare responde mihi quid de motu intellectus, voluntatis spirituumque finitorum putas. Certū est moueri quidē illos: vnde (quæso) nisi à seipsis? Exēpli causa, intellect⁹ (vt ait Philosophus) seipsum intelligit, seipsum mouet actu intelligendi, eundemque actum impressum recipit: mouetur ergo à seipso. Similiter spiritus & se & vim suam intellectiuam à se non aliunde concipit, motionemque conceptam, vt sigillum & imaginem insculptam retinet. Illa conceptio actio est, retentio passio: agere autem, est mouere, & pati nihil aliud est quam moueri: mouet ergo seipsum aliquid, & à seipso mouetur.* Metaphys. lib. 12. t. 39 l. 3. de anima tex. 14. & 15.

Resp. *Primum resolui potest hoc argumentū, si dicas hunc motum nō esse naturalem, de quo solum (vt multi volunt) in hoc capite disputatur: tum (si placet) sic explicari potest, quod scilicet inferiores potentiæ & facultates animæ a primis moueantur. Vbi vero vrges intellectū proprio suo lumine seipsum intelligere cum in se reflectitur, agnosco hoc quidem verū esse respectu sensuum, aliorumq; inferiorum facultatum, à quibus non semper speciem, lumen, & radium impressum aut reflexum petit: hoc ipsum autem non agnosco respectu luminis diuini in substantiam animæ infusi, quo mens illustrata seipsam & alia infinita percipit: ab illo ergo lumine illustratur, ab illo mouetur. Hoc dico, non quod negem inesse propriū splendorem in anima sed vt probem illustrari, id est moueri illam ab alio præterquā à seipsa. Similiter spiritus illi assistētes liberi & immunes ab omni materia mouentur quidē, qa* Quomodo intellectus seipsum intelligit: Spiritus mutabiles & immutabiles.

sunt finita non infinita, mutabiles non immutabiles essentiæ: non immutabiles dico, respectu Dei (qui solum simpliciter ens mobile & immutabile dicitur) immutabiles vero sunt respectu inferiorum naturalium operum & effectorum, in quibus caries perpetuo gignitur quæ vulnerat, & canities quæ consumit omnia. Quid multis? hi quoque spiritus extrinsecus à prima causa lumen capiunt, & ab ea mouentur. Imo, si hoc responsum nimis metaphysicum esse putes, liceat tibi respondere, spiritus per innatas ideas conceptas aut impressas moueri, & hoc est ab alio præterq̃ à seipsis moueri, q est satis. Vel, si vis, resolue hunc nodũ, quod (cũ intellectus & voluntas eliciant actiones) nõ sit r eidem quod agit quodque recipitur (vt Ægidius in Quodlib. 3. quæstione 16. obseruat) actus enim intelligendi producitur ab intellectu & specie agente, recipitur autem in intellectum patientem qui duo intellectus respectu motus differunt. Pari modo species illa quæ mouet voluntatem, vel à sensu externo vel ab interno recepta est.

Opp. *Mare influxu & refluxu suo mouetur: non à materia, quia materia non mouet, sed ipsa mouetur: non a forma, quia illa potius inclinat deorsum quam sursum: non à luna, quia corpus lunare non est simul cum mari, quod oportet si id ipsum moueat; nam mouens & mobile debent esse simul.*

Huius lib. c. 2.

Resp. *Mare quidem in suo fluxu mouetur sursum ab alio, nimirum à luna quæ simul est cum mari, non tempore aut loco sed virtute.*

Luna simul cum mari qui.

Opp. *Socrates proiecto lapide subito moritur: lapis ergo non mouetur ab alio mouente, quia Socrates mouens (adhuc in motu existente lapide) moritur.*

Resp. *Quamuis Socrates subito proiecto lapide moriatur, vis tamen impressa & impacta manet, quæ vis recte mouendi causa dicitur.*

Opp. *Cor in microcosmo seu minore mundo (scilicet homine) mouetur, & tamen non mouetur ab alio, vt manifeste constat: omnes enim aliæ partes & humores motum à corde petunt, cor vero ab alio nullo.*

Varia opiniones de motu cordis.

Resp. *Non parua contentio est de motu cordis. Alii n. somniant moueri illud quidẽ à diuina intelligẽtia aliqua, alii ab*

ab innato calore, alii à vitalibus spiritibus, alii ab ipsa anima, alii deniq; à facultate animæ motrice agitari putãt. Inter has opiniones duæ postremæ habẽtur optimæ. Cor enim ab anima remote, proxime à potentia animæ motrice agitatur. Sunt hic etiam magni nominis philosophi, qui probabiliter defendant cor in homine, primumq; mobile in vniuerso mũdo duas principes partes ab hoc axiomate penitus excipi: quia ab illis in omnes venas & arterias veluti naturæ tum in maiore tum in minore mundo motus deriuatur, & proinde in illis necesse est vt demissio motus terminetur, ne alioqui in infinitum mouendi fiat progressio.

Opp. *Qualitates intenduntur & remittuntur à seipsis & non ab aliis: omnia ergo quæ alterantur non alterantur, seu mouentur ab alio. Antecedẽs constat, quia calor ex se augescit circa ventriculum magis in hyeme quam æstate: vnde tum melior & appetentia & concoctio nascitur. Similis est ratio caloris in altis & profundis fontibus, quorum aquæ tepidæ sunt tempore hyberno: æstiuo vero frigidissimæ. Adde nõ esse dissimilem rationem caloris aucti ex reflexione radiorũ solarium, qui ad perpendiculum à centro terræ in aerẽ proximum & vicinum reuerberantur. Si dicas per antiperistasin hoc fieri, dicis quod non est probabile: quia contrariæ qualitates sibi aduersas non intendunt sed perimunt, non augẽt, sed diminuunt, nõ conseruãt & corroborant, sed demoliũtur.* Hippoc. aph. 15.

Resp. *Si res vlla per se aut à seipsa moueretur, eadem simul actu & potentia esset: ad hanc ergo vitandam absurditatem, nego vllam prorsus qualitatem intendi aut remitti posse a seipso. Respondeo igitur calorem ventriculi in hyeme à seipso nõ augeri, sed per frigus aeris ambientis corpus, obstruentis poros, impellentis & coercẽtis spiritus. Quod vrges probabile non esse vt aduersa qualitas aliam sibi infestã augeat. Dico hoc fieri per accidens, quia in conatu antequã ad constrictum ventum est, externum aeris frigus cutis spiracula perstringit, quibus obstructis & obseratis, spiritus ad centrum à circumferentia adiguntur: vniuntur adacti, vniti fortiores sunt, fortiores facti vberiorem calorem, & meliorem concoctionem reddunt. Par ratio est de calore fontium hyemali tempore, & non dissimilis caloris reflexi, cuius multiplicatio non à se sed ab alio, nimirum à reflexu, nascitur.* Calor ventriculi in hyeme vnde augetur. Gal. lib. 1. com. in aphor. Hipp. Fernel. in lib. de spiritu & innato calido.

Argumenta contra secundam quæstionem, Vtrum mouentium sit infinitus numerus?

Opp. *Generationes & corruptiones sunt infinita: ergo generantia & corrumpentia sunt infinita: & ex consequenti mouentia sunt infinita.*

Generantia & corrumpentia qui infinita.

Resp. *Generationes & corruptiones non sunt infinita nisi successione. est ergo in illis infinitas potentia non actu: Vel (si placet) respondendum est generantia & corrumpentia esse infinita quoad nos, non quoad naturam: Vel denique dicendum est terminari hac omnia in primam causam motricem omnium, qua sola simpliciter est infinita in essentia, quaque moueri aut mutari non potest.*

Eth. in 8. l. phys.

Opp. *Proportio debet esse inter causam & effectum: sed infinita est causa mouens: est ergo effectus infinitus. Maior est Philosophi in Top; minor in hoc libro constat. Vbi docet Arist. mouens primum esse actu infinitum. Huc tendit hac ratio, Vt probem infinita esse mouentia in Vno. quia hoc Vnũ est infinitum, & omnia qua sunt hoc Vnum sunt: quippe essentialiter hoc Vnũ in omnibus mouens est, diuidi enim non potest: & omnes omniũ rerum essentia in hoc ipso Vniũtur. Imo conuenit maiestati prima causa (quoniã nihil in essentia eidem aquiualere Vel adaquari potest) Vt numero & Virtute infinita mouẽtia actu sint, qua eius imperio subiecta res creatas ad illius nutum moueant & conseruent. Insuper, cum (teste Philosopho) homo ab aterno fuerit, sintque iam actu omniũ qua fuerunt anima, necesse est Vt infinita actu mouentia concedas esse, quia anima ab aterno iam sunt infinita, qua Vt sua motrices causa sunt & appellantur.*

Lib. de mũdo.

Resp. *Praceps in abyssum irruis. Sed esto syllogismũ primũ concedo: est mouens infinitum. sed hoc Vnum est. At dices infinita mouẽtia in hoc Vno esse: qui id probas? quia omnia qua sunt in hoc Vno sunt. Respondeo ideo omnia Vnum dici, quia omnia ab Vno pendent. Non sic acquiesco: quoniam hoc Vnũ essentialiter est in omnibus qua sunt, & quoniam omnes omnium rerum essentia in eodem Vniuntur, recte hac probant hoc Vnum, simplex, aternum, & infinitum esse, sed non probãt inferiora mouẽtia actu infinita esse. Sed pergis & urges, decere maiestatem infinitã Vt infinita mouẽtia ei inseruiant,*

Quomodo omnia dicantur Vnum.

omnesque

omnesq; res creatas vt intelligentiæ suas spharas moueant. Respondeo, infinitum simpliciter (quale est Deus) non omnino egere infinitis aliis mouentibus, quamuis aliqua ad suam gloriam fecit: neq; decere, quia tum plura essent actu infinita numina, quod tam sacra quam humana philosophia (vt vides) negat. Non negat (inquis) si solum sint numero non natura, virtute non maiestate infinita mouentia. Imo negat, quoniam infinita maiestati primæ causæ & motoris placuit, vt omnia numero, pondere & mensura fierent. Sed vrges infinitas animas motrices iam esse, quæ ab infinito fuerunt, & inde concludis actu infinita mouētia esse. Primum negamus ab æterno fuisse, tum si detur hoc verum esse, non sequetur tamen id quod velis, quoniam animæ eadem iam non sunt quæ fuerunt. Quippe olim formæ physicæ extiterunt, nūc vero metaphysicæ, olim actus mortales corporis nunc immortales spiritus. Olim enim sic vincta & alligata fuerunt corporibus, vt iisdem concussis desierint esse: sed ex cineribus veluti cum phœnice renouata in sempiternum viuunt. Hoc dico, nō quod existimem animam mortalem esse, aut ex potentia materiæ traduci, sed vt intelligas non esse eandem formam coniunctā cum corpore, & ab eadem liberatam, & ex consequenti concludo illud quod est contrarium tibi, nempe easdem animas iam non esse quæ ab æterno fuerunt. Essentia enim animæ in corpore est, vt sit actus corporis, essentia animæ soluta est vt sit spiritus ab omni materia alienus: illa relationem occultam, hæc vero non habet nisi ad primam causam, ad quam redit & cum qua coniungitur. Fac, Christe, vt mea euolans ex hoc ergastulo tibi motori suo coniungatur. **Anima duplex essentia.**

Opp.

Omne mouens physicum (vt hic docet Philosophus) mouetur ab alio; sed omne quod mouetur, ab alio necesse est vt moueatur: ergo in mouentibus non est numerus, sed processus in infinitum.

Resp. *Omne mouens physicum mouetur ab alio (vt docet Philosophus) non autem mouēs metaphysicum, quale est prima causa quæ mouet cælum. Quamuis ergo cælum sit & primum mouens, primumq; mobile physicum respectu omnium inferiorum (quæ suum motum à cælo petunt) non est tamen primum mouēs metaphysicum, à quo omnes motiones rerum* **Cælum primū mouens physicum non metaphysicum.**

tum naturalium tum metaphysicarum pendent, & in quem, Vt in terminum ad quem *conseruationis sua tendunt.*

Phys. 6. tex. 41. Opp. *Primum (Vt antea docuit Philosophus) in motu & tempore dari non potest: ergo in mouentibus & mobilibus dari non potest primum: Videtur ergo probabile mouentia & mobilia esse infinita.*

Primum in motu & tempore non dari quomodo intelligendum. Resp. *Sophistica est hac ratio à mutatione suppositionis: nam cum docuit Philosophus primum in motu & tempore inueniri non posse, quia sunt continua, qua secundum partes proportionis sunt infinita: tu in conclusione à falsa suppositione infers simpliciter, non solum motus, sed etiam mouentia & mobilia esse infinita: quod equidem concedo si continuitatem & partium proportionem consideres, at nego si actum & numerum mouentium & mobilium hinc infinitum esse concludas.*

Dubia huius capitis: quorum primum est, An propositis multis mouentibus & mobilibus subordinatis necesse sit omnia moueri, si eorum vnum moueatur?

Opp. *Elementa subordinantur, id est ordine & situ subalternatim (vt aiunt) sibi inuicem subiiciuntur, & tamen si eorum primum moueatur omnia simul non mouentur: ergo falsum est apud Philosophum, nempe quod omnia moueantur, & mouentia & mobilia, si eorum Vnum agitetur. Antecedens probatur ab exemplo ignis, qui ab orbe luna & Vi sua mouetur, & tamen nemo est tam imperitus qui terram subordinatam cateris moueri diceret. Praterea in minore mundo, scilicet homine omnes & singula partes subiiciuntur cordi, non aliter quam ciues in bene administrata ciuitate Imperatori: corde autem moto omnes & singula partes non mouentur, Vt in somno manifeste cernitur.*

Lib. de motu animal.

Resp. *Verbo respondeo Vtrique argumento, tenere solum illud theorema in mouentibus & mobilibus proxime & essentialiter subordinatis, & non in his qua remote subordinantur & per accidens, quali modo hac de quibus nunc loqueris sibi inuicem subiiciuntur.*

Vtrum

Vtrum cordis motus ab alio dependeat?

Opp. *Multa præclara à Philosophis de corde dicta sunt: ô admirabilem artem Dei! necesse est vt exclames, si cordis humani fabricam, situm, & diuinitatem consideres. Est enim cor primum mobile primumque mouens: non opus ergo est vt ab alio moueatur, prima enim in quouis genere excipiuntur. Cor princeps est in naturali hac politia nostra, suisque ciuibus omnia necessaria & ad vitam, & ad victum, & ad salutem suggerit: cor dux & imperator est, omnemque vim hostilem à subditis membris & partibus sua ciuitatis pellit: ardet ira si hostem inuadentem sentiat, recipit in fauorem si palinodiam canat. Quid multis verbis? cor est thesaurus animæ, horologium naturæ, fons vitæ, spirituum officina, prima viuēdi, & idcirco etiam prima mouendi causa. Quorsum ergo alia vis noua illius motus quæritur? mouet in homine omnia, mouet singula, à nullo ergo mouetur nisi à seipso. Huic rationi robur non deerit, si cum D. Thoma cordis sphæricam figuram aptissima ad motum spectes: circularis enim est illius motus & continuus; Circularis quia ab eodem termino ad eundem perpetuo conuertatur: continuus, quia dum homo viuit neutiquam interrumpitur: idque non fortuito & aliunde, sed per se & vi sua: quæ enim pars est excellentior corde, quæ eidem spiritum & motum tribuat?*

Lege Arist. 1. Hist. animal. c. 17 & lib. 3. de part. anim. c. 4. Galenum lib. 3. de vsu partium cap 7.

Excellentia cordis.

In opusc. 35. Cordis motus est circularis & continuus.

Resp. *De cordis humani fabrica, situ, dignitate, & imperio nihil dico: nam si dicerem, plura certe quam dicta sunt perorando dicerē: solum hic dicam, ô admirabile & diuinū opus Dei, in quo tot tantaque miracula & mysteria insunt! sed quid probas? hoc scilicet, non idcirco ab alio cor penitus moueri quia est in mouendo primum. Respondeo, esse quidem illud primum quod mouetur, sed non primum quod mouet. Mouetur enim remote ab anima, & proxime à facultate animæ: reliqua à te addita ornamenta sunt non argumenmenta: omnia concedo verissima esse quæ dicis, vulnus tamen non sentio.*

Cor primum quod mouetur, nō quod mouet.

Si cordis motus sit ab anima, quæstio est, A qua facultate animæ cor primum moueatur in homine?

Opp. *A facultate animæ vegetatricis cor primum mo-*

uetur: quod videtur esse contra Aristotelem, qui vim motricem pedissequam animæ sensitricis in animalibus ponit: ergo non recte restringitur quæstio ad potentiam sensitiuam solam. Antecedens probatur, quia cor hominis mouetur & viuit in prima formatione sua, antequam alia fiant facultates. Si ergo vegetatrix anima eiusdemque potentia primũ emergat, cor primum ab ea facultate animæ moueri necesse est.

Resp. *Considerari oportet de quo subiecto motus agas: de corde scilicet, non in genere, sed in specie de corde hominis. respondeo igitur, moueri quidem cor ipsum hominis ab anima potius sensitrice quam vegetatrice: ratio eadem ipsa est quam ex Arist. duxi, quia facultas motrix ab eadem anima solum in animali pendet. At dices in homine pot⁹ motricem facultatem & motum sequi rationem, & praeuntem notitiã desiderare. Respondeo, praeuntem notitiam in homine ad motum cordis, humorum, & spirituum non esse necessariam; quippe cor hominis volente aut nolente homine à motrice facultate mouetur: requiritur autẽ quædam præcognitio in aliis motibus, ad quos homo suo appetitu, intellectu, aut voluntate fertur.*

Auerroes 2. Collect. 7.

CAPVT II.

Vtrum omne mouens & mobile sit simul?

Constat iã satis nihil posse moueri nisi ab alio: sequitur nũc alia comparatio, in qua disquiritur, *Vtrum mouens & mobile sint simul?* Ad certiorem huius quæstionis intelligentiam singula theorematis verba examinanda sunt. Per *mouens* ergo intelligitur causa motus efficiens, non finalis: quippe non est id quod mouet vt finis simul cum eo quod mouetur, sed potius ab eodem longius distat: mobile enim ad suum finem absentem tendit, quo præsente & acquisito moueri desinit. Sed hoc non est satis, vt intelligas per *mouẽs* efficientẽ motricem causam: quippe sunt multæ & fere infinitæ in qualibet re efficientes causæ motus. Per *mouẽs* ergo non solũ efficiẽs causa motus, sed prima, id est proxima causa efficiens intelligitur. Per *primũ mouens* in textu nõ remotissimum, sed proximum & postremũ intelligo, qua significatione hoc loco nomen *primi* sumitur. Nec mirũ, nã alio

alioque

alioque ordine, alio alioq; loco incipientibus idem est primũ & proximum seu postremum. Si n. à re quæ mouetur incipiamus, *Mouens* primum est quod est postremum, id est, terminus *ad quem* tendit: si vero ab eo vnde fluit motus, id est à termino *à quo*, illud primum habetur quod est remotius. *Simul* hic dicuntur inter quæ nihil est medium, vt inter animam & corpus, leuitatem & ignem. In hoc theoremate ergo nihil aliud intelligitur per *simul esse* quam mouens primum, id est proximum, cum remoto arctissime & immediate cohærere. Hinc (verbi gratia) lignis longius distantem hominem calefaciens non dicitur hic mouens primum, sed aer medius, qui ab igne calefactus hominem proxime calefacit: fieri enim non potest vt ignis agat in passum remotum nisi prius in medium vicinum agat.

Primũ mouens est proximum & postremum, & quid vtrũque.

Quæ dicuntur simul.

His prælibatis, analytice probat Philosophus mouens & rem motam in omni genere motionis simul existere, & primum in motu locali hoc modo. Omnia quæ mouentur loco duplicia sunt, aut à seipsis & interiore aliquo principio, aut ab alio & externo mota: sed tam in illis quam in his mouens & mobie sunt simul: in omni ergo motu locali mouens & mobile sunt simul. Maior constat, quoniam omnia quæ mouẽtur aut à forma intrinsecus, ab efficiente causa & fine extrinsecus; idq; vel naturaliter vel violenter mota sunt. Assumptio probatur, quoniam in illis quæ ab interno principio mouentur, materia & forma, id est mobile & mouens proxime vniuntur, suntque simul connubio quasi naturæ. Coniunctio enim vnioq; ea est maxime naturalis: magnes ergo est in forma trahendi materiam, docilitas & desiderium in materia sequendi formam. Hoc etiam aperte & dilucide apparet in his quę ab externa causa veluti per manum fortiorem loco cientur. Sed vt posteriorem hunc modum illustret Arist. ostẽdit aliquid quadrifariã vi externa posse moueri: *pulsu, tractu, vectione, volutatione*. Patienter feras (docte & studiose lector) si has species violẽti mot⁹ breuiter definiã, licet accuratius fortasse ea quæ sequũtur in hoc & in 8. lib. Phys. intelliges. Eorum definitiones in textu solum implicite continentur. Pulsus ergo est motus, quo mouens aliquid à se remouet & dispellit, si vim actiuã: vel quo aliquid remouetur & dispellitur, si vim passiuam spectes. Ad

Motus ab extrinseco quadrupliciter fit.

Pulsus quid.

hanc speciem reducuntur impulsio, appulsio, exterminatio. *Tractus quid.* Tractus est motus, quo mouens aliquid ad se vel occulta proprietate allicit (vt magnes ferrum) aut potentiore quasi manu id ipsum impellit: ad hanc speciem reuocantur inspiratio & expiratio, vt in textu ait Aristoteles. Sed de his postea. *Vectio quid.* Vectio est motus quo aliquid mouetur ad motum alterius, vt homo in naui. *Vectio tripliciter fit.* Hæc vero (vt docet Philosophus) fit tribus modis, *tractu, pulsu, conuersione:* quicquid enim vehitur, aut tractum, aut pulsum, aut volutatum mouetur: *tractum* (inquam) vt lignum in plaustro, *pulsum* vt nauis vento, *volutatum* vt globus qui manu, mola quæ aqua fluente in gyrum vertitur. *Volutatio quid.* *Volutatio* seu conuersio est motus qui partim tractu, partim pulsu constat. Nam quod rem aliquam voluit, vnam illius partem ad se trahit, alteram a se pellit.

Quorsum hæc omnia, fortasse dices? certe vt directe institutum probes, si vis hoc modo. Omnis motus localis qui vi fit, est aut pulsus, aut tractus, aut vectio, aut volutatio: sed in hisce omnibus mouens & mobile sunt simul: ergo in omni motu locali (qui vi fit) mouens & mobile sunt simul. Exempla ad assumptionem confirmandam si desideres, hæc sint. Malleus pellens clauum est simul cum clauo, plaustrum trahens lignum est simul cum ligno, equus vehens equitem est simul cū equite insessore, aqua voluens molam est simul cum mola, sic luna cum igne, ignis cum prima regione aeris quam in rotas violenter vertit. Nunc vt de omni motu locali violento constat hæc quæstio: ita de omni motu loci naturali multo euidentius. Nemo enim dubitabit (si sit doctus) an forma quæ est interna causa motrix, sit simul cum re mota? quoniam chirographo & diplomate naturæ hoc ipsum confirmatur. Id ipsum dico de efficiente causa motus naturalis, vt de grauitate & leuitate in terra & igne: sequitur ergo in omni motu locali (siue sit naturalis siue violentus) mouentia & mobilia esse simul.

Nunc restat vt in aliis generibus motus huius problematis veritatem demonstret, quod quidem facit disertis verbis in textu. Proxime ergo agit de alteratione. ad quam (vt ait) proprie pertinent solum affectiones in tertio genere qualitatis positæ, quæ passiones & patibiles qualitates dicuntur, sic

sic quidem dictę quia motum sensibus inferunt, vestigiumque sui imprimunt & relinquunt. Quid moror? in alteratione cōsiderari oportet alterantia & alterata: illa sunt quæ vltimo subiectum noua qualitate vestiunt, hęc sunt ipsa subiecta quæ alterātur; de his distinguit Philosophus, quod alia sint inanimata, vt *metalla, lapides*: alia vero animata, eadēque vel sensu destituta, vt *plantæ*, vel sensu prædita, vt *animantia*; quorum partes sentiunt, vt caro, nerui, vel ipsi sunt sensus, vt tactus, gustus, odoratus; vel omnino non sentiunt, vt pili & vngues; si in hisce iā omnib. vim alterationis penit' consideres, inuenies semper proximum mouens & mobile esse cohærentia & virtute simul; verbi causa, si calfaciens, edulcans, condensans, vel exsiccans, &c. non sint cum his quæ suis viribus subiiciuntur simul, nihil calfieri, aut dulcescere, aut condensari, aut exsiccari, aut alia sensibili qualitate affici & alterari potest. Apertissime hoc ipsum vrget Philosophus in sensibus externis, qui à proximis mouentib. quodammodo alterantur: quodammodo (inquam) non proprie, quia species plerunque, non res ipsæ in potentias animi recipiuntur. Hæc tamen exempla pulchre rem positam illustrant & docent: nam in tactu, non est alteratio à frigore in calorem, nisi aer simul sit cum tactu, & in illius organum qualitatis sensum & motum imprimat. Sic nisi aer lumine illustretur, simulque existat sic illustratus, cum oculo aspectus non mutatur. Similiter aer sono & odore affectus auditum & olfactum alterat, quando simul est cum instrumento auditus & odoratus. In gustu denique nisi sapor vna sit cum instrumento, gustatus non alteratur. Concludam verbo; sic est in omnibus quæ alterantur vt est in sensibus; lex enim vniuersalis est, vt inter proxime alterans, primoque alteratum nihil sit intermedium. Huc addi possunt interni sensus (passiuæ potentiæ animæ) eorumque obiecta, quæ nouis veluti characteribus animæ tabulas consignant; quippe ira, dolor, gaudium, amor, odium, furor, vere sunt patibiles qualitates, ipsumque appetitum seu voluntatem afficiunt, & sic afficiunt, vt inter agens & patiens, mouens & mobile sit arctissima coniunctio & cohærentia simulque sint in alteratione qualitatum.

Patibiles qualitates cur dictæ.

In alteratione quæ consideranda.

Alterantia & alterata quæ.

Alterantia quotuplicia.

Species non res ipsa plerunque in animi potentias recipiuntur.

Vt in sensibus, sic est in alteratis omnibus.

Quid superest? nihil certe nisi vt demonstremus, in

Ratio cur generatio sit motus.

accretione & diminutione quoque, vt in cæteris, mouens & mobile esse simul. Nam præter loci mutationem, & alterationem, accretionem, & diminutionem, plura genera motus Philosophus non agnoscit. Causæ duæ in 3. huius operis assignantur, prima est quoniam generatio & corruptio in momento sint, quod est contra naturam motus qui continuus existit; altera quoniam eorum extrema non sunt entia; est enim generatio à non ente ad ens, est corruptio ab ente ad non ens progressio. Hæc obiter; procedam. Quæcunq; sunt vnum & continuum, sunt simul; sed augens & auctum, diminuens & diminutum sunt vnum & continuũ: ergo augens & auctum, diminuens & diminutum sunt simul. Assumptio perspicua est in rebus inanimis & animatis. In rebus animatis luce clarius est, rem augentem (puta elementum) coniungi, vnumq; fieri cum eo quod augetur.

Generat. quid. corrupt. quid.

Quæ proprie augescere dicantur.

Proprie enim res illæ augescere dicuntur, quorum alimenta vi caloris in naturam aliti conuersa cumulum maioris quantitatis addunt: quod quidẽ fieri non potest, nisi augens cum aucto copuletur. Sed attende, quod augmentatio suum florem & ætatem habeat. Nam in vere ætatis suæ plãtæ & animantia crescũt, in autumno autem & bruma diminuũtur. Sed ad rem. Vt ergo in augmẽtatione augens & auctum simul cohærent: ita in diminutione diminuens & diminutũ sint simul necesse est. Exempli causa, nõ est omnino diminutio nisi deficiens & deferuescẽs naturalis calor sit simul cum languẽtibus membris corporis quæ diminuũtur. Naturalem calorem dico, quia tam in augmẽtatione quàm in diminutione calor naturalis requiritur, qui in accretione generosus feruor, in diminutione segnis & otiosus quasi tepor recte dici & definiri potest.

Calor in augmẽtatione & diminutione requiritur, & qualiter in vtrunq;.

Scrupulus quem multi hic inserunt de ortu & interitu nullus est; quandoquidẽ id quod est, cum eo quod nõ est simul esse non potest; sed vnus terminus generationis & corruptionis est, alter non est: ergo generans & generatũ, corrumpens & corruptũ simul esse non possunt. Præterea, cum ista coniũctio & cohærẽtia tempus motumq; respiciat, qui fieri potest vt hoc theorema veritatẽ sortiatur & vendicet in illis quæ sine motu & tempore in instanti fiunt?

Omit-

Omitto hoc dubium, attingam aliud, nempe An Aristoteles in hac quæstione mouentia remota excluserit? Multi sane magni nominis in philosophia negāt, tenentque posse remota mouentia primo agere in remotissima sine medio, simulque existere potius virtute quam cōtinuitate partium. Inter hos Antesignanus Scotus est, qui pertinaciter contendit solem ex putri materia fæcibusque terræ mures, omniaque id genus imperfecta animalcula, sine vllo intermedio instrumentorū gignere: & ita concludit in disiunctā materiam primo & per se vires effundere. Nam quamuis fateatur influere solem per media, suasque occultas & potentes qualitates demittere, quibus materia docilis aptaque redditur ad formam accipiendam: negat tamē vllam vim, qualitatē, aut aliud instrumentū in materia esse, quo sol formā essentialē materiæ gremio siue vtero efficienter excitet. Nam si aliquid alicubi operetur (vt inquit) hoc ipsum nō statim arguit necessitatē præsentiæ corporeæ, sed virtutem essentiæ. Vt ergo magnes longe distans a ferro, in ferrum tamen vires exerit, suaq; propria virtute mirabilē hunc effectum (quem experiētia videmus) operatur: ita sol in cœlo collocatus, ꝓpria & singulari sua influentia sine vlla auxiliari vi & qualitate formas nouas infinitas gignit: omnia ergo primo mouentia & mota nō sunt coniuncta & simul, sed satis est si virtute vniantur. Si dicas Scotum esse Iohannē ad oppositū Aristoteli hoc in loco: respondebit se ita non esse, nec non demonstrabit Philosophū solum intelligendū hic esse de causis physicis, agentibus per qualitates formasque naturales actiuas, quæ non sunt principia agendi in remota: quippe formæ naturales agere non possunt in remota nisi prius vel ipsæ vel aliquid in ipsis existens in media proxima & vicina egerit. Sed caue, studiose lector, nā hæc opinio suos laqueos habet: si enim quippiā in rem longius distantē immediate ageret, rationem certe non video, cur cuilibet naturaliter agenti sphæra & scopus (vltra quem illius vires non sunt effusæ) a Philosophis præscriberetur. Insuper, non video quorsum affirmet Scotus, solem per proprietatem substantiæ posse in hoc sublunari mundi globulo efficere mures, aliasque res propemodum infinitas sine medio, cum ipse fateatur lucē solis non posse disiūcta corpora illustrare nisi per

Dubium.
Auicena in l. de anima.
Alex. 1. Meta. Scotus Antesignanus. in 1. d. 37. q. vnica.
Scotus Iohannes ad oppositum.

Causa cur natura abhorreat a vacuo.

media: Postremo, non video qua ratione vacuum neget si hoc affirmet; nam hæc præcipua causa videtur esse cur natura tantopere à vacuo abhorreat, omniaque corpora tam sollicite in vniuerso sese aliis adiungant agglutinentq;, quia inferiora multis & magnis interuallis spaciisque à cœlo dissita & disiuncta, vim & influentiam sine intermediis non possint suscipere.

In Monologio cap. 22.

Nugatoria certe hæc est interpretatio Aristotelis. Nam certum est non posse non mouens & mobile esse simul. Pulcherrimum est illud D. Anselmi nostratis testimonium, qui idcirco concludit Deum vbique esse, quia vbique agit & omnia mouet; quasi diceret, necesse est vt agens & patiens, mouens & mobile sint simul: si ergo Deus operetur vbiq;, omniaque moueat, necesse est vt Deus per essentiam vbique totus & simul in suis creatis maneat, maneantq; illa in Deo, sine quo omnia vmbræ sunt, nihil sunt, ipse autem sine omnibus præpotens in sempiternum. *Deus, O Deus, semper & simul nobiscum maneas; in te enim soli viuimus, mouemur, & sumus. O terque quaterq; beatos, si nos vna tecum motore viuere, mouere, & esse digneris!*

Act. 17.

Distinctio quæstionis, Vtrum omne mouens & mobile sint simul?

Ad vberiorē intellectum huius quæstionis, distinguendum est inprimis; quotuplex sit
- Mouens, q; ad institutum habetur duplex:
  - Primariū, & hoc est vel
    - 1 Metaphysicum respectu omnium, vt *Deus.*
    - 2 Physicum & naturale, respectu eorum quæ vi naturæ fiunt, eueniuntque per motum, vt *Sol.*
  - Instrumentarium. Vide in sequent. pag. literam A.
- Mobile. Vide in seq. pag. lit. B.
- Simul esse. Vide in sequent. pag. lit. C.

A Instru-

A Instrumentariū, quod est vel

1 Vniuersale, respectu primæ causæ, & sic tota natura omnisq; secunda causa instrumentum mouentis Dei appellatur.

2 Speciale, respectu cuiusq; totius, & sic pars (per quam totum agit secundo de Anima) instrumentum dicitur, vt organa sensuum aliarumq; potentiarum, vt manus, pes, &c.

3 Accidentale, respectu actiuæ virtutis in illo, & sic qualitates actiuæ instrumenta dici possunt, vt calor in igne, splendor in sole.

4 Artificiale, respectu artis, quod ideo ab hoc loco excluditur, quoniam est simpliciter passiuum: vt malleus & serra, quæ nihil operantur ex se, sed virtute alterius: ea vero instrumenta in hac quæstione intelligenda sunt, quæ vim in se actiuam habent; quippe mouere hoc loco est nihil aliud quam *aliquid efficere, & causare* (vt aiunt) *in alio, quod artificiosa instrumenta non possunt.*

B Mobile, quod est vel

1 Metaphysicum, vt *finitus spiritus*, qui immediate à Deo primaque causa mouetur: spiritus enim omnis in corporea substantia moueri posse dicitur, præter solum Deum qui mouet omnia, ipse vero moueri non potest.

2 Mathematicum, vt omne artificiale, quod in se motum nō vi sua, sed vi artis habet, vt *horologium, nauis, mola.* Sed animaduertendum est hæc mobilia in hac quæstione proprie non intelligi.

3 Physicum, quod est (vt modo diximus) vel vniuersale vt *natura*, atque secunda causa actiua: vel speciale, vt *manus* respectu corporis: vel Accidentale, idq; vel ad *vbi*, vt in loci mutatione, vel ad qualitatem, vt in alteratione, vel ad quantitatem, vt in accretione & diminutione.

C Simul esse, quod est vel

Loco, eodémque aut

1 Communi, & sic quę communiter mouent & mouentur simul sunt; sed non proprie, vt Aristot. hoc loco intelligit.

2 Proprio & proximo, cum nihil inter mouens & mobile sit intermedii: hoc est, cum mouens & mobile, vel per se, vel per accidens in eodem loco contineantur, vt *corpus* & *anima*.

Contactu, qui est duplex

1 Metaphoricus, seu (vt aiunt) virtualis, qui est quando mouens habet virtutem & imperium in passiuum; vt cœlum in hæc inferiora, in quæ non coniuncta loco, sed remota virtute, non cohærētia sed influentia agit.

2 Physicus, qui est cum mouens primarium tangat mobile, id est, quando eorum extrema sunt simul, & sic non semper requiritur vt mouens & mobile sint simul contactu, scilicet extremitatis, sed virtutis, licet in serie & ordine rerum omnia corpora, & inætherea & in elementari regione mundi sint contigua, vt per media salutares influentiæ & qualitates ab illis ad hæc deuehantur. Notandum tamen hic est, sententiam Aristot. eo tendere, vt probetur omne mouens proximū esse simul cum mobili, id est, sic coniungi & copulari cum eo, vt nullū inter vtrūq; sit mediū. Nam quamuis cœlū longissime distet à terra, eamq; sola virtute & influentia tangat: virtus tamen seu influentia (quæ est proximum mouens) simul est cum terra, quam ad hanc vel ad illam rem producendam mouet, & sic generatim defenditur hæc quæstio, quod mouens & mobile sint in omni genere motionis simul.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Cœlũ est mouens, & globus mundi inferior est mobile; sed hæc non sunt simul: ergo mouens & mobile non sunt simul. Assumptio probatur, quia cœlum loco à centro longissime distat.*

Cœlum virtute coniunctum terræ.

Resp. *Quanquam cœlum (vt modo dixeram) non sit loco, virtute tamen est coniunctum terræ; & hæc virtus (vt proximum agens mouensque) simul est cum ea parte terræ, ex cuius gremio nouam formam elicit.*

Arist. lib. 9. de natura animalium.
Lupi Marin. videre priores Vir. in Bu. Pli. lib. 8. c. 2. Sol. cap. 8.

Opp. *Telum proiectum est mobile; sed non est simul cum proiiciente: ergo mouens & mobile non sunt simul. Multa sunt exempla destinata in hunc finem; verbi gratia, id quod appetitur non semper est simul cum appetente; luna mouens mare non est simul cum mari, ignis nonnunquam calefacit remota cum quibus non copulatur; polypus manum piscatoris absentis inficit, fascinatrices loco disiuncta mira & stupenda faciunt; finis est mouens caussa & tamen cum re quã mouet non est simul; basiliscus suo visu & sibilo absentem interimit; lupi cõspectus raucedinẽ inducit; Catoblepas solo intuitu visq; ad mille passus hominem distantem occidit vt ait Plinius, & testatur Solinus. Mouentia ergo & mobilia non sunt simul & continua.*

Cur medium non alteratur virtute mouentis.

Resp. *Quoniam decretum est speciatim plures quæstiunculas de istis exemplis propositis statim mouere, generatim nunc omnibus sic respondeo; nimirum simul hæc esse virtute, quod sufficit. Nam virtus effusa à mouentibus motuq; impressa, simul existit cum re mobili (vt liquido & manifeste constat) quæ virtus non sine medio traiecta est. Verum si hic quæras, cur media eadem virtute seu qualitate non alterentur? dico hoc fieri, quoniam ea non sint apta ad recipiendam impressionem. Nam vt sigillum in aqua fluente non figit aut formas imaginem, sed in cera aliaue materia, quæ capax est imaginis: ita mouens in omni medio aut termino subiecto sibi non relinquit effectum motus, sed in eo solum quod est capax impressionis. Hinc quamuis ætherea & cœlestia corpora agant in inferiora per media, agendi tamen symbola & effecta maxime in centro mundi perspiciuntur impressa. Terra enim est quasi cera, in qua chirographum naturæ infinitis characteribus ornatum & depictum videas.*

Opp.

Opp. *Generans cum generato, corrumpens cum corrupto non minus sunt simul, quam locans cum locato, augens cum aucto, &c. ergo minus apposite agit Arist. cum hac excludat. Antecedens probatur infinitis exemplis in vtroq; genere motus, sed sit vnum instar omniũ. Virtus solis effectiue generat omnia, vt docet Philosophus; sed virtus solis est simul cum generatis, vt hoc loco conceditur: ergo generans cum generato est simul.* *Meteor. lib. 1.*

Resp. *Quidam respondent, perfectiue generans & generatum non esse simul, quia potentia generantis cessat cum res perfecte generatur: progressiue autẽ aiunt simul esse; nã quãdiu est natura in progressu ad formã, tamdiu solis virtus operatur. Alii respondent generationẽ & corruptionem hoc loco sub alteratione contineri. Alii denique soluunt hunc nodum, dicentes generans & generatum, corrumpens & corruptum ab hoc theoremate excludi quia sunt inter terminos contradicentes, quorum vnus est non ens, quod non potest esse cum ente absoluto simul.* *Generans & generatum qui dicantur simul esse.*

Opp. *Obiectum mouet potentiã, vt color visum, idq; quod intelligitur intellectum; sed neutrum horũ simul est cum moto: ergo omne mouens & mobile non sunt simul. Minor probatur, quia si sint simul, id est, nihil intermedii habeant, non esset omnino sensus; sensibile enim positum supra sensum non acuit, sed obtundit & extinguit sensum.*

Resp. *Quamuis in multis primariis instrumentis naturæ requiratur physicus contactus mobilis & mouentis, in nonnullis tamen satis est si virtus ab illis fluens fusaque per media attingat mobile: & sic species coloris per aerem recta ad sensum tendens aspectum alterat, alteransque simul cum aspectu dicitur, vt ante non paucis exemplis & argumentis demonstraui.* *Satis est virtute aliqua simul esse.*

Dubia quæ eliciuntur ex interpretatione textus, Vtrum ferrum & magnes sint sola virtute simul?

Opp. *Ferrum & magnes non videntur sola virtute simul, primum quoniam (vt maximi nominis philosophi existimãt) ferrum ad magnetem vt res ad locatum fertur, locatum autem naturaliter non solum locum suum appetit, sed in eodem adæquate continetur. Præterea, experientia docet ma-*

gnetem in amplexibus suis tenere ferrum, idemque in suam ipsius substantiam & centrum attrahere; constat ergo non solum virtute, sed etiam naturali contactu utrumque, ut mouens & mobile esse simul. Insuper, si dicas sola virtute hac cohærere simul, peto an virtus eadem effusa & traiecta insit in ferro necne? si neges, dic quomodo excitetur ferrum ad motum: si affirmes, coactus etiam concedes unā qualitatem esse effectricem contrariorum motuum in ferro, prout magnes sursum aut deorsum collocatur: at nulla virtus naturalis est principium motuum contrariorum; quoniam (ut est in lege Philosophorum) idem ut idem natum est idem facere. Si virtus transfusa sit, quæro an naturalis sit, an non? si naturalem esse dicas, urgeo hoc fieri non posse, quia nihil naturale aliquid contra naturam mouet; sed magnes ferrum sæpissime sursum contra naturam trahit; ergo virtus illa non est naturalis. Imo hoc etiam addo, ferrum a magnete consumi, quod non fieret si virtus illa esset naturalis. Quid multis? si naturalem hanc esse virtutem neges, lupum, ut aiunt auribus tenebis; nam quomodo per sympathiam & consensum trahet si non sit naturalis? at collegium & synodus Philosophorum in hoc conspirant, nempe quod ferrum virtute physica per sympathiam ad magnetem rapiatur.

Lex philosophorum.

Resp. *Ingeniosa quidem est inter philosophos de magnete & ferro concertatio, mirabilia enim de eo à Platone, Aristotele, Plinio, aliisq; dicta sunt. Herculea sane vis est istius lapidis, quod ferrum non solum alliciat, sed in medio etiam aere quasi miraculose libratum teneat: ut de simulachro Arsinoës reginæ diu in Ægypto Democratis artificio constructo, de signo solis Alexandriæ in templo Serapidis suspenso, de Mahumetis idolo in aere pendente historia narrant: sed ad institutum revertor. Non defuit Thales (teste Aristotele) qui magnetem lapidem animatum esse existimauit, uique animæ ferrum attrahere. Non defuerunt alii (ut Democritus & Epicurus,) qui atomis emissis ex magnete, & multiplicatis in aere ferrum attractum iri ridicule somniarunt. Non desunt hodie qui id ipsum à magnete ut à fine ad se vocari pertinaciter defendant. Sed istis opinionibus explosis & rejectis ut indignis philosophorum calculis, ad argumenta nunc venio; hoc uno tamen præmisso, quod existimem magnetem per quali-*

Plato in dialogo qui Theophrastus inscribitur.

Thales magnetem animatum esse putauit. 1. de anima cap. 2. tex. 32.

Varia opiniones de magnete.

qualitatem transfusam in medio, eandemq; impressam in ferro hoc opus effectum dare, idq; non sine consensu partium & sympathia. Nam ut succinum paleam & vivum argentũ auri fragmentum, ut Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, sena melancholiam trahit: ita adamas ferrum; sed illa omnia ex proprietate substantiæ, ergo hic etiam innata virtute sua. His omissis ad primum argumentum respondeo, quatuor esse causas cur existimem ferrum nõ moveri ad magnetem ut ad locum suum naturalem: prima est, q distantia nulla impediat rem naturalem quo minus ad locũ naturalẽ feratur; sed ferrum in loco tam longe distanti poni potest ut non trahatur ad magnetem: ferrum ergo ad magnetem ut ad locum suum naturalem non fertur. Secunda causa est, quod magnitudo corporũ moti nõ impediat quo minus locum naturalem petat, imo eo velocius ad suũ locum fertur; sed magnitudo ferri impedit quo minus trahatur ad magnetem: nõ ergo ad eundem fertur ut ad locum suum naturalem. Tertia est, quod locus (utcunq; sit affectus) motum rei ad destinatum finem & quietem non impediat; sed si magnes ungatur oleo ferrum non movetur ad magnetem: ergo ut ad locum naturalem ferrum nõ movetur. Postrema est, quod corpus naturale utcunq; affectum aut extra suum locum positũ, feratur tamen ad locum naturalem; sed ferrum rubigine exesum, aut extra suum locum & sedem quietis positũ non trahitur ad magnetem: non ergo magnetem ut locum naturalẽ respicit. Ad secundum argumentum dico, ferrum non moveri, sed in sinu veluti & amplexibus magnetis quiescere, seq; in substantiam illius amicissime quasi insinuare. Ad tertiam rationem, eandem virtutem ferrum ad motum excitare quæ à magnete fluxit; neq; absurdum existimo eandem rem esse contrariorum effectricem causam, si alio alioque modo vel ipsa afficiatur, vel res in quas agit. Sic sol in ariete positus est causa veris, in cancro causa æstatis, idemq; sol numero indurat lutum, & cerã liquefacit; cur ergo non dicamus vim magnetis sursum aut deorsum posse ferrum attrahere, si alio alioque loco & modo ponatur magnes? Quare ubi addis vim nullam naturalem esse principium motuum contrariorum, remq; eandem semper esse natam ad eundem effectum producẽdum, respondeo hoc verum esse si eodẽ modo causa & effecta afficiantur. At dubitas in quarto argumento, an hæc

Sententia authoris de magnete.

Resp. Arg. 1. Quod ferrum non moveatur ad magnetem ut ad locum, quatuor causæ assignantur.

Magnes oleo inunctus non trahit ferrum.

Arg. 2.

Arg. 3.

Res eadem quæ causa contrariorum.

Arg. 4.

Magnes est quiddam perfectius ferro.

virtus transfusa à magnete sit naturalis: quia & contra naturam ferrum (quod est graue) in altum nonnunquam trahat. & quoniam attractum idipsum deuoret & consumat. Accurate disputas, sed respõdeo magnetem quiddam perfectius ferro. Ferrum enim respectu magnetis aliquid imperfecti & incompleti habet. & ita non est contra naturam ferri sursum ad amicũ moueri. Nam etsi videatur esse contra naturam sic grauitatem ferri: non est tamen si magnetis virtutem, & ferri substantiam sequacem & obsequentem spectes. At dices si non sit contra naturam hæc vis in magnete, qui fit vt ferrum vicinum magneti ab eodem deuoretur? Agnoscendum quidẽ est (nisi velim classicos doctores in philosophia negare) ferrum in dies diminui à magnete, sed hoc non fit contra naturam. Nam quemadmodum non est contra naturam vt alimentum commutetur in naturam aliti: ita non est cõtra naturã vt ferrum transmutetur in substantiã magnetis. At dices, sunt hæc diuersa specie: sic quidem sunt animantia & alimenta quibus augescunt & nutriuntur: cæterum non somnias (vt opinor) ferrum esse alimentum magnetis. Quid tum? nihil tamẽ obstat quo minus vnum in alterum commutetur, & constat in elementis mutuo inter se commutatis. Sed vt inter hæc illa citius conuertuntur & transeunt quæ dant symbolum, & sunt qualitate copulata: ita ferrũ quod in substãtia sua imitatur magnetem, & facilius eidem associatur, citius in illius naturam cõuertitur. Neq; est hoc ipsum cõtra naturam ferri cum attractio eiusdem (quod est medium quo fit) sit naturalis: imo finis & perfectio ferri est vt sic transeat, nobiliorq; substantia fiat. Non multus ero & molestus verbis. Etsi ergo virtus in magnete moueat nunc ferrum sursum, nunc deorsum, etsi attractum in substantiã sensim & pedetentim vertat suam: est tamen non minus naturalis quam virtus lunæ, quæ mari impressa fluxum & refluxum contrarios motus facit. Vt ergo influentia lunæ mari impressa facit illud fluere & refluere, nec non ad diuersas differentias positionum moueri, secundum alium aliumque aspectum lunæ: eodem prorsus modo virtus magnetis ferro impressa idipsum nunc sursum, nunc deorsum mouet. mouet (inquam) naturaliter: naturalem ergo hanc vim magnetis & hunc motum ferri esse negamus, sed sic illum trahere, trahique hoc dici-

Perfectio ferri est in magnetẽ transferri.

tur

mus, vt herbæ salutares suos proprios humores trahunt, qui postea natura vi (si sunt infesti) expelluntur.

Cur acus magnetis attritu temperata Septentrioni se obuertat, polumque Arcticum semper veluti in æquilibrio fixa & quieta demonstret?

Opp. *Multi caussam huius rei duplicem assignant, vnam vim attractricem in adamantinis & sublunarib. illis mōtibus qui septentrioni (vt aiunt) subiiciuntur; alteram polarem stellam, quæ sua influentia copiosam vim fieri & magnetem gignit. Sed contra vtramq; hanc caussam sic disputo. Primum dubitatur à multis, An sint tales omnino montes, imo à non paucis tales negantur esse: at si sint, duæ rationes me monent vt existimem hanc in illis attractiuam virtutem non inesse; primum quia longissime distant ab aliis partibus mundi ad quas penetrare hæc virtus non potest, tum si ob hanc caussam fiat hic motus, cur non fieret in aliis partibus mundi, in quibus magnetes abunde generantur? vt Magnesia, quæ (vt Lucretius ait) magneti nomen dedit:* *Vt Fracastorius in lib. de Antipathia cap. 7.*

Quem magneta vocant patrio de nomine Graii, *Lucret. l. 6. poematis.*
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

Sed vt experti scribunt, neq; in Magnesia, nec in Illua insula, nec in Æthiopia talis acus autgnomonis est omnino rectio, quamuis illæ loca sint tam feracia magnetum, vt homines illuc nauigantes in magnum trahantur periculum, nisi naues ligneis clauis non ferreis conglutinentur. *Magnesia Illua & Æthiopia magnetibus feracia.*

Resp.

Quidam (vt ais) acum intinctam magnete idcirco ad septentrionem quasi ad natiuum solum se vertere asserunt, quoniam illic est magna copia magnetum in altissimis montibus sepulta, a quauis attractiua in omnes regiones mundi transfusa est; sed tecū consentio, & hanc opinionē canonicā non esse puto. Præterea vim alterius argumenti tui non nego; nam par quidem esset ratio aliorum locorum & æqualis virtus vertēdi, præsertim cū constet in illis abunde magnetū (vt

ais) generari. Sed audi, curiose disputator, cur tam sollicitus es in scrutandis mysteriis Dei? audi (inquam) Philosophiae, qui ait multa occultasse mortalibus Deum. Multa nos mirari voluit natura, nimis altum sapere & scire noluit. Sed quoniam ad sobrietatem scire desideras, modeste respondeo interrogatis, & affirmo mea quidem opinione duplicem esse causam huius motionis, vnam in polo mundi, alteram in ipso magnete, vtramque abditã & occultam. Per polum mundi intelligo non solum polarem stellam, sed vicinas partes vtrique polo, in quibus vis est generatrix magnetis, & attractrix ferri, vt est in sole vis heliotropion aliasque herbas trahendi, quae se vertunt semper ad solem floresque suos clausos expandunt ad splendidam illius faciem. Quod vero talis sit virtus in illis partibus generandi istiusmodi lapidem hoc mihi argumento est, quia syderum septentrionalium influentia est frigidissima & ex natura sua, & etiam per absentiam solis; altera causa in magnete latens hinc apparet, quia vis data cuivis est vt trahat ad se similia. Cum ergo in illis partibus potissimum generetur magnes, non dubitandum est quin vis quoque naturalis data sit vt appetat agglutinari ferro, quod ei in essentia proxime accedit. Sed haec vis tota ei non conceditur, imo fere totam hanc vim caelo acceptam refert, à qua & essentiam & influentiam istam motricem sumpsit. Hoc dato, quia vis magnetis saepe per se deficit & hebescit propter distantiam loci, & idcirco alia causa assignanda est, quam in ea parte caeli ponimus, quae frigido aspectu frigida effecta gignit.

2. *Causa cur acus magnetis attritu septentrioni se obvertat.*

Syderum septẽtrionalium influentia est frigidissima.

Vis cuivis data est, vt ad se trahat similia.

An magnete corrupto virtus eiusdem in ferro maneat?

Opp. *Sublata causa tollitur effectus: corrupto ergo magnete qui est causa huius virtutis, ipsa virtus quae est effectus tollitur. Praeterea, vt praesente sole heliotropion expandit florem, absente claudit: ita viuẽte (vt ita dicam) magnete virtus in ferro viuit, moriente vero illo virtus haec ipsa cadit.*

Resp. *Duo in hac virtute magnetis considerari possunt, generatio, & transitio: illa quidem extincto magnete simul labefactata concidit, haec vero non tollitur: fixa enim est in ferro, illiusque propria veluti possessio est. Expertus loquor, qui*

Duplex consideratio magnetis.

vidi

Vidi in periti artificis officina fragmenta ferri olim tincta magnete se inuicem trahentia, cuius rei aliam causam assignare non possum, quam quod virtus à magnete traiecta in ferro iam infixa mãserit: pars illa ergo quæ magis tincta fuit alteram trahebat. Ratio altera à simili parum virium & momenti habet, quia impar est comparatio, vt cuiuis lectori studioso euidenter apparet. *Experientia authoris de magnete.*

An mouens eadem qualitate medium afficiat qua subiectum remotum afficit?

Opp. *Videtur afficere; nam sol lumine & calore aereum mediũ sic afficit. Præterea hoc quæro, quomodo potest mediũ ferre fluentes qualitates ab aliis, nisi iisdem afficiatur?*

Resp. *Non nego quin mouens semper per media in remota agat, multa tamẽ media non retinent vt subiecta easdem qualitates quas ferunt; insunt enim qualitates in illis solum subiectis quæ apta sunt ad recipiendam impressionem: medium ergo est sæpe vt* subiectum quo. *Si vis apertius loquar; vt tabellarii nonnunquam ferunt bona quæ sua iure non sunt: ita media sunt quasi vehicula earum qualitatum & virtutum quæ frequenter ab aliis principiis fluunt. Sic (vt exemplo priori instem) licet vis magnetis transuecta sit per aerem mediũ, aer tamen non trahit vt magnes, aut trahitur vt ferrum: satis est vt sit fidelis quasi nuncius naturæ, præstetque officium medii. Non tamen hic nego quin etiam medium eadem qualitate, & eodem modo afficiatur aliquando, vt aer lumine aut calore priusquam corpus remotum incalescat.* *Media sunt vehicula qualitatum quæ à mouentibus fluunt.* *Medium aliquando imbuitur qualitate mouentis.*

An fascinans sit simul cum fascinato?

Opp. *Non est omnino fascinatio: ergo inanis & otiosa est hæc quæstio. Antecedens probant luculenter Wierus Germanus, & Scotus Anglus ille, qui in probando antecedẽte istius enthymematis volumen scripserat. Sed pergam; si concedã esse, probo tamen non esse fascinantes cum fascinandis simul. Nam quis non videt absentes fascinari? Præterea, quandoquidem fœdere inito cum dæmone fiat fascinatio, legationum* *VVierus, Scotus negarunt fascinationem esse.*

potius dæmonum quàm præsentiam hominis requirit: antiquus enim serpens, dormiente & absente venefico (modo consensum & animum venefici sacrificium habeat) in quouis loco distante homines, belluas, plantas effascinare potest: at nulla fascinatio sine dæmonis auxilio fit: non ergo ex necessitate requiritur fascinantis & fascinati coniunctio, vt sicut mouens & mobile sint ea semper simul.

VVierus de præstigiis dæmonum.

Ingenia acuta Delphici gladii.

Resp. *Wierus Germanus ille medicus, vir doctus, non aliter magiam dæmoniacam, quam Erasmus stultitiam, Agrippa vanitatem & ignorantiam scientiarum laudat. Acuta ingenia humana sunt quasi Delphici gladii, qui in omnem vsum inseruiunt. Scoti Angli volumen Epitome Regis Scoti doctè & sapienter refutauit. Sed procedam, & ad probationē tuam firmiorem respondeo, posse quidē per dæmonem absentes fascinatrices virus malitia effundere. Sed hic quæritur, An fascinans sit simul cum fascinato? Naturaliter fascinātes appello eos, qui pestilenti afflatu torvoq; aspectu aerem inficiunt, noxiumq; & toxicum venenum non aliter quā iaculum infectum in fascinandos expuunt & effundunt.*

Qui naturaliter fascinantes sunt.

Vetulæ cur fascino magis subditæ Solinus cap. 4.

Huic generi fascini vetulæ sunt magis subiectæ quam viri, quoniā fuliginosis humoribus vaporibusq; (suppressis menstruis) magis abundant, & quoniam intentius diutiusq; rem intuētur (vt experientia docet) cum felle inuidia aut studio nocendi concitantur.

Vis mensium suppressorum. Plinius lib. lib. 7. cap. 15.

O quam pestilens est halitus suppressorum mēsium in vetulis & veneficis, cum in Dianis & castis iuuentibus eorum vapor speculum inficiat, aciem gladii retundat, lepram luemq; veneream gignat? Sed melius est hæc tacere quam effutire, nisi occasio vrgeret vt ostenderem, cauendum esse a vetulis malorum morum, in quibus suppressa & occulta ista venena latent: quasi ex oculis, naribus oreq; fœtido in rosas & lilia euolent (vt sæpe per halitus spiritusque, celeres nuncios eorum exhalantur) rosæ & lilia deflorescant necesse est. Nā vt purpura citissime labeculis inficitur: ita tenerrimæ & purissima complexiones eiusmodi venenis citissime vulnerantur. Sed hæc obiter de fascinatione.

An nullum omnino sit mouens, mobile, aut motus sine medio?

Opp. *Multa sunt mouentia & mobilia simul contactu*

vt

Vt hic docetur: ergo medium non requiritur. Ea enim contactu sunt simul, quorum extrema sunt contigua continuaque. Porro, si nullum mouens moueat sine medio, primum mouens (id est Deus) indigeret medio, non solùm in circũuoluendo cælo sed in omni miraculo operando, quo nihil dici potest absurdius, nihil irreligiosius. Postremo, cum intellectus in se versus seipsum moueat, medium quæro; nullum certe assignari potest: sequitur ergo non omne mouens carere medio. Huc addo internas formas, & qualitates actiuas, quæ ipsis mouentibus proxime inhærent, nec non agunt sine medio. — *Quæ simul contactu.*

Resp. *Contactu multa sunt simul, inter quæ (vt docet Philosophus) nihil est intermedii. Cæterum cum dicat nullum mouens agere sine medio, intelligit actionem & motionẽ quæ à mouente in remotum subiectum transit. Alii probabiliter etiam sic respondent, nullum mouens (excepto primo motore) agere in vllum passum sine medio, aut interno aut externo, quidem est instrumentum agentis; sed primum responsum quibusdam magis placet. De metaphysica & miraculosa actione Dei (vt in creatione mundi) nihil dico: concedit enim Philosophus Deum actu infinitum esse, qui potest omnia ad suum arbitrium agere; in hoc tamen nobis mortalibus relinquit exemplum, vt existimemus nihil in rerum natura fieri posse sine medio, quoniam ipse rarissime quicquam agit sine instrumento.* — *Nihil agit sine medio in quibus tenet Phys. lib. 8.*

An quatuor sint solum species motus localis violenti?

Opp. *Species enumeratæ à Philosopho in textu sunt pulsio, tractio, vectio, & volutatio; sed multa sunt alia violenta motiones præter istas: ergo non recte quatuor solum enumerantur. Assumptio probatur, quia flagellatio, vulneratio, occisio, sunt motus violenti; huc addi possunt terræmotus, fulguratio, aliaq; sexcenta impetu facta motiones quæ hic non recensentur.*

Resp. *Hæ quatuor species primariæ sunt, ad quas analogice omnes reliquæ impetu & vi factæ reducuntur. Vt ad pulsionẽ impulsio & expulsio, omnesq; impetus in quibus mouens aliquid à se abigit. Est enim pulsus (vt iterũ definiã) cũ mouens* — *Quatuor species violenti motus primaria sunt.*

aliquid à se violenter remouet. Tractio, cum aliquid aliud ad se rapit. Hinc in pulsu (quod est notandum) mouens est terminus à quo, *in tractu mouēs est terminus* ad quem. *Vertigo seu rotatio est motus per accidens ex pulsu & tractu cōpositus; vt si mulier rotam voluat, partem superiorem à se pellit, partem vero inferiorem ad se trahit: ex tractu ergo & pulsu rotatio constat. Vectio deniq; est etiam motus per accidens, à pulsu aut vertigine deductus; qualis est motus nauis qua vndarum pulsu, velorum tractu, circulatione ad arbitrium gubernatoris vertitur.*

An inspiratio & expiratio sint violenti motus?

Opp. *Videntur non esse, cum sine istis motibus non sit, non viuat homo. Id enim est naturale quod maxime conseruat; id violentum quod destruit & prosternit naturam. Sed inspiratio & expiratio conseruant vitam humanam, non vulnerāt: ergo sunt naturales motus. Praterea, contractio & dilatatio pulmonum sunt motus naturales quibus inspiratio & expiratio fiunt; naturales ergo sunt ista motiones.*

Resp. *Volumen requireret hac seges orationis si ex medicis & philosophis solum à me lecta de hac re dicerem; sed vt per pupillam vnius oculi cœlum immensum, cœliq; innumeras stellas vno aspectu videas: ita quasi per rimulam mente recollecta cernas in hac quastione mysteria. Inspiratio & expiratio sunt illa quidem motiones naturales, & non sunt naturales. Naturales si motum pulmonis, non naturales si motum aeris spectes. Est enim naturale pulmonibus respirare, trahi vero in centrum corporis, indeque expelli est non naturale; tractus enim & pulsus sunt motiones (vt hic docet Philosophus) violenta. Violenta (inquam) non simpliciter contra naturam, sed ex parte & secundum quid (vt aiunt) prater naturam. Id enim simpliciter contra naturā est quod corrumpit & prosternit penitus naturam (vt aio) id vero prater naturam cum res prater solitum morē, ordinem, aut dispositionem mota redeat ad naturam suam; vt aer vi inspirationis attractus, viq; expirationis iterum expulsus nō corrūpitur, sed rediens ad natiuam qualitatem suam eandem substantiam & existentiam habet.*

Inspiratio & expiratio qui motus naturales, qui non. Violentum duplex.

An

An Echeneis (piscis ille *remora* dictus) vi sua immobilem nauem reddat?

Opp. *Quid culex ad elephãtem? quid remora ad nauem? moles immẽsi maris pisciculi mordicus affixi vires facile extinguit: certum est non remoram esse caussam stationis, sed signum quod non longe distent rupes seu montes, in quibus vis est remorandi naues, vt in magnete virtus trahendi ferrum, & in Theamide idipsum abigendi.*

Fracastorius in lib. de Antipathia & Sympat. ca. 4.

Vide Ari. li. de Historia Animalium 2. c. 14.

Plin. li. 36. c. 16.

Resp. *Antiquitatis & veritatis nuncios, nempe historicos non negabo: respondeo ergo vel cum Fracastorio, piscẽ non esse caussam retentionis sed signum, nempe quod sint montes (vt ais) in quibus vis sistendi inest: vel cum Scoto vacuum per agglutinationem pisciculi effectum proximam caussam existere: vel denique cum Scaligero, non esse quærendam caussam omnino in istis miraculis naturæ, quia (vt Theophrastus recte ait) qui de omnibus rationem quærũt primam caussam rationis negant.*

Historici veritatis nuncii.

Exer. 18. aduersus Card.

Aliud dubium, Cur lebetis fundus non excandescat cum efferuescat liquor?

Opp. *Fundus lebetis in quo continetur liquor est proximum quod patitur impetum & furorem ignis: maxime ergo incalesceret. Præterea, æs est metallum frigidum & vndique compactum: impressam ergo flammam diu retinet, vt cãdens ferrum: at penetrari debet fundus lebetis antequam liquor efferueat.*

Lege Arist. in Problematis, sectione 24. Problem. 8.

Resp. *Liquor in vase contentus caussa est cur fundus eiusdẽ non excandescat, vt experientia manifeste docet: quippe vas plumbeum aqua feruente plenum & appensum flammis non liquescit: at liquore effuso vacuum statim fluit. Ignis ergo toto impetu humidum vase contentum inuadit, partesq; externas veluti intactas relinquit: quod quidem hinc cõstat, quoniam in humido maxima est resistentia, & proinde acerrima pugna. Agnosco tamen ignem primum in fundum lebetis agere: sed quoniam acriorem intus hostem (nempe liquoris humiditatem) sentit, via aperta per poros irruit in illum, & fundo tanquam instrumento socioque istius belli vsus;*

expellere aut in suam naturam conuertere contendit. Vt ergo milites obsidentes ciuitatem primum mœnia inuadunt: quibus concussis in hostes ruunt & occidunt: ita (si liceat hac comparare) ignis primum fundum vasis flammis diuerberat, in quem meatibus factis impetum faciliorem & vehementiorem in hostem latentem facit.

An phantasia moueat appetitum à se distantem sine medio?

Opp. *Phātasia non habet medium quo in appetitum agat: ergo immediate eundem mouet: si testimonium in hac re moueret, multi hodie philosophi idipsum affirmant, quibus si contradicas, quaro quonam medio aut instrumento ageret, cum nullam aliam potentiam anima inferiorem, suum internuncium habeat, qui dictata phantasia appetitui repræsentet? Vt ergo reflexa imago à speculo in oculum: ita refusa species à phantasia in appetitum agit: nō respectu medii: quo caret phātasia, sed respectu luminis quo appetitus immediate ad amplexum aut fugam excitatur.*

Vt Arist lib. de Iuuen. & sen. Alex 1 d. Anima. Auer 2. Coll c 7. Phantasiam cap. Appetitus in corde.

Resp. *Quomodo motio ab imaginatrice facultate ad appetitum pertingat, valde incertum est & cōtrouersum. Sunt qui respondeant immediate hoc fieri, quia vtraque facultates coniuncta sunt in corde, phantasiam & appetitum intelligo: sed errant isti, nam phantasia in capite est, appetitus in corde. Sunt alii qui probabiliter defendant phantasiam mouere appetitum per neruos, & spiritus transuolantes ab vna facultate ad aliam. Sunt denique qui affirment phantasiam neque motionem, neque speciem ad appetitum transmittere, sed aliam occultam virtutem excitatricem eiusdē ad rei persecutionem vel fugam: & hanc virtutem motricem ab actu phantasia profluere existimant, satis in se efficacem aliquando, & in hominibus & in belluis ad magnam alterationem natura inferendam: vt (teste Fernelio) pauo dum ouis incubat, si linteolis albis circumtegatur albos pullos edet. Quid moror? Alii non requiri medium omnino contendunt, modo vtraque facultas in eodem inhareat subiecto, & ab eodem oriatur principio, nempe anima, qua cæcam phantasiā multis characteribus pictam ad aliā potentiā, (puta appetitum)*

I 1 de Hominis procreatione cap. 12.

vi o

pro arbitrio & imperio vertat. Sed in hac turba & electione opinionum eam maxime approbandam puto, qua docetur phantasiam mouere appetitum per spiritus, vna cum quibus feruntur species & imagines rerum, quibus præsentatis (vt ita loquar) & obiectis, continuo appetitus ad prosequendum aut fugiendum excitatur. Sic (vt vides) phantasia est mouẽs, appetitus est mobile, media sunt instrumenta naturæ, neruj, & spiritus, res impressæ, species rerum, vsus, cognitio, cognitionis vsus in amplexu aut fuga cernitur.

Phantasia mouet appetitum per spiritus.

An sola caussa motus in proiectis sit impetus proiicientis?

Opp. *Si impetus sit sola causa, velocior esset in principio motus in proiectis, quã in medio cursu & volatu suo. Ratio est, quia vehementior tum impetus existit: sed experientia docet velociorem motum esse in medio, quam in principio: ergo impetus non est sola caussa. Præterea Arist. de hac re agens in sequenti libro medium caussam huius motionis ostendit. Postremo, si impetus sit sola caussa motus in proiectis: sequetur eandem qualitatem numero, nempe vim eiaculantis esse caussam leuitatis & grauitatis, cum sursum & deorsum proiectum volet: non est ergo impetus in proiectis sola caussa motus.*

Arist. 3 de cœlo t. 28. & 8. P. t. 82. & in libello de insomniis cap. 2.

Resp. *Cum defendimus impetum proiicientis solam caussam motus in proiectis: intelligimus solum esse caussam primariam: non ergo excludimus medium, nempe aerem cuius partes paulo post initium motus magis concitata sunt, vnde velocior motus est in progressu, quam in primo gradu & principio fuit. Non est quod vrgeas in 2. loco Arist. nam agnosco illum medium causam istius motus nominare, sed audi: caussam sine qua non, & minus primariam intelligit. Ad postremum dicendum est impetum nec grauitatem nec leuitatem dici omnino posse, licet sit caussa mouendi sursum & deorsum aliquando: sed esse aliam qualitatem, quæ proiectum in hanc vel illam partem rapit, prout a iaciente regitur & modificatur. Longior & molestior in expositione huius capitis fui quã par erat (studiose lector) sed quoniam oblata occasio mouendi quæstiones me longiorem fecit, in reliquis Laconica breuitate hanc molestiam compensabo.*

Impetus caussa primaria in proiectis. Medium caussa sine qua non.

CAPVT III.

An omnis alteratio physica sit in sola patibili qualitate animiq; parte sentiente?
An acquisitio possessioq; habituum sit sine vlla animi sentientis alteratione?

Sub finem capitis plura mouentur dubia.

COnnubiũ mouentis & mobilis satis iam definiuit Philosophus, (vtrumque enim semper aut loco, aut virtute simul esse edocuit) nunc de obiectis vtriusque agit, & primũ de qualitatibus, in quibus per se inest alteratio. In quibus (inquam) per se inest alteratio: nam alteratio communiter & per accidens est in multis, proprie autem & per se in solis qualitatibus quæ passiones & patibiles qualitates dicuntur in tertio genere. Hinc emergit quæstio, quam in expositione textus enucleatius tractabo, *Vtrum alteratio physica sit in sola patibili qualitate animique parte sentiente?* Apertus est Arist. percurram singula, & si qua occurrant dubia, sub finem capitis solito more breuissime attingam. Rem aggrediar, & imprimis demonstrabo formas & figuras in quarto genere qualitatis alterationem nullam inducere, tum idipsum in duobus primis generibus eo ordine quem sequitur Arist. ostendam.

Alteratio propria in qualitatibus.

Quæst.

Quod formis aut figuris res nulla alteretur sic probo. Quicquid alteratur, idipsum nomen post alterationem retinet quod antea habuit: sed res formata & figurata idem nomen non retinet: ergo res formata & figurata non alteratur. Maior innotescit, quia si æs calefiat, durescat, humectetur, vel alteretur alio quocunq; modo, post alterationem idem adhuc nomen vendicat: vt *æs calidum, durum, humidum*, aut alio modo affectum nominetur. At (vt ad minoris confirmationem accedam) si *figuram* vt *formam Cæsaris*, vel *pyramidis*, vel alterius cuiusquam rei in *ære* insculpseris, diutius non *æs* sed *statua* dicitur. Item *lignum* è quo *lectica* fabricatur, non *lignum* appellatur. Secundo hoc idem probat Philosophus ab absurdo: nam absurdum est dicere id quod fit alterari: sed omnis forma & figura fit: figurari igitur non est

Figura & forma qui fieri dicantur.

est alterari. Sed attende hic (studiose lector) animaduerte q doceat hic Philosophus formam & figuram fieri: non quod figurarum productio sit proprie generatio, sed quia ad eam similitudine proxime accedat. In figura enim non tam color quam ordo, non tam externorum sensuum propria obiecta quam proportio & lineamenta artis considerari solēt: at hæc ab arte *fieri*, non *alterari* dicuntur: ars enim æmula naturæ suam generationem habet. Phys. 2. 2.

Sequitur vt argumentemur de habitu. Quicquid ergo est habitus, idipsum est vel bonum vt *virtus*, vel malum vt *vitium*; & vtrumque est vel corporis vel animi: & denique si sit, vel est morum, vel rationis: sed nullum ex hisce omnibus est terminus alterationis: ergo nullus habitus est terminus alterationis. Discutiam paucis singulas partes minoris propositionis. Habitus corporis sunt relationes; ergo in iis non est alteratio; relatio enim nec est motus, nec motu acquiri potest. Tres habitus corporis in textu recensentur: *Sanitas, robur, pulchritudo. Sanitas* (docēt Philosophi) ad commensurationem bonamque temperiem elementorum: *robur* ad neruorum ossiumque firmitatem: *pulchritudo* ad aptam membrorum dispositionem refertur: quæ omnia in relatis esse manifestum est: habitus ergo corporis non possunt esse motus. nec motione acquiri. Notandum hoc est diligētius, nomen *habitus* & *virtutis* a Philosopho largius sumi non solum pro qualitate absoluta, longo tempore, vsu, multisque dispositionibus acquisitā; sed pro vi & facultate etiam qua res apta & idonea ad subeundas actiones suas redditur: & sic virtus non solum hominibus, sed etiam plantis, belluis, arteque factis accommodari & conuenire potest. *Habitus duob. modis sumitur.*

Pergit Arist. & ostendit habitus animi morales non esse alterationes: quia hi quoque in relatis sunt. Quod vero sint in relatis sic probat, quoniam nulla virtus afficit subiectum, nisi obseruatis circūstantiis temporis, personarum, rerum: nullum vitium his neglectis animum vulnerat & deprauat. Deinde quicquid est perfectio aut defectio à perfectione, id nō est alteratio: at omnes virtutes moris sunt perfectiones, vitia autem sunt defectiones ab eadem perfectione: ergo habitus moris non sunt alterationes. Quid restat? nihil cer-

te nisi vt concludat Philosophus non esse alterationem in habitibus mentis, vt in cæteris demonstrauit. Verbo sic ratiocinatur. In relatis nulla est alteratio: atqui sciẽtia, omnisque rationis mentisque habitus est relatio: ergo nulla scientia nullusque rationis mentisque habitus est alteratio. Assumptio comprobatur, quoniam omne id quod acquiritur nulla in nobis facta sensibili mutatione est relatum, vt lib. 4. Physicorum cap. 2. traditur: sed scientia omnisque rationis habitus acquiritur nulla facta in intellectiua facultate sensibili mutatione: quippe scientes euadimus ex sola pręeunte experientia, quæ ex collecta singulorum notione oritur, ergo scientia omnisque habitus mentis est relatio. Eadem penitus est ratio si de actione scientiarum dispures, quę est contemplatio. Duo ergo circa habitum scientiæ consideranda sunt, alterum est prima eiusdem adeptio, quæ habitus: alterum vsus, qui contemplatio dicitur. Vt habitus ipse scientiæ non est alteratio: ita eiusdem vsus qui ex eodẽ proficiscitur non est, quoniam non mutat, sed perfectionem solam cum relatione ad habentem infert: cum relatione ad habentem dico quia non disponentes se, sed solum habentes scientia respicit. Hinc facilè intelligas Aristotelem non hoc loco accipere nomen *scientia* pro habitu aut actu scientiæ alicuius, ut *Physica* aut *Geometria*, sed pro perfectissimo vsu iudicij & rationis, quę adepti ad disciplinas apti idoneique reddimur, vt Collegium Conimbricense sapienter notat. Quod hic sit & non alius sensus Philosophi hoc probat, quia ab hac scientia infantes puerosque excludit, qui in tenera ætate ob nutrimẽti (vt ait) copiam, & vberiorũ humorũ omnium affluentiam, sedatos animi motus & affectus habere non possunt, vt quietæ rerum imagines per externos sensus in mentis speculum fideliter (veluti per nuncios) inferãtur, à quibus radios multiplicatos & reflexos habeant. In hac enim ætatula (quæ est tanquam aqua aut cera fluens) Minerua sigilli sui & imaginis vestigium aut nullum, aut valdè incertum imprimit: ratio est, quia pendet iudicium ab intellectu intellectus à phantasia, phantasia à sensibus externis, sensus externus ab obiectis, quæ omnia in flore ætatis lumen rationis nebula quasi obtectum fallunt, puerosq; dormientibus, ægrotãtibus, aut ebriosis similes, à litera

Lib. 5 phys. c. 2 Prior Analyt. l. 1 c. 23. Post. c. 14. & l. 2 c. vlt. & 1. Meta c. 1.

Duo circa habitum scientiæ consideranda.

In l. septimum Phys. c. 3.

ra Pythagoræ viaque Herculis angusta ad latam portam vitiorum rapiunt. Cæterum tandem humoribus motibusq; animi refrenatis, à lata porta vitiorum in portũ optimarum virtutum resiliunt, fiunque nõnunquam studio & industria sapientes. Fœlix & singularis est hæc mutatio (vt proprie hic loquar) non alteratio: mutatio qualitatis (inquam) si existentiam, non mentis, si substantiam spectes: nam antea idcirco alterationem nullam in scientia esse conclusit Philosophus, quia in acquisito habitu mens eadem immutata manet. At dices quomodo reconciliantur ista? *est mutatio, & non est mutatio.* Audi, est mutatio impropria & insensibilis in habitu, non est mutatio propria & sensibilis, vt in tertio genere qualitatis. Cum ergo dicat Philosophus in textu habitum acquiri nulla facta mutatione, non excludit omnem prorsus mutationem, sed eam solam quæ inter qualitates tertii generis per se & proprie eminet: nam aliter infestus & contrarius fuisset sibi in calce huius capitis, vbi concludit in habitibus mutationem aliquam generationi similẽ esse, non propriam autem alterationem.

Virg in Epig. Xenophon de Hercule ex Prodico Ceo Philosopho. lib. de Hom Mutatio non alteratio est à vitio so habitu ad studios in vitam. Mutatio impropria & insensibilis in habitu.

Sed hic ex textu noua suboritur quæstio, *Vtrum acquisitio possessioque habituum sit sine vlla animi sentientis alteratione?* Negat Philosophus: loquitur ergo contradicentia, fortasse ais. Quid ita? quoniam modo eodem fere spiritu dixit habitus nulla facta mutatione comparari. Argumentum hoc nego, quia illic intelligit non acquiri habitum vlla facta mutatione sensili in eodem genere, non tamen sine mutua sentientis opera & motu hoc fieri negotium putat. Præsertim cum (vt in primo Analyticorum docet) *omnis doctrina, omnisque disciplina ex antecedenti cognitione oriatur*: cui addi potest axioma illud vulgare, *nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu*: vnde liquido constat esse concursum & consensum potentiarum, adeo vt facultas illa intellectrix sine famulatu potentiæ sensitricis non ornetur. Sed (vt rem in præsentiarum tractãdam directius probem) ex textu sic disputo: virtutes & vitia, omnesque habitus versantur circa voluptates corporis & dolores: ergo non sine sensibili immutatione vel acquiruntur, vel acquisita retinẽtur. Ratio tenet, quoniã voluptas & dolor sine motu appetitus & trãsmutatione corporea esse omnino nequeunt,

Quæst. 2. Analyticorum lib. 1. c. 1. Eth. li 2. c. 3.

Præterea hoc etiam suadet relatio istorum affectuum, nempe voluptatis & doloris ad actionem, spem, aut memoriam: siquidem aut rebus præsentibus (quæ actu sensum pulsant) oblectamur, aut futurarum expectatione delinimur, aut rerum præteritarum calculis & recordatione fruimur. Sed quis est tam imprudens qui ibit inficias, istos affectus in partibus animæ sentientibus alterationem commouere? Si ergo virtutes & vitia circa voluptates & dolores versentur, si voluptates & dolores circa spem & metum, si spes & metus circa alteratrices qualitates sensus: necesse est vt acquisitio possessioque virtutum & vitiorum non sit sine sensibili aliqua alteratione.

Si ab euẽtis disputarem, vix inuenirem exitum orationis meæ. Quis enim Philosophorum ignorat quãtum & quam solidum gaudium virtutem, quantum & quam sordidum gaudium animi vitiositatem sequatur? Non vix philosophiæ sed experientiæ est, humanam naturam virtute conseruari, corrumpi autem vitio; diuturna enim vita casti, incontinentis autem breuis, molesta, misera. Quippe in virtute alexipharmacum, in vitio toxicum & venenum inest. Quid hæreo in verbis? negari non potest quin animus in corpore mersus corporeis organis, potentiis, & facultatibus vtatur: at hæc organa & facultates moueri non possunt, quin animus ipse in suis quoque partibus & potentiis aliquo modo afficiatur. Nam verissimum est illud axioma Philosophorũ, *qualis est in corpore motus, talis in animo affectus sequitur*: tanta enim est inter animum & corpus (dum vna cohabitãt) sympathia, tanta veluti amicitia, vt hoc vulnerato ille doleat, hoc quieto ille simul lætetur. Ratio est, quia mores animi sequuntur temperaturam corporis, vt docent medici. Est tamen occulta & abdita quædam vis animi, cum in seipsum & veluti in suum ipsius centrum vertatur: hæc vis in istis vitæ curriculis & palatiis rarissime apparet, in claustris autem & eremis aliquando lucet, cum homines, aut magis quam homines pleni spiritu, pleni cœlo & Deo exuuias corporis & mortalium affectuum sarcinas deponãt, solumque numen æternum contemplentur. Tales Philosophus in 1. Politic. suorum plus quam homines appellat. Ratio est, quoniam vt habet in 3. de Anima capite 5. eorum mens secundum essentiam,

Natura virtute conseruatur, vitio corrumpitur.

In virtute Alexipharmacũ, in vitio toxicũ.

Sympathia inter animum & corpus.

Qui plusquam homines.

essentiam, ab omni perturbatione libera & immunis manet, fixa in prima caussa, vnde venit, & ad quam festinanter è corpore veluti sagitta ex arcu volat.

Pulsus veræ voluptatis in virtute reperitur.

Sed age Elia, age Hilarion, Antoni, Hieronyme, omnes patres & fratres in eremo: agite, vereque & ex animo dicite mihi, an non sensistis pulsum veræ voluptatis in habitu virtutis vestræ? sensistis certe. Non est ergo vlla in hac vita vel acquisitio, vel possessio habituum sine sentientis animæ motione: nam si fuisset vlla, vos vos (sanctissimi viri) sortem diuinam sine vlla mutatione tulissetis.

Distinctio duarum quæstionum propositarum in hoc capite.

An omnis alteratio physica sit in sola patibili qualitate, parteque animi sentiente?

An acquisitio possessioque habituum sit sine vlla animi sentientis alteratione?

Alteratio duplex est

- Communis, fusoque nomine & generali accepta. eademque vel
  - 1 Realis, in omni qualitate qua fieri potest mutatio realis per repugnantiam contrarii: & sic non solum in tertio genere qualitatis, sed etiam in primo & quarto est alteratio.
  - 2 Intentionalis, in omni specie seu idea primæ vel secundæ abstractionis: & sic sensus ab Aristotele tam interni quam externi alterari dicuntur impropriè, quia specierum imagines impressas habent.
  - 1 A definitione alterationis, quæ est *sensibilis mutatio vnius contrariæ qualitatis in alteram eiusdem generis in eodem subiecto capaci vtriusque.*
  - 2 A diuisiõe motus in mutationẽ & alterationẽ, quarũ illa omnes terminos in substantia, quantitate, & vbi: hæc solum terminos sensum mouentes continet.
- Propria. Vid. in seq. pag. lit. C

Lib.1.Post.c.1.

Eth li 2.c 3.
Phys.li.7.c.19.

C
Propria, pressoque nomine & speciali accepta, ad quam requirunt duæ conditiones: prima, *vt vna sit aduersa alteri, quæ in eodem sub iecto existit*: altera, *vt sit sensibilis qualitas*, i. quæ sensum moueat: & quod in huiusmodi qualitatibus solum versetur alteratio, probatur

3 A ratione retenti nominis, quia omne id quod alteratur idem nomen quod ante habuit post alterationem retinet: sed hoc solum sensibilib. qualitatibus conuenit: alteratio ergo solum sensibilib. qualitatibus conuenit.

4 A comparatione negatiua reliquarum qualitatum in aliis generibus, quæ potius relationem quam alterationem admittunt: & si admittant aliquam alterationem, ea communis est non propria, vt in habitibus & figuris constat.

5 A conditione actionis & passionis. quæ solum sensiles qualitates easdemque vel primas, vel secundas vi sua sequuntur: aliæ enim qualitates in reliquis generibus non sunt actiuæ & passiuæ, quamuis in quæstione huius capitis non neget Philosophus habitus acquiri posse cum quadam animæ sentientis motione: quod probatur

1 Ab axiomate generali, quia *nihil est in animo quod prius non fuerit in sensu*: si ergo habitus sunt in animo, aliquo modo sensum afficiebant.

2 A necessario, quia (vt docet Philosophus in Ethicis.) *omnes habitus circa voluptates & dolores necessario versantur*: at voluptas & dolor sensibilem alterationem faciunt: ergo sine sensibili alteratione acquiri & retineri non possunt habitus.

3 A relatione voluptatis & doloris ad spem & metum, ex quibus etiam quædam alteratio in acquisitione & possessione habituum necessario sequitur.

4 Ab vtili, quia affectus sensibiles sunt vtiles aculei aut habenæ in moderandis habitibus, si cum recta ratione coniungantur.

Lib 3 Eth.c.6.

5 Ab exemplo, quia fortitudo circa timorem, temperantia & continentia circa voluptatem, aliæ aliæque virtutes & vitia circa alias

lias aliasque perturbationes animi versantur: in quibus eminet quædam animi sentientis alteratio.

6 A subiecto bonorum & malorum quod est appetitus, in quo etiam affectus, *vt ira, dolor, concupiscentia, & amor sedent:* & quorsum (quæso) illic vna cum virtute sederent, si nullus eorum esset vsus in eo? si nulla existeret in acquisitione & possessiōe virtutum alteratio?

Contra primam quæstionem.

Opp.

Valde inanis & infirma est Arist. in textu probatio, scilicet idcirco non esse in reliquis generibus qualitatis alterationem, quoniam qualitates in eis sunt relatæ: habitus & figura (inquit) sunt relatæ: ergo in eis non est alteratio. Da veniam Aristot. si telum in tuū ipsius iugulum retorqueam: nam illustrius testimonium non requiro, quam in dialecticis præceptis & metaphysicis tuam ipsius vocem eloqui. Sunt (inquit) omnia in substantia, quantitate, & qualitate entia absoluta non relata: dic ergo caussam mutandi animi & consilii tui. Præterea cur palam & aperte negas in habitibus, formis & figuris contrarietatem esse? nonne scientia & ignorantia, iustitia & iniustitia, fortitudo & ignauia sunt contraria? abnuis certe, & in eis negas alterationem: sed affirmo esse hæc contraria, vt contra te concludam id quod negas. Ignosce si te accusem magnæ inconsiderantiæ, cum in textu insinues esse habituum generationem, non alterationem. Generatio certe non est (te authore) nisi in substantia: istis ergo vmbris rationum depulsis, non video quin directius concludam L.1 de Ortu & interitu.

in aliis generibus esse alterationẽ, quàm tu in tertio solo genere Qualitatis latere probaueris.

Habitus aliarũ qualitates qui relata.

Resp. *Quoniam tam reuerenter iugulum Aristotelis petis, astutem habet Philosophus & pro se respondeat; sic ergo eloquitur. Cum dico habitus aliasque qualitates esse relata, nec relata secundũ esse, nec relata secundum dici intelligo: sed hoc volo, quod in istis non sit per se actio, vt in sensibilibus qualitatibus quæ vi sua agunt. Vt ergo medicina ex se nõ agunt in corpus humanum nisi primum calore naturali excitentur, vnde recte dicas medicinas esse relatas ad vim caloris motricem & adiutricem actionis: ita res est in habitibus aliisq; multis qualitatibus quæ per se causam motionis non habent, nisi prius vel ab actiua potentia subiecti, vel ab alterius qualitatis motu ad actionem trahantur. Sic, vt est quadam relatio medicinæ ad vim caloris, & tamen medicina non est relatio secundum esse, aut secundum dici; ita habitus referri quidem potest ad potentiam subiecti à qua vim agendi habet, & tamen (vt tu somnias) inter relata reponi vel annumerari non debet. Vides nunc causam iudicii, non mutati consilii mei; quippe nunc id ipsum dico quod in Dialecticis & Metaphysicis edocui. Quod ad secundam rationẽ attinet plura non dicam. nam (si attendas) satisfeci. Tene ergo hanc distinctionẽ, esse aduersa seu contraria per se, quales sunt solæ actiuæ & passiuæ qualitates, & sic nego habitus esse contrarios: vel communiter & per accidens, & sic concedo sine vlla absurditate & contradictione contraria esse. Vix dignor vltimæ rationi respondere. nam non dico simpliciter generari habitum, sed analogice & secundum quid. Nam vt in generatione ante periodum perfectionis sunt præuiæ motiones: ita sunt dispositiones ante habitum, quo acquisito facta est periodus finisq; dispositionum. Notandum est Scotum, & Ægidium docere, quod Arist. hoc loco dicat virtutes & vitia, omnesq; habitus & figuras esse relata secundum Platonis, non secundum suam opinionem, sed magis placet prius responsum.*

Contrarietas duplex.

Habitus qui generari dicantur.

Opp. *Sanitas in textu dicitur habitus; sed sanitas est terminus alterationis per se: ergo habitus est terminus alterationis per se, & ex consequenti in habitu est per se alteratio. Quod sanitas sit terminus alterationis sic probo; sanatio*

(*quæ*

(quæ est motus per se) desinit in sanitatem per se: ergo sanitas est terminus alterationis per se.

Resp. *Sanitas & ægritudo considerantur duobus modis: Vel materialiter respectu primarum qualitatum, quarum concordia & discordia sunt, & sic in illis alteratio inest: Vel formaliter, respectu dispositionum & graduum per quos ad statum veniunt, & sic non est in illis alteratio, sanatio enim non statim in sanitatem, sed in gradus & dispositiones desinit. Verbi causa: Socrate febri laborante, auxilio medici calor gradu mitescit, sanari incipit Socrates; sed ista sanatio primo (vt vides) intrinsecus in calorem mitiorē desinit: gradus ergo caloris remissi est terminus primus alterationis, non ipsa sanitas. Vt enim soni in cantu & pro rata proportione distincti, (sic compositi vt primis vltimis, mediiq; vtriuq; respondeant) optimum concentum pariunt; ita primæ qualitates, si moderata & concordi sese mediocritate complectātur, sanitatem (quæ est omnium humorum in corpore harmonia) efficiunt. Hoc dico (studiose lector) vt intelligas, sanitatem esse habitum corporis, si actum; esse patibilem qualitatem, si sensus motum, esse naturalem potentiam, si vim humorū coeuntium spectes. Est enim sanitas vis quadā vnita humorum, qua apti sumus ad resistendum morbo, quæ impotentia naturæ dicitur:*

Sanitatis & ægritudinis duplex consideratio.

Sanitas qui habitus, qui patibilis qualitas.

Sanitas quid.

Opp. *Lex alterationis in textu est, vt non sit sine contrario; quid ergo dicemus de cādore niuis, qui ex immēso frigore nascitur in nubem, in qua nullum contrarium præcessit? lex ergo illa non videtur semper esse necessaria.*

Top. 1. cap. 9.

Resp. *Lex ista necessario requiritur ad omnem alterationem, vel proxime vel remote; quamobrem licet in nube non sit nigredinis cum candore certamen, aliarum tamen primarum qualitatum fuit, quod est satis; color enim varios alios aliosq; motus primarum qualitatum sequitur. Alii dicunt secundum aliquem gradum in nube præcessisse nigredinem; obscura enim nubes fuit antequam immanitate frigoris concepta, in floccos niuis excrescit.*

Lex alterationis.

Opp. *Durum & molle in secunda specie qualitatis se mutuo expellunt ex eodem subiecto capaci vtriusq;, non sine alteratione; ergo in aliis generibus à tertio inest alteratio. Ratio tenet, quia horum vnum in aliud non transit sine muta-*

tione, sed omnis mutatio ad qualitatem est alteratio: ergo istorum in se inuicem mutatio est alteratio. Similiter dicendum est de aspero *&* leni, *pulchro & difformi in quarto genere qualitatis.*

Resp. *In hoc falleris, cum existimes omnem mutationem ad qualitatem esse alterationem: nā omnis alteratio in qualitate est mutatio, sed omnis mutatio qualitatis non est alteratio vt ante docuimus, nisi sit inter actiuas & passiuas qualitates, quæ motum sensibus inferunt, nomēque ex motu subiectis imponunt. Exempla quæ ducis varijs modis accipi possunt: nam* durum *&* molle *vt apta subiecta reddunt ad agendum & patiendum potentiæ sunt, vt vero in actu sunt patibiles qualitates dicuntur. Similiter* asperum lene, rarum densum, pulchrum difforme, *si formaliter pro externis speciebus & idolis rerum sumantur, sunt forma & figura in qualitate: si vero materialiter pro corporeis delineationibus, sunt figura in quantitate: si relatiue pro effectis primarum qualitatum, passiones & patibiles qualitates nominentur.*

Omnis mutatio qualitatis non est alteratio.

Durum & molle dupliciter considerantur.

Argumenta contra secundam quæstionem: An acquisitio possessioque habituum sit sine vlla animæ sentientis alteratione?

Opp. *Disertis verbis asserit Arist. in textu acquiri habitus sine alteratione: nam sic argumentatur. Quicquid non potest esse motus vel motu acquiri, id non potest esse alteratio, vel alteratione acquiri: sed virtus & vitium (id est habitus) nec sunt motus, nec motu acquiruntur: ergo nec sunt alterationes, nec alteratione comparantur. Præterea, bona & mala aut in voluntate aut in intellectu sedent, non anima sentiente: eorum ergo possessio & acquisitio est sine animæ sentientis alteratione. Postremo, si insinuet Arist. non esse sine alteratione, videtur sibi contradicere.*

Resp. *Non est difficilis istorum resolutio: nam si respondeam cum multis Aristotelem hoc loco solum agere de habitibus corporis) vt de sanitate, robore, pulchritudine, quæ solum in textu nominantur) controuersia non est. quoniam hæ sunt naturales potentiæ, ad quas nati non facti sumus: vel si cum alijs dicam, non loqui hic Aristotelem secundum propriam*

priam sententiam sed refutare alienam, & in postremo loco inferre suam; videlicet quod sit inter omnes habitus alteratio inter quos est contrarietatis lucta & contentio. Sed mallem respondere (vt antea) alterationem sumi bifariam: proprie & per se, & sic est in solo tertio genere qualitatis, inter primas & secundas qualitates, quæ vim actiuam & passiuam habent: communiter & per accidens, & sic in aliis quoque generibus inest, vt in habitu & figura. Vel (si placet) respondeo, non acquiri habitus corporis aut animæ sine alteratione animæ sensitricis ex consequenti; quod quidem in habitibus corporis manifeste constat, & etiam in habitibus animi non latet: quoniam & hi etiam in appetitu sedent, qui appetitus est pars animæ sentientis, vt in Ethicis demonstrat Philosophus.

Habituum duplex conside. atio.

Vide lib. 1. de Plantis ca. 1.

An sanitas, robur, pulchritudo, sint virtutes corporis vt hic defendit Philosophus?

Opp. *Naturales potentiæ ad quas nati sumus ab habitu specie differunt: sed sanitas, robur, pulchritudo, sunt naturales potentiæ ad quas nati sumus: ergo non sunt habitus. Assumptio probatur, quoniam hæc infantulis ab vberibus maternis pendentibus conceduntur, crescuntque cum illis, nisi vi quadam aut casu impediantur. Præterea Aristotelem, Aristoteli oppono, qui robur formam corporis potentiam datam, non acquisitam definit esse: at si sint habitus actionibus & industria acquiri debent. Postremo, istorum contraria sunt naturales impotentiæ, vt morbus, imbecillitas, deformitas: ergo sanitas, robur, & pulchritudo sunt potentiæ non habitus, vt hic mordicus defendis.*

Cap. de Qualitate, & in Eth.

Resp. *Nomen* habitus *non semper pro perfectione & termino dispositionis sumitur, sed aliquando pro ente opposito priuationi: sic visus qui est potētia naturalis habitus dicitur à philosopho in postprædicamentis respectu cæcitatis, auditus respectu surditatis: & sic (vt multi volunt) hoc loco sanitas, robur, pulchritudo respectu morbi, imbecilitatis, deformitatis. Probabilis quidem est hæc responsio, sed magis placet cōcedere hic sanitatem, robur, pulchritudinē esse sic habitus corporis, vt actionib. acquirantur: actiones. n. prudentia & tem-*

Duplex habitus.

perantia ad hos habitus requiruntur. Quis enim ignorat sanitatem esse finē sanationis, & eiusdem acquisitionem esse finem medicinæ? neque certe datur cuiuis in incunabilis serpentes strangulare, ut Herculi: omnes enim non robusti & fortes nati sumus: imo nudi & imbecilli, donec ætate & usu vires acquirimus. Et quis Narcissi formam & speciem seruat qui temperate non viuat? Sed quid quæris? an hæ sint virtutes corporis? nemo certe negat. Acutius sane egisses contra definitiones horum quas in textu Arist. tradit, sed quoniam non agis cum illo desinam, & ad aliud dubium accedam. Est ergo sanitas naturalis & iusta temperies elementorum & qualitatum, prout prudens natura cuiusu animanti dederit: vel est (ut hic definit Arist.) optima temperies in commēsuratione elementorum & primarum qualitatum, proportione tam inter se, quam in ordine ad ipsum continens: per quod verbum continens (ut opinor) vel subiectum animal, vel aerem externum intelligit: D. Thomas corpus, Albertus circumiectum aerem intelligendum putat. Robur est firma constitutio seu habitus corporis, in musculorum, neruorum, & ossium commensuratione existens. Pulchritudo denique est qualitas corporis in proportione membrorum posita, cum quadam coloris Venere & suauitate coniuncta.

Vide Ouid. Ep. Heroid. 9

Locus 3.

Definitio sanitatis.

Robur quid.

Pulchritudo quid.

Alia ex hisce obiter dubitatio. An optimo temperamento debeatur longissima vita?

Opp.

Cerberum ab inferis trahis, & hanc dubitatiunculam ex textu præter textum extorques. Sed esto: si optimum temperamentum sit caussa longissimæ vitæ, cur homo (qui tam omnium philosophorum quam medicorum consensu optimum temperamentum habet) breuissime viuit? Vita breuis, ars longa, inquit Hippocrates: Vita hominis umbra est, ut ait Seneca. Ratio est, quia nascentes morimur, ut idem author docet. Sed Philosophum agam: Coruis & ceruis longissima vita conceditur: videntur ergo esse meliore temperamento & constitutione quam homo.

Lib. Aphor. 1.

Resp. In hac quæstiuncula mouenda clauam è manu Herculis non extorqueo, sed apposita ex definitione sanitatis & tempera-

temperamenti occasionem mouendi sumo. Vt ergo resoluam hoc anceps dubium, An optimo temperamento debeatur longissima vita? respondeo deberi: nec non concedo hominem optimo temperamento à natura præ cæteris animantibus præditum esse: cur ergo longissime non viuit, fortasse quæris? Respondeo heterogenearum partium in homine esse difficillimam cōseruationem, quoniam in vsu multiplicis cibi est frequentissima offensio, & quia in affectibus quibus subiecti sumus rarissima est moderatio: quoniam in ipso aspectu cœli est maxima à primis temporibus defectio & declinatio virium in elementis, plantis, aliisq; rebus ex quibus gignimur, alimur, conseruamur. At coruus & ceruus (vt aiis) diutius nunc viuunt quam ante diluuium vixerunt, vis vt nunc causam assignem? Coruus & ceruus temperatius teipso viuunt, simplici & naturali potius cibo quam multiplici gaudent, affectibus vacant, non calumniantur, non inuident, rarius venere vtuntur, oleum vitæ cum aquila renouant & conseruant. Nihil ex sacris literis concludā: non offendunt Deum, qui mortem vitæque breuitatem in mundum intulit propter peccatum. At dices, si homo exacte viuat, non vltra centum annorum spacium plus minus viuit. Quis (quæso) exacte viuere potest? certe nemo. Sed (vt respondeam) causa huius periodi est specifica constitutio, vna cum cœli & syderum aspectu, sub quo nascimur, coniuncta, vt philosophi acutissime docent in quæstione An sit certa periodus vitæ? Aliud responsum huic argumento accōmodatur, nimirum longissimam vitam non tempore, sed constitutione (quæ in omni specie est secundum prudentiam naturæ distribuentis) iusta mensurari. Talis ergo sensus est eorum qui sic respondent, hominem scilicet diutissime viuere respectu aliarum rerum sensibilium, quæ similem constitutionem habent; causam huius suæ assertionis reddunt, quia spiritus in homine animales, vitales, omnesque humores sunt viuaciores quam in aliis, nisi casu aliquo contabescant. Huc addo, quod simpliciter homo longissime viuat: nam vita in homine non est actus animæ sentientis sed ratiocinatricis (est enim vna sola anima in homine) sed illa vita morte corporis alteratur solum non tollitur: quippe illius fons, causa, & subiectum, anima rationis compos in sempiternum viuit; viuit ergo homo

Homo optimo temperamento præ cæteris animalibus præditus.

De longæuitate cerui lege Pli. l. 8. c. 32. & Virg. in Mecæn. ob. Arist. de Long. & breui. vitæ. c. 3.

in sempiternum, quia homo nihil aliud est, nec res qualibet (si proprie consideretur) quam ipsa forma sua. Quid nunc restat? nihil certe nisi vt memores simus breuissima vita nostra, vt sit longissima in prima caussa vita.

O Christe qui es via, vita & veritas, da vt tecum in sempiternum viuam! AMEN si dicas (studiose lector) viuus nūc gratias agam, mortuus in his chartulis non ero ingratus: calamus enim loquetur quod animus dum vixeram peroptabat, id est salutem loquetur tibi & vt memineris me hoc præstare, te nunc saluere & diu valere iubeo.

Cum in textu pueris scientiam & (quod maius est) artem discendi neget, quæro *cur infantes & pueri scientiam non percipiant?*

Opp.

Ætas tenera cera est, aptaq; ad impressionem scientiæ: male ergo Aristoteles à castris Mineruæ arcet. Præterea, si viuacitas spirituum sit caussa acuminis, cur pueri excluduntur, in quibus vegetiores spiritus animales insunt?

Spiritus animales in pueris vegetiores.

Resp. *Vt in Ethicis iuuenes non idoneos auditores moralis philosophiæ esse docuit Aristoteles: ita hoc loco pueros nec scire nec sapere posse ob easdem caussas docet. Nam quamuis in illis sint viuaciores vegetioresque spiritus, propter duplicem calorem in illis insitum ad alēdum & augmentandum, hi tamen spiritus viuacitate sua ita disturbant animam nōnunquam, vt huc atque illuc affectibus non aliter quā nauis fluctibus agitetur, sibique raro constet: nonnunquam vero iidem ipsi spiritus ita sunt in Oceano humorum (quibus natat hæc ætas) immersi, vt segnius ingenium reddant & impediāt quo minus possit scientiam aut sapientiam discere. Nam (vt vtar similitudine qua Aristoteles in textu hāc rem illustrat) quemadmodum dormientes, ægrotantes, aut temulenti nihil aut parū sapiunt sublato vero impedimento vapore exhausto ad se redeunt, sobrieque viuunt, agunt & ratiocinantur: ita pueri humorum abundantium fluxu quasi obruti nec scire nec sapere vere possunt: decrescentibus autem vndis, & sedatis animi procellis sese ad scientiæ & sapientiæ studium accommo-*

Pueri humorū abundantia obruti nec scire nec sapere vere possunt.

commodant, multumque in eo proficiunt. Sapienter ergo Philosophus concludit hoc caput, & requirit ad assequendam scientiam & sapientiam tranquillitatem animi, quietem loci, ornatum virtutis & ocium, quæ plerunq; in iuuenili flore & ætate desunt. Imo desunt profecto (vt hodie experientia periculosa docet) quando imberbis ætas sapere, canicies veneranda delirare dicitur; ratio est, quia magis primulas veris quam fructus maturos quærimus. At (dices) ætas hæc cera est aptaque ad impressionem virtutis, imo proclinior ad licentiam morum si frænos non iniiciat educatio. Quid si educatio præsit? fœlix quidem puer est qui virgam disciplinæ sensit, in hac tamen ætate solummodo semen scientiæ & sapientiæ spargitur: tempus enim & iudicium desunt. At viuacitas spirituum (quæ maxima est in hac ætate) sufficit. Vtinam sufficeret. sed experientia contrariũ docet, cum vbiq; videamus nouos oratores, stultos adolescentulos, qui spirituum ista viuacitate præcipites in subsellia, in cathedras sapientum irruũt: sed recte Diogenes: Nunquam amaui pueros præcoci sapientia. *Quid? an pueros à studio scientiarum & sapientiæ deterres? Nequaquã certe, sed potius ad osculum & amplexum moueo. Verum quid prodest mouere si promouere non possint illi? Audi poetam.*

Horat. in Arte poetica.

Ci. in li. de Sen.

Laert. in vita Diog.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Flos veris messem, fundamenti locatio domus ædificationem præcedit: discant ergo pueri alphabetum scientiæ & sapientiæ, & certe senes valde docti & sapientes erunt.

CAPVT IV.

An { *In velocitate & tarditate quilibet motus cuilibet sit comparabilis?*
Ad comparationem necessario requiratur vnitas significati, subiecti, speciei? }

CAtena aurea est eorum, quæ in hoc libro à Philosopho præcipiuntur, præcepta cum præceptis in eo vt vincula vinculis alligantur: vide exemplum. Cum satis de cõparati-

one mouentis & mobilis egerit Philosophus, ipsaque genera & obiecta motus descripserit, ad comparationem motuum in velocitate & tarditate (quæ sunt accidentia motus) accedit, motumque omnem in illis omni motui non esse comparabilem luculenter docet. Et vt accuratior quæstionis habeatur demonstratio, in vtramque partem eandem vltro citroque discutit, primumque ostendit in eodẽ quemlibet motum cuilibet non posse comparari: nam si possint, tum (inquit) motus rectus & orbicus facile comparentur, ꝙ tam ratio quam experientia negant: ratio, quoniam eodem tempore hi motus æquale spacium non conficiunt: experientia, quoniam spacium circulare seu orbicum, spaciumque rectum fieri nunquam possunt æqualia: sequitur ergo hos motus non æque veloces aut tardos esse. Quicunque motus sunt æque veloces aut tardi, ii eodem tempore per æquale fiunt spacium: at alteratio in Qualitate, locique mutatio in Vbi non possunt eodem tempore per æquale spacium fieri (latio enim spacium, alteratio solam affectionem spectat) ergo alteratio motusque localis, id est motus diuersorum generum velocitate non possunt comparari. His positis, ne error in compatione fiat, tres leges comparationis tradit Philosophus, quas in mouenda secunda quæstione triplici vnitate, nempe significati, subiecti & speciei non inutiliter insinuaui. Istarum ergo prima est, ꝙ omnia quæ inter se comparare volumus nõ debeant esse æquiuoca, id est non debeant habere multiplicia significata. Acutum ergo in vino, gladio & voce comparari non potest: nemo enim philosophorum dixerit acutum in gladio esse æquale acuto in vino aut voce: cum ergo hoc nomen sit æquiuocum, ab omni comparatione est alienum. Altera lex est in vnitate subiecti immediate positi: hoc est, vt ea quæ comparare & conferre volumus in eodem subiecto proximo seu primo existant: sic candor in equo potest comparari cum candore in homine & niue. At dices equum, hominem & niuem non esse idem subiectum: verum est ꝙ dicis si substantiam spectes, sed male accipis nomen subiecti proximi & primi, quod vtrobique idem communiter est, nempe superficies respectu candoris, qui in equo, homine & niue inest. Lex tertia vnitatem speciei respicit, & sic se habet.

Tres leges comparationis.

1

2

Subiectum immediatum superficies.

3

Quæ

Quæ comparare volumus ſpecie debent eſſe eadem, nõ ſub alterna ſed infima: vt ſi quæratur an album aut nigrum ſit magis coloratum, non eſt comparatio: non enim dicimus hominem candidum magis aut minus coloratum homine nigro, ſed hominem candidum candido albiorem, & Æthiopem Æthiope nigriorem. Quid? non ſunt plures regulæ legeſque comparationis? ſunt. Cur ergo Ariſt. in textu illas omittit? quia hæ ad inſtitutum non ſpectant. Dic quæſo verbo reliquas, ne nos lateant quæ videntur eſſe neceſſaria. Dicam; ſit ergo quarta regula eorum quæ recte comparantur, vt magis & minus ſuſcipiant. Sunt enim in omni comparatione vera intenſionis & remiſſionis gradus, vt hoc magis, illud minus intenſum dicatur, cuius conditionis defectu, eſſentiæ rerum potentiæque proximæ (quæ magis & minus non poſſunt ſuſcipere) comparationem omnino non ſubeunt. Vltima lex eſt, vt ea quæ comparantur in aliquo tertio conueniant: Deus ergo, prima principia, ſummaque bona & mala nullam comparationis ſpeciem, gradũ, aut modum habent: ſunt enim ſumma quæ in arcum remiſſum comparationis non cadunt. 4 5

Pergit Philoſophus, & quæ in genere de comparatione dixit, ſpeciatim demonſtrat, primumque definit, quidnam ſit motus comparari ſecundum velocitatem & tarditatem. Motus (inquit) ſunt æque veloces aut tardi qui eodem tempore æquale ſpacium conficiunt. Exempli cauſſa, ſi motum localem cum motu locali ſecundum velocitatem & tarditatem conferre velis, primo conſiderare oportet idem tempus, tum idem ſubiectum, poſtremo eundem motum ſpecie, ſpecie (inquam) infima non ſubalterna vt aiunt. Sic motus recti comparari poſſunt, quia ſunt in eodem tempore; verbi gratia hora in eodẽ ſubiecto, puta magnitudine, in eadem ſpecie motus, nimirũ recti qui ſpecie a circulari motu ſecundum opinionem multorum philoſophorũ differt. Moleſtum fortaſſe erit, ſi cum Ariſt. id ipſum verum eſſe in alteratione, aliiſque generibus motus diſtincte & copioſe explicem. Res aperta eſt in textu & lucerna interpretis non opus habet: quippe ſole lucente lucerna potius obſcurare q̃ illuſtrare videatur; percurram tamen pauciſſimis. In alterationibus ea velocitate aut tarditate adæquãtur, quæ eodem Tex. 30.

tempore secundum potestatem, in eodem subiecto eademque alterationis specie mutantur, vt si duo homines in tertianam febrem eadem hora incidentes, quarto paroxysmo seu accessione aut liberētur aut moriantur simul, hi (inquā) motus æque veloces in alteratione dici possunt. Similis est ratio generationis & interitus: quæ duo si ratione velocitatis & tarditatis comparare velis, imprimis considerandus est terminus, vt idem sit specie: nam quæ eodem tempore vnum specie terminum acquirunt vel amittunt, æque velociter generari vel interire dicuntur. Accretio denique & diminutio eodem modo comparantur. Exempli caussa, si *sanguis* eodem tempore (tertiæ concoctionis scilicet) in eodem subiecto, nempe in *vena caua* augeatur, æqualis accretio dicitur: si vero citius in venis pectoris quam in venis capitis accrescat, illius velociter, huius tardior augmentatio habenda est.

Vsus quæstionū istarū qualis. Vides nūc (studiose lector) textum sine velo, in quo quæstiones motas sine tædio tractatas videas. Sed dices, quis vsus in istis inest? quod lumē sapientiæ? Si hic mirabiles motus rerum speciatim attingerem, in comparatione velocitatis & tarditatis multa & magna mysteria cerneres. Cœlum (vt vides) est immensum & fere infinitum corpus, caussam à te quærit velocitatis suæ: minores circuli mouētur segnius, intelligentiæ in illis caussam à te postulant tarditatis: ordo, tempus, mensura proportio est vtriusque motus: quæ caussa lances tenet? Propius accedam, dic caussam quæ igni rariores partes, quæ aquilæ velociores alas dedit: ea certe quæ *Os homini sublime dedit, cœlumque tueri iussit*. O animal ergo ingratum & ignauum pecus, qui alis animi velocissime ad cœlum, ad Deum non volas! Cur (quæso) celerrimum motum animo humano primus motor dedit, nisi vt ad eum celerrime moueatur? Sed animus in centro est quod pede premimus, non in cœlo quod oculis intuemur. Flos hic est orationis tuæ non fructus: nam quid hoc ad caussam velocitatis de qua nunc disputamus?

Quæst. Recte mones: moueo ergo hanc quæstionem *An proportio velocitatis & tarditatis, sui caussam potentiam actiuam rei, aut aliam occultiorem vim habeat?* Obscura (inquis) est ista quæstio: est quidem, sed directa, apposita & opportuna, vt intelli-

vt intelligas non esse solummodo florem orationis, sed fructum, cum de comparatione velocitatis & tarditatis agitur. Sed vnde depromis hanc quæstionẽ? fortasse quæres, respõdeo è textu, vbi philosophus requirit ad proportionem & æqualitatẽ velocitatis idem subiectũ specie, cuius vi & potentia ęqualis velocitas aut tarditas efficiatur. Non ero multus, sex sunt de causa velocitatis & tarditatis in motu celebriores opiniones. Nã alii ad *potentiam subiecti*, alii ad *resistentiam medii*, alii ad *influentiã mouẽtis*, alii ad *totã essentiam mobilis*, alii ad *inhærentiã accidẽtis*, alii ad *appetentiã finis* eandẽ reuocant. *Potentia subiecti* (vt aiunt) duplex est, actiua q̃ velocitatẽ, passiua quæ tarditatẽ parit. *Resistentia* quoq; *medii* distinguitur in maiorẽ quæ tarditatis, & in minorẽ quæ velocitatis caussa existit. Nã vbi est in medio plus resistẽtiæ ibi corpora tardius, vbi minus est resistentię, ibi expeditius mouẽtur. Per *influentiã mouentis* intelligũt interpretes aut virtutẽ primi motoris, qui õia ad placitũ suũ nutumque mouet (õia. n. in eo sunt ipseq; est in omnib.) aut assistẽtiã spirituũ, quib. (vt aiũt) hoc negotiũ impositũ & mandatũ est. Quarta caussa (q̃ assignant aliqui) est *tota essentia mobilis*, ꝙ quidem mobile si magis sit in mole materiæ sepultũ minꝰ velociter, si vero plenũ sit (vt ita loquar) forma multo celeriꝰ agitatur. Materia. n. inepta est ad motũ, forma vero ad eundem nata. Pergã, *inhærentia* quomodo sit caussa velocitatis aut tarditatis nõ video, nisi authores huius opiniõis intelligãt vim grauitatis, q̃ (vt Philosophus docet) tarditatẽ, vimq; actiuã leuitatis, q̃ in motu celeritatẽ gignit. Grauitas. n. & leuitas sunt externæ caussæ motrices rerũ, nec non celeritatis & tarditatis, quoniam grauia & põderosa ignaua sunt ad motum, leuia facillime incitantur. De *appetentia finis* non est vt pluribus dicam, quippe certum est finem veluti magnetem esse, vimque habere celerius res omnes ad se trahendi: omnia enim cupidissime mouentur ad suum finem, vt ad bonum in quo quiescant: quo ergo propinquior aut melior finis est eo res incitatius, quo remotior eo otiosius quidẽ mouẽtur.

Opiniones de caussis velocitatis & tarditatis in motu.

Potentia subiecti duplex.

Resistentia medii duplex. Vide Aristotelem li. 1. de Cœlo. text. 88.

Materia ad motum inepta.

Finis magneti assimilatur.

Recẽsui opiniones doctorũ in philosophia de velocitatis & tarditatis caussis in motu, vnde colligas difficillima ꝓblemata posse moueri de eo: indeq; fructũ sapiẽtiæ posse emergere. Si quæras q̃ tandẽ caussam ꝑcipuã & proximã esse putẽ

Deus inter externis caussas prima & præcipua velocitatis & tarditatis.

velocitatis & tarditatis in motu, respondeo inter caussas externas Deum, quem philosophi primam caussam motricem primumque motorem nominant: ratio est, quia omnia secundum Philosophum in eo sint & moueantur, huc assistentia spirituum spectat; inter caussas vero internas & coniunctas, primum totam essentiam, deinde formas, tum potentias huic insitas & qualitates, nempe *grauitatem* & *leuitatem* annumero. Omittis resistentiam medii, & finem fortasse dices: agnosco caussas esse in hoc opere adiutrices, nam in crasso medio res tardius, in rariore celerius mouetur. De fine nihil addo, quem omnes fatentur in se flammulas veluti nutrire, quibus res secundum magis & minus in sui quasi desiderium & amorem pelliciantur. Adhuc non est satisfactum mihi: quem scopum, aut quem statum huius quæstionis ponis? Hunc scilicet, quod res quælibet naturaliter primo a forma, tum à potentia actiua celerius aut tardius moueatur. At primo mouet nos Deus vt ait Philosophus: non nego, sed mouet vt externa caussa, nõ vt interna forma. Adhuc non est in mobili, ergo non mouet. Est in proxima potentia mobilis, quod ad illius osculum & amplexum currit. Vnde quæso est illa motrix potentia in mobili? Principiorum non est quærenda ratio, sed respondeo à natura quæ per potentiam suam agit propter formam & finẽ. Quomodo agunt forma & potentia? Intrinsecus agunt: insita enim sunt principia motus, sic sunt quædam accidentia, vt *grauitas* & *leuitas* subiecti, *raritas* & *densitas* medii. Non sic agunt, hæc enim sunt potius instrumenta mouendi quam principia. At caussæ ab Arist. dicuntur: verum est, & sic sunt, sed solum accidentariæ & adiutrices. Exemplum adde. Morem geram voluntati tuæ: homo primum mouetur à Deo, in quo *esse*, *viuere*, sentire & moueri dicitur. Homo etiam mouetur à Genio vt nonnulli tam in sacra quam humana philosophia doctiores putant: mouetur insuper homo certissime ab anima forma formante sua, & ab actiua potentia quæ ab illa fluit. Præterea, si densius sit medium, vt aqua, difficilius: si rarius vt aer, facilius mouetur homo. Deinde, homo si plenus sit spiritibus leuior est, & tum citius: si crassiusculis humoribus sit refertus multo tardius mouetur. Postremo, si mẽs prævaleat in homine, ad suum finem nempe fœlicitatem

Caussæ adiutrices.

Meta. 12. Deus primo mouet vt externa: forma vero primum vt interna caussa. Phys. li. 2. c. 8 li. 1. de Cœlo tex. 88.

Forma & potentia sunt insita principia motus.

Causa multiplices motus in homine.

licitatem volat: si vero corpus premat, cum cancro retrorsum abiens vix vnquam scopum vitæ humanæ atttingit. O quot cancri hodie in Oceano istius vitæ ad Orcum potius quam ad cœlum natant? Salsum est hoc mare in quo viuimus, id est theatrum huius vitæ est plenum sanguine, plenũ tragœdiis, & tamen quis Deum, quis fidem, quis portum salutis quærit? Natura docet motum in fine velociorem esse debere quam in principio, nos tamen naturæ spurii ad hũc finem tardius mouemur. Sed vt in Olympicis ludis nemo lauro donatur nisi prius certauerit: ita nemo hunc finem assequitur nisi in stadio suæ vitæ à se ad Deum velocius & festinantius currat. Cur ergo in foro stamus ignaui & otiosi senes? si philosophi simus discamus hoc vnum exemplum, motum velociorem esse debere in fine, quam in principio: ocyus ergo nunc moueamur ad cœlum, ne fatui & ignorantes in illud citius intrent quam philosophãtes & sapientes senes.

Lib. 1. de Cælo ca. 8.

Distinctio quæstionum propositarum.

Cardo huius capitis in tribus quęstionib. voluitur, q̃ sunt

An in velocitate & tarditate quilibet motus cuilibet sit comparabilis? negantem partẽ defendit Philosophus

1 Primum in motu eiusdem generis, quia motus orbicus & motus rectus (qui sunt ambo motus locales) non possunt esse æque veloces: nam æque veloces motus illi dicuntur, qui eodem tempore æquale spacium conficiant: at motus circularis & rectus eodem tempore per ęquale spacium fieri non possunt: ratio est quia circulare spacium & rectum æquari non possunt.

2 Secundo in motibus diuersorum generum hoc ipsum probat: quoniam maior in his est dissimilitudo quam in illis qui sunt eiusdem generis, vt in loci commutatione cernitur, quæ spacium seu magnitudinem: & in alteratione quæ nullum spacium seu magnitudinem postulat. Sed in secunda quæstione hæc accuratius declarantur, in qua leges veræ comparationis latæ sunt.

An ad Vid. in seq. pag. lit. C

C
An ad comparationem hoc loco requirantur tres vnitates?

1 Significati, vt comparabilis, non sint *æquiuoca*, sicut *acutum* in gladio, vino, voce: *canis* in terra, mari cælo.

2 Subiecti primi & immediati, vt cõparabilia cõueniant in eodem susceptiuo primo: vnde vox non est compãrabilis melli in dulcedine, quia non habent idem subiectum primum, vt *candor* in equo, cane, & niue habet eandem speciē superficiem: nã sic hoc loco subiectum idem intelligit Philosophus, non vt sit idem numero, sed primum cõmune continens, quod est capax eorum in quibus facta est comparatio.

3 Speciei, eiusdemq; infimæ, vnde vnus homo non dicitur coloratior altero, sed candidior aut nigrior.

Huc addi possunt aliæ leges, vt

1 Comparabilia sint cõtraria.

2 Suscipiãt magis & minus: sed has duas conditiones non discutit Philosophus hoc loco, quia minus ad institutum spectant.

An potentia actiua subiecti sit sola causa velocitatis & tarditatis in motu? ponũt ab interpretibus 6. causæ satis à nobis explicatæ.

1 Influentia primi motoris, qui secundum essentiam in omnibus presens est & pro imperio infinito singula mouet vt placet, huc assistẽtia spirituum spectat.

2 Potentia subiecti actiua quæ velocitatem, passiua quæ tarditatem parit.

3 Resistentia medii, eademque aut maior quæ tarditatem, aut minor quæ velocitatem efficit.

4 Essentia mobilis, quæ mersa in materia tarditatem, libera velocitatem adfert.

5 Inhærentia accidentium, quæ à Philosopho motionis causę dicũtur, vt *grauitas* & *leuitas*

6 Appetentia finis, quæ etiam alas veluti omni motioni tribuit.

Argu-

Argumenta contra primam quæstionem.

Opp. *Quilibet motus est cuilibet comparabilis in velocitate & tarditate: ergo male defenditur prima quæstio. Antecedēs probatur, quia omnis motus est velox aut tardus, & proinde fieri potest vt sit æque velox, aut minus velox, aut velocior altero.*

Resp. *Non negandum est quin gradus comparationis suscipiat motus, quippe motus ignis inter elementares motus est velocissimus, aeris motus velocior aqua &c. sed hic stricte presseq; sumitur comparatio pro arithmetica (vt ita loquar) proportione, quæ in motus diuersorum generum non cadit, vt probatum iam est.*

Gradus comparationis quomodo intelligendus hoc loco.

Opp.

Quid respondes argumentis è textu collectis, quæ in expositione astute videris transilire? Primum est quod rectus motus & orbicularis æquali fieri possint tempore & spacio: & proinde possint esse in velocitate & tarditate comparabiles. Præterea, si hi motus proprietate sua veloces, aut tardi sint omnino, cur non æque veloces aut tardi etiam dicantur? Postremo, motus qui fiunt diuersis instrumentis, vt volatus & cursus ala & pede, possunt esse æque veloces: ergo motus diuersorum generum possunt comparari.

Resp. *Argumenta in textu proposita distuli, non dissimulaui: respondeo ergo motum rectum & orbicularem non posse comparari, vt hic comparatio intelligitur, secundū triplicem vnitatem subiecti significati & speciei: quippe linea recta, per quam fit motus rectus, æquari lineæ circulari non potest. Neq; 2. ratio recte concludit, idcirco motum esse æque velocem aut tardum, quia proprietate sua velox aut tardus dicitur. Æqualitas enim motus proportionem requirit, quæ in motum rectum & orbicum simpliciter non cadit. Postremo diuersitas instrumentorum non efficit quin motus sint æque veloces aut tardi: sed causa inæqualitatis est diuisio vnitatis, de qua modo diximus: nam si non sit vnum significatum, vnum subiectum, vnaque species, res mobiles proprie comparari non possunt.*

Ad æqualitatem motus proportio requiritur.

Opp. *Anceps & incerta admodum videtur apud Philosophū huius quæstionis tractatio, nā id quod hoc loco negat, in 8.*

Phys 4 8. 101. & 108. *Physic. asserit; illic enim ait cæli motum esse velocissimum, omnisq; motui comparabilem. Sed vt ratione non authoritate vrgeam, si omnis motus non esset omni motui comparabilis, cur eadem tempore & spacio omnes motus mensurantur? Est enim tempus omnis motus mensura, omnisque motus certo & definito spacio conficitur: & certo ea sunt comparabilia quæ possunt esse æqualia aut inæqualia, sed quæcunque mẽsurantur eadem mensura possunt esse æqualia vel inæqualia: ergo omnes motus qui eadem mensura mensurantur possunt esse comparabiles.*

Resp. *Non est anceps huius quæstionis tractatio si comparationem stricte fuseque consideres: concedo enim omnem motum cuilibet motui comparari posse communiter, non autem vt ad has leges & conditiones, quas hic requirit Philosophus restringitur.*

Argumenta contra secundam quæstionẽ de triplici vnitate.

Opp. *Motus sursum & deorsum specie differentes possunt in velocitate & tarditate comparari, quia per eandem lineam rectam fiunt: ergo speciei vnitas non requiritur. Antecedens probatur, quia sursum & deorsum sunt essentiales differentiæ, quæ specie distinguuntur. Præterea, canis albus cum homine albo comparatur, vt docet Philosophus in textu:* Tex. 17. *sed homo & canis sunt diuersa species, diuersaque subiecta: ergo vnitas speciei vnitasque subiecti non requiritur. Postremo, motus solis velocior volatu auis aut alteratione aeris dicitur: motus ergo diuersarũ specie possunt velocitate & tarditate comparari.*

Resp. *Surfum & deorsum sunt differentiæ loci non motus: ratio ergo recte concludit de loco, non de motu loci. Ad 2. rationem dico, hominem & canem differre specie, non tamẽ subiectum primum albedinis in qua comparantur. Nam primum subiectum albedinis in vtroque est superficies, homo vero & canis sunt vltima, non prima subiecta eiusdem. In postrema ratione fallaciter nobiscum agis, nam per vnitatem speciei non intelligimus vnam solam speciem, sed vt species quæ comparatur cum alia sit solum infima, non subalterna, vt de homine & cane exempla docent.*

Subiectum duplex.

Quid per vnitatem speciei intelligendum.

Opp. *Videris sieg de argumentis propositis de comparatione*

tione velocitatis & tarditatis in motu respondere. Quorsum vero hoc facias nescio, nisi existimes id quod interpretes hoc loco opinantur, Arist. scilicet hic differentem in utranq; partem nihil certi de controuersia definiisse: vere igitur & ingenue quid sentias ostende.

Resp. *Disputat quidem Philosophus in vtrãque partem de hac quæstione, sed quoniam disertis verbis dicit omnem motum cum quolibet non posse comparari, eam partem quã frigide à me defensam esse imaginaris suscepi, morem nunc tamen geram voluntati tuæ, vt liberum tibi sit iure non magni momenti causam propositam pro arbitrio tueri: omnem igitur motum omni motui posse comparari his paucis syllogismis probo. Quæcunque eadem mensura mensurãtur sunt ad se inuicem comparabilia: sed omnes motus eadem mensura, nimirum tempore, mensurantur: ergo omnes motus comparari possunt. Iterum, omnia quæ communicãt in eadem materia sunt comparabilia: sed omnes motus communicant in eadem materia, nempe mobili: ergo omnes motus comparari possunt. Deinceps, velocitas & tarditas sunt proprietates motus: ergo in eis comparari possunt species, nam quicquid cadit in genus cadit in speciem: vt docet Philosophus. 2. Topic. Insuper, comparatio est mutua duarum rerum in aliquo. 3. collocatio secundum par aut impar, æquale vel inæquale: sed omnes motus sunt pares aut impares, æquales vel inæquales: ergo omnes motus comparari possunt. Porro calfactio in aere, & frigefactio in aqua æque velociter imprimi possunt: ergo in diuersis speciebus fieri potest comparatio. Quid multis? tantum denique spacii in decretione plantarum consumitur, quantum in accretione: æqualis ergo est rerum crescentium & decrescentium comparatio. Omitto multa, & relinquo omnia docto lectoris iudicio, vt quam velit partem in hac quæstione defendat. Accedo ad vltimam, quæ est An proportio seu comparatio velocitatis & tarditatis, tantum à potentia actiua subiecti fluat?*

Aristoteles de compa ratione motus in vtrãque partem disputat. tex. 21.

Cap. 3.

Comparatio quid.

Argumenta contra tertiam Quæstionem.

Opp. *Aristoteles grauitatem & leuitatem tarditatis*

Tex. 53.
L. 1. de Cœlo tex. 85.

& velocitatis causas assignat. 3. Physic. non ergo videtur esse sola potentia actiua vtrinsque. Praeterea, quicquid est causa causae, idipsum est causa causati vt aiunt: sed forma est causa potentiae actiuae: ergo forma est causa huius proportionis de qua nunc agimus. Insuper medii raritas & densitas velocitatem & tarditatem gignunt: non est ergo sola potentia subiecti causa. Deinceps finis (vt ait Philosophus in Ethicis) est causa prima mouendi: non ergo est sola causa ipsa potentia rei. Postremo, non video quomodo potentia rei sit causa omnino: nā re adhuc in motu posita potentia nō est omnino: quippe si sit, aut erit potentia materiae & sic erit passiua, aut erit potentia formae, quae dum res est in motu non existit: at esse quod non est potentia nulla in rerum natura eminet, aut eminere potest.

Finis causa prima mouendi, & primum in intentione.
Potentia duplex.

Grauitas & leuitas causae externae.
Forma causa remota.
Raritas & densitas medii instrumentaria causa velo. & tard.
Potentia fluit à toto composito.

Resp. Grauitas & leuitas sunt causae externae non internae velocitatis & tarditatis in motione rerum. De forma dico id ipsum quod antea, nimirum esse causam remotam nō primam. Ad tertium argumentum de raritate & densitate medii, respondeo esse instrumentarias causas externas, non causas per se. De quarto argumento sic censeo, finalem causam esse motricem rerum mobilium, sed remotissimam. Postremo, si non videas quomodo potentia sit causa, hoc vnum disce, eandem nec a materia sola, nec solum à forma, sed à toto cōposito, vel potius ab ipsa natura vt est principium internum motus fluere. Sic non materia nec forma potentia tantum, sed potentia mobilis omnino dicitur, quae materia (vt ita dicam) plumbeis ponderibus depressa tarditatem: forma autem pennis alata velocitatem parit. At quomodo sola causa istorum haberi potest, fortasse dices? sola (inquam) interna & proxima in re qualibet mouenda dicitur, reliquae autem causae remotae existunt & aduentitiae. Valde latens & occultus est haec vis mouendi quae in re omni inest. Agnosco esse. & (si me audias) hinc iustam occasionem habes admirandi primam causam, quae omnis rei immobilis praesens est, sedetq; ad gubernacula mundi, flectens reflectens, voluens reuoluens omnia. Haec sola causa hanc potentiam actiuam dedit, datamq; singulis iuste & potenter distribuit, prout natura cuiusq; rei capax & compos motionis existit.

Potentia sola interna & proxima causa veloc. & tard.

Prima causa praesens omni mobili.

CA-

CAPVT V.

Vtrum aucta vel diminuta potentia mouentis, eadem proportione motus res celerior aut tardior fiat?

SCala philosophiæ in cētro fixa erecta iam in cœlum est, & per visibiles illius gradus ad inuisibiles motores primamq; causam motricē scandas. Liceat mihi (quod rarius in hoc opere rogatus fecerim) vnum è sacris solum adferre. *Inuisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur: sempiterna quoq; eius vis & diuinitas* Quid addam? id certe quod beatissimus Apostolus addit. Si per externa hæc mundi opera species diuinæ maiestatis cernātur, omnes & singuli inexcusabiles simus necesse est, qui Deum in speculo naturæ intuentes vitulos istius mundi adoremus. Sed omissis verbis ad præsens negotium venio. Satis, iam satis de causa, de necessitate, essentia, existentia, ordine, subiecto, terminis, proprietatibus, mensura & comparatione istius motus disputauit Philosophus: nunc vero ascendens ad primum gradum scalæ attonitus obstupescit. Tantam enim super scalam maiestatem cernit, vt potius silētio quam eloquio eandem describendam putet. Sed vt loquatur de ea aliquid, in hoc capite viam quasi astruit, septemq; leges seu regulas de potentia mouentium tradit. Rom. 1.

Septem leges de potentia mouentium.

1 Prima est, *si virtus seu potentia mouentis mobile aliquod motum certo & definito tempore moueat, eadem virtus vel æqualis dimidium ipsius mobilis in media proportione tēporis permouebit.* Attende (studiose lector) non posse Arist. hoc loco intelligi nisi præconceptū hoc intelligas, *eum de proportione virtutum mouentium respectu mobiliū agere.* Propono ergo tria considerationi tuæ, potentiā mouentis, impotentiam mobilis, resistentiam medii deferentis. In potētia mouētis ꝓportio maior, minor, aut æqualis spectāda est: vnde cōparatione mouentis, mobilis & medii in tempore æquali aut inæquali nascitur. Sensus ergo generalis istarū regularū est, ꝙ à ꝓportione maioris inæqualitatis actio in passū fiat; at à ꝓportione æqualitatis, nec non minoris inæqualitatis

Tria proponuntur considerationi lectoris.

In omni motu agens virtute superat patientis impotentiã.

Actio non nisi à vincente. Arist. de Motu animal.

actio non fiat. Ratio est, quoniam mouens non potest agere in passum quod mouetur, nisi virtute superet patientis impotentiam, & resistentiam medii: quia id quod est minoris virtutis & efficaciæ non potest agere in id quod est maioris resistentiæ. Contingit ergo mobile velocius aut tardius moueri iuxta proportionem virtutis motricis, resistētiam mobilis & medii superantis. Sed quoniam multiplex & varia est ista velocitatis & tarditatis in motu respectu mouētis cōparatio, regulæ assignantur, de quarum prima iam diximus.

2 Secunda est, *si virtus aliqua mouentis incitet aliquid mobile per aliquod spacium in æquali tempore, eandem virtutem vel æqualem dimidium illius mobilis posse mouere per idem spacium sequentis proxime & immediate temporis.* Vi enim agentis non imminuta, subiecto & medio similiter affectis, idem effectus proportionis in motu sequentis ac præcedētis partis dimidiæ sequitur. Exempli causa sit M. Milo currens, sit B. humeris iniectum onus (scilicet bos vel columna Herculis) sit S. stadium quod decurrit onustus Milo, sit T. tempus in quo hunc cursum stadiumque cōficit, sit denique P. potentia Milonis eadem & æqualis qua præditus hoc pondus subit: his positis, si virtus Milonis non deficiens integrum bouem vel columnam Herculis per dimidiū stadium vnius horæ dimidia parte ferat, eadem virtus non languens idem onus (non grauius) per alterum dimidiū stadii & horæ, non lōgius, ex proportione mouere potest, vt prima & tertia regulæ rectissime docent. Quod si hoc verum sit, quod est verissimum, quid obstat quo minus concludam, dimidiā partem bouis aut colūnæ æqualiter diuisam in minori proportione medii aut temporis posse deportari?

Sed pergam: tertia regula *in mobili & mouente æqualitatem temporis* quarta *æqualitatem mouentis,* quinta *multiplicem proportionem mobilis*, sexta *inæqualitatem vtriusque* vltima *omnium* (scilicet mouentis, mobilis, spacii & temporis) *comparationem respicit.* Ordo Aristotelis in textu perspicuus, sensus obscurus, vsus maximus, si attēdas. Nā etsi de motu locali solū hæc theoremata tradātur, accōmodari tamē possunt omnib. & singulis generib. mutationis, in quib. imperiū & potentia mouentis, rei mobilis (vt ita dicā) ad nutum mouentis obsequium & obedientia, resistentia

3
4
5
6

Theoremata in hoc cap. proposita singulis mutationis generibus possunt accommodari.

medii,

medii, mensura motus, existentia temporis considerari debent. Si virtus mouentis sit actu infinita, Deus est illud mouens quod mouere & mutare potest omnia, moueri autem & mutari non potest: si vero sit virtus mouentis finita, eadem est vel externa vel interna; externa, vt potentia intelligentiarum mouentium sphęras & globos mundi, vel (si placet) potentia dæmonum mouentium homines ad bonum vel malum; interna, vt vis quælibet actiua naturalis cuilibet rei naturali insita, non aliter sequens formam quam rosa solis solem. Si hic quęras, an omnem hic motricem causam intelligat Philosophus? Omnem dico; excipit nullam. Quid an primam? Omnem iterum dico, excipit nullam. Quid Philosopho cum prima causa? totus octauus liber iam demonstrabit tibi. Nam postquam naturæ passibus singulos gradus scalæ cœlestis attigerit (in quibus mota & mouentia, agentia & patientia inuenit) necesse est vt tandem ad primum mouens (in quo omnia sunt & mouentur) ascenderet: ad primum (inquam) mouens, quod omnibus & singulis naturæ effectis mouendi potentiam dedit. Reuertere (inquis) ad inferiores potentias, viresque naturales rerum, doce in illis id quod Arist. hoc loco docet. Docebo: animaduerte igitur in primis non esse omnino motum nisi virtus mouentis potentiam mobilis & resistentiam medii impedientis superet. Nota etiam quod ita motus sequatur potentiam motoris, vt effectus suam causam sequitur; velocitas tamen non ita potentiæ huic adæquatur vt eadem semper vtriusque habeatur proportio: non est enim necesse vt mobile duplo velocius aut tardius moueatur, si potentia mouētis externi sit duplo aut intētior aut remissior; quippe tale mouens est agens & velocitatis seu tarditatis legibus non alligatur. Cæterum si potentia mouentis naturalis & interni cum interna potentia mobilis mediique resistentia & appetentia finis conferatur: quo potentior virtus est eo velocior motus, & quo remissior illa, eo hic imbecillior dicitur. Ratio est, quoniam motus potentiam mouentis vt effectus suam causam proximam sequitur; at inter causam motus & motum debet esse proportio: si ergo causa augeatur aut diminuatur motus intensior aut remissior reddetur. Similis est ratio velocitatis & tarditatis quoad resi-

Virtus mouentis finita infinita.

Virtus primi motoris actu infinita vel finita, eaque externa vel interna.

Primum mouens potent. am mouendi omnibus tribuit.

Omnis motus à fortiori.

Motus sequitur potentiam vt effectus causam.

Mouens agens.

Resistentia medii nonnunquã causa velocitatis aut tarditatis.

Regulæ hic traditæ oracula tenebris sepulta, exempla igitur proponuntur.

stentiam medii, quæ cæteris partibus caussa quoque est cur aliquando velocius aliquando tardius mobile incitetur. Quanto enim maior aut minor est proportio potentiæ in subiecto & resistentiæ in medio, tanto maior aut minor est proportio velocitatis in motione. Regulæ quæ hic traduntur sunt quasi oracula tenebris sepulta apud Philosophum, exemplis opus est vt aperiantur. Esto, breuiter percurram. Primæ igitur regulæ sit hoc exemplum, si quis decem libras vna hora per vnum stadium ferre possit, recte quinque libras eadem hora per duo stadia feret. Exemplum regulæ secundæ sic vrget, aliquis potest horæ spacio 60. libras per milliare humeris portare, ergo dimidia hora per idem milliare libras triginta ferre potest. Tertiæ regulæ exemplum sic concludit: aliquis talentum ferre potest vna hora per stadium, is ergo idem talentum ferre potest dimidia hora per dimidium stadium. Hactenus ergo dictum sit de regulis & exemplis. quæ sequuntur paucissima attexam.

Quarta ergo regula hæc est: *si virtus aliqua moueat aliquod mobile per aliquod spacium in certo & definito tempore, necessario sequitur eandem virtutem æqualiter diuisam mouere posse dimidium mobile in eodem tempore per æquale spacium.* Vt si virtus mouens duodecim vim habeat vt ferat pondus mobile octo librarum vna hora per milliare: tunc mouens 6. virtutum vim habens mouebit pondus quatuor librarum eodem tempore per idem milliare: qualis enim est proportio duodecim ad sex eadem est proportio octo ad quatuor, si reciprocam comparationem mouentis reiq; mobilis consideres.

Quintum theorema est, Si mouens aliquod rem aliquam ponderosam moueat certo tempore per spacium non incertum, sequitur idem numero mouens (non auctum viribus) duplo maius haud posse eodem tempore & spacio mouere. Exempli caussa, testudo vnum tectum secum fert, at si non augeantur vires duas domunculas ferre non potest. Regula sexta est, Si virtus moueat mobile aliquo tempore per definitum spacium, non est necesse vt dimidium mouens partibus viribusque diuisum idipsum moueat. Nam aliter si centum homines moueant nauem per centum milliaria in

centum horis, sequeretur centesimum hominem trahere posse nauem eodem tempore per centesimam spacii partẽ, nempe per vnum milliare, quod quam absurdum sit concedere nemo est qui non videat. Is quoq; videat Zenonis sophisma in textu non tenere, quo conatus est docere, idcirco vnum granum milii in terram cadens sonum edere, quia infinitus numerus granorum effusorum strepitum in aere efficit.

Postrema regula est, Si vna virtus hoc mobile huius vel illius ponderis mouere possit, aliaque virtus æqualis adiecta sit, necesse est vt hæ duæ virtutes vnitæ compositũ ex vtroq; pondere moueant: virtus enim vnita fortior, & si æqualiter vnita sit, parem rationem proportionis in rem subiectam habet. Quid an hęc theoremata fusius à te tractata solum in motu locali veritatem vsumque habent? Minime, nam in omnibus generibus motus eadem fieri potest comparatio, si quatuor illa diligenter consideres, de quibus in principio huius capitis diximus. Primum est id quod mouet, alterum id quod mouetur, tertium id spacium in quo fit motus, postremum id tempus in quo motus perficitur. Res aperta est in alteratione: exempli caussa in calefactione aeris ignis potentia mouens est validissima, idcirco maximum aeris spacium breuissimo tempore calefacit: nobilissima est virtus solis, ideoque fere in instanti totum aeris globum illustrat simul: vis mouens animæ diuina est, mira ergo celeritate spiritus suos animales (tanquam velocissimos nuncios) in omnes partes & regiones corporis transmittit: Dei potentia mouens infinita est (impie Diagora) cur ergo negas omnia posse mouere Deum? Sed nunc audies plura de Deo, vt si nõ credas esse Deum philosophia doceat, persuadeat ratio, conuincat natura, experiẽtia demonstret. Verũ si hæc non moueãt, mouebit certe illi⁹ potẽtia qui primus motor dicitur, mouebunt etiam omnes omnium mouẽtium virtutes, mouebunt dæmonum flagella, flammæ, tormenta, omnia: indignus enim luce, indignus cœlo, indignus Deo est, quem lucis, cœli, Deique potentia mouere non potest.

Distinctio quæstionis, An aucta vel imminuta potentia mouentis, motus eadem proportione celerior aut segnior fiat?

Potẽtia motrix, seu virtus mouentis in textu nominata est vel

- Metaphysica, eadẽque aut
  - Infinita, simplex, & essentialis, vt *Deus* qui primus motor, vel prima causa mouens dicitur.
  - Finita, eademq; aut
    - 1 Assistens, vt *intelligentia*: quæ orbi assistendo præest.
    - 2 Inhærens, vt *anima humana*: quæ in homine veluti ad puppim sedet, nauẽque corporis ad nutum & imperiũ suũ mouet.
- Physica, & hæc quoque duplex est,
  - Externa, eadẽque vel
    - 1 Simpliciter & absolute, vt *medii potentia* quæ vim habet mouendi: & tamen est simpliciter extra rem quã mouet, vt *potentia aquæ* quæ vehit nauem, *potentia aeris* quæ mouet auem.
    - 2 Comparate: vt *potentia accidentis* quæ vna cum accidente inhæret in re mota, vt vis *grauitatis* & *leuitatis* in igne & terra.
  - Interna, eadẽque etiam aut
    - 1 Absoluta, vt forma cuiusq; rei, quę prima & remota causa motus in re qualibet dicitur.
    - 2 Respectiua, vt nempe virtus illa de qua hic à Philosopho præcipue agitur: & hæc aucta aut diminuta necesse est vt motus rei celerior aut tardior fiat, vt argumentis, regulis, exemplis abunde in explanatione textus demonstratur.

Con-

Contra expositionem huius quæstionis.

Opp. *Interpretis est multiplicia distinguere, definire obscura, diuidere incerta, vera demonstrare: tu vero in hoc capite id muneris non præstas: anceps enim videris vacillare, nullamque partem defendis certam, quippe nunc ad potentiam mouentis, nunc ad essentiam mobilis, nunc ad resistentiam medii, nunc ad appetentiā subiecti, nunc ad hanc, nunc ad illam causam velocitatis & tarditatis nos refers, definis nihil, concludis nihil. Præterea, multas mouentium regulas & leges hic infers, in quibus tanta est confusio quanta non est in vlla parte interpretationis tuæ: philosophare igitur vt vsum istorum cernam.* Interpretis officium quod.

Resp. *Interpretis quidem est hæc omnia & singula præstare quæ requiris, & iisdem pro viribus in hoc opere non defui. Multiplicem potentiam in suas partes distinxi, definiui obscuram, diuisi incertam, regulis & exemplis demonstraui. Anceps non sum, fixam vnamque partem defendo, multas equidem caussas celeritatis & tarditatis assignaui, sed ad vnam primariam, nempe potentiam internam mouentis lectorem refero. Confusio non est si attendas; philosophatus sum, & vsus eorum quæ dixi studioso lectori facile apparebit.*

Contra quæstionem propositam.

Opp. *Nulla potentia naturalis augeri aut minui potest: ergo frustra proponitur hæc quæstio. An aucta vel imminuta potentia mouetis motus celerior aut tardior fiat? Antecedens probatur, quia omnis potentia naturalis est in secunda specie qualitatis, quæ intendi aut remitti non potest; potentia enim nec contrarium, nec gradum intentionis habet.* Cap. de qualit.

Resp. *Multiplex distinctio huius nominis modo adhibita totam hanc litem & controuersiam dissoluit. Est enim potentia interna vel externa: illa totius essentiæ vel formæ solius dicitur, hæc (nempe externa) aut infinita est, vt Deus in quo esse & posse idem sunt: aut finita, eademque assistens vt virtus intelligentiæ, vel inhærens vt virtus animæ: eademq; vel prima, quæ eadem inchoatè habetur cum anima, vel se-* Potentia multiplex.

Potentia naturalis potest considerari dupliciter.

cunda quæ est affectio in secunda specie qualitatis. His prælibatis ad argumentum respondeo, naturalem potentiam considerari posse duobus modis, vel in propria & simplici essentia sua, & sic nec intenditur nec remittitur. Vel in composita existentia, quatenus actiua vel passiua dicitur, & sic augeri diminuique potest. Exempli causa vegetior est vis & potentia crescendi in plantis, si ver primum in ariete quam secundum in libra spectes. Non opus est pluribus exemplis: potẽtior (vt ita dicam) puer est infante, adolescens potentior puero, vir adolescente, post quam ætatem hæc potentia decrescit, donec imbecillitas aut impotentia fiat. Similis est ratio omnium externorum sensuum qui in flore ætatis acutiores existunt: in præcipitio autem vitæ languent. Dico igitur potentiam nec habere contrarium, nec gradum magis & minus intensiue (vt aiunt) in se: extensiue autem & per accidens habere posse.

Potentia nõ suscipit contrarium aut gradus magis & minus intensiue sed extẽsiue.

Opp. *Si proportio velocitatis & tarditatis solam potentiam mouentis sequatur, quid opus est grauitate, aut leuitate aliisque eiusdem causis, scilicet resistentia medii & appetentia finis, quæ non minus videntur proportionem efficere, quam potentiam mouentis?*

Potentia primaria non sola causa velocitatis & tarditatis.

Resp. *Proportio velocitatis & tarditatis sequitur potentiam vt primariam causam, non autem vt solam causam sui: alia enim sunt causæ fortuitæ non per se, adiuuãtes vt instrumenta, non efficientes vt principia motus.*

Opp. *Potentia diminuta res sæpe moueri non potest omnino: ergo proportio velocitatis & tarditatis in motu a potentia mouentis non dependet. Antecedens probatur exemplo in textu, nam si potentia aucta centum hominum possit nauem trahere: eadem potentia diminuta ad vnius hominis vim & virtutem, non potest omnino nauem mouere: auctam ergo & diminutam potentiam mouentis, non sequitur proportio motionis.*

Resp. *Potentiam auctam aut diminutam mouẽtis (vt inquit Philosophus) sequitur proportio motionis: sed per diminutam potentiam non intelligit sublatam penitus virtutem, vt nulla omnino habeatur inter mouens & mobile proportio. In hoc ergo sophismate & paralogismo nos fallis, cum impotentiam potentiæ nomine appelles. Nam vt non sequitur: mo-*

dius


diu granorum effusus sonum in aere facit, ergo vnum granum sonorum aerem reddit: ita non recte concluditur, si dicas centum homines posse in vna hora per milliare nauem ingentem trahere, ergo vnus homo in centum horarum spacio potest eandem nauem tam longe trahere & mouere.

Opp. *Multa mouentia sunt libera & alterius generis à mobili, quod comparationẽ negat non est ergo necessitas proportionis inter potentiam mouentis & mobilis. Praeterea, cum libera & soluta mouentia assistant potius quam inhaereant, nõ video rationem proportionis, quoniã ad proportionẽ & comparationem requiritur agentis & patientis communicatio societasque in materia. Postremo, nulla inter libere mouens & mobile esse potest proportio, quoniam proportio solum est inter illa quae habent quantitatem: at libere agentia & omni materia, & omni etiam quantitate vacant: ergo inter haec & illa non est proportio. Nihil addo de constanti statu spiritualis substantiae omniumq; virtutum & facultatum in ea, quae nec mutationi subiiciuntur nec vnquam deficiunt. Quod si verum sit, recte hoc loco non defendis diminui posse mouentis potentiam.*

Resp. *Sunt quidem multa mouentia libera, vt daemones intelligentiae, animae; sunt etiam alterius nonnunquam generis a re mota: ratio tamen haec tua non sequitur, si necessitatem mouendi illis à prima causa impositam consideres. Primi enim motoris trutina liberata est cuiusque spiritus potentia, vt sit inter illam & mobile quod voluit certissima ꝓportio. At dices inter res alterius generis non esse comparationem vt in priore capite docuit Philosophus, nam ad comparationẽ requiritur vnitas speciei; si vero non sit comparatio, non potest esse proportio, quia proportio est quaedam comparationis species. Respondeo comparationem illic strictissime intelligi. Hoc etiam addo, per vnitatem speciei Arist. non insinuare rem vnam specificam in substantia, sed rerũ diuersarum vnionẽ in specie, qualis est comparatio niuis & cygni in candore. Ludis in secundo argumẽto parteq; sophistica agis: transis enim à rebus ad voces, & ad idem non disputas. Dico igitur requiri inter physice agẽtia & patientia communicationem in eadem materia: sed libere agentia non sunt semper physica, nisi inhaereãt vt forma. Idipsum respondeo ad tertiũ*

argumentum, in quo requiris quantitatem: nego enim quãtitatem inhærentem spiritus mouentis: est tamen proportio respectu primi motoris, qui definitam hanc potẽtiam in comparatione ad subiectũ mobile in prima creatione dedit. Quod addis de statu & scientia spirituum certa libenter concedi, defendo tamen intelligentias maiores aut minores vires posse suscipere, vt secundum magis & minus ad primam accedunt causam, vnde & essentiam & influentiam habent. quemadmodum ergo stella quo vicinores sint soli eo maiorem lucem & splendorem participant, vt in hespere & vespere constat: ita spiritus, omniaque mouentia quo propinquiora sint primæ causæ seu motori, id est Deo, eo potentius res mouent, vt in cœlestium sphærarum ordine & motu liquido apparet. Sphæram (studiose lector) vnusquisque nostrum mouendam circa mundi medium & centrum habet: circa mundi medium & centrum dico, vt potentia mouentis aucta, terreum hoc mobile ad cœlum tandem primumque motorem rapiatur. O quam multi hodie relicto motu in centro otiose viuunt? aut si laborent in eo, effodiunt opes, voluptates, honores, aliasq; illecebras & irritamenta malorum. Non est hic certe orbicus motus, non est perfectus, non est (vt aiunt) simplex & regularis. Cap. 1 vers. 18. *Rotæ quas vidit Ezechiel plenæ fuerunt oculis, id est scientia & prouidentia Dei, idcircoq; motis animalibus à terra fuerunt eleuatæ. Sphæræ nostræ carent oculis, carent scientia & prouidentia Dei: motis ergo nobis non sunt à terra eleuatæ, sed nos cum illis terræ affixi cœlum vix intuemur, cœlique motore aut non cognito aut contempto terræ pondere pressi in Orcum ruimus.* Sed Spiritus immense qui moues cœlum, hanc sphærulam, id est, animulam meam peccatricem moue: tu enim es omnium rotarum spiritus, si me trahas sequar, si moueas obtemperabo.

Finis libri septimi Physicorum.



LIBER

LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Vtrum de Deo motuque primo Philosophi demostratio repugnet sacris literis? Huic quæstioni annexum est dubium, An motus sit perpetuus?



Vid conaris Philosophe? quid in hoc vltimo libro Physicorũ contendis de Deo agere? Quamuis sis Aristoteles & Philosophorum princeps, (si me audias) manum de tabula, aut saltem non vnum diem, vnum mensem vel annum, sed infinita sæcula ad deliberandum pete; mens enim clausa corpore infinitum cœli numen non apprehendit. Ingenium Philosophi in mobile cœlum desinit (at quis, aut quid sit primus motor extra cœlum penitus ignorat. Vides hic (Stagirita acutissime) Euripum cuius fluxum & refluxum nescis. Si dicas & facias quod te olim dixisse & fecisse ferunt, recte dictum & factum puta. Cur stas attonitus? dic mecum (quæso) O Deus non possum capere te, tu capias me: Christianus sum & addam, beatus est quem Christus Deus capit.

Difficile est etiam summis philosophis, quid Deus sit, inquirere. Cic. lib. 1. de Nat. deorum.

Iust. Mart. in paranesi ad Græcos, Nazian Orat. 1. contra Iulian. D. Augu. Dulciloquio lib. 1. cap 1.

Da veniam (studiose lector) non digrediar. Agit Philosophus de Deo primo motore primoq; authore omnium, agit quidem opportune. Attentius quæso animaduerte quãtum lumen in indagine rerum diuinarum ipsa natura præbeat, si à singulis ad vniuersa, à compositis ad simplicia, ab effectis ad principia, à caducis ad æterna, ab humanis ad diuina velis procedere. Rotas & globos inferioris mundi & ethereæ regionis voluisti mecum, peruenisti nunc ad primum mobile; quid vltra? Mobilium causas, species, ordines, motiones, proprietates, affectiones & fines obseruasti; quid vltra? mouentium diuersa genera, officia, loca, subiecta & imperia serio notasti; quid vltra? eorum mirabiles virtutes, sedes, potentias, actiones & influẽtias diuinas adumbratas vtcũq; vidisti, quid vltra? Quid vltra quæris? Est certe aliquid vltra,

Quid in hoc l. Arist. agat.

Modus quomodo primum motorem inuestigas.

In 3. prioribus libris de Cœl. & 1. secundo li. de Met.

Ens entium, principium omnium simplex, æternum, infinitum, immensum, vnum. Quid vltra? nihil, nam in hoc sunt omnia quæ subsistunt vnum. Hoc enim (vt loquar cum Aristotele) est causa causarum, motor cœli, author boni, effector mundi, rector animi, diuinissima essentia, maiestas æterna, incommutabilis vita, felicitas summa, Idea beatissima: sapientissimus vbique & semper subsistens Deus; Quid vltra? Quid vltra adhuc quæris? nihil certe nisi vt hoc vnum cœli terræque principium colas, diligas, admireris. Quid si non? Impie Diagora, quid si non quæris? Lumine naturæ & philosophiæ cognoscis Deum & vt Deum non colis? non diligis? non admiraris? obscuratum est insipiens cor tuum, & cum sapiens videri cupias stultus factus es. Nam cum stulto in corde tuo loqueris, *non est Deus.* O tempora si hæc verba istam ætatem vulnerent! O mores si legentium conscientias vrant! Sed

L. de Mundo. Meta. l. 12. tex. 39. 52. 65.

Cic. l. 3. de nat. Deor.

Rom. 1. 21. Ps. 13. 1. & 53. 1.

Nunquam sera est ad bonos mores via.

Deus est, si non credas iterum dico, Deus est: si adhuc non credas, sacra vt credas iubent; si non credas sacris, volumina naturæ, cœlum, sydera, centrum, elementa suadent; si hæc non vrgeant, ratio & sensus mouent; si ista non moueant, reprobus es, odium Dei es, & quoniam viuus non credis, mortuus profecto scies & senties. *Quem enim amor Dei non mouet, horror conscientiæ vulnerabit.*

Rom. 1. 20. Act. 14. 17.

Quorsum hæc, fortasse dices? certe vt huius exellentis libri (diuiniore Aristotelis ingenio conscripti) vmbram ex fronte & præfatione intelligas. Nam licet in eo nũc de motus, nunc de essentia mobilis disputet; eo tamen præcipue contendit, vt vnum primum in eo motorem esse demonstret, eundemq; solum vt summum bonum omnium, quærendum, amplectendum honorandum concludat. Et quoniam ordine naturæ de prima causa agens non potest à definitione eiusdem procedere (*Principia enim & prima non definiuntur*) à comparatione effectus cum caussa hoc modo incipit. Vnus est primus motus: ergo vnus est primus motor: Primus motus est simplex & æternus; ergo multo magis simplex & æternus est primus motor. Motus primus est actu velocissimus; cogitatione ergo velocior est primus

Huius libri argumentum.

Phys. 8. t. 45. 47

Phys. 8 l. t. 42. l. 2. de cæl. t. 29.

motor

motor. Est primus motus in virtute potentior reliquis (quippe nihil cœli motum impedit) subsistit ergo primus motor potentissimus. Motus primus est insitus & connaturalis cœlo: nullum ergo accidens est in Deo. Primum mobile nullo loco continetur: Deus ergo vbique est, & nulli loco aut tempori alligatur. Gnomon seu index hic est futuræ disputationis sparsim in hoc libro habitæ.

Sed hic emergit scrupulus, non parui momenti de ordine quo vtitur Philosophus in demonstrando Deo. Facile resoluetur hoc dubium, si in omni naturæ effectu & opere hæc tria consideres, materiam, formam, actionem: In materia imperfectio, in forma perfectio, in actione caussæ efficientis ordo & subordinatio cernitur. Quid perficit materiam? Deus: formam quid aliud inducit nisi Deus? Quid vtramque mouet, iungit & conseruat? Nihil certe nisi Deus. Quid multis? Omne creatum ens est (vt ait diuus Thomas) ex nihilo & ab alio: vt ens est designat perfectionem, & sic in eo agnoscimus Deum via (vt aiunt) eminentiæ, dum quicquid in rebus eminet perfectum, Deo attribuimus; exempli caussa vitam, sapientiam, bonitatem. *Ex nihilo* simpliciter vt Theologi, *ex nihilo* comparate vt Philosophi volunt, id est ex materia prima quæ in rebus designat defectionem, quam dum à diuina essentia penitus remouemus, ad notitiam Dei via (vt aiunt) negationis accedimus; omnem enim defectum à Deo tollimus. *Ab alio* notat caussarum efficientium & mouentium ordinem, per quem etiam ex efficientia Deum cognoscimus via (vt aiunt) caussalitatis: non quod per caussas Deum quæramus (prima enim caussa non habet caussam) sed quod ordine caussarum mouentium perspecto, necesse sit tandem vt ad primam caussam motricem omnium veniamus.

Dubium.

Modi tres quibus Deũ agnoscimus, & Aristoteles in eo demonstrando vtitur.

Si nunc quæras quonam istorum modorum vtatur Philosophus in hoc libro, vt demonstret Deum esse; respondeo omni illum vti modo. Nam per viam eminentiæ ostendit Deum esse cum ei omnia excelsa, perfecta, diuina & æterna attribuat: per viam negationis, cum accidentia omniaque caduca, mortalia & imperfecta in illo neget: per viam caussalitatis (vt loquuntur veteres) cum in scala naturæ & mouentium ordine necessario ad primum motorem

Eminentiæ
negationis
Caussalitas

Media ad Deũ demonstrandum quot. causamque causarum veniat. Est (inquit) Deus incommutabilis, essentia simplex, infinita, immensa, æterna: semper indiuisibiliter & vbique subsistens: ecce eminentia. Non est in Deo vlla materia, non est vlla affectio, non est vlla mutatio, non est vlla labes aut imperfectio: ecce negationem. Est prima causa, est causa causarum, est causa effectrix & omnium motrix, est finalis causa & conseruatrix entium, est causa transcendens, ipsumque summum essentiale bonum (si liceat mihi cum veteribus loqui) ecce causalitatem.

Dei essentia, sciẽtia, & prouidentia in omnibus elucet. Si media istarum demonstrationum requiras, infinita sunt & in hoc libro, & in libris Metaphysicorum: volumen scriberem si eorum pauca recenserem. Quotquot namque sunt entia, tot sunt media & instrumenta demonstrandi Deum. *Nulla res in qua non mirandum aliquid inditum habeatur.* Atomus probat, musca probat, infima, media, summa probant, omnia probant: in omnibus enim essentia, sapientia prouidentia diuina lucet. Essentia sine qua nõ sunt, scientia sine qua non fiunt, prouidentia, sine qua non bene sunt nec conseruantur. *De partibus animalium. li. 1. cap. 5.* Vide causarum fatalem nexum, admirabilem mobilium situm, ineffabilem mouentium ordinem, insignem ornatum cœli, obstupendam fabricam, motionem & conseruationem mundi. Vide terram pensilẽ in aere, vide aquam fluxilem in terra, vide aerem, vide ignẽ, vide sub cœlo & in cœlo omnia, in omnibus videbis magna mysteria, magna miracula: stupidus es si adhuc dubites an sit Deus? si non agnoscas impius, Atheus si non colas.

Sed oblitus sum fere instituti mei: ignosce tamen (studiose lector) hunc felicem digressionis motum, præsertim cum non multum à re digrediar. Agit Philosophus de Deo, Interpres de Deo loquor, Athei me cogunt plura quam velim loqui, tacere non possum, cum detur occasio loquar. Attamen si omnia loquar, me parum aut nihil de re tanta locutum puta: satis est si cum Aristotele luminibus naturæ & philosophiæ conuincam Deum esse, altior & sublimior philosophia est, quæ eum colendum probet. *Capitu huius epitome.* Hac vmbra totius libri sequentis proposita, ad primi capitis quæstionem venio. Sed antequam eandem proponam, hunc syllogismum vt eiusdem summam & epitomen contexam. Motus æternus æternum motorem probat, sed est motus æternus. ergo est æternus motor. Conuertis etiam hunc syllogismum

logiſmum Philoſophus in textu hoc modo. Mouens æternum motum ſempiternum docet, ſed eſt mouens æternum (id eſt Deus) ergo eſt motus ſempiternus.

Nunc moueo quæſtionem, *Vtrum de Deo motuq; perpetuo Philoſophi hac demonſtratio repugnet ſacris?* Ioh. Ludouic. HaWenreuterus, doctiſs. medicus & philoſoph⁹ noſtræ ætatis, affirmat non repugnare: aliud enim (inquit) eſt ſi dicas motum immediate, ſimpliciter & omnino nec incepiſſe, nec deſiturum: aliud ſi dicas eundem natura generatum non eſſe, nec vi naturæ interiturum. Sed in his ſyllogiſmis Ariſtoteles vim ſolam mobilis naturæ reſpicit, non potentiam primi mouentis, quam infinitam eſſe alicubi concedit. Quippe neque hic neque in alio vllo loco ſuorum operum affirmat, motum reſpectu Dei aut principium habuiſſe, aut finem habiturum. Imo contrarium dicit, cum agnoſcat Deum eſſe primam cauſam motus, eumque actu infinitum, liberrimumque agens nullis cauſis omnino, nullis mediis, nullis inſtrumentis alligatum: ſequitur ergo non negaſſe Philoſophum quin motus & mundus dicantur incepiſſe & interire poſſe ſi primam cauſam, negaſſe autem ſi ipſam naturam cauſam ſecundam ſpectes. Vt ergo oraculum veritatis eſt, mundum ex nihilo, non in tempore ſed in principio, omnipotentis verbo creatum eſſe, adeoque nunc eodem verbo conſeruatum, & tandem periturum: ita verum eſt naturæ vi non incepiſſe, non deſiturum, ſed ſemper fuiſſe eſſeque futurum. Quippe natura nec fecit nec deſtruit motum: at Deo & faciendi & deſtruendi potentiam non negat Philoſophus: imo vbique attribuit, cum Metaphyſicum in omnia illum habere imperium aſſerat. Incepit ergo motus, incepit mundus, incepit tempus non refragante Philoſopho ſi primam cauſam potentiamque diuinam conſideres: non incepit motus, non incepit mundus, non incepit tempus, ſi cauſam ſecundam reſpicias: ea enim eſſet infeſta & pernicioſa ſibi, ſi in ſe & ſua effecta violentas manus vnquam iniiceret.

Quid moror? concedo cum Philoſopho principium habuiſſe tempus: hoc ipſum etiam nego. Habuiſſe dico, ſed à præſtantiore & diuiniore cauſa quam natura: non habuiſſe dico ſecundum vim naturæ, quæ (vt ratio & naturalis phi-

In compendio librorum Phyſ. lib. 8. cap. 2.

Motus habuit finem & principium ſecundũ Ariſtotelem.

Mundũ quomodo æternum dicat Philoſophus

Geneſ. 1. c toto. Heb. 1. 3. Matt. 24. 35.

L. de mund c. 7

Mundus quomodo incepit, quomodo non incepit.

Comprobatur Philoſophi opinio de mũdi æternitate.

De ortu & interit. l. 2 c 1 & t 58 59. & de anima, 2. t. 34

losophia docent) perpetuo motu & mutatione rerum æternitati studet: semper ergo secundum naturam fuit motus, semperque erit: vnde concludo à voce loquentis veluti naturæ motorem sempiternum esse, id est Deum. Nam si secundum naturæ vim motus sit æternus (vt iam probatur) & non sit motus nisi sit mouēs, sitq; inter motum, mouens & mobile relatio, æternitas motoris necessario ex æternitate ipsius motus sequetur, nec nō ex aduerso æternitas motus ex æternitate motoris his positis, cōstat non esse tantā & tā absurdā contradictionē apud Philosophū de æternitate motus & mundi, vt multi rē ad viuū discutientes absurde somniāt.

Motus est æternus.

Cæterum nunc venio ad probationem minoris propositionis in priori syllogismo, quæ hæc est: *Sed motus est sempiternus.* Nota quidem satis est hæc propositio ex iis quæ in superioribus de Natura libris explicata sunt, vbi docuimus naturæ vi dare non posse primum gradum aut *mutatum esse* in motu: successio enim perpetua est, & indefessa vicissitudo rerum. Vt ergo nullum tempus vel esse vel cogitari potest absque *Nunc*, quod est principium futuri, & preteriti finis: ita nullus motus vel esse vel cogitari potest, in quo non sit *mutatum esse*, quo illius partes copulantur. Et vt in tempore dari non potest vlla vi & potentia naturæ primum instans generationis: ita in motu dari non potest eadem potētia naturæ primum *mutatum esse.* Omnem siquidem motum alia antecessit rei mutatio: motus ergo natura genitus nunquam incepit: existens ergo perpetuus arguit Deum esse, eundemque motorē sempiternum. Omitto ista & ad conuersum syllogismum accedo, qui sic se habet. Si causa mouens & res mobilis sint sempiternæ, motus etiam erit sempiternus: sed caussa mouens & res mobilis semper fuerunt: ergo motus etiam sempiternus erit. Maior istius ratiocinationis perspicua est, quia caussa mouens, res mobilis & motus (vt superius demonstratum est) proportione adæquantur. Minor constat, quia Deus æternus essentia & constitutione sua, res mobilis potentia & successione perpetua dicitur; at nec mouens nec mobile dicuntur sine motu; ergo si illa sint sempiterna, motus ipse sempiternus erit. Nam si mouens & mobile æterna sint sine motu, aut semper mouebant & mouebantur, aut semper

Phys 6. l t. 46.

Vt in tempore primum instans ita in motu primum mutatū esse dari non potest.

Phys. l. 4. t. 3.

ſemper quieſcebant: ſi ſemper mouebant & mouebantur, motus fuit ſempiternus: non autem ſemper quieſcebant, quia quies arguit motum præceſſiſſe: quippe quies eſt priuatio & ceſſatio motus antecedentis: ſemper ergo mouebant & mouebantur, & proinde motus ſempiternus erat. Hoc probat Philoſophus exemplis mouentium phyſice & metaphyſice, quorum illa ſemper mouent eodem modo vt ignis non calefacit niſi rei frigidæ admoueatur: hæc vero nō nunquā contrariis motibus vtuntur, quia ſunt mouentia voluntaria, vt animæ ſeparatæ, intelligentiæ, Deus. Adde argumentum à tempore cuius primum inſtans non datur, quo conceſſo, motus (qui eſt menſura temporis) neceſſario eſt perpetuus. Hæc omnia veriſſima eſſe fatentur omnes phyſiologi, qui accommodate & congruenter ad naturam locuti ſunt de æternitate motus. Imo ipſe Empedocles, qui (vt eſt in textu) nunc mouentia & mobilia quieſcere, nunc mouere & moueri ſomniauit, motum perpetuum hoc verſu concludit eſſe. *Phyſ. lib 4.* *Empedocles pro æternitate motus.*

Hæc ſic immota æternum voluuntur in orbem.

Idem Anaxagoras putauit, qui res omnes poſt infiniti temporis quietem à mente agitari, & in partes diuidi cogitabat: qua diuiſione & ſecretione ſpecierum mundum genitum & ornatum fuiſſe tradidit. Phantaſmata hæc ſunt hominum, argumenta vera & ſolida ſunt quæ à Philoſopho proponuntur: ſi hoc vnum obſerues, non eſſe Ariſtot. tam à ratione, Philoſophia & religione alienum, vt Deo vllam neceſſitatem motionis imponat. Nam licet vt phyſiologus doceat eſſe neceſſariam relationem inter mouens & mobile: vt metaphyſicus tamen ab omni relatione Deum liberum & immunem eſſe vere exiſtimat. Quamuis ergo in phyſiologia hæc enthymemata recte ſequantur & cohæreant, *eſt motus ſempiternus, ergo eſt motor ſempiternus*: & iterum *eſt motor perpetuus, ergo eſt motus perpetuus*: in Metaphyſica tamen ſcientia (quæ eſt Theologia veterum philoſophorū) hæc ſimpliciter non tenēt. Nam Deus æternus fuit ante omnem motū, & poteſt eſſe ſine motu: fecit enim tempus & motum. At dices Ariſtot. in hoc toto libro ſceleratiſſime Deum motui aſtrinxiſſe. Falſo accuſas Ariſtotelem: nam ſi motui illum aſtringat, cur etiam tempori non aſtringit? *Anaxagoras pro eadem.* *Deus non mouet ex neceſſitate, ſecundum Philoſophum.* *Phy. 7. t. tex. 10.* *Enthymemata in phyſicis, non tenentia in Metaphyſicis.* *Ariſt. Deum motui non aſtringit.*

at vbique negat æternum tempore mensurari, imo disertissimis verbis negat Deum esse in tempore: eadem ergo opera negat eundem motui (qui tempore mensuratur) alligari.

Distinctio prima quæstionis huius capitis.

In expositione Philosophi loquentis de Deo (quē nomine *primi motoris* plerunque in hoc libro describit) diligenter cōsideranda sunt duo:

- Absoluta & metaphysica contemplatio Dei, quam frequēter attingit; & sic Deū nullis mediis astringendū esse demōstrat:
  1. Ab ordine rerum; quia est prima causa, quæ sua ipsius essentia & infinita virtute omnia efficit & operatur, idq; sine medio.
  2. A simplicitate essentiæ, quia est simplicissimus & purissimus actus, at sic nō esset si mediis & instrumentis alligatus ageret.
  3. A libertate voluntatis, quia est liberrimum agens, at sic non esset si eum vlla necessitas ad agendum impelleret.
  4. Ab infinitate potentiæ, quia est infinite potens, essentialiter omnem locū complens, & vbique in omnibus totus subsistens; at sic non esset si mediis haberet opus.
  5. Ab essentiali æternitate bonitatis, quia est essentiale, æternum, incommutabile bonum, cuius imperio subiiciuntur omnia: huic ergo maiestati plurimū detractum est si alligetur mediis.
  6. Ab immensitate naturæ, quia est ens entium, transcendens omnes limites naturæ: ergo nullam relationis ad motum aut mobile necessitatem habet.
  7. A supernaturali modo subsistentiæ, quia est Metaphysica substantia, spiritus beatissimus in se subsistens, neutiquam indigens vt sit: non eget ergo causis, nō eget mediis, illis tamen nonnunquam vtitur, vt homo ex aliis obsequentibus illius imperio, ad nutum intelligat sui creatoris seipsum subiicere.
  8. A mirabilibus effectis suis, quia obstupenda sæpissime, præter & contra naturam rationemque sine medio facit, vt in libro de Mirabilibus mundi constat.
- Respectiua. Vide in seq. pag. lit. A.

A Respecti-

A Respectiua & physica speculatio, in ordine & cōparatione ad opera seu effecta in rerū natura posita; & sic inter Deum & naturā, motū & mobile, id est inter primam causā aliasq; causas & effecta, quādā cōditionalē necessitatē relationis esse cōfirmat

1 A subordinatione causarū, quæ esse non potest si non sit prima causa infinita id est, Deus qui omnia per sua media disponit.

2 A comparatione effectorum cum causis in scala naturæ per gradus ab infimis ad summa; exempli causa, à *centro terræ ad circumferentiam primi mobilis cœli*, quod moueri quidem non potest sine loco, si non sit infinitus motor, id est Deus.

3 A relatione necessaria mouentium & mobilium, inter quæ aliquod primum esse debet, vtriusque generis scilicet primum mobile, id est cœlum, & primus motor, id est Deus.

4 A proportione inter rem mobilem & motorem; nempe vt motor sit potentior mobili: at quoniam cœlum est immensum & diuinū corpus, infinitæ fere virtutis, illius motor potentior esse non potest si non sit infinitus Deus.

5 A duratione rei mobilis & mouentis; nimirū si res mobilis (vt cœlum) sit tali forma ornatum, tantaq; armatum potentia, vt à nullo alio in rerum natura vim & impetū patiatur, & proinde habeatur duratione æternum; multo magis illius motor æternus haberi debet. Et conuersa hac ratione si motor cœli sit æternus, motum cœli æternum esse oportet, quod verum est si motorem in relatione ad mobile non in absoluta sua essentia consideres. Nam sic si consideretur Deus, mundum motúq; posse destruere & deuastare non negat Philosophus, vt ex rationibus in prima parte huius tabellæ patet.

6 A ratione prouidentiæ diuinę, quæ voluntate beneplaciti sibi necessitatem conditionalem imposuit, vt vna cum effectis in conseruatione mundi veluti habitaret, propriaq; præsentia gubernaret, donec ab illius imperio declinet.

7 A contradictione naturæ, si mediis non vteretur Deus, quippe tum omnia miraculo non ordine naturæ fierent, quod fatalem nexum seriemq; causarum cum effectis, adeoq; ipsam naturam tolleret.

8 A similitudine, nam vt anima in absoluta sua natura est spiritus immunis, nullis potētiis & organis corporis alligatus, at in comparata sua essentia actus corporis & forma dicitur: ita Deus si absolute consideretur multo magis est liber & immunis spiritus, ab omni materia & mouendi necessitate separatūs, at in comparata illius prouidentia ad opera & effecta sua, actus quidam est & motor, mediisq; & organis naturæ aliarumq; secundarum causarum vtitur in administratione rerum Et vt animus separatus à corpore viuit beatus, corpus vero separatum perit: ita Deus secundum essentiam infinitam suam separari potest quādo vult & placet. *Sed (O Deus!) quantam tum ruinam hic mundus patietur? quippe si tu deseras perimus, at non peribimus si te diligamus.*

9 A consideratione huius, qui est vt minor mundus & maximum opus Dei (*Hominem* intelligo) suum *creatorem* & *motorem* diligat, non contemnat media quæ ipse fecit, mundum credat corrumpi si ipse deserat; ratio est, quia ille omne naturæ imperium (cuius vi æternus habetur) superat. Natura enim motum & mundum æternum Aristot. defendit, nō tamen maiestati diuinæ (vt vere & ex animo loquar quod sentio) potestatem destruendi negat.

Argumenta in quæstionem, Vtrum de Deo motuq; perpetuo Philosophi demonstratio repugnet sacris?

Aug de Gene. contr. Manich. & 28. q in vert. test. Zanch. de oper. Dei part. 1 li 1. c. 3. Mor. de Christ. relig. c. 7 August. de ciuit. Dei li. 11. c. 4. Iul Scalig exerc. 61. nu. 2. Augu. 28. q. citata.

Mundus respectu Dei non potest, respectu nostri dici potest æternus.

Opp. *Quo te rapit cæcus tuus amor, & superstitiosum studium Aristotelis? In senatu fere omnium Christianorum hoc dogma illius de æternitate motus & mundi explosum est: & tamen tu hoc loco falsissimas illius demonstrationes sacris non repugnare otiose defendis.*

Resp. *Cum vmbra litigas, non sum ita iuratus in Aristotelis verba vt illum vel refutantem vel errantem sequar. De motus mundique æternitate illius opinio in senatu doctorum non condemnatur, non exploditur vt ais; nam hanc æternitatem & motus & mundi non defendit respectu Dei (quem liberrimum agens, infinitum spiritum, nullis mediis astrictum docet) sed respectu naturæ (quæ perpetua causa motus definitur esse) agnoscit Deum, agnoscit naturam; illum causam Metaphysicam, hanc causam Physicam agnoscit. In demonstrationibus suis ergo non se opponit Deo, non repugnat sacris, quia hæc recte cohærere possunt. Motus incepit, motus non incepit: incepit si diuinam potentiam metaphysice: non incepit si naturam spectes physicam, quæ æternitatis in successione rerum perpetua studet.*

Opp. *Produc vnum doctorem ex tua opinione, facile aliter non credam dictis.*

Authores mũdi & motus æternitatem post Arist. astruentes

Auerroes.
Auicenna.
Thom. Aquin.
Scotus.
Simplicius.
Burlæus.
Tartaretus.
Alii veteres & recentiores.

Resp. *Rationibus potius quam authoritatibus, argumentis potius quam testimoniis libenter in hac re agerem: sed quoniam vrges attende: Auerroes in opere quod inscribitur Destructio destructionum, ait Deum secundum Aristotelem non agere ex necessitate, sed eminentiore alio quodam modo, sibi duntaxat perspicuo, & mortalibus incognito. Lege Auicennam 9. Metaphysicorum cap. 4. D. Thomam in hoc libro, Scotum Quolibetic. 7. & in 2. sententiarum, distinctione prima, quæstione 4. Lege Simplicium ad initium huius operis, lege Burlæum, Tartaretum, scholam Coloniensem, Lambertum inter veteres: & inter neotericos Pacium, Zabarellam, Collegium Conimbricense, aliosque complures excellentes viros in Commentariis super hunc librum, & inuenies eos omnes ea esse opinione, quod Aristoteles respectiue solum motus mundique æternitatem defenderit, quodque non simpliciter negarit eundem incepisse. Sed vt non nudis testi-*

testimoniis hominum acquiescas, audi tres rationes quas ex schola Coloniensi diligenter fideliterque collegi. Sic ait: Positio Aristotelis de mundo & motu non est contraria sacris, *quod probo tribus argumentis. Primum est, quoniam Philosophus & fides non loquuntur eodem modo de inceptione mundi: si ergo modos distinguas, facile reconciliare potes. Alterum est, quoniam Aristoteles (ut videtur) data opera istam positionem non Philosophicis argumentis probat, sed solum ubicunque de hac materia loquitur, eandem antiquorum opinionibus & testimoniis illustrat: quod potius Oratoris probabiliter persuadentis est, quam solito Aristotelis more demonstrantis. Postremum est quod mihi maxime persuadet: nam disertis verbis in primo Top. dicit, quod quadam sint problemata dialectica qua demonstrari non possint, inter qua hoc unum instar omnium enumerat,* An mundus sit sempiternus necne? *Has rationes (doctissime lector) attexendas aliis superius à me tractatis putaui, ut non deficiant argumenta in hac caussa toties in scholis agitata.*

Tres rationes quibus docent Colonienses Arist. opinionem de mundi aeternitate sacris nō repugnare.

Opp. *Philosophus in hoc capite triplici medio conatur probare motum esse sempiternum, scilicet à definitione ipsius motus à relatione mouentis, & à duratione temporis: sed sacris hac argumenta repugnant: ergo Aristotelis demonstratio de deo & motu sacris literis repugnat. Minor constat, cum è sacris perspicuum sit motum, tempus & mundum suum primum instans & momentum creationis habuisse.*

Resp. *Opus est incudem ingenii tui malleis Herculeis contundere, ut impressa distinctionis superioris veritas firmius inhareat. Dico iterum Aristot. Metaphisice concedere à Deo motum & mundum conditum fuisse: negare autem physice in tempore fuisse fabricatum, aut interiturum. Ratio est, quia ut motus non potest incipere sine alio motu: ita claudi & terminari non potest sine alia mutatione. In omni enim vere continuo physico est perpetua successio, qua in partes infinitas eiusdē proportionis diuidi & secari potest. Quippe ut est in omni tempore parteq; temporis instans, quod semper arguit prateritum & futurum: ita in omni motu existit* mutatum esse, *quod semper docet motum pracedere, aliumq; instare. Vnde recte concludit Philos. naturaliter non dari primum*

Mundus ratione Metaphysica non Physica creatus.

Phys. li. 4 t 19.

instans in tempore, nec primum mutatum esse *in motione, sed vtrumq; perpetuum esse. Verū si vrgeas Deum vtrumq; creare, non neget Philosophus illum posse: nam aperte in 4. Top. c. 5. ait Deum multa facere quidem posse quæ non facit: quasi diceret, multa posse Deum metaphysice quæ physice non facit: at si in metaphysica essentia consideretur Deus, esse & posse in eo idem sunt, vt in 3. huius operis insinuauit.*

Deus multa potest quæ non vult.

Opp. *Æternitas motus quam insinuas respectu naturæ Atheismum olet, quippe si ea ponatur: facile concludes omnia naturæ veluti penso necti, & ab illius filo pendere. Nam huc (ni fallar) tendit Philosophus, vt probet naturam esse matrem, nutricem & conseruatricem omnium, eamque fatali & perpetuo causarum nexu & motu mundum æternum efficere: quam speciem æternitatis si defendas cum Arist. diuinam potentiā aut tollis aut diminuis. Si enim Deus motum produxerit, vt tenes, quomodo natura vt æternum esse sine contradictione Dei possis defendere, nisi inferiorē causam id posse defenderes, quod causa vere infinita non potest? præterea hoc nomine æternitatis abuteris, cum idipsum motui resque vlli præterquam Deo attribuas, est enim nihil æternum præter Deum.*

Resp. *Potius quam Atheismum oleret oratio mea: perpetuum mihimet silentium imperarem: cū igitur dicō motum æternum esse respectu naturæ, non aliter intelligo hanc propositionem quam apud Philosophum, Motum scilicet in genere continuum esse, posseq; diuidi secundum partes proportionis infinite. Hoc idem etiam de tempore censeo, & in hoc sensu æternitas motus respectu naturæ nec vllam defectionem à veritate, nec vllam detractionē à summa & diuina essentia (quam solam per se & essentialiter æternam esse agnosco) arguit. Sed hic non est sensus Aristotelis fortasse ais. Est: nam Metaphysica contemplatione Dei Deum nullis mediis astringit, sed liberrimum agens, nullis subsidiis egens concludit esse. Veruntamen, quoniam in prouidentia sua respicit creata, interpres naturæ Aristoteles sphæras secundarum causarum voluit, in quibus naturam ipsam dominam & principium primum physicum ipsius motus ponit, & ad quam alias subordinatas causas physicas veluti catenatas trahit. Dicis me abuti hoc nomine* æternitatis, *quod soli Deo*

Quomodo intelligitur motum respectu naturæ esse æternum.

Arist. in hoc l. non tam primā quā causas secūdas respexit

(vt

(*Vt aiũ*) *conuenit* : *respondeo* loquendũ esse cum multis, sentiendum cùm paucis. *Consentio equidem tecum, propriè Deũ æternum dici, motum verò & mundum potius perpetuum quam æternum appellari debere: æternum enim immutabilem essentiam semper præsentem arguit, perpetuum autem à* parte post (*vt aiunt*) *durantem docet. Hinc animam Socratis non ab æterno esse sed perpetuo fore dicimus.* *Æternũ perpetuum non prorsus idem.*

Opp. *In angustias coactus es cum inter* æternum & perpetuum *tam curiosè distinguas: sed esto; ab æterno tamẽ fuisse motũ sic ꝓbo, quia Deus aut ab æterno ꝓduxit, aut non: si produxerit æternus est, si vero non produxerit, tunc Deus non agens factus est de nouo agens, quod sine mutatione fieri non potest: at in Deum nulla mutatio nec mutationis species secundum Philosophi doctrinam cadit.*

Resp. *Tritum est*, perire quod feceris ingrato: *distinctio hæc tua est inter* æternum & perpetuum, *quam libenter vt veram admisi, sed nunc eandem vt curiosam reprehendis. Verum esto inquis, ab æterno tamen motum fuisse sic probo. Age igitur, sic respondeo argumento, Deum scilicet actu non produxisse motum neq; inde concludis rectè mutationem esse in Deo: quia quod intendit in præscientia agere, idipsum eodem quo tendit modo fecit: vel (si vis) respondeo cum aliis, motum adhuc non subsistentem in rerum natura, subsistisse apud Deum, cui omnia entia futura præsentia sunt: suis enim nominibus appellat ea quæ non sunt ac si essent. Ignoscas mihi, si vnum locum è sacris huic instituto accommodem. Dilexit Deus Iacob, odioq; habuit Esau antequam fuerunt, imo ante iacta fundamẽta mundi electos vocare & prædestinare dicitur: ratio est, quia illius æterna essentia caniciẽ temporis nõ videt, nec nõ omnia præterita, futura & præsentia videt.* Heb. 4. e 13. v. Mal. c. 1. v. 2. 3. Rom 9 11 13. Ephes. 1. 1 & 2. Tim. 1 9.

Opp. *Sacra philosophia docet cœlos ardentes solui debere, ipsaq; elementa ignis ardore contabescere: euanescent enim cæli, & sicut vestimentum inueterascent: demonstratio autem Philosophi hoc loco contrarium docet; ergo demonstratio Philosophi repugnat sacris litteris.* Ep. 2. Pet. c. 3.

Resp. *Doctores & lumina Ecclesiæ dubitant, An in nihilum totus hic mundus dissoluetur. Nam addit Apostolus, ꝙ nouos cælos & nouam terram expectamus. Quicquid ergo est in omnibus corruptum & impurum euanescet, aurumq;*

veluti essentia cuiusque potenti Dei manu probatum relinquetur, vt quidam volunt. Quemadmodum enim minoris mundi (id est hominis) pars vna, nempe corpus, vertitur in cineres, altera (nempe anima) immortalitate donatur, totusq; homo tandem potentia Dei renouatus in perpetuum viuit: ita secundum quorundam opinionem, maioris mundi inferioribus elementis mutatis, sphærisq; cælestibus renouatis, nouum cælum nouaq; terra fient, in quibus iustitia habitabit. Hanc opinionem suam stabiliunt viri non indocti, quia electi sursum rapientur in aerem, & Christus cum cælesti choro beatorum super eidem in nubibus apparebit; quod (vt inquiunt) non fieret, si totus mundus in nihilum commutaretur. Postremo, opera Dei scelerum nostrorum mole veluti pressa & defatigata desiderant resignari in manus electorum, quarum propria possessio sunt: at non entia in eorum possessionem tradi non possunt, neq; hoc ipsum appeterent si nihil fierent: res enim nulla suum occasum interitumque quærit. Sed quoniam inhibiti sumus perfecte scire vtrum in extremo die moriantur, stent aut cadant hæc Dei opera, non refert. Nam si cadant & in nihilum redeant, Metaphysico & supernaturali modo hoc fit non naturali, de quo solum hoc loco Aristoteles agit, cum motum perpetuum esse defendat: verum si vrgeas posse Deum omnia in nihilum commutare, non negabit tibi, & si vlterius vrgeas, idem in Deo posse, velle & esse haberi, id quoque vt Metaphysicus concedet tibi, sed vt Physicus respondebit, sæpe id posse Deum, quod in voluntate beneplaciti non semper vult facere.

Isa 65.17. & 66.22. 2.Pet.2. 3 13.

1.Thesal.4.17.

Ro 8.20.21.22.

Arist. disputat naturaliter.

Phys l 3.t.32.

CAPVT II.

Vtrum mundus sit æternus?

Periculosum mundi æternitatem tueri.

IN hac decrepita ætate & delirio mundi vereor equidem ne sit periculosum mundi æternitatem cum Philosopho tueri. Multi enim (hinc fortasse arrepta occasione) videntes omnia sic nunc permanere, & in eodem stadio statuque naturæ ac olim fuerunt perseuerare, cum illusoribus & momis nouissimorum temporum dubitabunt *vbinam sit promissio Dei? vbi aduentus eius?* Sed eant isti & ambulent post effrænes

D.Pet.E.2 c.3.

effrænes & proprias concupiſcentias ſuas, ſic temperabo ſtylum & orationem meam dum de hac re diſputem, vt lucem fidei naturæ lumine nõ obſcurem: ſed potius vt ſplendore (recepta qualitate naturæ à Deo præſertim accenſa nihil à Deó detrahetur. Sed pergam.

Propoſita fuit (vt vides) in primo capite hæc quęſtio, *Vtrũ motus ſit perpetuus, an aliquando factus?* vnde elicitur in hoc & in illo capite celebris ea & vulgaris de mundi æternitate diſputatio. Quippe ſi motus ſit æternus aut factus, mundus æternus aut factus erit: ab æterno Ariſtoteles defendit motum: ab æterno igitur defendit fuiſſe mundum, ſed ita defendit vtrumque ab æterno fuiſſe, vt vtrumque à Deo factum fuiſſe non eat inficias, ſi Metaphyſicam illius de Deo contemplationem ſerio & diligenter conſideres, in qua Deum ſolum & ſimpliciter æternum nominat, nulliſq; mediis eſſe aſtrictum vult. Si ſit ſolus æternus Deus, quomodo ęternus exiſtit mundus? ſi ſit Deus (vt appellat Philoſophus) prima cauſa, quid fecit primum? In principio certe creauit mundum: in principio, non ergo erat tempus: creauit, non ergo erat mundus, ab ęterno autem tempus motus & mundus erant, quia quæ erant olim futura Deo præſentia ſemper extiterunt. Imo etiam & alio reſpectu mundus & motus dici poſſunt fuiſſe ſemper, quia fuerunt in omni tempore: alio vero modo in omni æternitate, id eſt, ante omne tempus, & ſic ſolus Deus ſemper fuiſſe dicitur, qui tempus, motum & mundum ex nihilo creauit: ex nihilo ſecundum philoſophiam, nam aliter non fuiſſet Deus, liberrimumque agens, nullis omnino cauſis, mediis aut inſtrumentis agens; quippe prima cauſa non eget cauſis. Adde ex Philoſopho, quod ſit prima & infinita cauſa, quæ certe non eſſet ſi in primo opere egeret mediis.

Quęſtio de mundi æternitate vnde orta.

Mundus quomodo æternus.

Quid ſit ſemper eſſe.

Pedetentim, timide & ſenſim accedis ad textum Philoſophi, ne tuã (quam nũc præ manibus habes) prodas & condemnes cauſam. Pedetentim, timide & ſenſim equidem (vt fateor) accedo, ne male & peruerſe acceptis verbis Philoſophi hoc loco, tenera & cruda ingenia huius ætatis trahantur in malum. Hoc dico, non quod exiſtimem penitus textum Philoſophi ſapientibus vllo modo videri falſum, ſed quod ſint hodie multi, qui ex melliflua roſa ſolis nigrum venenum

Ariſt. à vitio liberatur.

colligant. Certum est (studiose lector) sub verborum cortice dulce latere lignum: corticem decidi, detraxi velum, id est distinctione adhibita rem penitus obscuram pro viribus planiorem feci: idque ea de causa feci, ne communi errore recepte multitudinis, in re tanti momenti & ponderis (qualis est æternitas mundi) fidei iactura fiat. Clauem ergo nunc assumam philosophiæ, & aliud quasi ostium huius labyrinthi reserabo.

Secundo capite quid contineatur.

Empedocles & Anaxagoras, vt imperfecti, coarguuntur.

Quid multis? Caput hoc secundum adiunctum seu annexum primi est, in quo Philosophus motus & mundi perpetuitatem probat, litesque & rationes in contrariam partem allatas soluit. Lites duæ sunt præcipuæ, Empedoclis & Anaxagoræ: illum coarguit Philosophus, quia discordiam & amicitiam inter elementa, causas motrices rerum somniauit. Elementa, inquit Empedocles rerum omnium materia sunt, quorum amicitia vnũ corpus confusum & chaos, quorum vero discordia mundus efficitur. Interea vero temporis (vt ait) omnia diutissime quiescebant, huiusque rei aliam nullam causam aut rationem attulit, quam quod ita oporteret fieri, & sic rerum naturam postulare. Anaxagoram quoque reprehẽdit, qui sine demonstratione vnum motus principium inuexit: nempe mentem diuinam, à quo si quis (vt ait) sciscitaretur cur hæc mens nihil operis ab æternitate molita fuerit, nec chaos nisi certo tempore mouerit: aliud certe non responderet quam Empedocles, nimirum quod sic oporteret fieri, ipsamque naturam idipsum postulare. Sic (inquit Philosophus) vterque istorum naturam confusionis matrem causamque effectricem faciunt, quæ semper est & fuit ordinis, distinctionis & ornatus maxime studiosa: nihil enim vnquam sine ratione, ordine & periodo aggreditur, nihil facit, nihil meditatur. Si hæc sint fundamenta istorum (inquit Philosophus) aut nulla sunt, aut vana sunt: quippe Philosophorũ est rationes & causas reddere suæ assertionis, & non dicere sic oportere aut conuenire vt fiat.

Natura mater ordinis Arist. phys. l. 8. t. 15.

Arist. nõ opiniones sed opinionũ rationes moratur.

Aduerte hic (erudite lector) primum Aristotelem in istis duobus capitibus (in quibus de æternitate motus & mundi disserit) aliorum Philosophorum opiniones potius inducere, quam suam demonstrare. Tum obserua quod argumenta postulet, quę cum ab illis assignata non viderit, ipse in eorum

rum causa aliquid contra seipsum in hoc capite effingit & dissoluit: sed ita dissoluit, (si impense attendas) vt licet motum & mundum semper fuisse respectu naturæ, ordinis, successionis dicat: Dei tamen respectu vtrumque fieri posse non neget. Totus enim hic naturales caussas, non Metaphysicas, motum operantis naturæ, non manum & potentiam diuinam respicit: quam tamen alibi infinitam & effectricem caussam omnium quæ sunt in rerum natura, esse aperte confitetur.

Sed quot sunt argumenta in textu efficta & concinnata contra æternitatem motus & mundi nunc quæris? Numero tria sunt, ordine optime distincta, breuitate pressa, robore & veritate (si caussam Metaphysicam spectes) firma. Cur ergo hic eorum neruos rescindit Philosophus ac si essent leuia? vt leuia non rescindit (quia ipse texit) sed rescindit, quia in physica speculatione rerum, non videntur omni ex parte vera. Necte quæso argumẽta eo ordine & numero quo Philosophus fingit. Nectam (& vt accuratius singula intelligas) syllogistica forma breuissime concludam. Primum eorum sic se habet. Nullum ens quod contrariis terminis continetur potest esse infinitum & æternum; sed omnis motus contrariis terminis continetur: nullus ergo motus infinitus & æternus esse potest. Alterum argumentum est ex hypothesi, si (videlicet) sit æternus mundus, aut semper moueretur, aut semper quiesceret (quippe inter motũ & mobile debet esse proportio) sed mundus non semper mouetur aut quiescit: ergo motus non est æternus. Sunt quidam interpretes qui formant hanc rationem his verbis. Aliquid mouetur quod antea quiescebat, vt cum lapis aut aer motum subeant: ergo ab inductione singulorũ idem in toto vniuerso potest contingere: nimirum vt in illo motus incipiat qui antea non fuit. Nam si motus inchoari in aliquo non posset, sequeretur mobilia perpetuo agitari aut quiescere, quod veritati aperte repugnat. Vltima ratio in textu ab Aristotele ad hunc modum fingitur: sicut se habet motus in minore mundo, ita in maiore; sed in minore mundo (nempe in homine) potest motus incipere: ergo in maiore mundo potest incipere, quo concesso non erit æternus, & proinde nec mundus æternus erit.

Argumenta quibus aduersus seipsum vtitur ad mundi & motus æternitatem infirmandam.

Hæc sunt tria illa argumenta textus, in quibus retexendis Aristot. (vt quidam interpretes aiunt) partes viri inconsiderati & incauti agit, qui cultrum acuit quo ipsius iugulum vulneretur: sed errant: nam recto seruato tramite acute respondet singulis. Cæterum in hoc libenter illis conniueo, vbi dicunt hæc argumenta esse firmissima, quibus æternitas motus & mundi concutitur, quæ (posito Metaphysico principio motus & mundi, quod Aristoteles non negat) nemo vnquam Philosophorum refellere aut eneruare potest. Verum enimuero hic Aristoteles solas causas physicas motus respicit & assumit, & ex illis probabilia hæc argumenta elicit, quibus ordine sigillatim sic respondet. Ad primum ergo ait, quod concedendum sit omnes particulares motus ex quodam ad aliud proficisci, suisque terminis contrariis contineri, esse tamen aliquem motum continuum & sempiternum, quæ terminis non finiatur, sed in seipsum redeat.

Quomodo superiora Philosophi argumenta sint intelligenda.

Responsiones ad præcedentia argumenta.

Attende (erudite lector) quo velo & pallio tectus Philosophus ad primum motum confugiat: ad primum (inquam) motum, quem propter relationem inter motorem & mobile (si vim & ordinem naturæ solum consideres) æternum esse existimauit. Quippe, vt antea dixit, si mouens sit æternum, motus quoque æternus erit: quod quidem verum est si naturali modo res moueatur: at si diuina & Metaphysica potentia seu virtute incitetur, aliud iudicium Philosophi est. Nunc vero cum cœlum partim physice, id est, secundum naturam, formam & figuram suam, partim metaphysice, id est, secundum potentiam & prouidentiam Dei moueatur: recte priore respectu illius motum perpetuum esse dicas, quia est ens continuum: posteriore vero respectu recte incepisse dicas, quia secundum ipsum Aristotelem omnia quæ sunt, à prima causa ortum originemque suæ essentiæ trahunt.

Physice mouentem æternus motus sequitur, at metaphysice mouentem non sequitur.

Sed da veniam (philosophorum princeps) docuisti in dialectica hunc canonem esse verum, nimirum: *quod vniuersale ab inductione singulorum rectissime concludatur*: cur ergo hoc loco patienter nō admittis hanc legem quā ipse tuleris? Concedis quidem omnē particularē motū ab aliquo termino incipere, cōcedis (inquam) omnem, excludis nullum, nec non addis eundem certis, finitis, contrariis terminis coerce-

Obiectio. Top. 1. lib. c. 10.

ri: & tamen ferre non potes vt ex hac inductione singulorũ hoc vniuersale inferatur, scilicet quod nullus sit motus qui non inceperit, nullus sit qui veluti septis contrariorum non terminetur. Sed ex sepulchro tuo pro te (magister optime) respondebo: tu qui moriẽs dixisti (vt Laertius ait in vita tua) *Ens entium miserere mei*: tu qui dixisti *Deum esse primam causam agensq; liberrimum, nullo omnino medio astrictum*: tu (inquam) cum neges ex particularium motuum incipiẽtium enumeratione hoc loco posse concludi Omnem motũ incipere: intelligis proculdubio, si in enumeratione particularium physica sola motus habeatur ratio, & in conclusione Metaphysica solum consideratio fiat. Exempli causa, si quis sic disputet: Cœli motus physice acceptus nõ habet initium cum sit ens continuum, ignis motus physicè acceptus non habet initium cum sit ens continuum, hominis, leonis, lapidis & similiter rerum omniũ particularium motus physice acceptus non habet initiũ, quia est ens continuum: ergo nullus motus metaphysice acceptus habet initium, quia est ens continuum. Hoc certe argumentum hic penitus neges, etsi ab inductione rerum singularum ducatur: ratio est, quia non tenetur idem respectus in præmissis & conclusione, eademque suppositio: quippe in enumeratione particularium motuum naturalis, in conclusione supernaturalis mobiliũ, motuum & mouentium habetur ratio. Idem respondeo singulis inductionibus quæ ex tribus syllogismis per interpretes aduersus Aristotelem colliguntur.

Responsio.

Inductio tum demum vim suam obtinet, cum idem respectus sit in conclusione, qui fuit in præmissis.

Ad secundum argumentum ais absurdum nõ esse, si quædam res singulæ dicãtur moueri quæ ante immotæ & quietæ erant, vt mons, lapis, aliaque permulta, vt metalla in visceribus terræ: recte tamen hinc probatum non est, in motu vniuerso eandem rationem, nisi ex inductione singulorũ vniuersale sine omni mutatione suppositionis velis concludere, vt modo edocui. Quid deniq; respõdet Philosophus ad tertiũ argumentum, in quo maiorem mundũ cum minore comparauit? Minor (inquit) mundus, nimirũ homo, habet in se sui motus initium: cur ergo idipsum maior etiam mundus non habet? Insinuat Philosophus negationem assumptionis in priore syllogismo: nam (inquit) non semper habet in se initium suæ motionis, præsertim si sit

Quædam res singula mouentur, quæ prius erant immota.

Locali motu homo mouetur ab externo, & alteratur.

localis: nunquam enim mouetur homo à loco in locum nisi ab externo aliquo obiecto animus afficiatur. Similis est ratio alterationum quæ contingunt extrinsecus homini: nam nec calescit, nec frigescit sine externo mouente aliquo, imo nec à somno excitatur homo per solam mentem (quæ est in homine principium motus) sed per agitationem spirituum, aut dissipationem vaporum, aut aliam causam internam finita concoctione.

Naturæ elogiũ.

Nihil superest in hoc capite obseruandum, nisi illud præclarũ naturæ elogium, scilicet *naturã esse studiosam ordinis:* ordinẽ enim Deus & natura semper diligunt, sine ordine nihil agũt, ordine disponũt omnia, singula in vniuerso ordine dirigunt & conseruãt O vtinã minor mundus (id est homo) maioris mundi ordinẽ obseruaret! sed non vult, confusionẽ sequitur: vis reddã rationem? vbiq; discordiæ, odia, bella, sectæ, insidiæ, non ordinem sed confusionem alunt.

Non eadem in minori, quæ in maiori mundo ordinis pulchritudo.

Estne aliud obseruatione dignum? Est certe dignissimũ illud, nimirũ quod concedat Empedocli, Anaxagoræ, aliisq; Philosophis quibuscum in fronte huius capitis & calce alterius certat, non solum axiomata & fundamenta æternæ veritatis, sed etiam agnoscat sempiternam causam causarũ, id est Deum, à qua omnia metaphysice fiunt & dependent. Vnde crassæ ignorantiæ aut malitiæ coarguendi sunt illi, qui ex Arist. disciplina Dei nullã notitiã colligi posse falso affirmant. Hypsæa cęciores profecto sunt isti, qui passim & vbiq; fere in omni parte paginaq; operũ insertum nomen DEI non legant, quem appellat Philosophus nunc primam causam, nunc causarum causam, nunc ens entium, nunc primũ motorem, nunc effectorem & authorem omnium, nunc æternam lucem, nunc incommutabile bonum, nunc imperatorem, nunc conditorem mundi, nunc omnia, nunc vnum (nam omnia sunt in hoc sensu vnum) nunc simplicissimum actum, nunc infinitum, immensum & ineffabilem Deum, nunc deniq̃ue, sed quid nunc? digito compesco labellum. Nam vltra hoc nomen nihil nunc addi potest; ratio est, quia hoc nomen numen est quod cœlum & terram fęcit, quod homini (minori mundo) imperium in maiorem dedit, sed ea lege & conditione dedit, vt homo sua vota persolueret Deo, eique perpetuo inseruiret.

Arist. multa in suis operibus de Deo scripsit.

Gen. cap. 1.

Distin-

Distinctio quaestionis, An mundus sit aeternus?

Mundus duplex est secundũ Philosophũ intellectualis seu archetypus, qui simpliciter & essentialiter ęternus est, scil ipse De⁹; vel naturalis & sensibilis de quo hic agit̃ hic verò acceptus mundus duplicé relationẽ habet

Primã ad intellectualẽ mundum, seu ad archetypũ, nimirũ ad primã causã, id est, ad Deum; & sic Aristot. non negat quin mundus naturalis initiũ suũ habuerit; vt cõstat

1 In his libris Physicorum, in quibus saepe Deum liberrimum agens primum mobile, & primam causam appellat. Quod fieri non potest si vllis mediis aut necessitati in cõstituendo sensibili hoc mundo ab aeterno alligatus fuisset.

2 In libris de Partibus animantium & de Anima, vbi disertis verbis dicit animam humanam diuinitus accedere, eandemq; immortalitate à prima causa donatam esse. Quod certe non esset si Deus minorem hunc mundum, id est, hominem & omnia eius imperio subiecta (vt in 1 Politic. ait) non fecisset.

3 In libris Ethicorum, vbi apertè docet Deũ solum esse aeternum, & incommutabile bonum, & verum ad quod virtutes humanae moris & mentis referuntur.

4 In libris Physicorum, vbi non negat, imo manifeste affirmat mundum primordia & incremẽta habuisse, hominesq; sine lege, societate & religione more belluarũ tum vixisse.

5 In libris de Coelo, vbi extra coelum Deum beatissimum & aeternum vnà cum intelligentiis habitare asserit, adeoq; mundum nõ solũ regi, sed fieri ab eo vt à prima causa insinuat.

6 In libris Topic. vbi planè demonstrat Aeternitatem mundi defendere, esse paradoxon & problema sine ratione tueri.

7 Libris Metaphysicorum, vbi omne ius & imperium totius mundi Deo attribuit, sapienterq; concludit, quod omnes omnium rerum essentiae vniantur in Deo, quodq; res singulae suum esse & bene esse a Deo habeant. Imo apertè asserit Deum esse causam & initium omnium quae sunt, quod fieri nõ potest si mundus ab illo initium non habuisset.

8 Libro de Mundo, cuius totum argumentum est, probare *Deum esse conditorem, rectorem & conseruatorem mundi.* Addi huc possunt infinita loca ex Philosopho (vt vere dicam quod sentio) sed si his non credas inanis esset aliorũ accumulatio.

Secundam. Vide in seq. pag. litera A.

A
Secundam ad naturalem & sensibilem hunc mundum, quem Aristot. hoc loco sic comparatũ æternum esse probat argumentis physicis, quæ ducuntur

1 A natura prima causa physica quæ otiosa fuisset (vt alibi ait) si ab æterno non produxisset mundum; idipsum hoc loco insinuat contra Empedoclem, cum neget res diu quieuisse antequam inceperint moueri.

2 A relatione necessaria inter mouens & mobile, quia mouens vt mouens non potest esse æternum, nisi sit aliquid mobile quod in æterno moueat.

3 A proportione inter motum & mobile: si enim motus non incepit (vt probatur 3. Physic.) mobile moueri non incepit, & per consequens mundus erit æternus.

4 A comparatione mensuræ cum mensurato, quia tempus (quod est mensura motus & mobilis) non incepit: siquidem dari non potest primum instans, quoniam omne instans præteritum arguit, quippe est præteriti & futuri copula: semper ergo fuit tempus, & proinde semper fuit mundus.

5 A consequenti necessario; si enim mundus inceperit, peribit necessario (quicquid enim habet ortum, habet etiam & interitum) sed interire non potest mundus: nam si intereat, necesse est vt hic interitus sit naturalis aut violentus. non naturalis, quia natura seipsam conseruat: non violẽtus, quia natura seipsam non continget, non vulnerabit: nihil enim sibi machinatur perniciem. Vide plura argumenta in vtramque partem quæstionis in distinctione primi capitis, vbi inuenies multa de æternitate motus, quæ mutato nomine referri huc possunt.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Omnia mobilia sunt finita natura & tempore (vt docet Philosophus) nihil enim est in rerum natura infinitũ; sed mundus est mobilis: ergo mundus est natura & tempore finitus, & proinde non est æternus.*

Resp. *Omnia mobilia in motu suo particulari sunt natura & tempore finita, sed non in motu vniuersali, vt hic docet Philosophus.*

Opp.

Opp. *Ab inductione & enumeratione singulorum recte concluditur vniuersale: sed singulares partes mundi à prima ad vltimam inceperunt: ergo totus mundus incepit. Assumptio probatur, quia si singulæ partes totius mundi non inciperent, necessario sequeretur easdem esse actu infinitas, quod Aristot. omnino negat.*

Resp. *Ab inductione singularium recte concluditur vniuersale, si non mutetur suppositio, vt hic mutatur in partibus vniuersi, quæ considerantur vel respectu continuitatis & proportionis, & sic in infinitum diuidi possunt: vel respectu huius & illius substantiæ & quantitatis, & sic finiti rationem habent.*

Cautela de Inductione.

Opp. *Aristot. sese opponit consiliis & synodis Philosophorum de æternitate mundi; insolens ergo & superbus est, nec admittendus. Antecedentis probatio nominibus optime philosophantium volumen repleret si recenserem. Nam Trismegistus, à cuius fontibus hanc opinionem vniuersa Græcia imprimis hausit, Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, Anaxagoras, Zoroastes, Melissus & sexcenti alii factum fuisse mundum firmissimis argumentis concludunt; vnus philautia turgescens Aristot. repertus est, qui omnium Patrum authoritatem aspernatus nouam hanc opinionem superciliose inuexit.*

Qui ex priscis philosophis Mundum factum fuisse fatebatur.

Resp. *Non se opponit Aristot. istis, si duplicem relationẽ in priore distinctione diligenter consideres, verbis siquidem dissident reipsa non dissentiunt.*

Opp. *Defendis Aristot. in hac causa errantem nimis pertinaciter: nam certũ est eum simpliciter, impie & sophistice propugnasse æternitatem mundi, Deumq; secundis causis fatalis necessitatis vinculis ineptissime alligasse. Verum hoc esse ꝙ vrgeo hinc patet, quia dum adhuc vixerit Aristot. accusatus erat apud Hierophontem Sacerdotẽ duabus de causis: quarum altera fuit ꝙ contra patrios ritus de multitudine deorum, vnum solum & verum Deum esse docuerit: altera, quod mundi æternitatem cõtra omnium Philosophorum Græcorum opinionem asseuerare primus ausus fuerit.*

Aristot. accusatus erat quod vnũ esse Deum & æternũ esse Mundum asseruerit.

Resp. *Nouum crimen & ante hunc diem inauditũ, Aristotelem vnum Deum aduersus idola gentium defendisse. Si hanc opinionẽ Philosophi recte consideres, facile intelliges*

quo sensu æternitatem mundi defendat: non certe respectu Dei, quem unum, verum, & infinitum principium omnium ut Metaphysicus colit, oratq; moriens ut misereatur sui: sed respectu naturæ, cuius motu nō incepit. Hic.n.(ut aiūt D. Thomas, Albertus, Argentinas, aliiq; magni nominis viri) probabilibus & dialecticis argumentis solum refellere contendit eorum opinionem, qui mundum physico & naturali motu genitum fuisse voluerunt, quod nunquam probare potuerunt: quippe non physico sed metaphysico modo fabricatur.

D. Th. P. 146 art. 1. Albert. hoc lib. tract. 1. c. 1. Argent. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 1.

Opp. *Video profecto te frigide in concinnandis istis obiectionibus contra æternitatem mundi egisse, rationemq; suboleo, te nimirum idcirco sic agere, ne excussis aculeis fidem & religionem vulnerares. Oro igitur (quia Christianus Philosophus esse velim) ut fideliter argumenta Philosophi & aliorum pro æternitate mundi à me contexta & collecta refellas, ne umbris seductus cum Atheis istorum temporum, credam ab æterno fuisse mundum eundemq; nunquam interiturum.*

Res. *Proponitur & astruitur hæc quæstio à Philosopho ipso ut probabilis opinio, non metaphysice demonstratur ut certa scientia: si ergo remissius arcum intenderim non sum accusandus: humaniter tibi postulanti humaniter cedo, faciamque quod optas, & utinam te aliosq; infinitos ab ista de æternitate mundi periculosa opinione removeam. Removebo si possim, ne credentes mundum esse sempiternum, mundum non Deum adoremus.*

Arist. de æternitate mundi probabiliter differit, non demonstrat ue.

An argumenta Aristotelis & aliorum pro æternitate mundi sint solum probabilia & infirma? Probantur esse & idcirco refelluntur.

Opp. *Ordine distincto (quo usus est Aristot.) procedam, & ex his duobus capitibus argumenta, quibus ille probat æternitatem mundi, directe adducam. Primum hoc est: Si motus aliquis primus fuerit, movens & mobile (à quibus ille motus erat effectus) vel ceperūt esse, vel semper fuerunt: si cœperunt esse, cœperunt per motū, quia incipit nihil nisi per motū, & sic motus, qui primus dicebatur, non erat revera primus: si aūt semper fuerunt, absurdum est sempiternū movēs non movisse, & non minus absurdum mobile nō motū fuisse: præsertim*

præsertim cum ratio assignari non possit, cur magis postea quā ab æterno motionem subirent: fuit ergo motus & proinde mundus ab æterno.

Resp.

Virga Aronis in serpentem versa, hunc anguem latentem in herba facile deuorabit. Respondeo igitur hac omnia vera esse in naturaliter mouentibus, non in mouentibus libere & metaphysice; at Deus est mouens liberum & Metaphysicum, quod sine motu vllo præcedente mouere & creare incepit. Et quoniam sit (teste Philosopho) liberrimum Agens, stet pro ratione voluntas, quod magis in tempore quam in æterno mundum mouere & creare inceperit.

Ex 7. c. 12. Quæ vera sunt in mouentib. naturaliter, non sunt eodē modo vera in Metaphysicis.

Opp. *Non possum immorari in istis: secundum argumentum ex primo capite pro æternitate mundi existit tale. Tempus est æternum: ergo æternus est motus: & proinde æternus mundus. Antecedens probatur duplici ratione: primum à proportione mensuræ & mensurati, quia tempus est mensura motus, sed motus (vt ante probatur) est æternus: ergo etiā & tempus: tum à definitione & essentia temporis, in qua requiritur vt sit in omni tempore instans, quod debet esse copula præteriti & futuri: non ergo dari potest primum instās, in quo incepit tempus, & proinde nec primus motus mundi.*

Resp. *Huic argumento idem accommodetur responsum ex Aristotele, quod alteri argumento adhibitum fuit: nimirū mouens infinitum & Metaphysicum, (quod est agēs liberrimum, nullis mediis alligatum) posse & tempus & motū cum placet incipere: nam aliter nec infinitum, nec liberum agens nullo egens instrumento diceretur. Præterea, ista præteriti & futuri in tempore indiuisibilis copulatio, potius Mathematicum quam Physicum, intentionale quam reale temporis habetur discrimen, vt multi volunt. Sed vtcunq; accipiatur nō imponit necessitatē Deo agenti libere & infinite (qui secundum doctrinam Aristotelis æternitate non tempore mēsuratur) vt ab æterno mundum cōstitueret, tempusq; faceret sempiternum. Insuper, si secundum Arist. tēpus sit æternū: quorsum est illa distinctio apud illum* temporis, æui, & æternitatis? *Certum est in tempore inesse successionem (vt ait) sed in æternitate (vt docet) nulla mutatio, nulla successio, nulla canities aut vicissitudo inest. Quod certe nunquam docuisset, si*

Instans in tempore potius Mathematicum quiddam est quam Physicum.

De Cœlo li. 1. 16.

vere & ex animo tempus æternum esse existimasset.

Opp. *Motus habere non potest finem: ortum ergo habere non potest: quocirca erit æternus. Quod finem non habeat sic probo, quia post quemlibet motum adhuc manebit aliquid mobile & mouens, & proinde alius motus sequetur in sempiternum.*

Resp. *Semper ad vnum asylum cōfugio nempe ad primā caussam Metaphysicæ & libere agentem: quæ tēporis & motus vinculis non impeditur: tā potens hæc caussa est vt ignem conseruet in essentia sine motu suo. Mirū est quod dico, ignis est & tamen non vrit, aqua est & tamen non mergit, sol est & tamen aliquando stat & non mouetur. Si rationem quæras, reddit Arist. quia est libere & infinite agens in quo non potest esse contradictio. Hæc caussa prima primum effinxit motum, primum creauit tempus, cur ergo motum vltimū & vltimum tempus efficere posse negas? Sed nouum cælum nouamq; terram (vt ait) expectamus: ergo non erit vltimū mouens: si enim mouentia & mobilia maneant, motus necessario erit. Nescio certe an verum illud futurum sit quod quidam ex doctoribus affirmant, mundum purgatum tanquam aurum purissimum, incorruptum mansurum. Sed si maneat, fortasse immobilis manebit: at si moueatur, vltimum tamen motum corruptibilis mundi alius motus eiusdem generis non sequetur.*

Dan c.3.v.27. Exod.3.ca.2.v. Exod 14.29. Io 10 13. 2.Reg 20 11.

D Hier. in v 6. c 5 Esaiæ. Vide exposit. in 21. Apoc Aug l. d-finit c 70. & in Ps.182.v.27.

Opp. *Si motus aut mundus non fuerit ab æterno, certe nec ordo, nec proportio à natura studiosa vtriusque obseruatur. Quippe si mundus ponatur esse caducus & finitus, caussaq; mundi æterna & infinita; quis ordo, quæ proportio inter caussam & effectum, inter mouens & mobile existit? quandoquidem infiniti cum finito æterni cum caduco (vt ait Philosophus) nulla est proportio. Præterea, idem (vt ait Philosophus) eodem modo se semper habens, idem semper efficit: sed primus motor idem semper & immutabilis subsistit: ergo si vnquam mouebat mundum semper mouebat mūdum: nam si nūc moueret, nūc nō moueret, aliter aliterq; se haberet. Simile est argu. in 12. Met. ca.6. Quid plura? si Deus & natura id præstēt & operentur quod est melius, & si melius sit mundum sempiternum esse, motumq; cæli cōtinuum & æternum quam caducum (cū excellentius & diuinius sit semper fuisse,*

Phys. 3. Et de Cælo. l.1. t.64 2 de Ort. & inert.te.56.

quam cepisse breuiq; manere & cadere) probabile est mundum (Dei maximum opus) potius ab æterno fuisse quam tempore incepisse. Hæc sunt (beneuole lector) argumenta quæ ex primis duobus capitibus huius libri pro æternitate mūdi collegi; addam statim ex interpretibus alia, sed primum hisce tribus postremis responsa accommodata expecto.

Resp. *Requiris in primo argumento ordinem, requiris proportionem, ais naturam esse valde studiosam vtriusq;. Agnosco quod dicis, sed audi: quamuis nec mundus nec motus inceperint ab æterno, naturæ ordo tamen & proportio non violantur: quippe sic voluit natura, ordinis & proportionis author, vt tempus, motus & mūdus simul inciperent, sic disposuit, sic ad finem destinauit. Imo decorum est, & rationi consentaneum, vt omnia sic fiant vt ipse voluit: illius enim verbum (teste Philosopho) efficax est, illius velle posse, illius posse ipsum esse dicitur. Mundum voluit tempore creari, potuit id quod voluit, præstitit id quod voluit potuitque. Omnia (vt vides) fiunt ordine, & melius est vt sic fiant, quia sic cognoscitur, quod ille solum sit ens æternum, alia vero sine illo vana: sic (inquam) cognoscitur illum proprie & simpliciter esse, alia vero omnia (vt conuenit) per illum esse, & ab illo solo dependere. Et quid, quæso, aliud insinuat Philosophus cum dicat omnes omnium rerum essentias à Deo fluere, Deoque coniungi & adunari? Omnia creata sunt vt ordine suo inseruiant Deo, cui seruire bonum est, quia per illum cui inseruiunt sunt, liberantur & conseruantur. Pergis, & in 2. argumento doces Deum immutabilem esse, & proinde concludis ab æterno mundum & motum constituisse: nam aliter (inquis) eodem modo Deus non videretur se habuisse. Verum hoc est quod dicis in agentibus naturaliter & ex necessitate, non in agentibus Metaphysice & cum summa libertate, vt Deus agit. Quod in vltimo argumento vrges, semper id Deum facere quod melius est; & melius esse mundum ab æterno quam tempore fuisse: Respondeo, melius non esse, quia Deus sic voluit vt tempore inciperet: neque hoc verum est quod dicis, Deum semper absolute optima efficere (cum possit in infinitum meliora facere) licet spectatis omnibus circumstantiis, id semper agat quod magis rei quam facit naturæ conuenit. Conuenit autem magis*

Deus non mutatur.

Deus non semper optima, sed quæ cuique rei optime conueniunt, efficit.

mundo, qui est corporea substantia, ut in tempore quam in æterno fiat. Corpus enim generabilem & corruptibilem naturam habet, legeq; naturæ incorporea substantia subiicitur, & (ut ita dicam cum interpretibus) subordinatur. Habes (bone aduersarie) responsa accommodata argumētis tuis, eademque ex Aristotele elicita & collecta, ut intelligas duplicem sensum & respectum huius quæstionis latere apud illū. Probabiliter solum & dialecticis rationibus (ut vides) æternitatem mundi astruit, contra eos qui motu naturali eundem ortum & interiturum putarunt, quod nunquam fiat: sed non solum probabiliter verum etiam sapienter & vere conclusit respectu Dei, metaphysice & incepisse & interire posse, quod naturali modo fieri nō inepte, non inconsiderate negat. Quis enim Philosophus existimabit naturam velle in seipsam tyrannidem exercere?

Pro æternitate mundi ex aliis Philosophis & interpretibus.

Opp.

Quoniam satisfecisti argumentis collectis ex textu Arist. discupio ut nunc alia ex aliis collecta refellas. Quid ergo ais Platoni, qui mundi ideam semper in mēte diuina posuit? aut quomodo (quæso) illius exemplaris ideæ imago perfecta esse pōt hic mundus, si ab æterno mundus non fuerit? Nam ut citius homo seipsum non intuetur in speculo, quam imaginē ab eodem actu reflexam videat; ita multo magis hoc fit, cū Deus æternus exemplar mūdi in speculo diuinæ maiestatis cernat, quod certe exemplum perfectum esse non potest, si ab æterno expressum in actum non prodeat.

Platonica idea mundi in mēte diuina.

Resp. *Cælestis disciplina fideiq; lumine destituti, facile in errorem illapsi à luto in quo hærent non facile extrahuntur. Video te visco captum, sed pro virib. liberabo. Quod hic urget parum mouet: infinite.n. & libere agenti nulla necessitas hoc vel illo tempore agendi imponitur: nam ut mortalis artifex, quamuis archetypum & exemplar operis intenti animo impressum habeat, non statim rapitur ad opus: ita (si liceat mortalem hominem cum immortali Deo comparare) quāuis semper (ut loquar cum Platone) idea mundi in mēte diuina fuerit, non erat tamen necesse ut eandem opere semper exprimeret,*

Deum, etsi proposuit ab æterno mundum creare, non tamen necesse erat ab æterno creasse.

ret, sed tum cum æterno suo consilio operari decreuit.

Opp. *Quomodo Deus communicauit suum bonum aliis, si mundum ab æterno non crearit? Deus est ipsum essentiale bonum, & nihil est magis proprium bono quam sese diffundere. Quare vt fons perennis non dicitur qui in riuulum non fluit: ita Deus (qui est fons æternus boni) obscurari videtur, si in mundum ab æterno suum bonum non diffuderit: probabile ergo est mundum ab æterno fuisse.* Ethi.1.l.c.1.

Resp. *Sic de Deo agis quasi egeret creaturis suis: est Deus (vt ais recte) essentiale bonum, est fons perennis boni: sed vt fons naturalis sæpe in occultis venis & medullis terræ latet, antequam ex eminētiore parte eiusdem in riuulum prorumpat & fluat: ita Deus ex omni parte perfectus, in se beatissimus permansit, antequam mundum (quo non eguit) pro beneplacito ex nihilo produxit. Non enim est Deus vt mortalis architectus, qui domum ædificat vt se ab aeris iniuria & tempestate defendat: imo is potius mundum hominis causa fecit, vt eidem facto benefaceret.* Deus suis creaturis opus non habuit.

Opp. *Aut Deus ab æterno produxit mundum, & sic habetur intentum, aut non: si dicas non produxisse, hoc fuit vel quia non voluit vel quia non potuit: si dicas non potuisse impius es: nam Deus semper æqualem potentiam habet: si dicas non voluisse, mutationem esse in Deo temere concludis: nempe vt à non volente in volentem commutetur. Par ratio illa est, nempe quod mutari sit aliter se habere quam prius: sed si in tempore & non in æterno Deus mundum produxerit, aliter se habet quam prius: ergo aut ab æterno produxit, aut in Deum mutatio cadit, quod ab essentia Dei est alienum.* Phy.lib.7.text.

Resp. *Nihil absurdi sequetur, si dicam Deum non voluisse ab æterno mundum procreare: non voluisse dico, nō quod illum aut potestas defecerit, aut inuidia sui boni retardarit: sed quia sua diuina sapientia consilio, eundem non nisi in tēpore producere & creare decreuit. Si rationem quæras cur sic fecit, quamuis recte respondere possim ideo sic fecisse quia voluit: dico tamen hanc caussam esse, vt rerum factarum tēpore notitia nos terræ filios, ad Cœlum & ad Deum melius cognoscendum duceret: vtq; sic magis omnia quæ fiunt dependere à Deo innotesceret. Siquidem id quod non semper existit palam aliam caussam habet à qua fluxit, quod in re ab æter-* Met.l.1. c.2. Suprema caussa omnium Dei voluntas Eph.1.11. Rom.4.13.

no procreatæ tam aperte & perspicue non lucet.

1. Sam 15. 29. Hosea. 13. 14. Diuino plane consilio fecit Deus quaecunque fecit. Esa, 45. 678. &c.

Opp. *Quid? an antiqua voluntas Dei in non efficiendo mundo ab æterno? an etiam præteriti operis vacatio tandem displicuit? an improuide, temere, & fortuito in mundi fabricam incurrit? absit vt dicas: at dicis, si mutasse consilium dicas.*

Resp. *Caue, insolens, ne quicquam de Deo temere aut dicas aut cogites: non est enim Deus vt se facti pœniteat sicut homo: antiqua voluntas Dei non est mutata: siquidem decreuit ab æterno mundum non semper, sed in fixo & præfinito tempore procreare. Vacatio operis non displicuit, quippe non fecit quod noluit, sed voluit quod fecit, ordine vero fecit quod voluit: non ergo temere sed sapienter, non fortuito sed consilio id quod voluit fecit: an tempore quidem te inter omnia fecit, vt tu (dum tempus viuendi hic habeas) & illum agnosceres, & te totum illius seruituti (quæ vera libertas est) consecrares.* Beatus es si hoc facias, at ter VÆ tibi si non facias. O Christiane lector ex animo hoc faciamus, vt (quod Deus ante iacta fundamenta mundi voluit) nos cupidos salutis saluos in fine mundi faciat.

Ephes. 1. 4. 5. 2. Tim. 1. 9.

Opp. *Quid? an Deus quieuit ab actione in æterno antequam mundum fecit? videtur hoc esse absurdum, cum sit perpetuo mouens & agens. Fuitne mouens & nihil mouit, agēs & nihil egit? Hæc certe occulte arguunt mundum ab æterno procreasse vt illum moueret, vt illum regeret. Porro, si in tempore fecit, cur prius non fecerit? estne in Deo Deiq; actionibus* prius & posterius? *an canescit vt homo? Est certe* prius & posterius *in actionibus Dei, si mundum nunc factum & nunc non factum ponas?*

Rom 9. 5. v 20. l. 2. c & v. 20. l. 3. c. 4. v. 2. 83. 33 & 4. &c.

Resp. *Quis tu homo qui cum Deo disputas? quamuis sis Esdras desideriorum plenus, secreta Dei nisi retecta & reuelata nō intelliges. Quid (inquis) an Deus semper quieuit ante creationem mundi? Respondeo cum Augustino, quod Deus nouerit quiescens agere, & agens quiescere: imo potest ad actionem nouam non nouum sed sempiternum adhibere consilium, idq; sine vlla mutatione sui, quia in infinitum non cadit (vt Philosophi docent) vlla contradictio. Præterea, essentiam Dei existentia rerum non semper sequitur, sed ordinē prouidentia vt tum fiant cum fieri decreuit. Neq; hoc absonum*

Aug. 11. de Ciu. c. 16.

sensum est à doctrina philosophi, quippe Deus (vt decet) liberrimum Agens est, idemq; actu infinitum. At quaeris cur prius non fecerit? Respondeo quia non voluit: at hinc concludis esse in actionibus Dei prius & posterius: *verbis quidem cõcludis sed re non probas. Quippe etsi Deus in tempore aliquando operetur, tempus tamen illum non apprehẽdit: & licet illius actiones aliquando quoad nos tempore mensurentur, hoc tamen fit, non quod ille canescat tempore, sed quod eodem vt instrumento suo vtatur ad demonstrandas illas actiones nobis. Et hactenus de aliorum obiectionibus: solum hoc addo vt persuadeam iuuentuti huius aetatis, ne sit nimis curiosa in hac quaestione: multa .n. occulta & ignota sunt, intra regios quasi diuinae sapientiae thesauros recondita, quorum rationes & caussas saepe nonnulli quaerentes, in abyssum inciderunt. Sequere igitur consilium sapientis,* Altiora ne te quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; *qui .n. est scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Multae hoc loco quaestiones à multis interpretibus extorquentur & eruuntur à textu de creatione mundi, de necessitate creationis, de parte anni in qua creatio fuit, de libertate Dei, de actionib. illius ante creationem, de renouatione mundi post interitum, de lumine naturae, dei immortalitate & animae, de vita beata, aliisq; sexcẽtis, quib. explicandis volumen vix sufficeret, scriptum prodesset nihil, noceret multum. Nam curiosa haec sunt & ad aliam scientiam spectant. Omitto igitur, quippe epitomen non volumen scribo: si quis tamen plura de his reb. scire desideret, suadeo vt legat Collegium Conimbricense in quo modestius & reuerentius tractantur quã in aliis, qui cũ Prometheo à Iouis veluti sinu ignem ad inflammãda sua tardiora ingenia surripuisse videntur: sed cum subtiles videri velint, turpiter errãt, at ne alii istorum pice coinquinentur, iuuentutem moneo vt caste sobrieque in his reconditis Dei mysteriis sapere conetur.*

Actiones Dei non per se, sed respectu nostri mensurantur tempore.

Eccl 3.22. &c

Quam multas hinc quaestiones mouent interpretes, quae sunt periculosae.

Collegium Conimbricense. Hesiod 1. lib. ἔργων & ἡμερ.

Opp. *Moleste fero te hic nunc sistere, & ista (quae multis molestiam pariunt) sic transilire. Impetrem liceat (quaeso) hoc vnum, vt mihi de istis petenti paucissima Laconica breuitate (si vis) respondeas, aliter me veluti auem laqueo captam & irretitam deseris.*

Resp. *Moleste fero istam curiositatem tuam: sed esto, verbo pete verbo respondebo: quod primum est quod petis?*

Opp. *Hoc primum peto, An creatio naturæ lumine cognosci possit?*

Quæst. 1.

Resp. *Potest: nam vt omittam testimonium illud sacrum Apostoli à creatura mundi, hæ rationes ex philosophia ductæ suadent. Est infinita aliqua caussa nullis mediis alligata: ergo est creatio lumine naturæ nota. Ratio sequitur, quoniam si vlla caussa in arte & natura sit nobilior, quæ paucioribus eget adminiculis ad operandum: & si in subordinatione caussarum secundum philosophiam necessario veniendum sit ad primam actu infinitam: necesse est vt hæc caussa nobilissima & diuinissima existens, sine vlla subiecta materia operetur, & sic operari est creare: creatio ergo lumine naturæ est quidem nota. Præterea, vt quæque res est ita agit, sed Deus ita est vt aliunde non pendeat: ergo sine praexistente materia agit, & sic agere est creare: creatio ergo vi naturæ est manifesta. Insuper ex philosophia probatur Deum esse liberrimum agens, posseque omnia quæ vult: creationem ergo, quæ est propria Dei actio, philosophis notam esse concludo. Porro cum ex philosophia constet omnes omnium essentias primum à Deo fluere, & in illius potestate conseruari, recte inferas creationem Philosophis esse notam, qui per scalam naturæ ab imperfectis ad perfectissimum tandem ascendunt numen, à quo [vt aiunt] omnia suum esse & bene esse habent. Adhuc, ordo, proportio, numerus, pulchritudo, aliaque sexcenta (vt aiunt philosophi) creationem loquuntur & proclamant. Nam sicut ille qui citharam affabre constructam & concinnatam conspicit, eiusdemque cõcentum audit, ipsum citharæ artificem mente reuoluit & agnoscit, licet sibi de facie ignotum: ita is qui mundi pulcherrimam formam & harmoniam percepit, mundum à diuino & infinito conditore factum iri necessario intelligit. Postremo, ipsi philosophi cum fateantur se plane nescire quomodo formæ singulæ inducantur in materias suas (quandoquidem in his non sit adamas seu vis actiua attrahendi illas, quippe materia solam potẽtiam passiuam habet] sequitur necessario illos cognouisse creationem. Imo ad cumulum hoc addo, quod dicant spiritus immediate esse à Deo, ipsamq; animam ratiocinatricem diuinitus accedere: quod certe non dicerent, si creatio aliquo modo nota nõ fuisset. Sed festino, quid in 2. loco petis?*

Rom. 1. c. v. 19.
Creationem lumine naturali cognosci posse argumenta.
Creare quid sit.
De Cœlo l. 1. tex. 100.

Opp.

Opp. *Peto in 2. loco, An creatio nota fuerit Aristoteli.*

Resp. *Credo equidem notam fuisse: persuasionis meæ fundamenta loca hæc sunt apud Philosophum. In secundo Rhetoricorum cap. 23. asserit aperte dæmones esse opus Dei: at dæmones materiam præexistentem in sua cõstitutione non habent: ergo eorum constitutio creatio est, eademque nota Aristoteli. Præterea, disertis verbis in lib. de Partib. animalium ait, animam humanam diuinitus accedere, & in 3. de Anima, ait animã omni materia carere, immediate ergo à Deo fit: nõ per generationem (vt vbique docet) ergo per creationem quæ illi nota fuit. Deinteps in secũdo de Generatione animal. cap. 10. circa finem, ait Deum Vniuersum omnibus suis numeris concinne & eleganter perfecisse, nec non dedisse æternitatem iis quæ illius capacia extiterunt. Audis hunc locum? legisne? & non credis Philosopho notam esse creationem. Audiu (inquam) hunc locum & legis? Cur ergo librum de Mũdo (in quo apertius de Deo non loquitur) à Philosopho conscriptum fuisse negas? Sed lege illum, & in eo volumen apertum videas creationis, quippe illic Deum infinitum, Deum vnum & infinitum, authorem & effectorem cæli terræque agnoscit. Idipsum docet in 2. Metaphys. cap. 1. vbi demonstrat primam causam esse cæteris causam: at quomodo (quæso) nisi per creationem? Imo (quod magis vrget) in 12. Metaphysic. cap. 7. cælum & ipsam naturam à Deo dependere manifeste cõcludit. Infinita sunt alia loca ex 10. lib. Ethicorum & ex lib. de Anima, quæ hanc lucernam in templo Philosophi arsisse & luxisse euidenter conuincunt. Perge igitur, & si quid aliud habeas de quo dubites, quære.*

Creatio Aristoteli nota.

Lib. 4. cap 10.
Cap 5. tex. 45.

Tex. 59.

Quot sunt Aristotelis volumina tot sunt Aristotelis de creatione testimonia.

Opp.

Quoniam creationem defendis notam fuisse philosophis, quæro quid sit, & qualis actio Dei?

Resp.

Nimis altum sapis, & *falcem mittis in alienam messem. Nam philosophia videt ratione coacta esse creationem, sed illam directe non definit. Verbo tamen sic definio. Est creatio alicuius è nihilo productio, id est (si interpretari velis) actio Dei, non intentionalis sed realis, non interna sed externa, non immanens sed transiens, quæ rebus suum esse sine vlla*

Creatio quid.

praexistente materia tribuit. Realem, externam & transeuntem actionem dico: nam quamuis sint nonnulli qui creationem nihil aliud esse velint quam solum intelligere & velle diuinum cum relatione ad creata, quoniam tamen omnis executio & affectio externam actionem & influentiam ab agente in passum postulat, non solum intelligere & velle Dei cum relatione ad creationem definio, sed influentẽ & transeuntem actionem, praesertim cum eandem quidam influxus, & vt ita loquar factio *potentia diuina exequentis voluntatem Dei in hoc opere sequatur: iuxta illud Psalta, Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Attende, non ait, i*pse intellexit *& facta sũt, voluit & creata sunt: sed ipse dixit, ipse mãdauit, quae duo verba nõ internã & immanẽtẽ actionem: sed externam & transeuntem docent. Habes breuiter (imo breuius quam res tanta dici possit) quid sit relatio, & qualis actio Dei, nunc aliud dubium (si placet) moue.*

Psal. 148. Deo siquidem erat ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, nõ λόγος ἔργου σκιά.

Opp.

Quoniam das veniam hanc quaestionem moueo, An necessitate vlla natura Deus mundum creauerit? & quo tempore anni?

Resp. *Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet: quo tandem prorumpit ista sitis & aestus in te sciendi? Vana sunt quae dicis: nam alterum est apertum de quo nemo dubitet, & alterum obscurum de quo nemo sapiens quaerat. Sed age, primum dico Deum nulla necessitate natura mundum produxisse: est enim liberrimum agens vt superius demõstraui. Hoc confirmant sacra vt Psal. 134. Omnia quaecunque voluit dominus fecit, qui (vt testatur B. Apostolus ad Ephesios cap. 1. operatur omnia iuxta consilium voluntatis suae. At dices, quicquid Deus facit necessario facit, quicquid vult necessario vult: necessitate ergo ipsum mundum fecit. Quod si neges, sic arguo: aut fecit necessario aut contingenter fecit: sed contingenter non fecit: ergo fecit necessario. Resoluo hunc nodum, libero arbitrio scire, velle, facere Deum omnia. Hoc etiam addo, quod licet sit actio necessaria, est tamen libera, necessaria quia decreuit, libera quia voluit. Aliquid decreuit Deus, fit ergo necessario: voluit, fit ergo libere. De vltima parte dubitationis tuae in qua quaeris, Quo anni tempore Deus creauit mundum: nescio quid dicam, nisi dicã creasse eo anni tempore*

Nulla necessitas Deum ad creationem adegit.

Obiectio.
Responsio.
Quod fit Dei decreto fit necessario.

Quo anni tẽpore Deus mũdũ creauerit, curiosa quaestio.

tempore quo minatus est Gehennam curiosis scrutatoribus secreta voluntatis suæ. At disces quod patres disputent de hac re sedulo, quoniam alii Vere & mense Martio cum omnia florent, alii Autumno & mense Septembri cum omnia maturescunt factum fuisse probant. Patres honoro, nec quicquam eorum sacræ memoriæ detraho, requiro tamẽ causam & demonstrationem cur hoc vel illud dicant, cum varia & multiplex sit Veris & Autumni semper pro diuersa climatum varietate mutatio. Sed in hac re audi poetam.

Vt Aug. quæst. 55. ex nouo Test. & 106. ex vtroque Test. Iul. Sca. Exerci. 257 Zanc. de op. Dei part. 2. l. 6. c. 1. in fine.

Ver. Autumnusq; diuerso climate diuersa sunt.

Gen. 1.

Non alios prima nascentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebat flatibus Euri.

Huic opinioni fauere videtur sacra philosophia, vbi Deus dixerat germinet terra herbam: *qua germinatio potius in Vere quam in Autumno eminet. Si alteram opinionem tueri velis, confugias ad illos qui dicunt omnia a Deo in perfecto statu creata fuisse, quicquid enim creauit Deus erat valde bonum: at status perfectus plantarum aliarumq; rerum in fructu & vsu potius cernitur quam in flore: si ergo tempus creationis quaras, probabile est Autumnum mensemq; Septembrem potius fuisse, in quo omnia suum vsum & fructum quam Ver in quo gemmam solum & florem habent.*

Opp. *Vnum adhuc dubium restat quod velim resoluas, Vtrum mundus creatus iam consenescat & declinet?*

Resp. *Quoniam senectus atasq; delirans mundi in se argumentum creationis & infantia continet: hoc dubium breuiter resoluam. Quod ortum habet idipsum incrementum, statum, & declinationem habet, vt Hippocrates & Galenus asserunt, atque etiam non negat Philosophus: sed mundus respectu Dei prima causa suum ortum habet, vt ex Aristotele probatur: ergo mundus suum incrementum, statum, & occasum seu declinationem habet: declinat ergo mundus & consenescit. Praterea sic arguo, Minor mundus decrescit: contabescit ergo maior. Quod homo (qui minor mundus est) indies magis magisque corpore decrescat, Plinius lib. 7. Naturalis historia cap. 16. Aulus*

Mundus habet ortum, incrementum, statũ, & occasum.

Aristot. l. 1. Meteo. c. 14. & Homer. Ilia. 1. vbi describit lapidem quẽ Tydides in Vlyssem vibrauit. οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

Gellius lib.3.noct. Atticarum cap.1. Philo Iudaus, Iosephus aliiq; nonnulli testati sunt & obseruarunt. Nam quo magis atatum decursus praterit, eo minora corpora in suo Vtero concipit natura, eademq; natura iam languens parit infirmiora: recte igitur poeta

Iuu. Satyra 15. ver 70.

Terra malos homines nunc educat atque pusillos,
Ergo Deus (quicunque aspexit) ridet & odit.

Mundus consenescit.

Qui legit nuncios Veritatis & annales temporum de decretione & declinatione mundi, inueniet incredibilem Vicissitudinem & mutationem omnium. Cælum, terra, planta (quid multis?) omnia & singula in rerum natura morti iam proxima & Vicina, faciem pallidam & hypocriticam pra se ferunt. Sol princeps planetarum rarius & obscurius iam lucet quam olim lucebat: credibile est tardius illum moueri, probabile est magis in orbe suo subsidere, certum est imbecillius influere & in hac inferiora Vires minus Valide quam olim exercere. Quid addam irregulares minacesq; eclipses solis & luna? mirabiles, toruos & inusitatos aspectus siderum? terribiles formidolosas & inauditas coniunctiones signorum & planetarum? prodigiosas & ante hac sacula inauditas apparitiones cometarum? qua omnia desuper manifeste probant, mundum iam nutare, canescere & declinare. Legite doctissimos Astrologos de hisce omnibus, & (si non Vacet de omnibus) legite hoc solum, quomodo demonstrent solem in orbe suo subsedisse, & ad nos propius nunc accessisse quam accessit olim? Deinceps, si hic perorarem ex Voluminibus Lycosthenis & aliorum de Prodigiis, monstris & ostentis Vbique hodie & frequentissime generatis, qua languentem & sepulchro proximam naturam esse ostendunt, nimis molestus essem. Quid? non hoc argumentum recte sequitur? natura non potest (Vt olim) ordine sua effecta parere, partaq; tueri: ergo iam effœta est & languida, non diu duratura? tenet certe & firma est ratio si eiusdem Vim & pondus tecum altius consideres. Insuper forum conscientia tua appello, an non putas affectus & passiones animi (qua humores corporis & cæli aspectus sequuntur) ferociores iam esse quam apud saculum primus fuerunt? Dic sodes: quid hoc arguit nisi maiorem

In quibus deficiat ab eo quod erat.

Vt Cornelii Gẽmals. vtroq; Cosmocritica.

Idem senium in moribus.

Phys. l.7 t.18.

rem dissolutionem morum, quam rerum dissolutio sequitur? Nam (si credas Philosopho in hac re) natura vitio corrumpitur, virtute conseruatur. Porro, ascende in theatrum & Olympum mundi, circumspice, dic vbi imperia Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum? nonne iam seges est vbi Troia fuit?

An imperia & regna suas ætates & periodos habent? cur non habet mundus? certe causam non video cur non haberet, cum omnia illius sydera propemodum ceciderint. Cecidit Babylon, cecidit Hierusalem, populi, nationes, imperia ceciderũt esse, fame, peste cõcussa, exhausta, infecta omnia vbique cadũt: si omnia, mũdus diu stare non potest. Postremo, si oracula diuina huc adducerem, exitum orationis non facile inuenirem. Mille enim sunt apertissima loca, quæ nihil aliud ex Danielis imagine relictum præter ferreos terreosque pedes nobis demonstrant: quippe aurea, argentea, æneaque ætas mundi desijt esse ferrea & terrea manet. Quid sequitur? flamma flammam: quid sequitur? cinis cinerem: quid? nihil, nisi seuerum iudicium Dei. Sed quando? Impie quid quæris? breui: iam, iam cæli inueterascent, & sicut vestimentum mutabuntur: adueniet certe dies ille. (Audi stulte qui dicis in corde tuo non est Deus) *dies ille inquam veniet, & veniet vt fur, & cum veniet cæli magno impetu transibunt, ipsaque elementa soluentur calore. O diem terribilem in quo mundus claudetur!*

Idem in regnis. vide li.4.ca.13.

Daniel. ca.2.

Heb.1.11.12. Psal.102.26. Psal.14.1.& 53.1. 1.Thes.5.2. 2.Pet.3.10.

Quid nisi vota supersunt?

Vota, inquam, persoluenda Deo, vt in mundo viuentes mundo corde simus. Fui longior, fui fortasse verbis molestior (studiose lector) in hac quæstione de æternitate mundi: patienter quæso feras prolixitatem meam: senex sum, & mundo valedicere discupiens testatum apud posteros relinquerem quid ipse de mundo senserim. Vale fallax sophista vita, mundus es nomine, at captos captiuos & immundos reddis.

CAPVT III.

Vtrum { Vlla causa reddi possit cur res physica aliquando moueantur aliquando quiescant?
Omnis scientia vtatur motu?

Præcipua, quæ hoc capite tractantur a philosopho.

EXplosis illorum argumentis qui ostendere conati sunt nullum motum aut motorem esse æternum, vt accuratius id quod velit de æternitate & (vt ita dicam) de diuinitate primi motoris in catastrophe huius libri concludat, opiniones philosophorum de motu, & de his quæ mouent & mouentur hoc loco discutit. Res digna quidem est obseruatione tua (prehumane lector) si animaduertas Euripos in quibus philosophi nauigantes, contrariis motibus ad eundem quasi portum vehuntur. Sed diutius te verbis suspensum non tenebo. Certant hic philosophi de motu, de rebus etiam motis certant. Nam Parmenides & Zeno vsque adeo hallucinati sunt, pugnantes contra sensum artiumque experientiam, vt ab vniuersa natura motum sustulerint. Contra vero Heraclitus & Cratilus in perpetuo motu cuncta posuerunt: fuerunt tandem qui mediam tenuere viam, nempe quod alia quiescant alia moueantur. Et hæc est tripartita illa diuisio, quam in fronte huius tertii capitis attingit Philosophus. Fuerunt enim (vt ait) qui putarent omnia moueri & nulla quiescere. fuerunt è contra alii qui dicerent omnia quiescere & nulla moueri: fuerunt deniq; nõnulli qui affirmarent aliqua moueri, & aliqua quiescere. Sed ex hoc vltimo diuisionis membro alia subdiuisio elicitur: nempe illa quam infert Aristoteles, ea quæ quiescunt semper quiescere, & illa quæ mouentur semper moueri, vel quæ quiescunt aliquando moueri, & quæ mouentur aliquando quiescere: quod vltimum membrũ (inquit Philosophus) est nobis defendendum. Nam demonstrãdum est res quasdam esse plane immobiles, quasdam vero semper moueri, quasdam deniq; vicissitudine nunc moueri, nunc autem quiescere. Verum sequar Aristotelem in refutatione trium primarum opinionum, quæ in tribus membris primæ diuisio-

Repugnantes antiquorum de Motu sentẽtia.

Absurda negantium motũ. Omnia nõ quiescunt perpetuo secundum Parmenidem & Zenonem.

nis patent. Qui ergo omnem motum è rerum natura tollunt vt Parmenides & Zeno, hi omnia philoſophiæ naturalis iura peruertunt, omniaque totius naturæ opera demoliuntur: cõtra hos ergo diſſerere non eſt phyſiologi: nam in tollendo motu iſti naturã, artem & ſenſum negãt: naturam, quæ eſt principium motus & quietis, artem, quæ incredibilem motus vſum habet: ſenſum, qui cœlos, elementa mixta infinita moueri cernit: morbo ergo animi & hebetudine laborarunt qui iſtam vaniſſimam opinionẽ de ſublato motu intulerunt. Altera opinio Heracliti & Cratili (qui omnia moueri pertinaciter tenebant) ex parte (vt ait Phũs) eſt falſa, ſed minus quam prima à ratione & philoſophia aliena. Eſt falſa, quia ſenſibus repugnat, qui manifeſte aliqua quieſcere facile obſeruent: eſt magis conſentanea rationi, quia natura magis in motu quam in quiete, magis in habitu quam in priuatione cernitur. Ad falſam partem iſtius opinionis, inducit Philoſophus exempla ex omni genere motionis: nihil (inquit) perpetuo augeſcit, decreſcit nihil ſemper, ſemper (inquit) alteratur aut loco mutatur nihil. Quid opꝰ eſt exemplis & digitis naturæ, vt demõſtrentur iſta, motum nempe incrementi & decrementi non eſſe ſine quiete & periodo? Oſtendit Philoſophus in textu, ſub obſcuro exemplo guttarum lapidem excauantium, ſtirpiumq; pullulantium in ſaxis, quæ pènetrant diuiduntq; ſubiectã materiam, ſenſim non ſemper. Perpetuo.n.guttæ nõ cauant lapidem, nec plantulæ creſcentes ſaxum diſcindunt, ex quib. pullulaſcũt. Apertius obſeruari hoc poteſt in accretione hominis & in decretione, qui vt flos ab infantia augetur ad ſtatum, à quo veluti hybernis niuibus concuſſus ad mortem diminuitur. Poſt conſiſtentem enim ætatem vermis in roſa naſcitur, folia exeſa cadunt, radice tandem vulneràta planta in cinerẽ & ſepulchrum ruit. De alteratione quid dicam? res aperta cuiuis eſt & perſpicua. Nam ſi quis ægrotet, nimis longum & moleſtum eſſet iter, ſi ſemper ad ſanitatem tenderet: caleſcit nihil, nihil refrigeratur niſi certo tempore & periodo naturæ. Similis eſt ratio commutationis à loco in locum: lapis enim ab alto cadens, in centro ſui motus finem & quietem habet. Cum ergo iam conſtet in nullo motus genere res perpetuo cieri: quid reſtat, niſi vt cõcludã cũ philoſopho,

Omnia non mouentur perpetuo, ſecundum Heraclitum & Cratilum.

Obiectio.

Solutio.

falsas esse illas opiniones quæ astruebant omnia aut semper moueri aut semper quiescere. At(dices)sunt quædam quæ nunquam mouentur, sunt alia quæ mouentur semper. Verum est si res particulares consideres, nunquam enim mouetur Deus, nunquam physice mouetur spiritus, semper autem mouētur cœli. Quædam denique interdum mouētur, interdum quiescunt, vt omnes res cæteræ naturales. Cæterum hic emergit suboriturque quæstio, An vlla causa reddi possit, cur res physicæ aliquando moueātur, aliquando quiescant? Cui annecti potest alia dubitatio, An omnis scientia vtatur motu? Miror equidem quamobrem aliquot optimi nominis interpretes existiment, dari non posse causam cur in multis aliquando motus aliquando quies fiat? Ratio certe eorum est (vt opinor) quia Aristot. hoc loco docet nullam causam huius rei adferri posse: sed istorum pace & venia dicam quod sentio, non percepisse illos quo illic tendat Phūs: nam illic in cōtrouersiam vocatur, An Empedoclis aliorūq; dogmata de perpetuo motu perpetuaq; rerū quiete defendi & propugnari possit? Huius (inquit) rei causa reddi nō pōt. Veruntamē quoniam grauioris iudicii expositores sic moueant vt prius mouebam quæstionem, causas breuiter assignabo, cur alias res moueri, alias quiescere dicantur. Nemo philosophorum ignorat naturam definiri principium motus & quietis in re omni naturali, per se & non per accidens. Quod si verum sit (vt est verissimum) causam apertam vides cur nūc moueri, nunc à motu cessare res naturales dicantur. Imo (inquis) hæc causa interna est, qua possint res naturales alias moueri alias quiescere: cur autē actu nunc moueantur actuq; quiescant, non est causa: nisi intelligentiam in cunctis rebus naturalibus præter potentiam inesse velis vt (scilicet) sua cognoscant mouendi & quiescendi tempora. Frustra (vti nosti) est illa potentia, præsertim actiua, quæ nunquam reducitur ad actum: si ergo vi naturæ possint aliquādo moueri aliquando quiescere, actus alternatim & necessario hanc potentiam sequitur. Estne alia ratio & causa præter naturam? est: nempe in specifica potentia, formaque propria rei. At hæc est ipsa natura fortasse dicis. Est quidem natura particularis rei, sed non est generalis illa quam modo attigimus. Sic non solum generatim accepta natura siue

Quæstiones duæ.

Causa motus & quietis alterna Arist. T. 2. lib tex. 3.

pro

pro natura naturante (vt aiunt) siue pro natura naturata sumatur, est causa huius motionis & quietis: sed singularis cuiusque rei potentia & forma, quarum altera semper rem stimulat ad motum, altera ad quietem & portum trahit. Res ergo naturales sunt veluti locatæ in vna naui, mouentur quidem, sed ideo mouentur vt vndis & fluctibus agitatæ tādem in portum & asylum quietis veniant. Perge, quæ alia causa est huius rei? Alia in appetitu, instrumento, & fine rerum naturalium ponitur: in appetitu, quia insitum est cuiq; rei naturali vt appetat bonum suum: instrumento, quia sine medio & veluti manu apprehendi non potest hoc bonum: in fine, quippe in quo duo sunt, vis ad se attrahendi per motum, & quies cum attraxerit. Est ergo aculeus in appetitu ad motum cum intentione finis, est modus in instrumento moderandi & dirigendi motum, est fructus & vsus in fine ipsius motus, id est naturæ quies, siquidem agit natura propter finem, id est agit propter quietem: in qua quiete forma (amica & sponsa naturæ) viuit. Articulatius agas velim & ostendas, quomodo hoc verum esse possit quod dicis? quandoquidem in maiori mundo *cælum*, in minore mundo *cor hominis* semper moueri, quiescere nunquam videas. Si enim quiescat cœlum cessabit generatio, si cor non semper moueatur cessabit homo: nata ergo sunt aliqua vt semper moueantur. In hac quæstione non quæritur (si attendas) *An aliqua non semper moueantur?* sed quæritur, *An causa assignari possit cur aliqua non omnia aliquando moueri, ali quando quiescere dicantur.* Sed esto: quoniam natura est principium motus & quietis in re omni naturali, cor & cœlum hac definitione comprehendimus, dicimusq; quiescere in principiis, formis, & terminis conuersionis suæ. Quiescit cœlum in primo immobili motore suo, quiescit in polis, quiescit in terminis & solstitiis suis, quiescit in forma quæ nata est ad motū. Mouens cordis animus est, quiescit in eo: in eo enim res optime quiescere dicitur, in quo est, viuit, & conseruatur. Alii satisfaciunt istis obiectis: nimirum satis esse si res aptæ natæ sint alias moueri, alias quiescere, licet hoc ipsum nunquam fiat. Et hanc suam resolutionem defendunt distinctione potentiæ remotæ, quam existimant esse multis rebus à natura non inaniter & otiose datam,

Potentia cuiusque rei causa est quietu, eiusdemq; forma causa est motus.

Alia causa est appetitus, instrumentum & finis cuiusq; rei.

Aristoteles T. lib. 2. tex. 75. 76

Cælum & cor mouent & quiescunt naturaliter.

tametsi nunquam reducatur ad actum. Exempli gratia, est aptitudo in *sole* vt sint plures soles, in *luna* vt sint plures lunæ: neque enim forma, neq; materia cœli talem indiuiduorum amplificationem negant. Non *forma*, quia plurimæ (vt constat) tales figuræ in cœlo esse possunt: non *materia*, quæ in cœlo eadem re est cum materia prima. Defectio ergo solum est in impotentia rerum inferiorum, quæ impetu suarum repugnantium qualitatum, non possunt arcem cœli concutere & expugnare. Sic illi respondent, sed magis primam demonstrationem probo.

Quæstio 1.

Sequitur nunc alia dubitatio, *An omnis scientia vtatur motu?* Hæc quidem mouetur quæstio ex occasione illius sentētiæ in textu, vbi probat Philosophus illos, qui omnem motum è rerum natura tollunt, leges nō solum naturæ, sed omnis scientiæ & artis violare. Quippe, vt ante, ita & hic demonstrat, omnem scientiam motus aliquem vsum habere. Sed (si placet) lege hoc in loco D. Thomam optime explicantem quo pacto artes omnes & scientiæ vtantur motu. Verbo solum nunc attingam. Duo in omni scientia spectari solent, discursus & illatio conclusionis: at in vtroque motus inest: ergo omnis scientia vsum motus habet: omnis enim scientia acquiritur per discursum præmissarum ad conclusionem, qui non inepte quidam motus dicitur. Si particulares scientias considerare & intueri placeret, res liquido in Astrologia, Musica, naturali philosophia, & Metaphysica scientia constaret. In *Astrologia*, quippe quæ motū syderum, in *Musica* quæ vocum harmoniam, in *naturali Philosophia* quæ motus principium, in *Metaphysica* quæ primum motorem per se considerāt: est ergo vsus ipsius motus in scientia, qui igitur tollunt motum, scientiarum iura manifeste peruertunt.

Artes & scientiæ vtuntur motu.

Distinctio quæst. capitis tertii.

Sūma huius capitis consistit in tribus nempe { Diuisione opinionū de motu quæ fuit triplex { Prima Parmenidis, Melissi, & Zenonis, qui omnem motum è rerum natura sustulerunt, vt est in 1. Physicorum.
Secunda Heracliti & Cratili, qui omnia in perpetuo motu posuerunt.

Resu-

Tertia eorum qui aliqua moueri & aliqua quiescere dixerunt, & huius membri alia est in textu subdiuisio, nempe vt

1 Ea quæ mouentur semper moueantur. & ea quæ quiescũt semper quiescant.

2 Vel vt omnia in rerũ natura nata sint ad motum & quietem.

3 Vel vt aliqua interdum moueantur, interdum quiescant, aliqua vero aut mobilia moueant vt *cælum*, aut semper immobilia maneant vt *Deus* & *centrum*.

Refutatione & approbatione istarum opinionum refutat autem

1 Prima, quia motum tollere est contra naturam, quæ est principium motus, & contra omnem scientiam quæ motu vtitur: est etiam contra sensum, cuius commune obiectum motus dicitur.

2 Secunda, quia econuerso perpetuum motum ponere, est contra rationem. Siquidem nullo genere motus (vt luculenter in textu probat Philosophus) perpetuitas demonstrari possit. Res enim nulla perpetuo augescit aut diminuitur, nulla res perpetuo alterascit aut loco mutatᷓ, res nulla perpetuo generatur aut corrũpitur. *Nota hic (studiose lector) Aristotelem negare motum naturalem vllum in specie esse perpetuum, resq; nullas perpetuo moueri.*

3 Tertia, quia in omnibus suis partib. non sit vera; vltimũ enim membrum, eiusdẽ subdiuisionis approbandum existimat Philosophus, in quo dicuntur aliqua interdum moueri, interdũ quiescere, nec non esse aliqua quæ perpetuo mouentur vt *cælum*, aliqua vero quæ omni motu vacãt vt Deus & centrum. *Attende hic, quod dicat Philosophus esse quædam perpetuo immobilia.*

Quæstione nimirum *Vtrũ causa vlla reddi possit, cur aliqua interdum moueri, interdum quiescere possint?* Hæc quæstio tenetur affirmatiue & probatur

1 A definitione naturæ, quæ est in re qualibet *principium & causa motus & quietis.*
2 A potentia actiua naturæ, quæ rem quamliber per motum ad formam & suam quietem incitat.
3 A forma interna cuiusq; rei, quę veluti adamas materiã per motum ad seipsum trahit.
4 Ab appetitu cuiusque rei naturalis, quem philosophi in motu ad bonum posuerunt, in quo bono quies est.
5 A medio & loco, in quorum altero est vis adiuuandi, in altero conseruandi motum.
6 Ab instrumẽto & fine, quorum illud potentiam mouendi: hic potentiam conseruandi habet.
7 A prouidentia diuina, quæ prę-scripsit vt hoc ordine motus & quietis omnia fiant & conseruentur.

Argumenta in textum.

Opp.

Digressio videtur hæc esse, eademq; plane inutilis & otiosa in philosopho: quippe instituit de primo motore agere, & nunc de opinione aliorum inaniter de motu disputantium disputat.

Resp. *Digressio non est, nam ideo de opinionibus aliorum philosophorum circa motum differit vt (omni scrupulo exempto) quid sit primum mouens directius intelligas. Dirigitur enim hæc tota diuisio ad notitiam primi motus, primique motoris, vt postea declarabitur.*

Opp.

Parmenides, Melissus, & Zeno non omnem motum penitus sustulerunt vt Aristoteles hic fingit: sed (vt constat) posuerunt vnum infinitum & immobile principium rerum, in quo omnia entia quietem habent, & sic quiescere res omnes dicantur, quod postea Aristoteles non negat: ista ergo refutatio philosophi est vmbra.

Resp.

Resp. *Non sum oblitus mei, concedo refutationes apud philosophum esse aliquando leuiores, & vereor ne hoc loco Parmenides, Melissus, & Zeno falso criminentur, si in refellenda hac opinione illos intelligat vt tu coniecturam facis. Facis quidem, quoniam in 1. libro eosdem de re non dissimili disputantes vulnerat. Non est quod obiicias alteram opinionem Heracliti & Cratyli de sempiterno motu rerum: nam facile me in eandem tecum suspicionem trahes.*

Quandoq; bonus dormitat Homerus, & ne hic Arist. verendum est.

Opp. *Ista diuisio est admodum confusa, constat enim ex multis membris neq; ad bimembrem reduci potest.*

Resp. *Non est necesse vt omnis diuisio aduentitia sit bimembris: ad internam (puta) solum hac lex requiritur.*

Opp. *Inconstans sibi Philosophus esse videtur in hac diuisione: nã in primis duobus membris refellit eos qui defendunt aliqua semper quiescere, aut semper moueri: & tamen postea idipsum affirmat. Quippe disertis verbis ait esse quadam perpetuo immobilia, mobilia autem esse alia. Imo in Metaphysicis aperte demonstrat omnia moueri, omniaque quiescere in fine primaq; causa, quod nihil aliud est dicere quam quod isti docuerunt.*

Resp.

Non est inconstans sibi: quippe etsi concedat particulares has propositiones aliqua *nimirum* semper quiescere vt Deum & centrum, aliqua moueri vt cœlos, *non tamen omnia semper quiescere, aut semper moueri omnino docuit, vt isti docuerunt. Quid senserint isti hoc in loco non quaro, neq; incuso philosophum: agnosco tamen diuinos fuisse illos philosophos & multa praclara de motu, de natura, de Deo disputasse: in quo si dixerint omnia semper moueri, recte senserunt, quia omnia motum suum à prima causa motrice petunt: si vero dixerint omnia in eodem quiescere, dixerunt etiam & hoc non male, quia Deus est finis in quo omnia rectissime quiescere & ab omni motu cessare dicantur.*

Omnia moueri, vel omnia quiescere dici non inepte possunt.

Opp.

Violentus motus sub hac diuisione non comprehenditur: ergo non est sufficiens diuisio.

Resp. *Quaritur hic ordo perueniendi ad primum motum primumq; motorem, solum per scalam natura gradusq; motus naturalis. Vel (si placet) dici potest contineri sub*

externis illis generibus motus, de quibus in postrema parte diuisionis agitur.

Opp. *Demonstrat Arist. in aliis libris vbiq; motum esse perpetuum & continuum, cur hic in singulis generibus motus idipsum negat? Est certe contrarius & infestus sibi.*

Motum quomodo dicat Aristoteles esse perpetuum, & non esse.

Resp. *Demonstrat quidem vbiq; in aliis libris, motum esse perpetuum quoad partes proportionis in genere: non autem vnquam docuit hunc aut illum motum esse perpetuum tempore, nisi in relatione cæli ad primam causam: de qua relatione in superiore capite animi sententiam copiosius explicui.*

Opp. *Negat in textu omnia sic nata esse, vt alias moueantur alias quiescant: qua in re mihi videtur naturam omnibus vtique negare. Quippe concesso naturam omnibus inesse, omnia necessario sic nata sunt vt alias moueantur & alias quiescant: siquidem in omnibus natura est principium motus & quietis.*

Resp. *Non negat potentiam & motus & quietis omnibus, & idcirco non negat naturam inesse illis: sed hoc est quod velit Philosophus, nō actu omnia alias moueri, alias quiescere: nam sunt quædam (vt docet) omnino immobilia, vt poli & centrum mundi: in quibus tamē est quædā potentia (remota scilicet) mouendi, vt antea in discursu & expositione textus demonstraui: quā potentiam remotam, non esse inanem aut otiosam illic ostendi, si habitudo motus & quietis in rei primis principiis delitescat.*

Argumenta contra quæstionem, Vtrùm causa reddi possit cur res interdum moueatur, interdum quiescat?

Opp.

Omitto rationes illatas in discursu, nunc dico non posse contrarias qualitates eidem rei naturali inesse: causa ergo non potest dari, cur interdum moueatur interdum quiescat res naturalis. Ratio tenet, quia facultas causa est mouendi & quiescendi.

Facultates non sunt contrariæ.

Resp. *Facultas est causa sed non sola causa. Præterea facultates non sunt contrariæ: Exempli causa, facultas ridēdi non est contraria facultati plorandi, sed risus & ploratus*

sunt

sunt contraria: similiter facultates mouendi & quiescendi vna possunt in eodem subiecto cohabitare.

Opp. *Si causa reddi possit cur res naturalis interdũ moueatur interdum quiescat, ostende causam cur auiculæ quædam quiescant & dormiant tota hyeme sine cibo, & moueantur æstate. Redde causam cur adamas illitus oleo non moueat ferrum, quod sine oleo rapit. Infinita sunt alia instar miraculorum in rerum natura, quorum ratio reddi non potest: nimis ergo confidẽter defendis posse causam dari, cur res qualibet naturalis aliquando moueatur aliquãdo quiescat.*

Resp. *Causa reddi potest cur auiculæ quædam dormiant tota hyeme sine cibo, & cur moueantur in æstate: Somnum capiunt & cibum non capiunt in hyeme, quia earum natura est frigore attonita, & sic attonita manet in eodem statu sine vlla appetentia, vt homines in mari vecti & iactati solent. Similiter reddi potest ratio, cur ferrũ adamantis veluti manus, illitum oleo non moueatur: quoniam oleum impedit occultam illam attractiuam qualitatem, ne in aerem trãsuolet, vimq; ferro imprimat. Sed esto, concedo esse multa mirabilia naturæ quorum ratio reddi non potest, non quod non sit ratio omnino, sed quod nostra ratio in corpore, veluti per trãsennam causas rerum videat.*

Auicularũ dormientium to: a hyeme & volatium in æstate ratio.

Adamas oleo illitus cur ferrũ non attrahit.

Opp. *Causa omnino reddi non potest multorum, quia (vt ait Aristoteles) idcirco primus motor multa occultauit mortalibus, vt mortales agnoscerent esse primum motorem. Præterea, vt ipse Aristoteles fatetur, primus motor est liberrimum Agens: mouet ergo res aliquando sine causa hominibus nota: & proinde reddi non potest semper causa, cur sic res aliquando moueantur aliquando quiescant.*

Resp. *Accedis ad scopum, ad quem vt tandem accederet peroptaui, id est ad primi motoris gloriam: libenter equidem tecum consentio esse permulta, esse infinita quæ Deus occultauit hominib. vt homines agnoscãt vnã esse infinitam in essentia, scientia, & prouidẽtia causam, quæ solum cognoscit omnia. Humana (inquit Philosophus) sapientia est tanquã oculus noctuæ ad solem, videt quidem sed sub vmbris & ideis videt. Si ergo Deus præter ordinem cursumque naturæ quicquam moueat, idipsum sic mouetur, vt nemo philosophorũ motus causã & rationẽ reddat. Sic iussit vt ignis maneret*

Quædam Deus latere voluit, vt ipsum studio suo quæramus l.1. Meta ca 5. text 1. 1. Cor. 13. 9. 12.

ignis & tamen non vreret. Sed exemplis supersedebo ne ambitiosus videar. Agnosco quæ dicis omnia, hoc solum velimq́ intelligas, moueri quidem hāc quæstionem de illis solum quæ ordine naturæ commouentur.

Argumenta in dubium, Vtrum omnis scientia vtatur motu?

Opp. *Qui (inquit Philosophus) omnino è rerum natura motum tollunt, leges naturæ omnisq́ scientiæ violant. Sed libenter velim exponat Arist. quo modo omnis scientia vtatur motu cū non sit materia, non forma, non efficiens causa, non finis scientiæ. Non est materia, quia nulla scientia ex motu cōstat: non forma, quia scientia vna ab alia motu nō distinguitur: non efficiens causa, quia nulla scientia à motu oritur: non finis, quia nulla scientia ad motum refertur. Præterea, cum omnis scientia sit* habitus animi multis demonstrationibus acquisitus, *in quo sit contemplatio: non video quomodo vtatur motu, in quo est actio: Imo (vt docet Philosophus) finis scientiæ est cognitio & indago veritatis: & quid commercii habet motus cum contemplatione veritatis?*

Omnis scientia motu vtitur.

Scientia dupliciter consideranda vel inchoatiue vel complete.

Resp. *Cum Philosophus ait omnem scientiam vti motu, intelligi debet (vt ait Beatus Thomas) de motu animi, qui magnā analogiam & similitudinem cum naturali motu habet. Scientia (inquit) considerari potest bifariam: vel inchoatiue vel complete. Si inchoatiue cōsideretur sic motu vtitur, quia motu acquiritur: quippe ex multis actionibus dispositionibusq́ animi acquiritur scientia: quæ actiones & dispositiones, sunt quidam motus actusq́ animæ inchoati. Si vero cōsideretur scientia complete, tum in ea perpēdi debent discursus animi illationesq́ conclusionū, quæ etiam motus quidam recte nominari possunt: omnis ergo scientia motu aliqua ex parte vtitur. Nihil hic dico de sciētiis mechanicis, quæ omnes & singulæ ponuntur in motu & opere: nihil de medicina, de morali philosophia, de politica disciplina, aliisque artibus ingenuis versantib. in actione, quæ actio ēt motus animæ definitur: nihil de relatione omniū scientiarū ad vsum rerum singularū, in quib. potius motus rerū quam intuitus & nuda*

specu-

ſpeculatio idearũ ſpectari ſolet. Nihil deniq; de fluxu & refluxu omnium bonorum ad primã cauſſam, vnde omnis ſcientia omnisq; ſapientia (quæ inter bona enumerantur) effluxerunt. Imo ipſa mentis contemplatio de Deo rebusq; æternis & Metaphyſicis, quædam animi motio appoſitiſſime dici & definiri poteſt. Mens enim agit dum contemplatur: opus ergo habet omnis ſcientia motu, motuq; vt inſtrumento vtitur ad ſuum tractandum medium, ſuumq; finem aſſequendum. Non acquiritur ſine motu, non diſcutit ſine motu, non tranſit in vſum ſine motu, non refluit ad fontem omnis ſcientiæ ſine motu, ſine motu deniq; nihil agit, nihil cõtemplatur. Qui igitur motum tollunt, non ſolum naturæ ſed etiam ſcientiæ lumen extinguunt. Mens nihil agit ſine motu.

Dubium, An motus animi conſeneſcat?

Opp. *Quorſum hic quæſo de motu ſcientiæ, quorſum de motu animi nunc agis? neuter ad inſtitutũ ſpectat: ſed quoniam de illo agis, ſic contra hoc dubium à te propoſitum diſputo. Studio ſcientiarum hebeſcit ingenium, animus ſæpe obſtupeſcit, imo delirat aliquando: illius motus ergo, nõnunquam conſeneſcit. Præterea, experientia docet decrepitos ſenes repueraſcere, motusq; vireſq; animi in illis plane contabeſcere: non eſt ergo dubitandum quin animi motus conſeneſcat. Poſtremo, in morte ſcientiæ animi motu acquiſitæ tolluntur, motuſque animi vna cum illis cadit: tum enim ſola contemplatio non actio, intuitus non motus permanet.*

Reſp. *De motu ſcientiæ, & de motu animæ in acquirenda ſcientia opportune agitur: hic enim motus veluti manus dextera eſt, qua ad æternam ſcientiam & ſapiẽtiam primæ cauſa ducimur. Nam quamuis in aliis aliarum rerum motibus, primus motus remote & ſub velo cernatur: proxime tamen animi & ſcientiæ motu tantum, hoc bonum acquiritur. At conſeneſcit (inquis) hic animi motus: nam ſtudio (vt ais) ſapientiæ hebeſcit ingenium, animus ſæpe obſtupeſcit, repueraſcit ſenectus, vires animi ſenibus contabeſcunt, euaneſcunt in morte ſcientiæ, ceſſant motus. Reſpondeo animum conſiderari poſſe duobus modis, vel abſolute in eſſentia, vel comparate in exiſtentia ſua. Si priori modo* Motus animæ dextra ad ſcientiam recipiendam. Animus dupliciter conſideratus.

consideretur, spiritus: si posteriori, actus corporis dici potest. Vt est spiritus seu incorporea substantia, nullo rerum studio hebescit, obstupescit nunquam, non consenescit, illius vires non contabescunt: Imo quo plus studeat sapientia eo magis sapit: caterum vt est actus corporis, suum florem suamq; senectutem & veluti occasum habet: ita tamen habet, vt mortales dum simus (si nimium non tribuamus corpori, si nimium non indulgeamus crapula, veneri, voluptati) motus animi in nobis non consenescit, non obstupescit ingenium: imo in lāguidiore corpore animus vegetior & sapientior viuit. Qui ergo primum motorem videre velit, sic corpus, affectus, & humores, rationis imperio & freno dirigat, vt animi motus non consenescat, eiusque scientia & virtutes morte commutata non extincta viuant. Canicies enim sapiens est quam atas non venus gignit, non est atas in vitio, sed vitium in atate, quod senes hebetes puerosq; reddit. Si ergo animus senis fuerit excultus virtutis & sapientia gemmis, eo magis ante sepulchrum & mortem lucebit, quoniam animus tum ad primum motorem & suam libertatem volat.

Animi senectus vnde & quomodo.

Cicero in senec.

Imbecillitas nō est ab atate sed vitio.

CAPVT IV.

Vtrum { *Animal seipsum moueat?* / *Grauia & leuia à se moueantur?* }

Mouentium & mobilium diuisiones.

NE temere videatur philosophus ens entium, primamque caussam caussarum & motorem (omnis motus & mutationis expertem) demonstrare: altius ducto principio, multiplicem diuisionem mouentium mobiliumque hoc loco tradit. Prima est, ꝙ omnia mouētia aut mota, vel per accidens vel per se moueant aut moueantur. Per accidens res mouet duob. modis, vel quia in aliis inest vt accidens (exēpli caussa lux in igne dicitur calfacere, quia inest igni qui calefacit) vel quia est pars rei mouentis, sic homo dicitur scribere, quia manu scribit. Similiter per accidens aliquid moueri dicitur, vel quia inest rei motæ, vel quia est pars mobilis; priori modo album in niue dicitur moueri, quia nix ipsa mouetur: posteriore vero modo homo dicitur sanari, cuius oculus sanatur.

Mobile per accidens duplex.

Altera

Altera diuisio est mouẽtium per se, nimirum quod alia semper moueant ex tota essentia sua, fierique non potest vt illa moueantur per se vel per accidens, sic solus Deus mouet: alia mouent vi quadam vel influente, vel inhærente: vi influẽte vt *finiti spiritus*: vi inhærente vt *forma actus rerum*, qualis est animus humanus inhærens corpori, cuius præsentia omnes partes & organa corporis sunt, viuunt, & mouentur. Sunt (inquam) nam sine motrice facultate ab anima in corpus transfusa, partes humani corporis nisi analogice appellari non possunt. Quippe manus mortui hominis non est manus, sed similitudo manus: pars siquidem ab officio non à loco, ab actione non à proportione nominatur.

Mouens per se duplex.

Partes corporis non à loco sed ab officio nominantur.

Alii hanc distributionem exponunt, demonstrando id solum moueri per se, quod nec inest aliis nec aliorum pars existit omnino: sic (inquiunt) medicus sanat per se, & manus per se percutit. Sed caueat hic studiosus lector ne nimium credat exemplis: quippe manus est pars rei, nisi velis interpretari illam non esse partem rei percussæ, licet pars rei percutientis dicatur. Sed aptius adhibebis exemplum si instes in Deo primoque motore omnium, qui semper mouet entisque nullius pars est, nulliq; inhæret, sed semper (in se beatus) aut se aut alia mouet. Et sane sine huius motu omnis motus motorque cadunt.

Tertia diuisio est eorum quæ per se moueri dicuntur, vel quia alteri non accidunt, vel quia partes aliarum rerum non existunt, sic æger per se sanatur. Sed hic subdiuisio insinuatur in textu, nempe quod horum quę per se moueantur, alia insitum sui motus principium contineant, vt *animalia*, quæ à seipsis moueri dicantur: alia vero externo aliquo principio cientur vt *grauia, leuia, resq; omnes inanimata*. Cæterum tam ea quæ à se, quam quę ab alio mouentur, vel secundum, vel præter naturam, vel contra naturam moueri quidẽ possint. Secundum naturam, per vim insitam actiuam & formam: præter naturam, per vim externam cogentẽ, sed non penitus corrumpentem rem quam cogit: contra naturam, cum res motu pellatur & prorsus euanescat. Motio secũdum naturam est vt *progressio animalis*: motio præter naturam

Mobile secundum naturam, præter naturã. contra naturã.

est vt *proiectio lapidis*, cum lapis postea ad locum motumq; naturalem rediit: contra naturam vt *Vulneratio cordis*, quo transfosso homo amplius non viuit.

Quæst. 1. His positis, quæstio moueri potest ex textu, *An ea quæ vi moueantur à seipsis nunquam moueantur*? Res aperta est in iis quæ contra aut præter naturam mouentur: in iis. n. aliud est mouens, aliud quod mouetur, vt cõstat in proiecto lapide; at in animalibus res tã perspicua non est, licet in his quoque aliud sit mouens, aliud mobile, si distincte vtrunq; consideretur. Quemadmodum enim aliud est nauta qui mouet, & aliud nauis quæ mouetur: ita in animalibus distinctũ est moueus & mobile, totum tamen animal seipsum mouere dicitur. Sed hic labor, hoc opus est, vt ostendam quomodo anima mouens in animali sit quiddam distinctum ab animali iam moto, cum sit illius forma essentialis. Verbo resoluam: consideres igitur animam duobus modis in animali, vel absolute vt definit, & sic non distinguitur: vel comparate vt mouet, & sic quidem ab eo respectu quodam separatur. Nam vt mouet anima corpus accidens est, animęq; naturam sequitur: sed rem animatam definire & definitam à rebus omnibus essentialiter distinguere, pars solum essentialis vendicat. Veruntamen dices quomodo tunc animal seipsum mouere dicatur, cum ab alio moueatur? Respõdeo, quia facultas illa animæ motrix fluens ab anima, inhæret corpori. Hinc anima & corpus vnum animal fiunt, motusq; per se vtrique non immerito attribuitur. Nam vt cor hominis per se moueri dicitur, quia spiritus vitalis caussa motus in eo est; & tamen cor atque spiritus (si distincte sumantur) res diuersæ sunt: ita animal per se cieri dicitur, quia animam principium sui motus in se continet; & tamen si animal & anima seorsim considerentur, res plane distinctæ haberi debent. Quid? estne anima in corpore animalis vt nauta in naui, quemadmodum hic insinuat Aristoteles? nõ est, sed mouet corpus animalis vt nauta nauem mouet, non enim ait inesse animam sicut nautam, sed mouere sicut nautam. Et tamen si vrgeas philosophum alibi, vbi dicit aperte esse animam in corpore vt est nauta in naui: intelligo illic Aristotelem quoad imperium & gubernationem, quæ animæ sedenti quasi ad puppim semper debetur.

Anima duob. modis considerari potest.

Animal quomodo seipsum mouet.

Aristoteles de Anima lib. 2. t. 10. 11.

Anima nõ inest corpori vt nauta in naue.

Adhuc

Adhuc vix ſapio quomodo animal à ſe & tamen ab alio moueatur: hoc enim ſimile quod adfers adhuc non ſatisfacit. Dico iterum rem facilem eſſe, ſi conſideres animam & corpus vnum animal coniunctum fieri; nam ſic totũ animal formatum ſeipſum mouere dicitur, licet diſtincte ſi accipias, aliud eſt quod mouet, aliud quod mouetur. Quippe neque animal eſt anima, nec anima ipſa animal, vtrumque vero natura numeroque vnum in ſe principium motus continens, ſeipſum mouere dicitur. Alio tamen reſpectu ab altero moueri etiã dicatur, vt in *generatione* per potẽtiam actiuam, per paſſiuam in *corruptione*, in *accretione* & *diminutione* per calorem naturalem, vigentem, aut decreſcentem, in *mutatione loci* per graue aut leue, in *alteratione* per elementares inſitas qualitates; in his omnibus per efficientem cauſam externam, obiectum, medium & finem; quibus addo vim & impetum præter aut contra naturam agentis, cum ordo naturæ, ſtadiumque motus peruertatur aut impediatur.

Animal, vt ex anima ſimul & corpore conſtat, ſeipſum mouet.

Sæpe enim contingit, vt in omni genere motus vis fiat, lexque naturæ violetur; vt in transfixo homine, proiecto lapide, naue fluctibus abſorpta & tempeſtate immerſa manifeſte conſtat. Attendendum hic eſt, ſecũdum opinionem quorundam interpretum hoc loco, per nomẽ *animalis* intelligi rem omnem animatam; cum ergo moueatur quæſtio, *An animal ſeipſum moueat?* eſt ac ſi diceres An omne ens anima præditum & animatum ſeipſum moueat? *animal* enim pro animante ſumitur; *animans* pro re omni quę animam ſui formam habet, quales ſunt *homo, bellua, planta.*

Animalis nomine quid intelligatur.

Filum longius non traham ex penſo huius quæſtionis. Summa hæc eſt, aliquid nimirum mouere ſeipſum tribus modis; vel quia omnino non egeat vllo alio motore interno aut externo, & ſic ſolus Deus ſeipſum mouet; vel quia ex motore & re mobili tanquam ex partibus conſtet, & ſic animal ex anima & corpore compoſitum ſeipſum mouere dicitur. Ratio eſt, quoniam animal poſt quietem (puta ſomnum) poteſt iterum motum ſuum incipere, ſine vllo extrinſeco motore particulatim mouente; ſimiliter poteſt eundem terminare, nullo foris adueniente motore, vt in *am-*

Aliquid mouet ſeipſum tribus modis.

bulante, homine volante aue, natante *pisce* liquet. Quippe post quietem aut somnum videmus vtique animalia ambulare sine vllo motore extrinsecus concurrente: mouet ergo animal seipsum vt hic recte Aristoteles docet. Sed animaduertendum est, duplex esse mouens in animali scilicet *mouens quo* (vt aiunt) & *mouens quod*. *Mouens quo* est ipsa anima seu proximum principium quo animal mouetur: *mouens quod*, est ipsum totum compositum, id est, totum animal ex anima & corpore conformatum, quod (vt supra dixi,) ideo seipsum mouere dicitur, quia principium in se mouendi essentialem sui partem comprehēdit, à quo esse, mouere, & moueri habet. Hinc est distinctio mouentis animalis à motu rei insensibilis, animæque expertis: quia animal seipsum mouet diuersis motibus, veluti per ductum distinctæ cognitionis & appetitus: quia potest incipere & terminare motum cum velit, quod rebus inanimatis non conuenit vllo modo, vt experientia vniuersa docet.

Motus animalis & inanimati distinctus.

Inanimata à seipsis non mouentur.

Sed vt distinctius agam de discriminibus rerum animatarum & inanimatarum mouentium, dico res inanimatas à seipsis non moueri, idq; quatuor syllogismis sic probo. Quęcunque seipsa mouent, ea viuunt: sed inanimata non viuūt: ergo inanimata seipsa non mouent. Maioris sequela constat, quoniam anima (cuius prima actio vita est) caussa primaria motus existit: sed pergam. Quæcunque seipsa mouēt, eadem ad placitum possunt cum velint motū sistere & terminare; sed grauia & leuia (vt lapis & ignis) id facere nō possunt: ergo grauia & leuia non possunt seipsa mouere. Præterea, quæcunque se mouent, pluribus motib. cieri possunt: at inanimata non possunt pluribus se mouere motibus, vt in igni & terra constat: ergo inanimata nō possunt seipsa mouere. Postremo, nullum continuum potest seipsum mouere: at grauia & leuia sunt continua: ergo grauia leuiaque non possunt seipsa mouere. Quid ergo? cum hæc à seipsis moueri non possint defectu animæ & vitæ, nonne aliunde moueantur necesse est? Quid ni? Quo quæso mouētē? Mouendi principio nempe natura. At hoc internum est, externam caussam motricem postulo. Reddo, potentiam eandemque remotam & proximam.

Potentia proxima & remota quid.

Quid est remota potentia? Illa est quæ raro aut nūquam in actum

in actum producitur: sic puer qui discit literas primaque elementa vocum, potestate grammaticus, rhetor, aut philosophus dici potest, tametsi raro aut nunquam fiat. Quid est ꝓxima potentia? est quasi mater parturiēs nunc actu: hoc modo grammaticus, Rhetor, aut Philosophus dormiens, potestate sic denominantur, si actum & vsum spectes. Quid hæc distinctio ad motum rerum naturalium? Eadem certe ratio est in rebus naturalibus: nam & hæ quoque remotā & propinquam potentiam habēt: remotam, vt quod potestate est calidum & tamen difficulter in ignis naturam vertitur, sicut Salamādra quæ semper in igne viuit & non cōsumitur: propinquam, vt illud quod facile in ignis naturam commutatur, impeditur tamen aliquando ne vrat. Hoc ipsum (inquā) potestate calidum est & vrere posse dicatur, si remoueantur impedimenta. Similiter, quędam potentia remote & proxime leuia grauiaque dici possunt, etsi nōdum formam ignis aut terræ induerunt.

Arist. hist. animal. li. 5 ca. 19. & Pli. hist. natura lib. 10. ca. 67. ita & pyrausta. Pli. hist. l. 11. c. 36.

Perstringe paucis summam huius capitis: perstringam: omnia hic dicta eo pertinent, vt ostēdat philosophus omne ꝙ mouetur ab alio moueri; ꝙ ideo facit, vt tandem adumbret vnum motorem primum omnis motus & mutationis expertem. Axioma illud prius à diuisione sic ꝓbat. Omne ꝙ mouetur aut à natura mouetur, aut contra naturam: quod (inquit) violento motu mouetur, absque omni dubio ab alio extrinsecus vim imprimente fertur; quod vero secūdum naturam, mouetur vel ab interno principio mouendi vt animal ab anima; vel ab externo, vt res omnis inanimata, & sic grauia & leuia ab alio aliquo mouentur; nempe vel ab eo quod leuia & ponderosa generat, vel ab eo quod impedimentum motionis remouet.

Huius capitis summa.

Omne quod mouetur ab alio mouetur.

Quis vsus istorum omnium? Magnus certe, primum vt ordo omnium mouentium & mobilium habeatur: hinc vt mouendi cognoscatur modus an sit naturalis, præternaturalis, violentus. Deinceps, ne ignoretur illud arcanum naturæ, quomodo animal (maxime vero homo) seipsum moueat? Postremo, vt liquido pateat esse vnū mouens p̄ cæteris, ꝙ infinite seipsum omniaq; quæ sunt moueat, & hoc est Deus.

Qualis horum omnium vsus.

Gradus rerum quatuor sunt: inanimatarum, quibus nudum *esse* debetur: animatarum quib. præter esse *Vita* con-

Animatarum, inanimatarũ, ſenſibilium, intellectualium.

ceditur: ſenſibilium quibus præter *eſſe* & *viuere ſenſus* datur: intellectualium, quibus attribuitur *intellectus & ratio*; vt Deum primum intellectum videant & colant. Hinc Ariſt. alibi ſic ratiocinatur: eſt mens vna in homine: eſt ergo in mundo vnus Deus: Mens in homine eſt primum mouens: Deus ergo in Mundo eſt primus motor. Mens in homine eſt prima eſſendi, viuendi, & mouendi cauſſa: eſt ergo Deus primum principium quo omnia in mũdo fiunt, exiſtunt, & mouentur. Eſt mens diuinum quiddam in homine, quod in prima virtute excoli & adornari debet: eſt ergo Deus cœleſte & excelſum numen, quod expanſis manibus coli & adorari oportet.

Sed loquitur (fortaſſe dices) in libr. de mundo, quod quidem opuſculum nego. Cur negas? Cum idipſum in primo Topic. aſſerat, vbi te digniſſimum diro ſupplicio iudicat, ſi *An Deus ſit colendus* in quæſtionem voces? Tardi & peruerſi ingenii homo, ſi fides non trahat vt credas Deum eſſe, eumque vnice honorandum, philoſophi & philoſophia ſuadeant: ſuadeat illud primum ſapientis Catonis præceptum DEVM COLE.

Diſtinctio quæſt. capitis quarti.

Cardo huius quæſtionis vertitur in
- Diuiſione mouentium & mobilium, quæ eſt tripartita.
  - Prima, quod quædam moueant & moueãtur per ſe, quædam per accidens, per accidẽs dico, prout moueri ſecũdum partem moueri per accidens dicatur.
  - Secunda, quod ea quæ mouentur per ſe vel à ſeipſis vt *animalia*: vel ab aliis vt *alia naturalia inanimata* moueantur.
  - Tertia eſt quod alia moueantur ſecundum naturam, alia violenter & contra naturam: alia mixto quodam modo, vt *animantia* quæ incipere & terminare ſuum motum pro arbitrio poſſint, quod rebus inanimatis non conceditur.
- Quæſtione, Vide in ſeq.pag. lit. A & B

Expoſitio

A Quæstiõe, quæ est duplex

B Prima, *An animal seipsum moueat?* in qua quæstione spectantur duo

Expositio quid sit *mouere seipsum*; quod certe nihil aliud est quam in seipso sui motus principium continere, vt animal cõtinet animam motricem sui caussam.

Cõfirmatio q̃stionis, q̃ ducitur

1 A descriptione mouendi seipsum, quod est tale actiuum principium motus in se cõtinere: quo potest ad placitum incipere & terminare motionem, & hoc solum animali obtingit.

2 A proportione seu comparatione: nam vt totum nauigium dicitur seipsum mouere, tametsi nauta solus idipsum moueat: ita animal per animam suam, quæ sic mouet animal vt *nauta* nauem.

3 A conditione animæ formantis animal, quia vt res quælibet est nihil aliud quam sua forma: ita animal est nihil aliud quã anima sua: & vt res quælibet id agere dicitur q̃ forma agit: ita animal idcirco seipsum mouere dicitur per se, quia anima in eo idipsum efficit.

1 Res inanimatæ seipsas non mouent: ergo animal seipsum mouet, quia proprium est seipsum mouentis vt viuat.

2 Res inanimatę nec contrariis motibus agitantur, nec possunt

Secunda Vide in seq. pag. lit. C.

A cõparatione cõtrariorũ, i. à comparatione rerum inanimatarũ, hoc modo

morum incipere & cohibere cum velint: sed hoc est proprium eorum quę seipsa mouent.

3 Res inanimatæ cõtinuæ sunt: at nullũ continuum seipsum mouere potest: vis enim nulla est mouendi in quantitate per se, nisi accesserit actiua aliqua potentia aut qualitas, qua res continua ad motum excitetur.

C Secunda: *An grauia leuia & inanimata, vllo modo moueantur à se?* In hac quæstiõe considerãtur, *grauia, leuia.* & *inanimata*, vel in potentia sua

1 Prima passiua, à qua, vt à termino *à quo* mouentur ad primum suum actum & formam, nempe *grauitatem* & *leuitatem*; & sic à generante talia, non à seipsis mouentur.

2 Secunda actiua: per quam mouetur ad secundum actum & formam accidentalem, qualis est in graui *deorsum* ferri, in leui *sursum ferri*: & sic à se, id est à forma sua vel potentia actiua formæ moueri dicantur: & non à generante communi, scilicet cœlo per compulsionem in graui, & attractionem in leui, vt multi somniarunt.

Vsu, vt ordo mouentium & mobilium cognoscatur, quemadmodũ mirabilis motus minoris mundi, id est, hominis, præ aliis aliarum rerum motibus pate fiat, vt liquido constet esse vnum motorem primnm, ad quem omnia mouentia & mobilia vt ad summum bonum referuntur.

Argumenta in primam quæstionem; Vtrum animantia seipsa moueant?

Opp. *Philosophus videtur esse hic contrarius sibi: quippe qui in prioribus libris docuit nihil à seipso moueri præter Deũ, primum motorem omnium.*

Resp. *Aristoteles non est hic contrarius sibi, id ipsum siquidem nũc docet quod olim docuit, nihil enim seipsum simpliciter mouet præter* Deum, *primum motorem omnium. Cæterum quandoquidem in comparatione rerum naturalium gradus*

gradus quosdam dignitatis reperit, quibus in scala naturæ ad primum architectum mundi scandit: maiorem vim motus animalis quam res inanimatæ mereque naturalis attribuit. Est enim in omni animante excellentior forma, in homine vero (minore mundo existente) plane diuinior, unde recte omne genus animātis seipsum mouere dicatur. cum formæ nobiliores animalis potētias viuaciores, magisq; actiuas & dociles ad mouendum per se & vi sua habeant. Formæ datur pro gradu cuiusque animātis alia atque alia.

Opp.

Antea demonstratum est, & etiam in hoc ipso capite, animam seu formam rei mobilis esse aliud à re mota: ergo respectu animæ seu formæ animal seipsum mouere non dicitur.

Resp. *Anima seu forma rei considerari potest bifariam, vel separatim in fieri (vt aiunt) seu potentia prima passiua materiæ mobilis ad formam, & sic quidem est quiddam aliud à re mota, seu materia mobili ad formam: vel coniunctim, vt cohabitat cum materia, remque vnam numero aut specie cum illa facit, & sic communicans actiuam suam potentiam animali, animal seipsum mouere dicitur.* Anima bifariā consideratur. Separatim vel coniunctim.

Opp. *Res qualibet naturalis à forma seu actiua potentia formæ mota seipsam non minus quam animal mouere dicatur. Nam si mouere seipsum sit nihil aliud quam principium internum sui motus intra se comprehendere, & res qualibet naturalis suam formam internam causam sui motricem habeat, non video vllam rationem cur aliæ res inanimatæ seu naturales ab hac ratione seipsa per se mouendi excluderentur.*

Resp. *Duplex est potentia in re qualibet naturali, vna prima, passiua, remota, materiæ debita, altera secunda, actiua, proxima formæ concessa: illa per extrinsecum aliquod mouens & medium tendit ad primum actum rei, id est ad formam, qua ornata materia alia res specie dicitur, vt homo, lapis vel leo: hæc ad secundum & consequentem aliquem actum rem trahit. Exempli gratia, ad motum deorsum, rectum, circularem, vel mixtum. Hac distinctione adhibita respondeo argumento, quod in aliis rebus ab animali non sit omnino ea viuacitas vel forma vel potentia, vt eisdem res prædita seipsas mouere dicantur propriè.* Potentia duplex, alia prima, passiua, remota: alia secunda, actiua, proxima.

Communiter autem concedi potest quod se moueant in infimo (vt ita loquar) gradu & modo viuendi, & sic non negat in textu Philosophus grauia, lēuia, & inanimata a seipsis posse moueri quoad secundum actum per formas potentiasque suas actiuas, quæ copulam & connubium materiæ formæque sequuntur.

Inanimata quomodo à seipsis moueantur.

Opp. *Si ista de animali instantia detur, illud axioma ante traditum & hic etiam conclusum videtur claudicare: nimirum omne quod mouetur ab alio moueri.*

Resp.

Non claudicat hæc maxima seu vniuersalis propositio si detur ista instantia: nam etsi concludat animantia, & inter illa homines excellentiore modo moueri, simpliciter tamen rei nulli mortali potestatem mouēdi seipsam inesse asserit: assurgens vero per gradus mobilium ad summum primumq; motorem omnium, quoniam in animali nobilissimam formam obseruat, illud seipsum mouere defendit: quod quidem verū est respectu aliarum rerum animatarum, non autem perfecte verum, respectu primi motoris qui seipsum simpliciter sine omni subsidio mouet. Dico igitur animal seipsum mouere si formam spectes coniunctam cum materia, moueri etiam dico ab alio si corporis qualitates, viresq; intrinsecas rerum idipsum mouentium consideres.

Animal & à seipso & ab alio mouetur.

Argumenta in dubium alterum de motu animalis, Vtrum motus eiusdem sit naturalis vel violentus?

Arist. de Cœlo li.1.t.89. & lib. 3.t.28.

Opp. *Videtur motus animantis non esse naturalis, quia motus naturalis est velocior in fine quā in principio vel medio: sed animalis motus est velocior in principio & medio quam in fine, quoniam in fine plerumque deficiunt vires & spiritus: ergo non est naturalis. Præterea non est violentus, quia contra potentiam & inclinationem animalis nō fit hic motus: est ergo alia species motus quærenda in qua motus animalis ponitur.*

Resp. *In re animata motus considerari debet duob. modis, vel quoad potentiam elementi prædominantis, vel quoad*

præstan-

præstantiam formæ rem animatã constituentis, scilicet ipsius animæ. Prior motus conuenit animatis quatenus sunt corpora, alter vero conuenit quatenus sunt animata. Differunt autem hi motus trifariam, primo quoad principium (nam illius principium est prædominans elementum, huius vero anima informans) secundo quoad consequentiam. nam ille motus ratione elementorum rebus animatis conueniens sequitur solum appetitum corporis ad vbi sursum *vel* deorsum: *hic vero qui est ratione animæ, sequitur cognitionem & apprehensionem obiecti, quæ non est semper respectu vnius loci & situs, sed prout animal apprehendit: postremo quoad libertatem mouentis, sic ille motus qui est secundum prædominans elementum non potest se sistere: nam si prædominetur terra deorsum, si præsit ignis sursum necessario tendit. At hic qui est ratione animæ, incipere & variari potest pro appetitu animantis & apprehẽsione obiecti ad quod animal mouetur. Respondeo igitur motum animalis vtroque modo esse naturalem, siue illum respectu elementi prædominantis, siue hunc respectu animæ informantis consideres. Quod non sit velocior motus animalis in fine sit solum per accidens, id est ex defectione spirituum & virium quæ casu contingit. Quod addas non esse violentum motum, concedo nisi externi alicuius mouentis impetus fiat, visque impressa in re mota vrgeat.*

Motus animati dupliciter considerandus.

Hic duplex motus tripliciter differt.

Motus prædominantis elementi.

Motus animalis est naturalis, etiamsi in fine velocior non sit.

Opp.

Hominis motus progressiuus est voluntarius & dependet solum ab anima rationis participe, seu intellectu, cũ quo natura nihil commercii habet: nõ est ergo omnis motus animalis naturalis. Quod natura nihil commercii cum intellectu & voluntate habeat libertas motionis & actionis arguit, quæ in re naturali non est: necessitas enim naturam, libertas intellectum sequitur. Præterea, diuinum quiddam & immortale est intellectus, qui est principium huius motionis.

Resp.

Naturale dicitur bifariam, absolute, quod naturam simpliciter caussam sui motus habet, & sic motus hominis qui intellectum, rationem, appetitum & libertatem sequitur nõ est simpliciter naturalis: vel ex parte seu respectiue, quatenus non est contra naturam & inclinationem animantis, & sic dici potest naturalis. Insuper, quoniã intellectus vt est actus

Naturale dupliciter dictũ.

corporis nihil sine corporis obsequio & subsidio externorum sensuum percipiat, nihil moueat, sequitur esse naturalem illum motum quem ipse efficit, non violentum, non praeternaturalem. Hoc quidem confirmari potest, quia hic motus naturam ipsam conseruat non destruit, quod certe faceret si violentus & non naturalis esset.

Argumenta in quæstionem, An grauia & leuia à seipsis moueantur?

Quomodo retorqueri possũt Aristotelis argumenta.

Opp. *Negat Philosophus grauia & leuia moueri à seipsis, sed rationes quas reddit retorqueri possunt: vna est quod contrariis motibus cieri non possint, altera quia non viuant, tertia quia sistere & retardare non possint suum ipsorum motum, quarta quia sint continua, quæ seipsa mouere non possunt. Sed festino. Quoad rationem nominis imprimis quæro, quid impedit quo minus dicam animalia esse grauia aut leuia: sed Arist. vrget in textu animalia seipsa posse mouere: ergo grauia & leuia seipsa possunt mouere. Primam rationem redditam de contrariis motibus sic retorqueo, quod ipsa animalia grauia leuiaque nunc recto, nunc circulari motu agitentur. Secũdam sic refello. Cœlestia corpora non viuunt, & tamen per formam, potentiam & figuram seipsa mouent. Vrtica marina & mandragora instantia sunt & exempla cõtra tertiam rationem, quarum illa declinat ictum securis, hæc manũ conantis eam euellere manifeste fugit. Imo (vt Plinius & alii optimi nominis in philosophia scribũt) multi sunt pretiosi lapides qui suos motus & virtutes quasi sponte aliquando sistant. Postremo, de continuitate rerum inanimatarum ratio nulla est, quia ipsa animata quoque sunt continua. Si ergo continuitas sit impedimentum quo minus grauia leuiaque inanimata seipsa moueant, cur non est causa in animatis quæ ipsa etiam sunt continua?*

Vrtica marina & mandragora virtutes occulta.

Resp. *Conglobata ista argumenta parum vrgent: retorques quidem, sed iugulum causæ non petis. Respondeo igitur primum ad argumentum quod sumis à ratione nominis, cõcedendo animalia esse grauia & leuia quæ seipsa mouere possunt. Cæterum attende, non dicuntur animalia seipsa vt grauia & leuia mouere, sed vt sunt animata, id est tale principiũ mouendi internum habent quod ad mouendũ viuacissimos*

quasi

quasi spiritus viresq; assumit. In 2. loco exempla tua cælestiũ corporum non quicquam concludunt, quia negamus illa seipsa mouere, mouentur enim à motoribus suis: at si replicando dicas ex Aristotele, esse illa quidem animata, & proinde viuere: Respondeo, dici quidem animata, sed per animam assistentem non per inhærentem, & proinde non viuere. At instas in tertio argumento de vrtica pontica & Mandragora, quæ videntur motum suum retardare & sistere, licet nõ sint animalia: agnosco esse secretũ opus naturæ in illis, & in quibusdam lapidibus pretiosis: hoc tamẽ si fiat, instinctu vniuersalis naturæ fit, non electione & appetitu, vt in illis animalib. constat quæ vi animæ & imperio quasi voluntatis hoc ipsum agunt. Postremo, vbi affirmas animalia esse quoq; continua, vt grauia & leuia: agnosco id verum esse si quantitatem spectes: nam hoc modo non aliter animalia quam inanimata corpora feruntur ad loca naturalia. Verum si consideres illa continua esse in motu animæ, qui etiam est continuus, tum quidem res aliter se habet: siquidem ex continuatione talis motus animalia apta sunt ad seipsa mouenda: at inanimata sic affici non possunt, quia vnam solam continuitatem quantitatis non animæ vigentis habent. Quid superest? nisi vt homo (qui diuino spiritu præditus seipsum mouet) sic gradus & vestigia sua dirigat, vt quoniam videat in se ipso motorem vnum, agnoscat & colat etiam in cælo vnum, ad quem probandum per hos gradus præclare & sapienter procedit Arist. Aristoteles (inquam) ethnicus & infidelis, vt erubescat Christianus, si fide præditus, ratione persuasus non credat.

Cælestia corpora quomodo animata.

Animalia cõtinua dupliciter.

Quæ continuitas in ipsis sit caussa motus.

Opp. *Grauia & leuia à seipsis mouentur, vt constat in elementis quæ propria vi & forma non ab agẽte aliquo externo ad loca naturalia feruntur. Quod vi interna sola ferãtur, hinc liquet: quia nec à loco, idest ab adamante trahantur, vt nonnulli somniarunt, nec à medio vt ab instrumento (siquidẽ medium se æque habet ad omnẽ motum) neq; à generante mouentur, quia generante sæpe sublato & extincto moueri possunt: sequitur ergo moueri à seipsis, quod est contra assertionẽ Aristotelis. Præterea, cum perspicuum sit esse multa grauia quæ in loco suo non quiescunt, vt argentum viuum, quæ quiescerent si illorum motus à generante fieret (quippe à generante res constituta est vt in loco naturali conquiescat) quid-*

Argentum viuum.

nā (quaso) hac mouet nisi interna forma, cuius vi res seipsam hoc loco mouere dicitur? Deinceps, non minus naturalis corpori graui aut leui sua motio est, quam igni calefactio, quam corpori animato actio vita, quam animali cordis respiratio, quam voluntati naturali appetitio finis: hac vero omnia non sunt à generante: ergo nec illa grauium leuiumq́ motio. Postremo, cum grauia & leuia nec pellantur, nec trahantur, nec voluantur in orbem, nec vehantur: non video quomodo à generantibus & externis moueantur: quicquid enim mouetur extrinsecus (vt docet Philosophus 2. ca. li. 7. Physic.) vno istorum modorum agitatur.

Resp.

Vulgare signum & veluti character est, quo res vita participes dignoscantur ab inanimatis & non viuentibus, quod illa ab intrinseco, hac ab extrinseco, moueantur. Hinc res inanimas, qua celeri & perenni motu agitantur, analogice viuas appellamus, vt argentum viuum & aquam vitæ: *res vero animatas simpliciter à seipsis moueri, aut seipsas mouere dicimus. Caterum vtcunq́ hac accipiantur, grauis est de motu grauium leuiumq́ disputatio, magnaq́ contentio. Nam alij volunt grauia & leuia à seipsis moueri, vt priora argumenta probant, alij hoc ipsum negant vt rationes Aristotelis in textu confirmant. Hi etiam in diuersas & varias distrahuntur sententias: siquidem eorum aliqui generantib. hunc motum ascribunt, nonnulli grauitati & leuitati vt instrumentis attribuunt, multi à medio & fine moueri dicunt, non pauci ab externa attractoria facultate in loco cieri opinantur. Sed omissis istis controuersijs, hoc vnum inprimis intelligas oportet, nimirum in omni corpore seipsum mouente, dari vnam partem mouentem, vt cor in homine, alteram motam vt manum aut pedem, quod elementis (qua sunt corporis homogenea) non contingit: elementa ergo non mouentur à seipsis. Sed pra cateris argumentis, quibus probatur grauia leuiaque non moueri à seipsis sed à generantibus, hoc est maxime germanum: quia generans aliquod corpus graue vel leue, in instanti generationis perfectum esse eidem tribuit: sed ad esse perfectum grauis & leuis pertinet esse in loco naturali: ergo vt à generante, leui & graui tri-*

Argentum viuum aqua vitæ, quare ita dicta.

Inanimata mouentur à generante.

ni tribuitur esse. Ita (ne deficere in necessariis videatur) esse in loco etiam ab eodem confertur: à generantibus ergo & non à seipsis mouentur grauia leuiaq; à generantibus (inquam) quæ esse, esseq; in loco, mediaq; (vt esse possint in loco) tribuunt. Locuples & apertum est Aristotelis testimonium in hac re, qui vbicunq; de motu grauium leuiumq; differit ea non à se, sed à generantibus moueri disertis verbis edocet. Hæc vberius & copiosius disserui, quia Scotus, Niphus, & alii cõtrarium sentiant: nunc quamuis in his pateat obiectionum præmissarum resolutio, verbo tamen respondebo singulis, & in primis dico, elementa a generantibus moueri, & licet fortasse generantia sint extincta, eorum tamen vires impressæ manent, quod est satis. De argento viuo nihil est quod vrges: nam ea vis motus ab externo agente impressa est, formamq; rei non sequitur vt cõstat: quia materia sociabilis vt auro aut argento applicatum fixum & immotũ manet: non ergo quiescit, quia loco naturali caret. Cumulus exemplorum quem protrudis in tertio loco, re nihil probat, quia non negamus motum grauium & leuium esse naturalem. Deinceps illa diuisio motus quam adfers in postremo argumento, de motu violento est non naturali, at hic solum de naturali agitur. Paucissimis concludam grauia & leuia non moueri à seipsis, quod sic breuissime probo. Nihil mouetur à se ipso (vt docet Philosophus) ne idem sit actu & potentia simul: ergo grauia & leuia non mouentur à seipsis. Præterea, corpus graue & leue à grauitate & leuitate mouentur, quæ sunt qualitates corporum. Insuper, passiua potentia (vt docet Philosophus 5. Metaphysicorum) est sola causa transmutationis ab vno in aliud: non ergo grauia & leuia mouent seipsa. Postremo, si graue & leue seipsa mouerent, nullius momenti esset ratio philosophi, quæ probat primum motorem esse immobilẽ, quia totum illius fundamẽtum est in ea ratione quod omne aliud mouens & mobile præter primum motorem ab alio moueatur. analogice vero animal seipsum mouere dicitur, quia animam habet quæ proxime præ cæteris effectis naturæ ad Deum accedit.

Aristoteles de Cælo l.4.t.45.

Argentum viuum quomodo semper moueat.

Grauia & leuia non à seipsis moueri probatur.

Opp.

Supersunt adhuc duo argumenta resoluenda, vnum est quod grauia & leuia, corrupto generante, moueri possint;

ergo à suo generante non mouentur, sed aliquando à seipsis: altera est quod naturalis motus sit semper a principio intrinseco: sed grauiũ leuiumq; motus est naturalis: ergo grauium leuiumq; motus est à principio intrinseco, & proinde grauia leuiaq; a seipsis mouentur. Nam quicquid principium internum sui motus in se continet, idipsum à seipso secundum Arist. mouetur.

Tam generans vniuersale quã particulare cõcurrit ad motũ inanimatarũ.

Resp. *Respondeo ad primum, quod generante particulari corrupto, adhuc remaneat eiusdem virtus in generante vniuersali, a quo grauia & leuia suum motum habent: sed perempto generante vniuersali, amplius virtute generantis particularis non mouentur. Ad secundum dico, motum grauium & leuium non esse simpliciter naturalem in genere causa efficientis, sed in genere causa materialis & formalis, qua ipsa natura (principium motus & quietis in re omni naturali) dicitur. Vide hic (studiose lector) quomodo Aristoteles gradatim omnia mobilia & mouentia ad primum motorem referat. Nam si omnia qua natura veluti dextra fabrefacta sint moueantur ab alio: necesse est vt sit vnum mouens omnium, ab omni externo motu liberum, quod nũc accuratius clariusq; patebit, quia in proximo capite hanc causam discutit.*

CAPVT V.

Vtrum in mouentibus, necessario deueniendum sit ad aliquod primum quod iam vlterius ab alio moueri nequeat?

Aristoteles diuinus.

EXtra se quasi raptus Aristoteles & in supremis gradibus scalæ naturalis positus, diuinius nunc quam olim philosophatur, sententiasque dignas æterna memoria ex thesauro animi sapientis profert. Præcepta enim dignissima nectit præceptis, vincula firma vinculis, vnde aurea iam catena cuius apparet, quam primus motor benigna veluti manu ad conseruationem rerum omnium tenet. Audi aliquot sententiosas demonstrationes capitis. *Quicquid mouetur ab alio mouetur: est ergo aliquod primum mouẽs quod non mouetur.* Deinceps, *Natura est studiosa ordinis: est ergo aliqua prima causa qua mouet omnia, ipsaque moueri non potest.*

Huius capitis & summa & sententia.

potest. Porro, etsi rarum sit apud philosophum aliorum sententiis subscribere, Anaxagoræ tamen testimonium hic adfert. *Anaxagoras* (inquit) *recte dixit æternam mentem motricem mundi impatibilem esse & non mistam: hæc enim solummodo immobilis manens* mouebit omnia, & omnis mistionis expers vincet. Hinc concludit *nullum accidens huic inesse motori, nec eundem per accidens vnquam moueri posse*. Audi plura: *Primum mouens* (inquit) *magis mouet quam secundum: primum ergo mouens seipsum sine alio mouere potest*. Adde rationem tabulis tuis non indignam, quoniam quicquid potest agere prima causa cum secunda, idipsum potest agere sine illa: quippe non est consentaneum rationi, vt id quod primum est infinitum & liberum, ab alio aut interno aut externo pendeat. *Aristoteles Phys. 8. t. 24. & t. 15. eiusdem l.* *Phys. 8. l. te. 33.*

Hæc summa est eorum quæ in hoc capite continentur. Sed, vt distinctius intelligantur omnia, ordine quo vtitur Arist. procedam. Scopus disputatiōis in hoc capite est, vt probetur necessario deueniendum esse ad vnum primum mouens, idemque immobile, simplex & indiuisibile in essentia sua. Vt vero hoc ipsum firmius concludat Philosophus, aliquas diuisiones præmittit, quarum prima est, quod mouentium aliqua moueāt per seipsa, aliqua vero per aliud vt *funda* mouet lapidem eo quod moueatur manu. Secunda est, quod mouentium per se quædam moueāt per vnum instrumentum, alia per plura, vt homo mouens lapidem funda & manu. Tertia est, quod mouentium aliud sit primum, aliud secūdum: illud hoc (inquit) mouere potest: sed hoc non potest mouere illud: primum ergo mouēs magis mouet quam secundum, quia & seipsum & secundū mouet. Imo primum mouens absque secundo mouere potest, sed secundum non potest mouere absque primo. *Scopus huius capitis.* *Mouentium distinctiones. Phys. 8. l. te. 33.*

Obserua diligenter (studiose lector) quo hic tendat Phūs? eo scilicet, vt intelligas primū motorem, vnum, simplicem, infinitum à secundis causis non dependere. Primum (inquit) mouens potest mouere sine secundo: at secundum non pōt sine primo. At dices illius exēplum in textu non esse de Deo. Quid tum? Perspicuum tamen est illum Deum intelligere, cum postea primum mouens immobile simplicem æternam, & immutabilem mentem ex Anaxagora definiat esse, *Vsus priorum distinctionum.* *Per primum motorem Aristoteles Deum intelligit. Phy. 8. tt. t. 48.*

neque est aliquid crassi aut obscuri in exemplo quo vtitur in textu, si impense attendas. Nam vt (inquit) baculus seu funda (secundum mouens) non potest mouere lapidem sine manu, quæ locum primi mouentis tenet: ita tacite insinuat Aristot. naturam (quæ est secunda causa) nihil posse mouere sine Deo, qui prima causa primumq; mouens dicitur. Hinc rata est illa sententia, *Quicquid potest prima causa agere cũ secũda, illud potest agere sine illa:* Ratio est, quoniam prima causa est ens totum in seipso, eique nihil deficit ad beatitudinem summamque perfectionem.

Prima causa nihil potest sine secunda & Natura sine Deo.

His explicatius dictis & demonstratis, intentam conclusionem infert, nimirum in mouentibus essentialiter (vt ita loquar) subordinatis, deueniendum esse ad aliquod primum mouens diuinum, idque immobile, simplex & incommutabile in essentia sua, quod est Deus. Ratio redditur in textu (quæ est notanda) quoniam aliter esset processus in infinitum, neque daretur primum & secundum mouens. Imo (inquit) in omni motu est *dare primum*: in omni ergo mouente est quoque *dare primum*, quod ab alio non mouetur.

Loci Arist. pugnantes reconciliati Phy 6. li te. 46. phy 8. li t. 34.

Audio hic inculcatam contra Arist. cõtradictionem, propterea quòd in 7. Physicorum defendat in motu nullũ posse inueniri *primum*: hic vero disertis verbis contrarium dicit. Non est difficilis istorum locorum reconciliatio, si attentius in vtroq; loco Aristotelem seipsum interpretantem audias. In motu (inquit) non est *inuenire primum* quoad continuũ, in quo partes proportionis sunt infinitæ: est vero *primum* in motu & mouente quoad ordinem naturæ, quæ progressum in infinitum penitus abhorret. Hic enim non potentiam sed essentiam motus, non rationem temporis sed ordinis, non modum proportionis sed perfectionis quærimus: cum ergo omnis essentia & ordo rerum ad finem in quo conseruantur tendat: necesse est vt sit vnus finis perfectissimus, vnaque diuinissima causa, in qua omnis motus mouensque omne & mobile terminentur: est ergo *dare primum & vltimum* in motu, mobili, & mouente naturali, si essentiam, ordinem, finem, & conseruationem spectes. Hic enim motum, mouens, & mobile non in termino *à quo* sed in termino *ad quẽ*, non in via sed in metaphysico suo fine consideramus, in quo omnes omnium rerum essentiæ veluti aurea catena

Est dare primum in mouentibus.

(de qua

(de qua antea locuti sumus) vniuntur. Hoc primum & vltimum prima causa dicitur rerum: quæ si catenam hanc auream dissoluat, omnia statim vt ruinosa ædificia ruent. Sapienter quidem hanc conclusionem probat, nempe non esse necesse vt omnes mouens moueatur, sed potius necessario requiri, idque ordine naturæ, vt tandem ad vnum æternum mouens, quod omnia mouere potest, ipsum autem moueri non potest, veniamus. Sic se dilemma habet, *si nullum mouens possit mouere nisi ipsum moueatur, primum mouens aut mouebitur per se aut per accidens. si dicas moueri per accidens, eadem opera concludes Deum aliquando posse mouere aliquando non posse, imo cõcludes mutationem & imperfectionem esse in Deo, quoniam accidens ens mutabile est imperfectum, quod in primum mouens (ens entium perfectissimum) cadere non potest.* Præterea, hoc dignissimum est obseruatione quod addit Philosophus, nimirum nihil omnino posse moueri si detur primus motor moueri per accidẽs: Ratio est, quoniam (vt ait) primo motore non mouente vel cessante à motu, nullum ens aliud mouet, & sic omnia quiescerent quod est superius refutatum.

Dilemma quo probat Philosophus Deum esse immobilem.

Nihil moueri potest si primus motor per accidens moueat.

Quid superest? si dicas moueri vllo alio modo, arguis primam causam pati posse: (nam moueri quidem pati est) sed probat Philosophus non omnino moueri, mouere autem docet libere & ad placitum. Ratiocinatio hæc est, si moueatur omnino primum mouens, aut mouebitur secundum eandem speciem qua illud mouetur quod mouet, aut secundum aliam: non secundum eandem, quia tum sequetur idẽ esse actu simul & potestate: actu vt mouẽs, potestate, vt mobile existit. Hoc etiam addit, non posse moueri eodem motu quo aliud mouet, quia nihil potest simul alterari & alterare: exempli causa, vt nihil potest albefacere & eodem candore albescere: & vt nemo simul potest eandem rem docere & discere, aut eadem sanitate ipse curari qua alium curat: ita Primum mouens eadem specie motus non potest moueri, qua cœlum aut mundum libere & ad imperium voluntatis mouet. Si vero dicas secundũ aliam speciem motus moueri: vide (inquit Philosophus) quid dixeris, cũ omnes species motus sint finitæ, ipsiq; motus finiti: at Deus seu primus motor actu semperque infinitus subsistit. Quid hinc concluditur?

Mouens primũ ideo nõ mouet, quia nihil esse põt actu simul & potentia.

Motus omnes finiti, Deus infinitus: ergo non mouetur.

Quid infertur? hoc scilicet, necessario deueniendum esse ad vnum primum mouens, quod prorsus non mouetur.

O præclaram conclusionem veri & sapientis philosophi, ingenio & arte dignam! Recole hoc argumentum sępe Diagora, repete conclusionem altius, pręmissas negare non potes, euincit ratio: conclusionem non debes, triumphet ergo Philosophia: & obsecro diutius ne impia quærat conscientia tua An sit Deus. Vis vt aliam vnicam rationem ex Aristotele attexam? hanc scilicet. *Dari (inquit) potest aliquod mobile primum quod omnino non mouet (puta materiam primam:) est ergo dandum aliquod mouens primum, quod penitus non mouetur, hoc est sempiternus Deus, quem semper colere & admirari oportet.* Da veniā si adhuc aliam rationem concisam viribusq; plenam attexam: est vnum primum mouens immobile in minore mūdo, id est homine, & hoc mouens animus est, qui secundum essentiam suam est liber, & immunis ab omni motu omnique affectu: nemo ergo sapiens negabit esse primum mouens immobile & æternum in maiore mundo quod est Deus: quod est (inquam) Deus, á quo illud primum mouens in homine fluit, & ad quem (si malis non sordescat) redire debet. Sed nunc concludam.

Cor in minori Deus in maiori mūdo sunt mouentia immobilia.

Remotis velis ipsius textus, pro viribus (docte & studiose lector) arcanum sensum mentemq; diuinam philosophi in hoc textu oculis subieci tuis: obiectiones insertas cōtra hāc liberrimam motionem expunxi, & ad suum locum opportunum discutiendas & refellendas detuli. Quid moror? idcirco limatius & articulatius hunc librum physicorum tracto, vt quantum in me sit, nebulas ignorantiæ, quæ radios solis impediant, luce philosophiæ dissipem & dispellam. Nebulas dixi? imo densas tenebras propemodū dixissem, quib. multi hodie, heu nimis multi obcæcati, solē in cœlo, Deū in mūdo videre nolūt, videre (inq̄) nolūt. Nā si videre vellēt, natura, ratio, philosophia, causis, argumētis, exēplis apertissime eos ad vidēdū traherēt. At trahi nolunt, O vtinā trahi velint, & certe si velint possint: nā ista cœcitas (vti spero) nō est priuatio potentiæ, & tum (quod opto) ad habitum fieri potest regressio, vt á somno ad vigiliam, ab ignorantia Dei, ad Dei cognitionem: quam hoc loco Philosophus & philosophia inuictis argumentis optime demonstrant.

Perspicua breuisq; præcedentium rerum ἀνακεφαλαίωσις.

Tempestiua ignauorum hominum redargutio.

Distinct.

Distinctio quæstionis, Vtrum in ordine mouentium sit absoluta necessitas deueniendi ad primum mouens immobile?

Necessitas secundum philosophos duplex est

- Respectiua, quã conditionatam seu hypotheticã appellant, quę in ordine mouentium arguit primum aliquod moués esse idéq; immobile, vt probatur, vel
  1. A suppositione, quia sunt mouentia secundi ordinis vt formæ, potentiæ, & qualitates rerum singularũ: & proinde necessario deueniẽdum est ad aliquod primum mouens idemque immobile, in quo illa mouentia quiescant & terminentur.
  2. A consecutione absurdi, quia nullo primo motore posito erit progressus mouentium in infinitum, i. infinitus esset mouentium mobiliumq; numerus, quoniam omne mouens moueretur ab alio sine fine & termino motionis.
- Absoluta, quã simplicem & fatalem nominant, & secundum hãc necessitatẽ cõfirmat Philosophus simpliciter deueniẽdum esse ad primũ mouens immobile. Hoc inquã confirmat
  1. A subordinatione mouentium causarum, quarum aliæ sunt particulares, aliæ vniuersales: harum vero aliæ physicæ vt potentię, formę: aliæ metaphysicæ, eædemq; finitæ, vt spiritus multiplicis ordinis: infinitæ, vt Deus primusque motor omnium.
  2. A subalternatione mobilium, quę in scala naturæ suos gradus dignitatis habens. Sic ergo arguit Philosophus: est primum aliquod corp⁹, centrum omnium immobile: est ergo primum aliquod mouens immobile, causa & principium omnium. Vel hoc modo (si placet) est primum immobile centrum, est ergo prima aliqua immobilis circumferentia, vltra quã nõ est corpus aliquod vel locans, vel moués: est ergo infinitus aliquis motor omnium qui est Deus.
  3. A cõparatione
     1. Materiæ primæ hoc modo: dari (inquit) potest aliquod principium omnium mobile quod non mouetur: dari ergo oportet aliud principiũ immobile quod omnia mouet, & hoc est De⁹.

2 Animæ rationis participis, quæ secundum propriam, simplicem, & absolutam essentiam in homine est causa mouens, immobilis nec non immortalis: est ergo in maiore mundo infinitum mouens, immobile, immensum, sempiternum & incommutabile.

3 A conseruatione, pulchritudine, & concinnitate rerum, quæ arguunt, necessario deueniendum esse ad aliquod summum primumque mouens, cuius prouidentia conseruantur & disponũtur omnia. Non enim potest esse perfectum in effectis, nisi sit aliquod perfectissimum in principiis.

4 A relatione & potentia causæ secundæ, quæ (vt ait Philosophus) nihil potest agere sine prima: ergo est prima aliqua causa quæ potest agere per se quicquid voluerit, idq; sine vlla secũda causa: & hæc (inquit) causa non agit aliquid temere & fortuito, nihil enim fortuitũ in Deũ cadit. Quippe si accidẽs caderet (vt ait) nunc moueret, nũc non moueret, essetque principium compositum per accidens, non simplex, non immobile, non æternum & incommutabile. Sed hic sisto pedem & reliquis supersedeo, quoniam vberius de hac causa supra & sæpe dixerim, at nunquam satis, quia res infinita est de qua loquor, & tempora sunt infinite mala in quibus vbique probare cogimur hoc infinitum esse: libenter ergo in hoc opere arripio occasionem, omnesque vires & neruos contendo, vt ratione & oraculis philosophiæ id esse probem, quod esse fides & salus (si boni) conscientiæ horror & metus (si mali simus) persuaderent. Viuens philosophe quid dixisti? Deus est, quid vltra? Deus vnus est An quicquam aliud? Deus simplex, infinitus, immobilis, æternus, incommutabilis & incommutabiliter bonus est. Recte, Quid ergo sapiens philosophe moriẽs dixisti? Ens entium miserere mei. O vtinam athei nostrorũ tẽporum hoc solũ cũ philosopho viuentes & morientes dicerent.

Argu-

Argumenta contra quæstionem, Vtrum in mouentibus necessario deueniendum sit ad aliquod primum quod iam vlterius moueri nequeat?

Opp.

Primum principium philosophorum natura est, sed natura est mobilis: ergo primum principium Philosophorum est mobile, ex quo sequitur non esse primum aliquod immobile vt hic defendis. Quod natura sit primum principium, constat ex Aristotele primo & secundo physicorum, vbi docet naturam esse primum principium rerum quo non est prius.

Resp. *Animaduerti & obseruari hic velim, eos interpretes turpiter errare, qui asseuerent Aristotelem vltra naturam nullam priorem causam posuisse: nam hic & in sexcentis aliis locis palam affirmat esse causam primam, immobilem actuq; infinitam. Age ergo, est causa prima secundum Aristotelem immobilis: est ergo causa aliqua secunda mobilis, & hæc est natura. At (fortasse dices) cur hæc prima à philosopho dicitur, qua non est prior? Respondeo dici primam internam physicam, non esse primam externam metaphysicam de qua hoc loco agit. Nam huius causæ respectu plane iuxta philosophi sententiam secunda habetur esse. Cæterum hic de natura causisq; rerum physice agit. Verum hoc est quod dicis; sed attende, sic agit vt ex physicis & secundis causis eliciat primam: quare in catastrophe naturalis huius auscultationis, & vltimo hoc libro physicorum necessario deueniendum esse ad primã metaphysicam causam motricẽ omnium, & tamen in se immobilẽ luculenter demonstrat. Hinc videas quomodo natura sit prima causa in ordine ad effecta, & quomodo Deus sit prima causa in ordine ad ipsam naturam, quæ illius respectu secunda dici potest, vt recte ex Aristotele ipso concluditur.*

Defenditur Aristoteles.

Natura prima causa physica; Deus prima causa Metaphysice.

Opp. *Natura docet non esse infinitum: sed Deus est infinitus: ergo natura Deum esse non docet.*

Resp. *Natura in inferioribus rebus mundi docet infinitum non esse actu, at infinitum in illis potẽtia esse non negat, vt patet de motu, tempore & continuo, quæ ab illo infinita successione, duratione partiumq; diuisione definiuntur esse. Sed hic alia res agitur: nam altius volat Philosophus & cum*

Deum esse infinitum docet Natura.

aquila solem intuetur, arguitq; hoc modo: Natura est mutabilis: ergo est aliquod principium immutabile quod eam conseruat. Iterum natura est mobilis: ergo est aliqua causa immobilis, & hac est Deus. Deinceps sunt omnia actu in rerum natura finita: ergo est aliqua causa actu infinita. Porro ordo, dispositio, pulchritudo & admirabilis cōstitutio rerum naturalium arguunt aternam prouidentiam, & hac est Deus. Insuper, circumspice vniuersa, introspice singula: centrum est immobile, aque libratum: ergo est aliquod immobile principium quod veluti trutina natura ponderauit, & hoc est Deus. Postremo est cælum primum mobile: est ergo aliquod primum mouens immobile potentius cælo, & hoc est Deus: necesse est ergo vt ab intuitu natura rerumq; naturalium in omnibus contempleris Deum. Omnia enim & singula sunt plena Deo, & ea qua Deum non sapiunt nihil sunt: mali ergo & scelerati nihil sunt, quia à primo bono, essēq; primo flagitiosa vita longissime discedunt. At si nihil sint nihil sentient: fortasse dicis: male sapis: nam etsi nihil sint quia bene suum esse relinquerunt, malum tamen pæna, sensus & damni (quod est priuatio sempiterni boni, si ante obitum non resipiscant) miseri in sempiternum sentient.

Impii nihil sunt, at aliquid sentient.

Opp. *Quicquid potest secunda causa aut virtus, idipsum potest prima causa & Deus: sed secunda causa sic mouent vt moueantur: ergo prima causa sic mouet vt moueatur, & per consequens ad primum mouens immobile peruenire non licet. Praterea, vt apertius probem Deum esse, seu primum motorem non esse immobilem, hoc argumentum addo, quod sit Deus (teste Philosopho) primus intellectus, animusq; mundi: sed intellectus seu animus ab intelligibili mouetur: ergo primus motor qui intellectus animusq; subsistit ab intelligibili mouetur, & proinde non esse mouens immobile probatur.*

Resp. *Quicquid potest secunda causa, potest prima causa agere, & vltra: agere dico non pati: nam moueri pati est non agere: imo moueri etiam non perfici & compleri, rem arguit qua mouetur. At Deus negaret seipsum si moueatur: est enim entium perfectissimum in quod nulla mutatio, nulla affectio cadit. Sophisticum argumentum est & fraudulentum quod in 2. loco adfers: nam cum Aristot. doceat intellectum moueri ab intelligibili, intelligit mentem humanam & finitam,*

Deus seipsum negaret, si moueatur.

finitam, non infinitum Deum, qui intellectus primus totius mundi dicitur.

Opp. *Aristotelis ratio videtur esse infirma, qua probat in textu esse necessitatem absolutam deueniendi ad vnum primum mouens immobile: nam (illo ipso teste) vt in numeris se res habet, ita in causis sibi inuicem subordinatis: sed in numeris non est terminus: ergo in causis nō est aliquod primum immobile mouens. Praeterea, si quilibet numerus ab alio superetur, nō idcirco oportet dari vnum à quo tota numerorum multitudo vincatur & pendeat, non est ergo necesse dari aliquem primum motorem immobilem, tametsi vna causa ab alia in subordinatione causarum superetur.*

Resp. *Non est par ratio numerorum & causarum quae sibi inuicem subordinantur, nisi multitudinem cum rebus numeratis compares; sic vero si cōpares est aliqua proportio & similitudo nempe vt detur in causis prima, & in numeris vltima multitudo rerū. Ratio est, quia res sunt nō infinita quae infinita multitudine contineantur. Praeterea, cū multae causae moueant simulq; moueantur, non solum qualibet earum, sed etiam tota collectio est in potestate ad motionem subeundam: necesse ergo est vt sit tum respectu singularum, tum etiam respectu totius multitudinis seu collectionis vnum mouens, idemque immobile. à quo reliqua ad motum suo ordine excitentur, & hoc est Deus. Vide D. Thomam contra gentes ca. 13. qui rationes has Arist. inuictas assumit, assumptasque laudat. Pulchrae rationes Philosophi sunt & repetitione digna, quarum vna sic se habet. In omnibus causis mouentibus essentialiter subordinatis ita prima causa est causa media, & ita media (siue sit vna siue sit numerosa) est causa vltima, vt priore ordine causa remota id quoque quod ab ea pendet remoueatur: ergo si non detur prima causa mouens nec erit media, nec erit vltima, nec erit vllum opus aut effectus natura. Erubesce impie qui negas Deum esse si intelligas, & si non intelligas disce quod debes. Si non sit prima causa mouens (inquit Phūs) non erit vltima, non erit vllus effectus. Audi (studiose lector) Aristotelem confitentem omnia in rerum natura a prima causa (id est, à Deo) dependere: quod athei perniciose negant.*

Causarū & numerorum inter se comparatio.

Causa semper habet causam eamq; mouentē vsq; dum veniatur ad causam immobilem Deum.

A prima causa i. Deo depēdent omnia iudice Aristotele.

Ambitiosius sum in hac causa probanda, da veniam si alteram concinnem ex Aristotele rationem. Sumatur (inquit) tota multitudo causarum mouentium præter eam quæ immediate attingit effectum: quæritur nūc an in tota illa multitudine sit aliqua causa mouens immobilis, an quælibet ita moueat vt ab alia moueatur? Si detur primum, habetur propositum, nempe esse primum aliquod mouens immobile, quod omnibus motum tribuit: si detur secundum, tota causarum mouentium & motarum collectio erit mouens & mota, vnde necessario sequitur, subsistere debere aliquam aliam causam omnis motus expertem, à qua cæteræ omnes moueantur. Quare siue hoc siue illud dicas, non poterit non dari prima causa mouens & non mota, quam hic inuestigamus. Ruminentur hæc duo argumenta (docte & studiose lector) quæ ex Philosopho in hoc capite & ca. 2. lib. 2. Metaphysicorum diligenter tua causa collegi. Huc addo, quod omnes inferiores causæ subalternatim mouentes & mota secundum Aristotelem sint instrumentales: at instrumentales causæ esse non possunt nisi ab alia causa principe moueantur: deueniēdum ergo est necessario ad primam aliquam causam, ne inanis processus in infinitum fiat.

Dilemma δίτομον.

Omnes causæ mediæ sunt instrumenta totidem, at instrumenta mouentur ab alio.

Dubia obuia in hoc capite: quorum primum est, Vtrum in omni mouente subordinato sit vna pars mouens, altera mota?

Opp. *Anima humana separata, & spiritus finiti sunt causæ mouentes subordinatæ, quæ solum partes mouentes habent: ergo vniuersaliter vera non est ea expositio.*

Resp. *Iohannes Scotus recte intelligit hanc propositionem de mouente anima per cognitionem obiecti, in quo est semper vnum mouēs, & alterum motum. Ratio est, quoniam potentia motiua eiusdem mouentis est organica, quæ requirit partem corporis mouentem distingui à corpore moto: vt in homine pars mouens cor est, pars mota arteria, neruus, aut musculus, in quibus vis motiua inest. Alii resoluunt hoc dubium, dicendo formam esse partem mouentem, & materiam partem agitatam in re qualibet naturali, sed magis primam solutionem laudo.*

Rectum Scoti iudicium.

In omni mouēte subordinato est alia pars mota, mouens alia vt in homine cor, arteria.

Dubium

Dubium secundum, Vtrum quicquid possit prima causa cum causa secunda, idipsum possit sine illa?

Opp. *Videtur non posse: nam Deus potest cum materia & forma hominem (vt aiunt) causare, quibus sublatis non potest: quicquid ergo potest prima cum secunda, idipsum non potest sine illa.*

Resp. *In ordine causarum mouentium subordinatarum prima semper est causa media (vt ait Philosophus) & media vltima: hoc vero solum proprium est prima causa vt sine mediis possit operari: prima enim causa secundum Aristotelem est liberum mouens, nullisque mediis alligatum. Hinc illud axioma, quod possit id omne efficere & causare per se quod cum secundis causis potest. Quod vrges contra nihil est. nam in argumento falsa est antecedens propositio, quam negamus: quippe Deus potest hominem sine secundis mediisq; causis efficere: licet enim non esset materia aut forma (nam hoc esset seipsum extenuare vel negare potius) in genere tamen causa efficientis per infinitam potentiã (quam actu habet) hoc magnum opus natura potest efficere, idq; non ex substantia sua, neq; vlla alia naturali causa subiecta, si illius potentiam actu plusquam infinitam consideres. Tarde & otiose, an hoc non credis? Credis (vt opinor) quia vides quod aranea telam, Bombyx sericum ex suis ipsorum visceribus texant & concinnent: & tamen materiam ex qua texunt & concinnant non vides. Quid? an non plus Deo quam natura, non plus prima causarum quam mediis, an non plus infinito motori quam finitis rerum principiis attribuis? Verendum est certe ne sine Deo viuas, aut mundum pro Deo colas, si vinculis natura illum obstringas: quod Arist. nunquam fecit, qui secundas & medias causas earumque effecta sic à prima dependere docuit, vt ipsa sine illis omnia possit, illa vero sine hac possint omnino nihil, Vide Arist. in libris Metaphysicorum & cum his qua hic dicuntur confer, erisque (vti spero) doctior, multoque melius de Deo (vt decet) senties.*

Prima causa potest sine mediis operari.

Tertium dubium, Vtrum immobilitas sit in primo motore essentialis?

Opp. *Immobilitas non est omnino in primo motore: ergo non est essentialis in eo. Antecedens probatur, quoniam primus motor est Deus: sed immobilitas non est in Deo: ergo non est in primo motore. Minor patet, quia immobilitas est nihil aliud quam priuatio motus: sed nulla priuatio est in Deo: ergo immobilitas non est in Deo. Praeterea cum immobile esse sit nihil aliud quam carere loco, qui fieri potest vt Deus sit immobilis, qui omnem locum occupat? Postremo, vt animus est in homine, ita Deus in mundo, sed moto homine mouetur animus: ergo moto mundo mouetur Deus: nō est ergo immobilis, vt hic docet Philosophus.*

Resp. *Somnia haec tua sunt de immobilitate in Deo. Nam certum est essentialiter Deum aeternum, infinitum immobilemq; esse. Quod vrges immobilitatē nihil aliud esse quam priuationem, nego, nisi eandem in effectis natura motu priuatis inesse intelligas. Vt ergo omnia lucida & clara sunt in sole: ita omnia diuina, interna & essentialia sunt in Deo: nulla priuatio, nulla affectio, nulla imperfectio in illo inest: immobilitas igitur in eo, ipse immutabilis Deus est. Neq; (vt ais) immobile esse est nihil aliud quam carere loco, sed etiam in loco non moueri. Cum ergo Deus sit cuius centrum est vbiq; & circumferentia nusquam, id est cum omnem locum cōpleat, intelligimus sic esse vbiq; vt nulli astringatur loco, in omni tamen loco & parte mundi totus subsistat immobilis: immobilis inquam, quia mutari non pōt, immobilis quia nullum ens actu infinitum est quod illud mouere potest. Agnosco similitudinem quam in postremo loco adfers de anima primo motore in homine: sed quid animulam cum Deo in immobilitate comparas? Forma enim hominis finita essentia est, Deus autem semper infinitus & immensus existit. In anima hominis potentia insunt, multaq; accidentia, in Deo vero potentia, actus & (vt ita loquar) accidentia substantia sunt. Dico igitur, licet animus moueatur ad motum corporis dum in eo habitet, Deum tamen ad motionem cœli aut mundi moueri non posse, quia est Deus, id est immobilis, aeterna & incommutabilis essentia.*

Immobilitas nō semper priuatio.

Omnia in Deo essentialia.

Deus est cuius centrum vbiq; circumferentia nusquam est.

Deus non est in mundo, vt anima in corpore.

CA-

CAPVT VI.

Vtrum primum mouens sit vnum, sitq; ab omni motu liberum, sitne æternum?

QVod deueniendum nobis sit in ordine circuituque rerum ad primum aliquod mouens, natura, ratio, philosophia iam satis docuerunt. Quid sequitur? hoc scilicet, vt qualis & quantus sit hic motor breuiter demonstremus. Qualis & quantus sit, inquam, non quod in illa sit qualitas aut quantitas accidentalis vt aiunt (nullum enim accidens est in Deo,) sed vt intelligamus illius substantiam tam diuinam, tam excellentem esse, vt omnem temporis mensuram, omnem qualitatis ornatum & excellentiam superet. Sol est lucidus & æternus qui nunquam potest obscurari, fons perennis qui in æternæ vitæ ciuitatem amœnis riuulis perpetuo fluit. *Connexio sequentium cum præcedentibus.*

Sed vt obseruetur methodus in discutienda hac præclara quæstione, primum de vnitate motoris, tum de libertate, postremo de æternitate agemus. Sit ergo prima pars quæstionis, *An sit vnus solum Deus secundum Aristotelem.* Cęterum quid lucernam in luce meridiana otiose accendo? Probauit Philosophus Deum esse, satis est: siquidem inde concludit vnum esse. Si enim sit Deus, simplex & vnus est, aut non est Deus: diuina enim essentia diuidi non potest: est ergo simplex, est ergo vnus. Imo est ipsa (vt ita loquar) essentialis vnitas, à qua omnes omnium rerum vnitates pendent, & in qua vnitæ optime cōseruantur. Si desit hęc vnitas principium numeri non est, non est numerus rerum, non est mundus. Omnia enim sunt vnum (vt placet Parmenidi) vnumque omnia: & tamen omnia non sunt vnitas. Distinguo ergo vnitatem in vnitatem formantem & vnitatem formatam: illa primum principium est omnium, hæc multiplex & numerosus effectus: illa est prima quia non habet principium: non habet principium, ergo vnum, non vnum numero, qa caret numero, sed vnū in se, hoc est essentiale vnū, vnū mouēs, nō mobile. Simpliciter ergo motor vn⁹ vnusq; De⁹. *Deus vnus est secundum Aristotelem.* *Deus est: ergo vnus est.* *Vnitas duplex formans, formata.*

Sed pergā: est primus motor summe perfectus summeq; bonus: est ergo solū vnus. Ratio tenet, quoniā gradus super-

ergo à suo generante non mouentur, sed aliquando à seipsis: altera est quod naturalis motus sit semper a principio intrinseco: sed grauiũ leuiumq; motus est naturalis: ergo grauium leuiumq; motus est à principio intrinseco, & proinde grauia leuiaq; a seipsis mouentur. Nam quicquid principium internum sui motus in se continet, idipsum à seipso secundum Arist. mouetur.

Tam generans vniuersale quã particulare cõcurrit ad motũ inanimatarũ.

Resp. *Respondeo ad primum, quod generante particulari corrupto, adhuc remaneat eiusdem virtus in generante vniuersali, a quo grauia & leuia suum motum habent: sed perempto generante vniuersali, amplius virtute generantis particularis non mouentur. Ad secundum dico, motum grauium & leuium non esse simpliciter naturalem in genere causa efficientis, sed in genere causa materialis & formalis, qua ipsa natura (principium motus & quietis in re omni naturali) dicitur. Vide hic (studiose lector) quomodo Aristoteles gradatim omnia mobilia & mouentia ad primum motorem referat. Nam si omnia qua natura veluti dextra fabrefacta sint moueantur ab alio: necesse est vt sit vnum mouens omnium, ab omni externo motu liberum, quod nũc accuratius clariusq; patebit, quia in proximo capite hanc causam discutit.*

CAPVT V.

Vtrum in mouentibus, necessario deueniendum sit ad aliquod primum quod iam vlterius ab alio moueri nequeat?

Aristoteles diuinus.

EXtra se quasi raptus Aristoteles & in supremis gradibus scalæ naturalis positus, diuinius nunc quam olim philosophatur, sententiasque dignas æterna memoria ex thesauro animi sapientis profert. Præcepta enim dignissima nectit præceptis, vincula firma vinculis, vnde aurea iam catena cuius apparet, quam primus motor benigna veluti manu ad conseruationem rerum omnium tenet. Audi aliquot sententiosas demonstrationes capitis. *Quicquid mouetur ab alio mouetur: est ergo aliquod primum mouẽs quod non mouetur.* Deinceps, *Natura est studiosa ordinis: est ergo aliqua prima causa qua mouet omnia, ipsaque moueri non potest.*

Huius capitis & summa & sententia.

potest. Porro, etsi rarum sit apud philosophum aliorum sententiis subscribere, Anaxagoræ tamen testimonium hic adfert. *Anaxagoras* (inquit) *recte dixit æternam mentem motricem mundi impatibilem esse & non mistam: hac enim solummodo immobilis manens* mouebit omnia, & omnis mistionis expers vincet. Hinc concludit *nullum accidens huic inesse motori, nec eundem per accidens vnquam moueri posse*. Audi plura: *Primum mouens* (inquit) *magis mouet quam secundum: primum ergo mouens seipsum sine alio mouere potest*. Adde rationem tabulis tuis non indignam, quoniam quicquid potest agere prima causa cum secunda, idipsum potest agere sine illa: quippe non est consentaneum rationi, vt id quod primum est infinitum & liberum, ab alio aut interno aut externo pendeat.

Aristoteles Phys. 8. t. 24. & t. 15. eiusdem l.

Phys. 8. l. te. 33.

Hæc summa est eorum quæ in hoc capite continentur. Sed, vt distinctius intelligantur omnia, ordine quo vtitur Arist. procedam. Scopus disputatiõis in hoc capite est, vt probetur necessario deueniendum esse ad vnum primum mouens, idemque immobile, simplex & indiuisibile in essentia sua. Vt vero hoc ipsum firmius concludat Philosophus, aliquas diuisiones præmittit, quarum prima est, quod mouentium aliqua moueãt per seipsa, aliqua vero per aliud vt *funda* mouet lapidem eo quod moueatur manu. Secunda est, quod mouentium per se quædam moueãt per vnum instrumentum, alia per plura, vt homo mouens lapidem funda & manu. Tertia est, quod mouentium aliud sit primum, aliud secũdum: illud hoc (inquit) mouere potest: sed hoc non potest mouere illud: primum ergo mouẽs magis mouet quam secundum, quia & seipsum & secundũ mouet. Imo primum mouens absque secundo mouere potest, sed secundum non potest mouere absque primo.

Scopus huius capitis.

Mouentium distinctiones.

Phys. 8. l. te. 33.

Obserua diligenter (studiose lector) quo hic tendat Phũs? eo scilicet, vt intelligas primũ motorem, vnum, simplicem, infinitum à secundis causis non dependere. Primum (inquit) mouens potest mouere sine secundo: at secundum non põt sine primo. At dices illius exẽplum in textu non esse de Deo. Quid tum? Perspicuum tamen est illum Deum intelligere, cum postea primum mouens immobile simplicem æternam, & immutabilem mentem ex Anaxagora definiat esse,

Vsus priorum distinctionum.

Per primum motorem Aristoteles Deum intelligit.

Phy. 8. l. t. 48.

neque est aliquid crassi aut obscuri in exemplo quo vtitur in textu, si impense attendas. Nam vt (inquit) baculus seu funda (secundum mouens) non potest mouere lapidem sine manu, quæ locum primi mouentis tenet: ita tacite insinuat Aristot. naturam (quæ est secunda causa) nihil posse mouere sine Deo, qui prima causa primumq; mouens dicitur. Hinc rata est illa sententia, *Quicquid potest prima causa agere cũ secũda, illud potest agere sine illa:* Ratio est, quoniam prima causa est ens totum in seipso, eique nihil deficit ad beatitudinem summamque perfectionem.

Prima causa nihil potest sine secunda & Natura sine Deo.

His explicatius dictis & demonstratis, intentam conclusionem infert, nimirum in mouentibus essentialiter (vt ita loquar) subordinatis, deueniendum esse ad aliquod primum mouens diuinum, idque immobile, simplex & incommutabile in essentia sua, quod est Deus. Ratio redditur in textu (quæ est notanda) quoniam aliter esset processus in infinitum, neque daretur primum & secundum mouens. Imo (inquit) in omni motu est *dare primum*: in omni ergo mouente est quoque *dare primum*, quod ab alio non mouetur.

Loci Arist. pugnantes reconciliati Phy 6. li te. 46. phy 8. li te. 34.

Audio hic inculcatam contra Arist. cõtradictionem, propterea quod in 7. Physicorum defendat in motu nullũ posse inueniri *primum*: hic vero disertis verbis contrarium dicit. Non est difficilis istorũm locorum reconciliatio, si attentius in vtroq; loco Aristotelem seipsum interpretantem audias. In motu (inquit) non est *inuenire primum* quoad continuũ, in quo partes proportionis sunt infinitæ: est vero *primum* in motu & mouente quoad ordinem naturæ, quæ progressum in infinitum penitus abhorret. Hic enim non potentiam sed essentiam motus, non rationem temporis sed ordinis, non modum proportionis sed perfectionis quærimus: cum ergo omnis essentia & ordo rerum ad finem in quo conseruantur tendat: necesse est vt sit vnus finis perfectissimus, vnaque diuinissima causa, in qua omnis motus mouensque omne & mobile terminentur: est ergo *dare primum & vltimum* in motu, mobili, & mouente naturali, si essentiam, ordinem, finem, & conseruationem spectes. Hic enim motum, mouens, & mobile non in termino *à quo* sed in termino *ad quẽ*, non in via sed in metaphysico suo fine consideramus, in quo omnes omnium rerum essentiæ veluti aurea catena

Est dare primum in mouentibus.

(de qua

(de qua antea locuti sumus) vniuntur. Hoc primum & vltimum prima causa dicitur rerum: quæ si catenam hanc auream dissoluat, omnia statim vt ruinosa ædificia ruent. Sapienter quidem hanc conclusionem probat, nempe non esse necesse vt omnes mouens moueatur, sed potius necessario requiri, idque ordine naturæ, vt tandem ad vnum æternum mouens, quod omnia mouere potest, ipsum autem moueri non potest, veniamus. Sic se dilemma habet, *si nullum mouens possit mouere nisi ipsum moueatur, primum mouens aut mouebitur per se aut per accidens. si dicas moueri per accidens, eadem opera concludes Deum aliquando posse mouere aliquando non posse, imo cõcludes mutationem & imperfectionem esse in Deo, quoniam accidens ens mutabile est imperfectum, quod in primum mouens (ens entium perfectissimum) cadere non potest.* Præterea, hoc dignissimum est obseruatione quod addit Philosophus, nimirum nihil omnino posse moueri si detur primus motor moueri per accidẽs: Ratio est, quoniam (vt ait) primo motore non mouente vel cessante à motu, nullum ens aliud mouet, & sic omnia quiescerent quod est superius refutatum.

Dilemma quo probat Philosophus Deum esse immobilem.

Nihil moueri potest si primus motor per accidens moueat.

Quid superest? si dicas moueri vllo alio modo, arguis primam causam pati posse: (nam moueri quidem pati est) sed probat Philosophus non omnino moueri, mouere autem docet libere & ad placitum. Ratiocinatio hæc est, si moueatur omnino primum mouens, aut mouebitur secundum eandem speciem qua illud mouetur quod mouet, aut secundum aliam: non secundum eandem, quia tum sequetur idẽ esse actu simul & potestate: actu vt mouẽs, potestate, vt mobile existit. Hoc etiam addit, non posse moueri eodem motu quo aliud mouet, quia nihil potest simul alterari & alterare: exempli causa, vt nihil potest albefacere & eodem candore albescere: & vt nemo simul potest eandem rem docere & discere, aut eadem sanitate ipse curari qua alium curat: ita Primum mouens eadem specie motus non potest moueri, qua cœlum aut mundum libere & ad imperium voluntatis mouet. Si vero dicas secundũ aliam speciem motus moueri: vide (inquit Philosophus) quid dixeris, cũ omnes species motus sint finitæ, ipsiq; motus finiti: at Deus seu primus motor actu semperque infinitus subsistit. Quid hinc concluditur?

Mouens primũ ideo nõ mouet, quia nihil esse põt actu simul & potentia.

Motus omnes finiti, Deus infinitus: ergo non mouetur.

Quid infertur? hoc scilicet, necessario deueniendum esse ad vnum primum mouens, quod prorsus non mouetur.

O præclaram conclusionem veri & sapientis philosophi, ingenio & arte dignam! Recole hoc argumentum sępe Diagora, repete conclusionem altius, pręmissas negare non potes, euincit ratio: conclusionem non debes, triumphet ergo Philosophia: & obsecro diutius ne impia quærat conscientia tua An sit Deus. Vis vt aliam vnicam rationem ex Aristotele attexam? hanc scilicet. *Dari* (inquit) *potest aliquod mobile primum quod omnino non mouet* (*puta materiam primam:*) *est ergo dandum aliquod mouens primum, quod penitus non mouetur, hoc est sempiternus Deus, quem semper colere & admirari oportet.* Da veniā si adhuc aliam rationem concisam viribusq; plenam attexam: est vnum primum mouens immobile in minore mūdo, id est homine, & hoc mouens animus est, qui secundum essentiam suam est liber, & immunis ab omni motu omnique affectu: nemo ergo sapiens negabit esse primum mouens immobile & æternum in maiore mundo quod est Deus: quod est (inquam) Deus, à quo illud primum mouens in homine fluit, & ad quem (si malis non sordescat) redire debet. Sed nunc concludam.

Cor in minori Deus in maiori mūdo sunt mouentia immobilia.

Perspicua breuisq; præcedentium rerum ἀνακεφαλαίωσις.

Remotis velis ipsius textus, pro viribus (docte & studiose lector) arcanum sensum mentemq; diuinam philosophi in hoc textu oculis subieci tuis: obiectiones insertas cōtra hāc liberrimam motionem expunxi, & ad suum locum opportunum discutiendas & refellendas detuli. Quid moror? idcirco limatius & articulatius hunc librum physicorum tracto, vt quantum in me sit, nebulas ignorantiæ, quæ radios solis impediant, luce philosophiæ dissipem & dispellam. Nebulas dixi? imo densas tenebras propemodū dixissem, quib. multi hodie, heu nimis multi obcæcati, solē in cœlo, Deū in mūdo videre nolūt, videre (inq̄) nolūt. Nā si videre vellēt, natura, ratio, philosophia, causis, argumētis, exēplis apertissime eos ad vidēdū traherēt. At trahi nolunt, O vtinā trahi velint, & certe si velint possint: nā ista cœcitas (vti spero) nō est priuatio potentiæ, & tum (quod opto) ad habitum fieri potest regressio, vt à somno ad vigiliam, ab ignorantia Dei, ad Dei cognitionem: quam hoc loco Philosophus & philosophia inuictis argumentis optime demonstrant.

Tempestiua ignauorum hominum redargutio.

Distinctio

Distinctio quæstionis, Vtrum in ordine mouentium sit absoluta necessitas deueniendi ad primum mouens immobile?

Necessitas secundum philosophos duplex est

- Respectiua, quã conditionatam seu hypotheticã appellant, quę in ordine mouentium arguit primum aliquod moués esse idēq; immobile, vt probatur, vel
  - 1 A suppositione, quia sunt mouentia secundi ordinis vt formæ, potentiæ, & qualitates rerum singularũ: & proinde necessario deueniẽdum est ad aliquod primum mouens idemque immobile, in quo illa mouentia quiescant & terminentur.
  - 2 A consecutione absurdi, quia nullo primo motore posito erit progressus mouentium in infinitum, i. infinitus esset mouentium mobiliumq; numerus, quoniam omne mouens moueretur ab alio sine fine & termino motionis.
- Absoluta, quã simplicem & fatalem nominant, & secundum hãc necessitatẽ cõfirmat Philosophus simpliciter deueniẽdum esse ad primũ mouens immobile. Hoc inquã confirmat
  - 1 A subordinatione mouentium causarum, quarum aliæ sunt particulares, aliæ vniuersales: harum vero aliæ physicæ vt potentię, formę: aliæ metaphysicæ, eædemq; finitæ, vt spiritus multiplicis ordinis: infinitæ, vt Deus primusque motor omnium.
  - 2 A subalternatione mobilium, quę in scala naturæ suos gradus dignitatis habent. Sic ergo arguit Philosophus: est primum aliquod corp⁹, centrum omnium immobile: est ergo primum aliquod mouens immobile, causa & principium omnium. Vel hoc modo (si placet) est primum immobile centrum, est ergo prima aliqua immobilis circumferentia, vltra quã nõ est corpus aliquod vel locans, vel moués: est ergo infinitus aliquis motor omnium qui est Deus.
  - A cõparatione
    - 1 Materiæ primæ hoc modo: dari (inquit) potest aliquod principium omnium mobile quod non mouet: dari ergo oportet aliud principiũ immobile quod omnia mouet, & hoc est De⁹.

2 Animæ rationis participis, quæ secundum propriam, simplicem, & absolutam essentiam in homine est causa mouens, immobilis nec non immortalis: est ergo in maiore mundo infinitum mouens, immobile, immensum, sempiternum & incommutabile.

3 A conseruatione, pulchritudine, & concinnitate rerum, quæ arguunt, necessario deueniendum esse ad aliquod summum primumque mouens, cuius prouidentia conseruantur & disponũtur omnia. Non enim potest esse perfectum in effectis, nisi sit aliquod perfectissimum in principiis.

4 A relatione & potentia causæ secundæ, quæ (vt ait Philosophus) nihil potest agere sine prima: ergo est prima aliqua causa quæ potest agere per se quicquid voluerit, idq; sine vlla secũda causa: & hæc (inquit) causa non agit aliquid temere & fortuito, nihil enim fortuitũ in Deũ cadit. Quippe si accidẽs caderet (vt ait) nunc moueret, nũc non moueret, essetque principium compositum per accidens, non simplex, non immobile, non æternum & incommutabile. Sed hic sisto pedem & reliquis supersedeo, quoniam vberius de hac causa supra & sæpe dixerim, at nunquam satis, quia res infinita est de qua loquor, & tempora sunt infinite mala in quibus vbique probare cogimur hoc infinitum esse: libenter ergo in hoc opere arripio occasionem, omnesque vires & neruos contendo, vt ratione & oraculis philosophiæ id esse probem, quod esse fides & salus (si boni) conscientiæ horror & metus (si mali simus) persuaderent. Viuens philosophe quid dixisti? Deus est, quid vltra? Deus vnus est. An quicquam aliud? Deus simplex, infinitus, immobilis, æternus, incommutabilis & incommutabiliter bonus est. Recte, Quid ergo sapiens philosophe moriẽs dixisti? Ens entium miserere mei. O vtinam athei nostrorũ tẽporum hoc solũ cũ philosopho viuentes & morientes dicerent.

Argu-

Argumenta contra quæstionem, Vtrum in mouentibus necessario deueniendum sit ad aliquod primum quod iam vlterius moueri nequeat?

Opp.

Primum principium philosophorum natura est, sed natura est mobilis: ergo primum principium Philosophorum est mobile, ex quo sequitur non esse primum aliquod immobile vt hic defendis. Quod natura sit primum principium, constat ex Aristotele primo & secundo physicorum, vbi docet naturam esse primum principium rerum quo non est prius.

Resp. *Animaduerti & obseruari hic velim, eos interpretes turpiter errare, qui asseuerent Aristotelem vltra naturam nullam priorem causam posuisse: nam hic & in sexcentis aliis locis palam affirmat esse causam primam, immobilem actuq́ infinitam. Age ergo, est causa prima secundum Aristotelem immobilis: est ergo causa aliqua secunda mobilis, & hac est natura. At (fortasse dices) cur hac prima à philosopho dicitur, qua non est prior? Respondeo dici primam internam physicam, non esse primam externam metaphysicam de qua hoc loco agit. Nam huius causa respectu plane iuxta philosophi sententiam secunda habetur esse. Caterum hic de natura causisq́ rerum physice agit. Verum hoc est quod dicis, sed attende, sic agit vt ex physicis & secundis causis eliciat primam: quare in catastrophe naturalis huius auscultationis, & vltimo hoc libro physicorum necessario deueniendum esse ad primā metaphysicam causam motricē omnium, & tamen in se immobilē luculenter demonstrat. Hinc videas quomodo natura sit prima causa in ordine ad effecta, & quomodo Deus sit prima causa in ordine ad ipsam naturam, qua illius respectu secunda dici potest; vt recte ex Aristotele ipso concluditur.*

Defenditur Aristoteles.

Natura prima causa physicas Deus prima causa Metaphysice.

Opp. *Natura docet non esse infinitum: sed Deus est infinitus: ergo natura Deum esse non docet.*

Resp. *Natura in inferioribus rebus mundi docet infinitum non esse actu, at infinitum in illis potētia esse non negat, vt patet de motu, tempore & continuo, qua ab illo infinita successione, duratione partiumq́ diuisione definiuntur esse. Sed hic alia res agitur: nam altius volat Philosophus & cum*

Deum esse infinitum docet Natura.

aquila solem intuetur, arguitq; hoc modo: Natura est mutabilis: ergo est aliquod principium immutabile quod eam conseruat. Iterum natura est mobilis: ergo est aliqua causa immobilis, & hac est Deus. Deinceps sunt omnia actu in rerum natura finita: ergo est aliqua causa actu infinita. Porro ordo, dispositio, pulchritudo & admirabilis cōstitutio rerum naturalium arguunt æternam prouidentiam, & hac est Deus. Insuper, circumspice vniuersa, introspice singula: centrum est immobile, æque libratum: ergo est aliquod immobile principium quod veluti trutina natura ponderauit, & hoc est Deus. Postremo est cælum primum mobile: est ergo aliquod primum mouens immobile potentius cælo, & hoc est Deus: necesse est ergo vt ab intuitu natura rerumq; naturalium in omnibus contempleris Deum. Omnia enim & singula sunt plena Deo, & ea qua Deum non sapiunt nihil sunt: mali ergo & scelerati nihil sunt, quia à primo bono, essēq; primo flagitiosa vita longissime discedunt. At si nihil sint nihil sentient: fortasse dicis: male sapis: nam etsi nihil sint quia bene suum esse reliquerunt, malum tamen pæna, sensus & damni (quod est priuatio sempiterni boni, si ante obitum non resipiscant) miseri in sempiternum sentient.

Imvii nihil sunt, at aliquid sentient.

Opp. *Quicquid potest secunda causa aut virtus, idipsum potest prima causa & Deus: sed secunda causa sic mouent vt moueantur: ergo prima causa sic mouet vt moueatur, & per consequens ad primum mouens immobile peruenire non licet. Praterea, vt apertius probem Deum esse, seu primum motorem non esse immobilem, hoc argumentum addo, quod sit Deus (teste Philosopho) primus intellectus, animusq; mundi: sed intellectus seu animus ab intelligibili mouetur: ergo primus motor qui intellectus animusq; subsistit ab intelligibili mouetur, & proinde non esse mouens immobile probatur.*

Resp. *Quicquid potest secunda causa, potest prima causa agere, & vltra: agere dico non pati: nam moueri pati est non agere: imo moueri etiam non perfici & compleri, rem arguit qua mouetur. At Deus negaret seipsum si moueatur: est enim entium perfectissimum in quod nulla mutatio, nulla affectio cadit. Sophisticum argumentum est & fraudulentum quod in 2. loco adfers: nam cum Aristot. doceat intellectum moueri ab intelligibili, intelligit mentem humanam & finitam,*

Deus seipsum negaret, si moueatur.

finitum, non infinitum Deum, qui intellectus primus totius mundi dicitur.

Opp. *Aristotelis ratio videtur esse infirma, qua probat in textu esse necessitatem absolutam deueniendi ad vnum primum mouens immobile: nam (illo ipso teste) vt in numeris se res habet, ita in causis sibi inuicem subordinatis: sed in numeris non est terminus: ergo in causis nō est aliquod primum immobile mouens. Praeterea, si quilibet numerus ab alio superetur, nō idcirco oportet dari vnum à quo tota numerorum multitudo vincatur & pendeat, non est ergo necesse dari aliquem primum motorem immobilem, tametsi vna causa ab alia in subordinatione causarum superetur.*

Resp. *Non est par ratio numerorum & causarum quae sibi inuicem subordinantur, nisi multitudinem cum rebus numeratis compares; sic vero si cōpares est aliqua proportio & similitudo nempe vt detur in causis prima, & in numeris vltima multitudo rerū. Ratio est, quia res sunt nō infinita quae infinita multitudine contineantur. Praeterea, cū multa causa moueant simulq; moueantur, non solum qualibet earum, sed etiam tota collectio est in potestate ad motionem subeundam: necesse ergo est vt sit tum respectu singularum, tum etiam respectu totius multitudinis seu collectionis vnum mouens, idemque immobile. à quo reliqua ad motum suo ordine excitentur, & hoc est Deus. Vide D. Thomam contra gentes ca. 13. qui rationes has Arist. inuictas assumit, assumptasque laudat. Pulchra rationes Philosophi sunt & repetitione digna, quarum vna sic se habet. In omnibus causis mouentibus essentialiter subordinatis ita prima causa est causa media, & ita media (siue sit vna siue sit numerosa) est causa vltima, vt priore ordine causa remota id quoque quod ab ea pendet remoueatur: ergo si non detur prima causa mouens nec erit media, nec erit vltima, nec erit vllum opus aut effectus naturae. Erubesce impie qui negas Deum esse si intelligas, & si non intelligas disce quod debes. Si non sit prima causa mouens (inquit Phūs) non erit vltima, non erit vllus effectus. Audi (studiose lector) Aristotelem confitentem omnia in rerum natura à prima causa (id est, à Deo) dependere: quod athei perniciose negant.*

Causarū & numerorum inter se comparatio.

Causa semper habet causam eamq; mouentē vsq; dum veniatur ad causam immobilem Deum.

A prima causa i. Deo depēdent omnia iudice Aristotele.

Ambitiosus sum in hac causa probanda, da veniam si alteram concinnem ex Aristotele rationem. Sumatur (inquit) tota multitudo causarum mouentium præter eam quæ immediate attingit effectum: quæritur nũc an in tota illa multitudine sit aliqua causa mouens immobilis, an quælibet ita moueat vt ab alia moueatur? Si detur primum, habetur propositum, nempe esse primum aliquod mouens immobile, quod omnibus motum tribuit: si detur secundum, tota causarum mouentium & motarum collectio erit mouens & mota, vnde necessario sequitur, subsistere debere aliquam aliam causam omnis motus expertem, à qua cætera omnes moueantur. Quare siue hoc siue illud dicas, non poterit non dari prima causa mouens & non mota, quam hic inuestigamus. Rumi nentur hæc duo argumenta (docte & studiose lector) quæ ex Philosopho in hoc capite & ca. 2. lib. 2. Metaphysicorum diligenter tua causa collegi. Huc addo, quod omnes inferiores causæ subalternatim mouentes & mota secundum Aristotelem sint instrumentales: at instrumentales causæ esse non possunt nisi ab alia causa principe moueantur: deueniẽdum ergo est necessario ad primam aliquam causam, ne inanis processus in infinitum fiat.

Dilemma δίςομον.

Omnes causæ mediæ sunt instrumenta totidem, at instrumenta mouentur ab alio.

Dubia obuia in hoc capite: quorum primum est, Vtrum in omni mouente subordinato sit vna pars mouens, altera mota?

Opp. *Anima humana separata, & spiritus finiti sunt causæ mouentes subordinatæ, quæ solum partes mouentes habent: ergo vniuersaliter vera non est ea expositio.*

Resp. *Iohannes Scotus recte intelligit hanc propositionem de mouente anima per cognitionem obiecti, in quo est semper vnum mouẽs, & alterum motum. Ratio est, quoniam potentia motiua eiusdem mouentis est organica, quæ requirit partem corporis mouentem distingui à corpore moto: vt in homine pars mouens cor est, pars mota arteria, neruus, aut musculus, in quibus vis motiua inest. Alii resoluunt hoc dubium, dicendo formam esse partem mouentem, & materiam partem agitatam in re qualibet naturali, sed magis primam solutionem laudo.*

Rectum Scoti iudicium.

In omni mouẽte subordinato est alia pars mota, mouens alia vt in homine cor, arteria.

Dubium

Dubium secundum, Vtrum quicquid possit prima causa cum causa secunda, idipsum possit sine illa?

Opp. *Videtur non posse: nam Deus potest cum materia & forma hominem (vt aiunt) causare, quibus sublatis non potest: quicquid ergo potest prima cum secunda, idipsum non potest sine illa.*

Resp. *In ordine causarum mouentium subordinatarum prima semper est causa media (vt ait Philosophus) & media vltima: hoc vero solum proprium est primæ causæ vt sine mediis possit operari: prima enim causa secundum Aristotelem est liberum mouens, nullisque mediis alligatum. Hinc illud axioma, quod possit id omne efficere & causare per se quod cum secundis causis potest. Quod vrges contra nihil est. nam in argumento falsa est antecedens propositio, quam negamus: quippe Deus potest hominem sine secundis mediisq́; causis efficere: licet enim non esset materia aut forma (nam hoc esset seipsum extenuare vel negare potius) in genere tamen causæ efficientis per infinitam potentiã (quam actu habet) hoc magnum opus naturæ potest efficere, idq́; non ex substantia sua, neq́; vlla alia naturali causa subiecta, si illius potentiam actu plusquam infinitam consideres. Tarde & otiose, an hoc non credis? Credis (vt opinor) quia vides quod aranea telam, Bombyx sericum ex suis ipsorum visceribus texant & concinnent: & tamen materiam ex qua texunt & concinnant non vides. Quid? an non plus Deo quam naturæ, non plus primæ causarum quam mediis, an non plus infinito motori quam finitis rerum principiis attribuis? verendum est certe ne sine Deo viuas, aut mundum pro Deo colas, si vinculis naturæ illum obstringas: quod Arist. nunquam fecit, qui secundas & medias causas earumque effecta sic à prima dependere docuit, vt ipsa sine illis omnia possit, illa vero sine hac possint omnino nihil, Vide Arist. in libris Metaphysicorum & cum his quæ hic dicuntur confer, erisque (vti spero) doctior, multoque melius de Deo (vt decet) senties.*

Prima causa potest sine mediis operari.

Tertium dubium, Vtrum immobilitas sit in primo motore essentialis?

Opp. *Immobilitas non est omnino in primo motore: ergo non est essentialis in eo. Antecedens probatur, quoniam primus motor est Deus: sed immobilitas non est in Deo: ergo non est in primo motore. Minor patet, quia immobilitas est nihil aliud quam priuatio motus: sed nulla priuatio est in Deo: ergo immobilitas non est in Deo. Praeterea cum immobile esse sit nihil aliud quam carere loco, qui fieri potest vt Deus sit immobilis, qui omnem locum occupat? Postremo, vt animus est in homine, ita Deus in mundo, sed moto homine mouetur animus: ergo moto mundo mouetur Deus: nō est ergo immobilis, vt hic docet Philosophus.*

Resp. *Somnia haec tua sunt de immobilitate in Deo. Nam certum est essentialiter Deum aeternum, infinitum immobilemq; esse. Quod vrges immobilitatē nihil aliud esse quam priuationem, nego, nisi eandem in effectu natura motu priuatis inesse intelligas. Vt ergo omnia lucida & clara sunt in sole: ita omnia diuina, interna & essentialia sunt in Deo: nulla priuatio, nulla affectio, nulla imperfectio in illo inest: immobilitas igitur in eo, ipse immutabilis Deus est. Neq; (vt ais) immobile esse est nihil aliud quam carere loco, sed etiam in loco non moueri. Cum ergo Deus sit cuius centrum est vbiq; & circumferentia nusquam, id est cum omnem locum cōpleat, intelligimus sic esse vbiq;, vt nulli astringatur loco, in omni tamen loco & parte mundi totus subsistat immobilis: immobilis inquam, quia mutari non pōt, immobilis quia nullum ens actu infinitum est quod illud mouere potest. Agnosco similitudinem quam in postremo loco adfers de anima primo motore in homine: sed quid animulam cum Deo in immobilitate comparas? Forma enim hominis finita essentia est, Deus autem semper infinitus & immensus existit. In anima hominis potentiae insunt, multaq; accidentia, in Deo vero potentia, actus & (vt ita loquar) accidentia substantiae sunt. Dico igitur, licet animus moueatur ad motum corporis dum in eo habitet, Deum tamen ad motionem caeli aut mundi moueri non posse, quia est Deus, id est immobilis, aeterna & incommutabilis essentia.*

Immobilitas nō semper priuatio.

Omnia in Deo essentialia.

Deus est cuius centrum vbiq; circumferentia nusquam est.

Deus non est in mundo, vt anima in corpore.

CA-

CAPVT VI.

Vtrum primum mouens sit vnum, sitq; ab omni motu liberum, sitne æternum?

QVod deueniendum nobis sit in ordine circuituque rerum ad primum aliquod mouens, natura, ratio, philosophia iam satis docuerunt. Quid sequitur? hoc scilicet, vt qualis & quantus sit hic motor breuiter demonstremus. Qualis & quantus sit, inquam, non quod in illa sit qualitas aut quantitas accidentalis vt aiunt (nullum enim accidens est in Deo,) sed vt intelligamus illius substantiam tam diuinam, tam excellentem esse, vt omnem temporis mensuram, omnem qualitatis ornatum & excellentiam superet. Sol est lucidus & æternus qui nunquam potest obscurari, fons perennis qui in æternæ vitæ ciuitatem amœnis riuulis perpetuo fluit. *Connexio sequentium cum præcedentibus.*

Sed vt obseruetur methodus in discutienda hac præclara quæstione, primum de vnitate motoris, tum de libertate, postremo de æternitate agemus. Sit ergo prima pars quæstionis, *An sit vnus solum Deus secundum Aristotelem.* Cæterum quid lucernam in luce meridiana otiose accendo? Probauit Philosophus Deum esse, satis est: siquidem inde concludit vnum esse. Si enim sit Deus, simplex & vnus est, aut non est Deus: diuina enim essentia diuidi non potest: est ergo simplex, est ergo vnus. Imo est ipsa (vt ita loquar) essentialis vnitas, à qua omnes omnium rerum vnitates pendent, & in qua vnitæ optime cõseruantur. Si desit hęc vnitas principium numeri non est, non est numerus rerum, non est mundus. Omnia enim sunt vnum (vt placet Parmenidi) vnumque omnia: & tamen omnia non sunt vnitas. Distinguo ergo vnitatem in vnitatem formantem & vnitatem formatam: illa primum principium est omnium, hæc multiplex & numerosus effectus: illa est prima quia non habet principium: non habet principium, ergo vnum, non vnum numero, qa caret numero, sed vnũ in se, hoc est essentiale vnũ, vnũ mouẽs, nõ mobile. Simpliciter ergo motor vn⁹ vnusq; De⁹. *Deus vnus est secundum Aristotelem.* *Deus est: ergo vnus est.* *Vnitas duplex formans, formata.*

Sed pergã: est primus motor summe perfectus summeq; bonus: est ergo solũ vnus. Ratio tenet, quoniã gradus super-

lationis nulli essentialiter conuenit nisi idipsum vnum sit: at gradus summus perfectionis Deo essentialiter conuenit: ergo Deus solum vnus est. Porro, frustra (inquit Phūs) in textu plura mouentia principia constituēda sunt, vbi vnum sufficit; at infinitum vnum actu principiū sufficit: ergo plura non sunt ponenda. Vnum sufficit, & quid est hoc vnum quod sufficit? est certe vnus Deus, qui primus, sempiternus & immobilis subsistens (ipsissimis verbis Philosophi in textu nunc vtor) motum omnibus in rerum natura tribuit. Sed vt apertius agam rationem Aristotelis in syllogismum sic colligo. Si quid vno principio fieri possit non sunt plura inuestiganda; sed vno principio quod est in se primum, sempiternum & immobile omnia fieri & moueri possunt: vnum ergo solum quęrendum est. Vereor ne molestus sim si accumulatius ex aliis libris Philosophi hanc causam probare contendam. Sidera solum lucentia digito demonstrabo. Est vnus solum animus in homine: est ergo vnus solum Deus in mundo. Ratio sequitur, quia Deus est infinitus actu & essentia: ergo multo magis sufficit ad mouendum mundum quam animus finitus ad mouendū hominē. Quod vnus sit solum animus in homine vberius probat Philosophus in libris de Anima, vbi ostendit vnam solam formam cuilibet rei naturali deberi. Quid addam? monarchiæ studiosissimus est Arist. vnum solum ergo in regimine mundi defendit Deum; imo palam profitetur ideo vnum esse monarcham omnium, quia natura ordine & monarchia delectatur. Vt ergo optimus est status ciuitatis monarchia in qua vnus imperator regnat: ita in vniuerso mūdi theatro non esset ordo sed horribilis confusio, si vnus omnibus non imperaret. Quid multis? vna anima in plantis, vna anima in belluis, vna anima in hominibus, in re qualibet singulari vna forma manifeste arguit vnam esse summā & supremam causam omnium, quæ est vnus Deus.

Vnus in homine animus Aristoteles de Anima. l. 2. t. 31. vnus in Mundo Deus.

Meta 12 verbis vlt Polit. l. 3 cap 9 Vnus in ciuitate princeps; ergo vnus in Mundo Deus.

Lege Philosophum in textu, & disce quomodo ab effectu vnitatem primi motoris doceat. Vnus & simplex (inquit) est primus motus, vnum mobile & simplex primū corpus: vnus ergo est immobilis primus motor, & hic est vnus De⁹. Nā si nō sit, dic mihi quomodo tā immēsum, diuinū & gloriosum corpus (quale cœlū est) moueri suo loco possit: nam cum

A toto vniuerso probat multipliciter vnū esse Deum.

cum extra cœlum non ſit locus, naturæ & ſecundarũ cauſarum vi hoc fieri non poteſt, non poteſt inquam fieri: eſt ergo metaphyſicus aliquis motor, idemque vnus, ne in infinitum numerum mouentium fiat progreſſio.

Feſtino: eſt ſubordinatio cauſarum; ergo eſt vna prima: eſt ſubalternatio effectuum, ergo eſt eorum colligatio in vno principio omnium. Rerum mutabilium viciſſitudo, elementorum ordo, cœleſtium ſphærarum admirabilis ſitus, conuerſio, magnitudo, ſiderum infinitus numerus, diſpoſitio & pulchritudo vnam, vnam dico arguunt & concludunt cauſſam, vnum Deum (impius neget ſi poſſit) vnum concludunt Deum. Vides, imo certe oculis vides in effectis Deum eſſe; intuere (ſi placet) in teipſo corpus, mirabile opus naturæ, cor vnum & primum eſt quod mouet: intuere animam, mens vna in illa regnat. Oliua inter plantas, aquila inter aues, inter belluas leo, ſol vnus inter planetas dominatur. Quid moror? in omni ſpecie rerum res vna ſupereminet: cæcitate ergo cæcior eſt qui in his Deum eſſe, vnumq; eſſe Deũ non videat. Nomen DEI ſæpe ingemino, eſt enim in eo numen: nomẽ vnius DEI inculco, vt Cadmi & terræ filii agnoſcant (ſi altius animis non aſſurgant) omnis numeri principium eſſe vnitatem: non illam materialem & formatam vt vocant, quæ alteri adiecta binarium facit: ſed illam eſſentialem & formantem, quæ (vt loquar ex conſcientia & fide) trinitatem notiorem facit. Quippe vnitas trina eſt, Deus enim ſemper eſt qui eſt: eſt ergo infinita potentia: ſe ſemper intelligit: eſt ergo æterna ſapientia; ſe ſemper diligit: eſt ergo ſempiternus amor, & tamen hæc tria potentia, ſapientia & amor vnum ſunt, id eſt omnipotens, ſapiens, ſemperque diligendus Deus.

Vnitas duplex materialis eſſentialis.

Vnitas Deitatis clarius aperit perſonarũ Trinitatem.

Sed quo vado? reuertor; in Ethicorum 10. concludit Philoſophus bonum contemplatiuum & verum eſſe obiecta æterna, quoniam mens & voluntas (ſubiecta in quib. inſunt) æternitate donantur. Quid hinc concludis, fortaſſe dices? Concludo Deum, qui vt eſt prima vnaque veritas, eſt finis & perfectio mentis: vt eſt æterna bonitas, eſt finis & perfectio voluntatis. Hoc verum, hoc bonum (inquit Philoſophus) vnum eſt; vnum, idemque incommutabiliter vnum: vnus ergo Deus eſt quem vnum motorẽ appellarunt philoſophi. Eſ

hæc de vnitate satis, sequitur vt pauca de libertate dicam.

Deus ab omni motu immunis probatur.

Periodus quærenda nunc est, & modus constituendus, ne in infinitum abeam: punctis ergo agam; & vt Astrologi in pictis suis tabulis cœli cursum & ornatum ostendũt: ita quidem hoc maximum mysterium extenso digito, calamo suppresso dicam, *Deus est*, annuis: Deus vnus est, concedis: omni motu liber, qui id probas? fortasse dices. Ex verbis Aristotelis manifeste multis in locis probo. Si authoritati credas, ipse antea dixit Deum esse liberrimum agens: ergo est ab omni motu liber. Sed authoritas non placet? suadeat ergo ratio. Deus nullis mediis aut caussis alligatur, vt antea demonstratum est: ergo Deus est ab omni motu liber: nam si moueatur, ab aliis caussis seipso potẽtioribus moueretur, at nulla caussa est vera potentior prima, nulla æqualis: ergo est ab omni motu liber. Præterea, si moueretur Deus, aliqua species motus in illum caderet, vt generatio, corruptio, accretio, diminutio, alteratio, aut mutatio. Sed quam alienum sit a ratione & omni religione hoc ponere, nemo est qui non videat. Insuper, omnia sub cœlo naturæ opera finita sunt, imo ipsa natura actu finita: quæ ergo motionis impressio in Deum infinitum subsistentem fieri potest? Certe quidem nulla: est ergo ab omni motu liber. Adhuc, est Deus simplicissimus actus, est immutabilis substantia, est natura naturans omnium: dic ergo quomodo moueretur? Deinceps, est æternus & infinitus spiritus, omnis passionis expers: est ergo ab omni motu liber. Postremo, est Deus: est ergo essentialiter vnus, cuius velle est posse & esse, est ergo ab omni motu liber.

Mundus quasi liber in quo de Deo legimus.

Quid plura? si totus mundus liber esset, in omni eiusdem folio Deum esse, Deum vnum esse, Deum ab omni motu liberum & immunem esse legeres. Deus enim vniuersum fecit, & in singulis partibus vniuersi suum nomen inscripsit. Cœlum, terra, elementa, omnia & singula loquũtur DEVM, manibusq; suis quasi porrectis tabulas aureas regio veluti diplomate obsignatas tenent, in quibus mirabili artificio insculptum hoc eulogium est, DEVS *hæc omnia fecit*: Adde (si placet) DEVS *omnia hominis caussa fecit*. O monstrum, si factus a Deo non subseruias Deo! Vltimum quod occurrit demonstrandum, est *Deum æternum esse*, sed quomodo

Deus æternus.

caducus

caducus & mortalis homo hoc ipsum præstare potest? Mirari licet, non licet demonstrare, vtcunque tamen ostendere & delineare licet. Omnia in stadio naturæ currentia suos terminos limitesque habent, Luciferum Hesperumque ortum & occasum vident, est aliquid ergo quod in sempiternũ manet, & hoc est Deus: est ergo Deus sempiternus. Præterea, tempus est caussa corruptionis vt docet Philosophus, est enim mensura rerum caducarum secundum prius & posterius: non ergo cadit in Deum, nisi diceres tempore canescere & consenescere Deum: æuo igitur aut æternitate cõprehenditur: non autem æuo quoniam & hoc est mensura habentium initium & carentium fine: æternitate ergo mensuratur.

Aristoteles P. 4 l. 8 117. & 1a. 120. 128.

Huc insuper spectant omnia argumenta superius adducta de essentia diuina, vt *est Deus incorporea substantia*: ergo est æternus. *Est simplex & infinitus actus*: ergo est æternus Est *caussa prima: est ergo* æternus. *Est impatibilis & incommutabilis*: est ergo æternum. *Est ab omni motu liber & & immunis: ergo est æternus. Si Deus non esset æternus, non esset summe perfectus & vndique beatus*: est ergo Deus æternus. Maior probatur, quoniam ad perfectam & beatam vitam (vt docet in Ethicis) æternitas necessario requiritur. Perfecte enim beatus est, cui nihil deest, & qui nunquam statu fœlicitatis suæ decidit. Imo Deus est illa æterna beatitudo, ad quam mens virtute ornata & instructa per totam hanc vitam tendit. Ideo enim mens homini æterna & immortalis datur, vt æternam veritatem & beatitudinem in hac vita appeteret, & in futura (quoniam secũdum Philosophos mori nõ potest) eadem plenissime perfruatur. O DEVS! *vt nunc scribens firmissima fide credo te Deum meum esse, te vnum, te æternum, te actu infinitum, te immobilem, immensum, & incommutabilem: ita obsecro vt moriens te meum bonum, meum summum & sempiternum bonum in terra viuetium videam. Redeat cinis & puluis in terram vnde resumptus: sed fuit ad te (O DEVS) redeat hic spiritus meus, ad te (inquam) redeat vnde venit*, Gratus tibi ero (pie lector) si dicas mea causa, *REDEAT*.

L1.1.c.10.

Pia confessio cum ardenti prece coniuncta.

Gen ca. 3. ver. 19. Eccl. 12. 7

Distinctio quæstionis, An primum mouens sit vnum, motu liberum, & æternum?

Vnitas, libertas, & æternitas sumuntur

- Cōmuniter seu respectiue & sic
  - Vnitas est vel
    - 1 Transcēdens, quo sensu omnia dicuntur *ens, vnū, bonum, res, aliquid.*
    - 2 Materialis, vt res vna in numero numerato.
    - 3 Formalis, vt illa vnitas quæ est principium numeri, aut forma qua quilibet numerus in quantitate terminatur.
  - Libertas, quę est vel respectu
    - 1 Imperii, & sic illi qui dominantur in recte administrata ciuitate dicuntur liberi.
    - 2 Virtutis, & si solum sapientes, boni, & studiosi sunt vere liberi, mali autem miseri.
  - Aeternitas, quæ consideratur vel respectu
    - 1 Motus in successione, & sic est totum tempus, quod vicissitudine motus est perpetuum
    - 2 Status permanentis à primo ortu sine mutatione, & sic sæpe animus hominis qui initium habuit in tempore æternus dicitur, quia in tempore non terminatur.
- Absolute, & sic essentialia & æterna sunt hæc tria, solique Deo simpliciter conueniunt: nihil enim vere & essentialiter aut primum, aut vnum, aut liberum, aut æternum, dicitur præter Deum. Is enim solus est vnus sine respectu, liber sine motu, æternus sine occasu aut mutatione vlla. Argumenta quibus probantur hæc esse vera in discursu aperta sunt, & ordine satis perspicuo discussa: quamobrem eorum repetitione nunc supersedeo, & ad oppositiones venio.

Argumenta contra quæstionem.

Opp. *Secundum Arist. non solum Deum, sed etiam intel-*

ligentia mouentes alios orbes cœlestes sunt æterna: ergo sunt plures motores æquales primo, & proinde non est vnum. Ratio sequitur, quoniam in æternis non est prius & posterius, & proinde non est aliquid primum aut vnum. Met. 12. li. t. 41. 43-48. 50.

Resp.

Sæpe distinxi æternum *sumi duobus modis, simpliciter aut comparate. Simpliciter æternus est Deus, qui nec ante, nec post, id est præteritum aut futurum in tempore sentit: semper enim Deus est qui est. Comparate dicitur æternum aliquādo ex parte post, & sic animus hominis spiritusq; cœlestes æterni nominantur. At dices secundum Aristotelem esse istos etiam simpliciter æternos, quia cœli quos voluunt æterni ab illo definiuntur esse. Attentius (quæso) animaduerte, sic docere Aristotelem cœlos esse duratione æternos, vt non neget ex materia & forma constare, eorumq; formas assistentes seu motores vna cum illis à prima caussa depēdere. Quod si verum sit, fatendum necessario est primum motorē simpliciter æternum esse, diciq; ordine & æternitate absolute vnum, qui socium & parem non habet illi potentia adæquandum. Cum ergo primum dicamus Deum esse, primum essentia, ordine & æternitate, non tempore aut successione (quæ in Deum non cadunt) intelligimus. Similiter vnum non numero accidentali, sed vnum essentia & ineffabili modo nominamus.*

Multa sunt æterna comparate, vnus vero Deus simpliciter.

Opp.

Deus non est vnum transcendens, nec vnum principium numeri, nec vnum pars numeri: ergo Deus non est vnus. Ratio tenet à sufficienti diuisione vnitatis: non est transcendens quia tum esset æquiuocum, non est principium numeri aut pars numeri, quia tum accidens Deo conueniret.

Resp. *Si vnum transcendens intelligas vt Melissus, Parmenides, & Plato, Deum esse vnum transcendens libenter concedo. Ergo (inquis) est æquiuocum: argumentum nego, nisi errore mentis nomen Dei in diuersa significata distrahas. At non est in prædicamento: ergo est æquiuocum. Ratio non tenet, quia multa non sunt in prædicamento quæ non sunt æquiuoca, vt principia rerum & artium, qualia sunt axiomata & definitiones, à quibus proxime & immediate demonstrationes certissimæ ducuntur.*

Multa nō sunt in prædicamētis, quæ tamen non sunt æquiuoca.

Lib. de Mundo c. 7. principio.

Opp. *Vetus est illud, ab vno quatenus vno non nisi vnum*

prouenire: sed à Deo omnia (teste Aristotele) proueniunt: ergo Deus non est vnus. Maior est Philosoph. lib. 2. de Ortu c. 9. & probatur, quia varietas effectorum arguit multiplicem caussam subesse.

Resp. *Verum quidem hoc est, si intelligatur de causa naturali eodem modo se habente ad effectum quem progignit, non de caussa prima, quæ licet sit in substantia sua maximè vna, infinita tamen sua potentia res omnes continet & conseruat.*

Opp. *Vnum à pluribus repræsentari non potest: ergo aut Deus non est vnus, aut omnia effecta apposite Deum nō adumbrant. Præterea, quomodo finita infinitum, caduca æternum, mutabilia immutabilem, parua & pauca naturalia immensum Deum possunt referre?*

Res omnes Dei imaginem insculptam habent.

Resp. *Obseruandum est, in omnibus effectis naturæ esse expressam imaginem Dei insculptam, nimirum essentialem illam vnitatem formæ, quam rectè sigillum vel signaculum primæ caussæ in re qualibet appellare licet. Nam cum à materia per se non fluat (est enim materia res segnis, eiusque potentia passiua & otiosa) nec à seipsa fiat, coacti sunt philosophi agnoscere infinitam caussam esse quæ illam imprimit & inducit: quilibet ergo effectus naturæ per se sumptus appositissimè diuinam vnitatem refert. Nec non conueniēs fuit multa & varia effecta à Deo produci, vt vnūquodq; quoad fieri possit Dei adumbraret vnitatem & bonitatem.*

Argumenta contra immobilitatem Dei.

Opp.

Deus (teste Philosopho in vltimo capite huius præclari libri) est in circumferentia primi orbis: ergo ad minimum per accidens ad motionem eiusdem orbis mouetur. Præterea, Deus sic est in cœlo vt animus in corpore: sed animus ad motū corporis mouetur: ergo Deus ad motionem orbis.

Deus quomodo in prima cœli circumferētia.

Resp. *Deus est in prima circumferentia cœli, non vt locatum in loco, neq; vt alligatum medio, sed vt rex in regno & imperio suo. Huc adde, requiri ad motum per accidens vt res mota per accidens viribus naturæ locum mutet: at Deus vbiq; est situmq; non habet, magnitudine carens vt sic moueatur.*

tur. Altera etiam conditio est, vt sit quodammodo annexum ei, cuius ratione mouetur, vt animus in homine, angelus in corpore assumpto: sed Deus extra theatrum rerum omnium est, sedetq; vt imperator, liberrimeq; quæ vult agit: non ergo est in cælo vt animus in homine: anima enim est forma hominis insidens corpori, Deus vero est anima mundi assidens non insidens, assistens non inhærens cælo.

Argumenta De Æternitate.

Opp. *Deus non potest non intelligere seipsum ab æterno: ergo est aliquid æque æternum cum Deo. Ratio tenet, quia intelligibile & intelligens simul sunt. De antecedente non est quod dubites: nam si animus in se versus seipsum intelligat, multo magis Deus ab æterno seipsum intellexit.*

Arist. de Ani. li. 3. c. 4. in fine.

Resp. *Omitto mysteriũ Beatissimæ Trinitatis quod hinc optimè probatur, quia de eo non somniauit Philosophus, & respondeo cum Philosopho Deum ab æterno seipsum intellexisse, non tamen esse duo æterna sed vnum æternum. Rationem ex Aristotele sic colligo, vt intellectus (inquit) & intelligibile idem sunt, cum intellectus in se versus seipsum intelligat: ita Deus Optimus Maximus ab æterno se intelligens idem est quod intelligitur, id est vnus & sempiternus Deus: nam simplicissima & indiuisibilis est illius essentia, quæ partium multitudinem non admittit.*

Deus seipsum ab æterno intellexit.

Opp.

Non innotescit infinitum nisi per infinitum: sed nõ est infinitus aliquis naturæ effectus per quem, nec est intellectus qui Deum infinitum apprehendat: ergo non videtur infinitus esse.

Resp. *Philosophi docuerunt perfecte sciri non posse principia rerum: ratio est, quia à priori nec definiri nec demonstrari possunt, nedum potest Deus principiorum primum perfecte & accurate intelligi. Est tamen proportio quædam & modus ab effectis illius infinitatem cognoscendi (vt supra docuimus) per comparationem rei mortalis cum immortali, compositæ cum simplici, singularis cum vniuersali, diuisibilis cum indiuisibili, & per additionem omnis perfectionis quæ cogitari potest & vltra: quicquid ergo imaginari poteris*

Arist. Ethicor. magno l. 1. c. 33 & Demonstr. l. 2 c. vltimo.

Vltra perfectionem rerum, idipsum Deus infinitus haberi debet.

Opp. *Qui fieri potest vt sit ens actu infinitum: aut quid opus est eo cum omnia finita sint quæ fiunt & gubernantur? Satis est finitam subesse virtutem vt inter caussam & effectũ fiat proportio. Præterea, si sit infinitum tale principium, fieri non potest quin secundum infinitam suam potentiam effectũ infinitum gignat, aliter frustra est illa potentia si nunquam reducatur in actum.*

Resp. *De modo quo infinitum principium sit nemo sapiẽtissimorum philosophorum potest disputare. At quid opus est eo (dices) cum omnia quæ fiunt & gubernantur ab eo finita sint, certisq; naturæ limitib. circumscripta. Curiose disputator, respondeo esse opus, quia nisi sit fons perennis fieri nõ possunt riuuli, nisi sit Deus actu infinitus essentia rerũ omnium necessario cadunt: quippè omnia quæ sunt, esse à prima essentia habent. Verum si non esset mundus nec essent res aliæ quarum non eget omnino Deus, infinitus tamen cum sit, sua ipsius infinita virtute, potentia, gloria beatus viuit. Otiose ergo disputas vbi requiris proportionem inter caussam & effectum, primamq; caussam, quæ est liberum agens, mediis instrumentis naturæ astringis. Sed concludam: vt animus liber à corpore beatam vitã agit nullis organis corporis alligatus: ita Deus summus in essentia ab omni motu liberrimus sui ipsius contemplatione plusquam beatus viuit, tametsi tollantur omnia quæ hominis caussa (vt docet philosophus) quinto physicorum fecit.*

Ni si Deus esset actu infinitus, res omnes caderent.

Opp. *Quicquid est à Deo est infinitæ virtutis: ergo sunt plura infinita quã vnũ. Antecedens probatur, quia materia prima est infinitæ virtutis in capessendis formis: ignis põt infinita suis flammis subiecta cõsumere, quod præstare nequit sine infinita virtute. Quid multis? appetitus, intellectus, voluntas non satiantur nisi infinito: videntur ergo habere infinitã potentiã: quare vt semel & iterũ concludam, Deus fecit aliquid in effectis infinitũ. & per consequens est aliquid infinitũ quod non est Deus. Huic illud addo, quod vniuersalia dicantur à Philosopho æterna, & singularia infinita primo Analyticorum: ergo sunt æterna pluraq; infinita quã vnum.*

Resp. *Ambagibus relictis, respondeo hæc omnia infinita ac*

æterna

æterna esse potentia non actu, ex parte non simpliciter. Quod vrgeas appetitum, voluntatem, intellectum humanum non satiari nisi infinito, libenter admitto, quia hoc manifestè arguit esse Deum infinitum quo hæ facultates peroptant satiari. Nam dum sunt in hoc carcere sepultæ plura perpetuo sciendi cupiditate & siti æstuant: est aliquid ergo vltra & extra hanc vitæ periodum quod quærunt, & hoc est Deus, qui illis partibus animi dedit vim & potentiam infinitam appetendi, id est, appetendi seipsum in quo omnis perfectio & beatitudo inest. *Appetitus, voluntas, intellectus non satiãtur nisi infinito.*

Opp. *Si Deus sit in singulis nemo definire potest quomodo non moueatur saltem per accidẽs, præsertim quoniam vbi est, ibi totus & essentialiter sine vlla diuisione sui permaneat.*

Resp. *Licet Deus in rebus singulis insit quæ mouentur, nequaquam tamen per accidens moueri dicendus est, cum nullis locorum spaciis definiatur, nec villi alligatus sit, sed (vt ait Collegium Conimbricense) immensitate sua essentia vbique existat. Conclusio hæc sit, Deus spiritus est infinitus, qui suo modo mirabiliter singularis, & singulariter mirabili subsistens omnia mouet, omnia regit, omnia conseruat, ipse tamen propter incommutabilem æternitatem nullo pacto moueri potest. Hanc æternitatem incommutabilem & æternam incommutabilitatem Platonici sapienter docent, aiẽtes animam humanam esse mobilem multitudinem, dæmonem multitudinem immmobilem, Deum immobilem vnitatem: immobilem (inquam) vnitatem, quia illius essentia nulli mutationi est prorsus subiecta: Deus enim & est non mutatur, nec est in illo color mutationis.* *Deus est immobilis etiam per accidens.* *Malach. cap. 3 vers. 5. 6.*

An Deus sit expers omnis magnitudinis?

Opp. *Deus magnus, Deus maximus, Deus infinitus dicitur: ergo non est expers magnitudinis. Ratio probatur à coniugatis in duobus primis exemplis, quia magnitudo, magnum, & maximum sunt coniugata: & cui vnum coniugatorum conuenit eidem & reliqua conueniunt. Ex vltimo adiuncto antecedentis sic arguo. Infinitum (vt docet Philosophus) soli debetur quantitati: ergo si Deus sit infinitus est magnus, aut multus: sed non est multitudo in Deo (probatur*

ens vnus) ergo est magnus & per consequēs habet magnitudinē. Praeterea, secundum Aristotelem, Deus est animal: ergo est corpus, & proinde non est expers magnitudinis. Locus Arist. est in lib. 12. Metaph. c. 7. Deus inquit est animal sempiternum & optimum,

Deus quomodo magnus & infinitus dicatur.

Resp. *Magnitudo distinguitur in magnitudinem molis, & magnitudinem virtutis: Deus magnus, maximus, & infinitus virtute dicitur, non molis quantitate: argumentum hoc ergo collectum à veris coniugatis nō est, quia mutatur significatio multitudinis: neq; intelligendus est Aristot. (cum dicat infinitum esse debitum soli quantitati) de infinito quod virtuti, sed de infinito quod multitudini aut magnitudini debetur. Locus ille quem trahis ex Aristotele, in quo Deum animal esse definit longe aliter interpretandus est quam tibi videtur exponi debere. Nam certum est illic nomen animalis sumi pro viuente aut animato, quasi diceret Deus est (vt ita loquar) viuificans aut animans optimum & sempiternum. Animal enim Graece* viuēs *significat, atq; Deus (cum sit vitae author in aliis) non solum ipse est vita compos, sed etiam ipsa essentialis, vna & aeterna vita, à qua omnia suam vitam, id est suum esse & bene esse capiunt. Quod vero per nomen animalis hoc loco non intelligat Philosophus crassa Minerua Deum esse corpore & anima praeditum hinc liquido constat, quoniam statim in eodem textu addit, Deum esse absque omni materia, quod certe non diceret si illum aut molis participem aut animal esse somniasset. Sed certe sic non delirauit, cum sexcenta sint loca apud illum quae contrariū probent. Sed leuiora haec sunt quam quae vlla refutatione digna videantur.*

Graece enim idem pro animali & animante ponitur, solum accentu differens ζῷον & ζωόν.

An Deus sit primum intensiue Infinitum?

Arist. polit. lib. 1. cap. 6.

Opp. *Finis (teste Philosopho) est ens vltimum: sed Deus est finis omnium: ergo Deus est ens vltimum. Praeterea, causa rei proprie non appellatur nomine effectus: sed Deus est causa entis: ergo Deus ens non dicitur: & si ens non dicatur ens primum dici non potest, nam ens primum dici praesupponit ens esse. Deinceps Deus est actu infinitus: Deus ergo non est ens: quippe ens omne finitum est: quod sic probo, quia ens aut est ens rei quod sub ambitu praedicamentorum continetur,*

tur, aut ens rationis quod nihil aliud est quam finita animi intensio. At negant philosophi Deum coerceri aut comprehendi sub limitibus prædicamentorum & proinde non est ens rei: ens autem rationis Deum appellare impium est, & à veritate alienum. Postremo, quid velis per intensiue infinitum nescio, nisi infinita animi intensione sic posse intelligi Deum infinitum interpreteris: at animus ipse finitus est: nō ergo potest actu æternum & infinitum comprehendere. Infinita.n.intensio non potest esse finiti subiecti: sed animus est finitū subiectum: infinita ergo eiusdem intensio esse non potest, & idcirco sequitur non posse Deum infinitum concipi ab homine per infinitam intensionem animi.

Resp. *Beatissimus Deus secundum philosophos finis est vt conseruat, principium vt efficit & condit omnia naturæ opera: ens ergo vltimum est acquisitione, ordine autem essentia & perfectione ens vnum, primum, & bonum dicitur. At (ais) omne ens fit à Deo, causaque effectus sui nomine non appellatur: ergo Deus non est ens. Respondeo ens omne finitum & limitatum esse effectum Dei, ens vero rei transcendens, vnum, & bonum in summo perfectionis gradu positum, esse ipsum Deum: Idipsum tertio argumento iam dico, nempe Deum esse actu ens infinitum. Ergo (inquis) est aut ens rei aut rationis. Est ens rei. Ergo effectus de causa dicitur, Deusque in prædicamentis continetur. Rationem nego, quia ens rei transcendens in summo perfectionis & essentiæ gradu positum principium est, quod ab entis reique nomine non excluditur. Postremo, vbi dubitas quid per infinitum intensiue intelligam, affirmo me nihil aliud intelligere quam Deum esse in se summe & simpliciter perfectum, totamque perfectionis plenitudinem in illo essentialiter residere: quam plenitudinem & infinitatem perfectionis etsi nulla animi finiti intentio possit plenissime apprehendere, analogice tamen potest, quod in nocte huius vitæ satis est, in qua Deum & res diuinas non aliter quam noctuæ solis radios intuemur.*

Deus vt finis vt principium.

Deus est ens transcendens.

Infinitum intensiue quid significet.

Arist. Metap. 2. li. t. 1. Cor. c. 13. ver. 9 12.

Dubium, Vtrum cœli siderumque potius influentia quam motoris potentia rerum inferiorum multiplicem mutationem efficiat?

Meteo. lib. 1 c. de ort. & c. l. 2.

Opp. *Aristoteles in libris de Cælo & Meteororum constanter affirmat, solis cursum seu iter per signa Zodiaci esse primariam causam multiplicis generationis interitusque, unde varietas rerum inferiorum oritur. Causa eadem illic est quæ hic à Philosopho assignatur, nimirum quia varius & multiplex est situs, motus & aspectus siderum, per quæ sol retrograda sua motione migrat: primus autem motor unus idemque semper est & immutabilis, qui potius constantia & immutabilitate rerum quam alteratione delectatur.*

Efficiens causa duplex.

Resp. *Duplex est causa efficiens mutationis in hac inferiore parte mundi, primaria & instrumentaria. Illa primi motoris potentia, hac siderum influentia dicitur. Deus enim cælestium corporum motu, lumine & influentia vt mediis instrumentis vtitur in mutatione reru͂. Si ergo veru͂ sit ꝙ dici solet, quicquid est causa causa est causa causati, hoc iam posito & probato Deum esse ens primum & causam omniu͂, concludimus directe illius potentiam (quæ est causa cæli) magis efficere varietatem & commutationem rerum, quam vllam cæli siderumue influentiã. Sed dices, quorsum in textu mouetur hoc dubium? vt intelligas Deum simpliciter esse vnum, æternum & infinitum, qui per se omnia efficit, cælum autem & sidera esse solum instrumenta, quæ officiciose illius imperio obsequuntur, & exequuntur voluntatem.*

CAPVT. VII.

Vtrum { *Motus quo Deus primam sphæram cælestem moueat sit naturalis?* / *Motus localis cæli sit causa omnis motus?* }

Acre certamẽ est inter inerpretes quid sibi hoc loco velit Aristot. cum ab alta contemplatione primi motoris ad motus cœlestis & elementaris circulos relabitur. Dædali arte velocioribus alis veluti factis ad solem solisque motorem primum volauit: sed calore & splendore tanti solis alæ liquefactæ sunt, & naturalis homo (quantumuis sapiens) à summo in imum, à cœlo in centrum cadit. Recte poeta:

Ouid. Metam. lib. 8 fab. 3. & Lucianus libel. de Astrolog.

Icarus Icariis nomina fecit aquis.

Ouid. lib 1. trist. elig 1. ve. 90.

Quid agis (Philosophe) nimis altum sapis, maiestatem summi

mi motoris de quo nunc agis cæcutientes oculi humani videre non possunt. Imo mens hominis, (licet sit immortalis,) infinitum lumen tantæ maiestatis non cernit. Frustra igitur conaris penetrare cœlos, & quid sit Deus definire. Sed omissis verbis causam cur Philosophus ab arce primi motoris ad motus considerationem iterum accedat hanc esse puto, non quod nimis curiose contendat æternam & inaccessibilem lucem extra cœlos intueri (vt quidam interpretes somniarunt) sed vt definiat in quo genere motus is tandem sit, quo Deus primam sphæram cœlestem agitet: An sit ille naturalis? Quæ disputatio est quidem hoc loco non tam vtilis quam necessaria, cum inter mouens & mobile sit quædam semper relatio. Hinc attoniti nonnulli sunt amici interpretes Aristotelis, qui eum tam profunde immensum in Oceano naturæ existimant, vt Deum physicum & naturalem motorem fuisse hoc loco defenderet. Ratio est, quia motum primi mobilis naturalem, localem & continuũ hic esse concludit. Sed tantorum virorum pace hic scrupulus inprimis eximendus est, & dirimenda controuersia.

Exod. 33. 20.
Ioan 5. 37.
Deut. 4. 12.
Ratio cur Philosophus à primo motore ad motum iterum reuertatur.

Mirum certe mihi semper fuit, ex quo volumina & monumenta Arist. perlegi, quomodo vlli expositores eiusdem in illam opinionem incurrerent, vt existimarent illum vnquam posuisse Deum physicum & naturalem motorem rerum. Fatētur omnes Arist. definiisse Deũm incorporeā substantiam esse, in quam nullum accidens, nulla affectio, nulla mutatio cadit: eadẽ ergo opera fatentur ex Arist. Deum non esse naturalẽ causam & principium corporeũ: spiritus.n. assistens naturali modo in materiā non agit. Præterea, cum copiose & abunde antea demõstratum sit Deũ esse primā Metaphysicā causam, ens infinitum, agens liberũ, mouens nullis mediis alligatum, æternum numen, mundi animā, summũ bonum, finẽ omniũ: non video qua ratione concludant Arist. ea esse sententia, vt in catastrophe huius eximii operis omnia istis contraria asseueret. Quod certe facit si Deũ mouens naturale hoc in loco concludat. Nam quomodo prima & Metaphysica causa, quomodo ens actu infinitũ, quomodo agens liberrimum, quomodo mouens nullis mediis astrictum, quomodo deniq; ęternum numen, mundi anima, summũ bonũ, finis omniũ dici potest, si naturalis sit motor

Arist. non posuit Deũ agentem naturalẽ.

Præclara Dei attributa.

rerum? natura enim metaphysice nihil efficit, actu infinitũ non fert natura, omnia agentia & mouentia naturalia certa media, & instrumenta habent. Est aliquid diuinum in natura, sed ipsa natura numen non est, nisi naturam naturantem (vt vocant) intelligas. Mundi anima sphæras naturæ regit, finisque & bonum omnium ideo à Philosopho dicitur, quia omnia in Deo metaphysice conseruãtur. Non est ergo Deus naturale agens, nõ est mouens naturale nisi agens mouensque naturale illud esse intelligas quod naturã nõ tollit. Agit quidem Deus vt optimus artifex, conseruat non destruit id quod formauit opus. Naturam, motum, mundum, omnia denique naturæ opera & effecta fecit, factis leges imposuit, ordinem præscripsit, gnauiter disposuit omnia & singula: & ita disposuit vt in Olympo sua stadia percurrant, sic tamen percurrant vt in ipso cursu (si ille iubeat) suas alas veluti contrahant, plumasq; & colores naturæ mutẽt. Mirum est quod ex philosophia dico, natura sæpe contra naturam agit, quia primus motor naturæ iussit. Imo magis mirum est quod addam. Natura singularis sæpe suam amittit naturam, & tamen potentia primi motoris eadem conseruatur. Liber Aristotelis de Mirabilibus mundi infinita fere exempla in finita causa suggerit.

Arist. Metap. lib 11 summa 4 c.2. & phys. 3: lib t. 40 41. 42.

Deus vt optimus artifex.

Omitto verba, summa hæc est eorũ quæ à me dicta sunt. Deus mouet cœlum nõ vt naturalis sed vt metaphysica causa: non est enim necesse vt causa sit eiusdem generis cum effectu: etsi ergo motus cœli sit natura lis, inde tamẽ concludi nõ potest Deũ esse naturalẽ causam. At dices, inter mouẽs & mobile debet esse ꝓportio relatioq; . si ergo motus cœli sit naturalis, eiusdẽ motor debet esse naturalis. Ratio hęc infirma est, & antecedẽs nõ est simpliciter verũ, nisi in mouentib. & motis naturalib. intelligatur ꝓpositio. At vlteriꝰ vrges, si Deꝰ vt est metaphysica causa & infinita moueret cœlũ, in instanti idipsum infinite moueret, actio. n. infinite agẽtis non tempore sed in instanti, non successione sed momento perficitur. Cœlum tamen voluitur definito spacio quod arguit Deum potius vt naturalem quam supernaturalem causam idipsum mouere. Arguis inepte; nam etsi actu infinitũ agens possit quidem mouere cœlum in instanti, libere tamen agens sit voluit, vt certis spaciis temporis moueatur: nõ quod

Non est necesse vt effectus sint eiusdem generis cum causa.

Obiectio.

Responsio.

Obiectio altera.

quod tempus & successio motorem comprehēdat, sed quod motor ipse tempus & motum comprehendens finitum pro mensura & facultate essentiæ suæ moueri voluerit. Neq; est quod hoc mirū tibi videatur; nā vt peritus artifex qui horologiū conficit, ꝙ potest omnes & singulas rotas velocissimo motu, si placet, incitare, hoc tamen non facit, sed sic ordine disponit vt hæ velocius, illæ tardius moueantur: ita Deus summus & sapientissimus architectus mundi potest quidem cœlos in instanti mouere cū sit actu infinitus motor, ita tamen voluit omnia numero, tempore, mensura, fieri, vt nihil extra ordinem cursumq; naturæ suæ ageretur. Cœlum ergo voluit, non in instanti secundum potentiam suam exactam sed certis & definitis periodis secundum diuinam prouidentiam, qua singula regit & conseruat: non tamen deest illius magna potentia in primo motu cœli: nam etsi ad mensurā magnitudinis pro singulari prouidētia sua idipsum moueat, in eo tamen cernitur quod tantum & tam immensum corpus per se sine vllo vlteriore loco moueat. Neq; dicendū est ideo actionem in mouēdo cœlo esse naturalem, quia motus cœli respectu formæ, figuræ, proprietatis suæ sit naturalis. Ratio illa est quam superius attuli, nimirum posse causam & effectum esse diuersorum generum. *Responsio.* *Simile ab arte.*

Sed vt rem planiorem efficiam attende, vt peritus medicus arte sua naturam ad sanitatem mouet, qui motus in homine naturalis est, in medico vero opus ipsius artis: ita (si liceat maxima cum minimis comparare) motus cœlestis respectu cœli (docilis & apti ad talem motum) est naturalis respectu autem Dei plane metaphysicus & supernaturalis dicitur. Globosæ enim figuræ naturale est in gyros & rotas verti, at sine loco & corpore continenti sic volui metaphysicum quiddam est & supernaturale. Sed dicis, cur non pergis in expositione textus, in quo Aristoteles motum cœli localem & continuum esse definit? *Motus cœli naturalis & non naturalis diuerso respectu dici potest.*

Pergo, & agnosco hoc verum esse quod dicis. Sed scrupulo hoc nunc exempto, videas aperte recte posse hæc duo simul constare, cœlum nimirum moueri naturaliter Deumque idipsum mouere, metaphysica & supernaturali tamen ratione. Nam absurdum est apud Aristotelem negare Deum actu infinitum esse, aut naturalem causam appel- *Phys. 3. lib. 8. 30. De cœlo lib. 1. tex. 104.*

pellare, aut vllis mediis aut instrumentis illum astringere & alligare. Ostende tandem cur cœli motum hoc loco Arist. localem nominet, cum ipse fateatur extra cœlum non esse vlteriorem locum: & paucis expone illam quæstionem, *Vtrum sine locali motu nullus alius existat motus? quod in hoc capite defendit Philosophus.* Breuius quam res tantæ dici possunt expediam. Cœlestem motum localem appellat tribus præcipue de causis: primum, quia cœlum est primus & communis locus omnium, tum quia in partibus suis veluti in loco moueatur: postremo, quia hic motus est causa omnis motus in vniuerso: omnis enim motus à motu cœli pendet. Huc addi potest mea opinione quarta causa, quia potentia primi motoris à puncto in punctum, ab ortu in occasum, à termino in terminum moueatur: quod genus motus ad locum quodammodo spectat, quamuis non eodem modo cieatur quo inferiora corpora subalternatim posita, & vinculis naturæ colligata. Quæstionem quam proponis ex textu argumentis quæ in textu reperio breuiter aperiam.

Primus (inquit Aristot.) motor primi & continui motus author est, localis autem motus est primus & continuus: ergo primus motor est motus primi localis author. Per *authorem motus* causam motus, per *causam* non naturalē sed metaphysicā causam (vt supra) intellige. Sed quo pacto probetur localem motum esse omnium reliquorum primum? Hoc modo, quia ille motus est primus sine quo reliqui motus constare nequeunt: sed absq; motu locali reliqui motus constare nequeunt: ergo localis motus est primus. Assumptio probatur inductione aut enumeratione omnium reliquorum motuum: nam accretionem non esse primam hinc constat, quoniam animalium incrementum absq; nutrimēto esse non potest, quod partim est simile partim dissimile rei quæ augetur: simile per conuersionem alimenti in naturam aliti, dissimile vero per contrarium in primo conflictu naturæ cum alimento. antequam fiat vlla conuersio. Sed hæc conuersio alimenti in naturam aliti non fit sine alteratione, nec alteratio sine motu locali: ergo accretio non fit sine motu locali. Quod vero alteratio non fiat sine loci mutatione inde perspicuum & manifestum est, quoniam alterationem præcedit, idque mutat: sed alterans non agit nisi

Localis motus primum motuū.

Accretio non est motus primus.

Alteratio à motu locali dependet.

nisi admoueatur ei quod alteratur. Exempli caussa, si vehementius calefaciat ignis propius accedit, si non calefaciat remouetur. Apertius (si placet) ad hunc modum. Alteratio est prior augmentatione, quia augmentatio fit per conuersionem nutrimenti in substantiam aliti, quod nutrimentum est primo impetu dissimile & postea simile & cognatum nutrito per assimilationem, quæ non fit sine alteratione: non est ergo augmentatio primus motus. Quod vero alteratio non sit primus motus conuincitur, quoniam ad alterationem applicatio alterantis requiritur, quæ applicatio non potest esse sine loci mutatione: localis ergo motus est omnium primus. Cum igitur secundũ Arist. sint tres solum species subalternæ motus, secundum quantitatem, qualitatem & vbi, cumque alteratio sit prior augmentatione, & alteratione loci mutatio: sequitur motum localem esse omnium motionum primam.

Alteratio prior augmentatione.

Alteratio non est primus motus.

Ad hoc propositum demonstrandum alia adducuntur argumenta, quorum primo probatur motum localem esse priorem cæteris à natura. Rationem addit Philosophus, quia motus localis potest esse aliis non existentibus, alii vero sine eo esse non possunt, vt modo probatum fuit. Quod motus localis subsistat vi sua sine aliis ab exemplis constat, quoniam aliqua loco moueri possunt vt cœlestes globi, qui nec generari, nec corrumpi, nec augeri nec diminui, nec qualitate alterari possunt.

Motus localis potest esse sine aliis motibus, alii non sine eo.

Argumentum aliud est quo concluditur hunc motum inter reliquos esse antiquiorem tempore: causa est, quia motus cœlestis est perpetuus, reliqui vero motus ratione terminorum suos limites periodosque habent. Vltimum argumentum docet hunc motum inter cæteros priorem esse perfectione, quia non conuenit nisi perfectis: & quamuis sit aliquo modo & sensu posterior generatione, prior tamen semper est dignitate. Ratio est, quoniam ea quæ sunt posteriora via generationis priora sunt vi vltimę perfectionis, vt Philosophi docuerunt. Postremo, quoniam reliqui motus ex opposito in oppositum transeant continui (vt hic motus localis) esse non possunt. Generatio enim à non ente ad ens, corruptio ab ente ad non ens, alteratio ab aduersa qualitate in repugnantem affectum, accretio ex parui-


Arist. de Ort. &c. li. 1. t. 21. & de Gen. anim. l. 2. cap. 4. paulo post medium.

tate in magnitudinem, diminutio à magnitudine in paruitatem tendit.

Arist. de Cœlo lib.1.tex.21. & de Ortu lib.1. tex 3.
Motus localis duplex.
Cœlestis motus primus Phys. li.8.tex.75.

Quorsum hæc omnia? certe vt intelligas motum quo Deus cœlum mouet esse præ cæteris diuinum: nam certe illum motum solummodo hoc loco intelligit, illum definit, illum cum aliis comparat. Distingue igitur motum localem duplicem esse, alium cœlestem, alium elementarem, eundemque simplicem aut mixtum. Cœlestem quidem motum hic primum, hic per se perpetuum, hic sine interruptione continuum, hic ordine, natura, tempore, perfectione cæteris nobiliorem esse concludit, hic (inquam) illum motum esse affirmat. Primus motor cœlum voluit, non vi aut potentia naturæ, non vi aut ope spiritus seu alterius animæ, non vi internæ mouentis formæ, non vi figuræ: sed propria quasi manu & potentia maiestatis suæ, quæ sola potest tam immensam sphæram sine loco (& quod dictu mirabile est) in loco mouere. Hic motus (vt ait Philosophus) diuinus est, hic motus præ reliquis perpetuus est, hic motus vere & per se continuus est, hic motus primus est, quia à Deo prima causa & primo motore est.

Distinctio quæstionum, Vtrum motus quo Deus cœlum mouet sit naturalis? An motus localis cœli sit causa reliquorum?



A Cœli,

A Cœli, idque vel propter

1 Defectum continentis superioris corporis, sine quo res nulla physica naturaliter moueri potest: deficiente ergo corpore continente proprius locus & naturalis deficit; at loco proprio deficiente, necessario sequitur à prima causa, eademq; actu infinita cœlum metaphysice non physice moueri, si moueatur.

2 Impotentiã alterius cuiuslibet motricis causæ in cœlo; nam licet motus cœli respectu formæ, figuræ, proprietatis & finis cœlestis sit quidem cœlo naturalis: loco tamen deficiente mouens infinitum requirit, quia hæ causæ ordine naturæ non possunt sine loco corpus vnquam mouere: at vltra primum mobile dari non potest locus, ne in infinitum mouentium & mobilium (vt docet Philosophus) fiat progressus, infinitusq; habeatur numerus.

B Secunda. An motus localis cœli sit prior reliquis, & etiam eorum omnium causa? Docet in textu Aristo. q̃ hic mot⁹ sit prior aliis.

1 Causa, quia à nobilissima & diuinissima causa pendet, nempe à primo motore, qui hoc motu in cœlo voluẽdo vtitur.

2 Ordine quia cõuenit primo corpori q̃ suo motu lumine & influẽtia causa est omniũ quæ in inferiore mũdi parte & globo fiunt. Requiritur.n.in subordinatione corporũ mouentiũ & mobiliũ ordo. & in ordine requiritur vt sit vnũ supremũ. & in supremo requiritur vt omnia quæ illi cõueniũt dicant̃ prima: mot⁹ ergo qui cœlo conuenit primus est, & causa omniũ reliquorũ motuum.

3 Natura, quia hic motus aliis non existentib. per se esse potest; nam etsi in ordine & dispositione rerũ secundum prouidentiam diuinam cœlum destinetur in hunc finem, vt fiat & conseruetur inferior pars mundi, eam tamen essentiam habet veluti custodem sui. vt si ex hypothesi inferior pars mundi contabescat, id tamen inconcussum perpetuo maneat, nisi primus motor motricem & conseruatricem manum suam detraxerit.

4 Tempore, quia hic motus localis per se continuus & perpetuus est, reliqui vero motus suis periodis & limitibus terminantur; quippe eorum termini contrarii sunt, quorum alterum alteri bonum perpetuum inuidet.

5 Perfectione & fine, idq. ob duplicẽ causã. Primũ quia perfectis solũ hic motus cõuenit, tũ in suprema tũ in infima regione mũdi. & quia in motu locali ens nullũ suũ esse perdit, vt in cæteris sæpe cõtingit. Nã in accretione maior quãtitas, in alteratione vna qualitas omnino tollitur. in loci autẽ naturalis mutatione res integra & illæsa permanet: est ergo localis motus perfectior reliquis. Notandum hic est nõnullos generalius hanc comparationẽ motus localis in omni parte mundi cum omni alio motu facere, quod quidem probabiliter faciunt: sed mea quidẽ opinione præcipue intelligendus Philosophus est de motu locali cœli, qui oẽs motus alios causa, ordine, natura, tempore, perfectione & fine superat; fine, quia ad hunc motum vt ad finem referuntur.

Contra primam quæstionem.

Oppo. *Motus cæli est naturalis: ergo motus quo primus motor cælũ mouet est naturalis. Antecedens probatur, quia cælum est naturale corpus, & proinde illius motus est naturalis. Ratio tenet, quia alius non est distinctus motus mouentis à motu mobilis; Actio enim & passio sunt vnius motus vt docet Philosophus 3. Physicorum.*

Resp. *Classici doctores in scholis philosophorum vehemẽter dubitant, an cælum ex eadem materia constet cum hisce inferioribus rebus mundi? Sunt qui affirment, sunt qui negent, sed de hac re opportunius. Respondeo nunc argumento, quod hic motus respectu formæ cælestis sit naturalis, respectu autem primæ causæ supernaturalis. Naturalis est respectu formæ & figuræ cælestis, quoniam forma cæli est maxime actiua, & figura est aptissima ad motum. Supernaturalis est, quia cælum loco caret, & proinde infinita causa motrice opus habet, vt maiore velocitate in suis partibus tanquam in locis quam in amplexu corporis continentis moueretur. Altera pars argumenti de vnitate motus in agente & patiente vrget quidem, & recte concludit in agẽtibus & patientibus naturaliter, cum vtraq; materia, qualitate & loco vicina sint & communicent: at in libero & metaphysico agente non tenet. Rem illustriorem hoc exemplo faciã, vt anima humana aliquando pro imperii ratione corpus ira vel amore vel alio iusto affectu mouet qui motus in corpore naturalis est, in anima vero (vt loquuntur) virtualis: ita primus motor virtute sua mouet cælum, cuius tamen actus in cælo impressus motus naturalis dicitur. Similis est ratio caloris in sole & in terra: nam vt calor in sole effectiue, in terra subiectiue inest: ita motus in Deo vt in causa efficienter, in cælo vt in materia naturaliter: in Deo vt in principio, in cælo vt in subiecto inest.*

Cæli motus est naturalis & supernaturalis.

Simile ab anima.

Aliud simile à solis calore.

Opp. *Institutum Arist. non est hoc loco comparare motum solum cælestem cum aliis motibus, sed omnẽ motum localem quem primũ esse inter cæteros ostendit, vt patet in exemplis nutritionis, augmentationis, & alterationis ex textu desumptis: male ergo tuũ Cerberũ ab inferis ad cælũ trahis.*

Resp. *Bona verba quæso: institutum Aristot. est docere quo pacto primus motor cælum moueat, sic enim verba ex-*

pressa indicant, & certe si hoc non faceret, parum hæc cum præcedentibus & sequentibus cohærerent. Quod vrgeas exẽpla, agnosco verum esse quod vrges, scilicet localem motum in stadio inferiore mundi primas tenere, sed huc omnia tendũt, vt demonstretur primi mobilis motus primas præ cæteris omnibus, causa, ordine, natura, tempore, perfectione & fine sibi vendicare, tum respectu subiecti in quo, tum respectu principii à quo fluit.

Opp. *Aristoteles in hisce libris Physicorum, & etiam in libris de cælo ait motum cælestem esse simpliciter naturalem. In his enim libris diuidit motum localem in rectum, orbicularem & mixtum qui est animaliũ: in libris de cælo hunc motum simplicem, vnum, regularem esse secundum ordinem naturæ demonstrat: limites & cancellos naturæ nusquam egreditur Philosophus. Imo in his libris Physicorum, ne diceret cæli motum non esse naturalem, Deum necessitati veluti fatali motus astringit, eumq; necessario semper mouere cælum audacter & confidenter affirmat: cogis ergo illum id loqui quod nunquam animo cogitarat.* Lib. 2. tex 35. 36 37.

Resp. *Non nego motum cælestem respectu cæli (vt antea demonstraui) simpliciter naturalem esse: sedet enim in cælo natura, at supra cælum & naturam triumphat Deus: ea ergo quæ ex diuisione motus ex libris Aristot. adfers nihil vrgent: sed illud commentum tuum vrget, vbi dicis Aristot. (ne diceret cæli motum non esse naturalem) Deum necessitati mouendi alligasse. Imo contrarium fecit: nam illum libertati reliquit, est, inquit, agens actu infinitum & liberrimum, cuius potentiæ omnia subiiciuntur.*

Contra secundam quæstionem.

Opp. *Causa cuiusque motus est ipsa natura: ergo motus cæli non est causa, nam motus est accidens naturæ non ipsa natura. Antecedens probatur à definitione naturæ.* Arist. Phys. 2. lib. tex. 3.

Resp. *Duplex est causa motus: interna, quæ est vel absoluta, vt natura: vel ex parte, vt vis & potentia naturæ. Externa, & hæc est etiam duplex, vel proxima vt facultas proxime mouentis, vel remota vt motus cæli influentis. Sic, inquit Philosophus, motus solis in Zodiaco est causa generationis & corruptionis, iuxta illud: sol & homo generant hominem.*

Causa motus duplex interna, eaq; duplex. Arist. Meteor. 1. 9. de ortu. lib. 2. t. 53. & Phys. 2. lib. tex. 26.

Motus localis est Generationis motu prior.

Opp. *Generatio est prior motu locali: ergo motus localis non est primus motus omnium. Antecedens probatur: quia generatio est motus ad substantiam, & sicut substantia est prior & perfectior aliis prædicamentis: ita motus ad substantiam debet esse prior aliis motibus ad alia prædicamenta.*

Resp. *Generatio est prior motu locali ordine perfectionis internæ, non externæ. Sic quidam resoluunt hoc argumentum: sed melius respondebis si dicas Philosophum hoc loco agere de motu locali cæli, qui omnem generationem præcedat. Vel denique, si vis, probabiliter dices generationem non perfici sine alteratione, & alterationem non esse sine applicatione alterantis ad alteratum: quæ applicatio non fit sine loci mutatione, vnde sequitur motum localem esse reliquorum primum.*

Opp. *De cælesti motu locali agere non potest Philosophus: ergo minus apposite ad illud asylum confugis, nempe quod illius motus cum aliis aliorum generum fiat sola comparatio. Antecedens probatur, quia cæli non est localis motus omnino vt hic defendis.*

Quomodo cælum sit in loco.

Resp. *Quamuis ad principium motus non requiratur locus, neque est necesse vt primus locus omnium sit in loco, quia semper primum in quouis genere a legibus strictis eiusdem generis excipitur: cælum tamen in loco esse dicitur secundum*

Locus duplex.

partes in quibus vt in locis mouetur & continetur. Præterea (vt distinguunt aliqui) est locus continentiæ & locus dependentiæ, quamuis ille omnino cælo deficiat, nullum enim corpus superius ipsum cælum continet, locus tamen hic nempe dependentiæ non deest, tum respectu Dei qui mouet, tum respectu centri quod mensurat: centrum enim est locus dependentiæ à quo per lineas ab eo æqualiter deductas cæli immensitas & magnitudo mensuratur.

Centrum quid.

Opp. *In omnibus quæ generantur primum est generari, tum alterari & augeri, & postremo localiter moueri: non est ergo motus localis primus. Antecedens probatur, quia omnia generantur à materia prima, in qua nulla omnino alteratio esse potest ante accessionem formæ, quæ formæ accessio est ipsa generatio: Generatio ergo est primus motus omnium. Præterea, in materia prima non est penitus vllus localis motus: localis ergo motus non est primus.*

Resp.

Resp. *Quamuis in simplicissima generatione (quæ est vnio alicuius primæ formæ cum materia prima) motus localis non sit prior, in minus simplici tamen aut composita generatione præcedit alteratio, quam semper anticipat commutatio loci. Aliter respondeo, in ipsa vnione primæ materiæ ad formam aliquam primam (puta formã cœli aut ignis) esse quandam alterationem, nempe a nuda potentia ad motum, qui est quidam actus, quæ alteratio esse non potest sine aliqua mutatione rei iam inchoata, antequam generatio perfecta fiat: & sane generatio propria non dicitur nisi sit perfecta. Postremo, alii respondent huic obiectioni, comparationem in hoc loco nõ fieri inter localem motum & generationem, quia (vt hic innuit Philosophus) generatio inter motus genera nõ annumeratur. Nam motus (inquit) genera ad tria solum prædicamenta spectant, quantitatem, qualitatem, & vbi.* Responsio 1. Generatio est duplex. Responsio 2. Responsio 3. Arist. phy. 3. li. t. 4. & l. 5. t. 18.

Opp. *Mirum est cur Aristoteles hic dicat cœlestem motum esse præ cæteris continuum, infinitum, & perpetuum, cum antea in 3. Physicorum docuerit omnem motum esse continuum & secundùm partes proportionis infinitum & perpetuum. Præterea, generationes & corruptiones motus ab illo perpetui esse definiuntur: motus ergo cœlestis istis solum attributis non gaudet.* T. 1. & 70. & 9.

Resp. *Quanquam alii motus sint continui, infiniti, & perpetui, respectiue (vt aiunt) non sunt tamen vt motus hic cœlestis absolute & effectiue, vt Philosophi loquuntur. Continuitas enim cœlestis motus sine contrarietate terminorum est (nihil enim in cœlo contrarium existit) at aliorum motuũ continuatio terminos repugnantes postulat. Similiter infinitas & perpetuitas reliquorum motuum partes solum proportionis & diuisionis in potentia respicit: motus vero cœlestis à prima causa verissime & essentialiter æterna sine vllo occasu pendet; & sic quidem cœlum & motus cœli in sua causa non in propria materia, in suo primo ipsorum principio non in seipsis aut effectis æterna dici possunt, quippe naturã ex se incommutabilem & sempiternam non habent (nihil enim sic habet præter Deum) sed per accidens, quoniam nullum agens est naturale quod cœlum vincere, nullum mouens aut mobile quod impedire, nullum contrarium quod superare potest.* Motus qua ratione continuus & perpetuus dicatur.

CAPVT. VIII.

Vtrum { *Vlla sit cessatio aut reflexio in cœlesti motu?*
Mobile in termino reflexionis quiescat?

Connectit cum præcedentibus sequentia.

MOtus cœlestis adhuc vberior tractatio sequitur, ne vllus de eo error in comparatione aliorum motuum fiat. Neque est vt quispiam hic ægre aut moleste ferat tam bene longum & copiosum de hoc motu sermonem. Tanta enim est excellentia eiusdem, vt volumen vix sufficeret ad illius mysteria reseranda, si speculum Astrologorum de eodem præclare disputantium contempleris. Philosophus hoc loco viam solum astruit & digito quasi scalam cœli demonstrat, & denique in ea motum primumque motorem in relatione ad effecta naturæ notat. Dictum iam est motum cœli esse vnum, simplicem, æqualem, regularem, per se continuum, perpetuum, diuinum, nec non efficientem causam & principium omnium reliquorum motuum in hac inferiore regione mundi. Nunc ergo oportune quæritur, *an sit in illo motu vlla interruptio, vlla cessatio aut reflexio, sitne in reflexione vllius alterius corporis aut motus quies.*

Quæ in hoc capite tractatur.

An poli quiescant.

Insignis est inter quosdam neotericos Astrologos controuersia, *An in terminis & cardinibus cœli sit vlla à motu cœlesti quies? & An inferiorum sphærarum retrogrado cursu & conatu motus primi mobilis refrænetur?* Quidam eorum asserunt quoad primum, esse quidem cessationem à motu in polis & cardinibus cœli: nam inquiũt vt axis plaustro fixus & immotus, rotis perpetuo currentibus, manet: ita poli & cardines cœli immobiles existunt, etsi orbes in gyrum perpetuo agitentur & circumuoluantur. Quoad alrum, dicunt renitentes inferiores sphæras motum primi mobilis (qui aliter in instanti fieret) retardare, posseque statum in quibusdam punctis cœli hac ratione fieri, non aliter quam in orbe solis, qui in cancro & capricorno, duobus signis solstitii, stare videtur. Sed istorum pace id dicã quod sentio, horum neutrum vere omnino fieri: nam inter axes plaustri & polos cœli non est par ratio, nec est vera eorum de statione solis in his signis opinio. Quod non sit par ratio inter axes plaustri & polos cœli hinc constat, quoniam

Tales sunt mobiles.

illi(id est axes)non sunt partes rotarum, at poli sunt partes densiores cœli, quæ semper ad motum totius mouētur quidem; stare autem ideo non mouere dicuntur, quia eorum motus minime sentitur.

Similis est ratio solis in solstitiis existentis; videtur quidem ad tempus stare aut quiescere, sed secundum rei veritatem sine vlla mora à punctis in suo curru reuertitur ad alteram partem cœli. Neque id verum est quod affirmant, nimirum refrænari aut tardari supremi cœli motum renitentia (vt aiunt) inferiorū orbium, qui cōtrariis motibus ferūtur; nam si hoc detur, sequitur cœlum pati, nec non vinci & corrumpi posse. Veruntamen omnium philosophorū communi consensu hoc ratum & approbatum est, primum mobile à nullo inferiore vinci, impediri, aut superari posse. Cęterum si hoc etiam concedatur eis, posse supremi cœli cursum retardari contrario conatu aliorū orbium, illud tamen non probant quod intendunt, scilicet cœli motum quiescere, aut in suis terminis cessare: quoniam motus cœli est simpliciter continuus, quia nullum reflexum aut repulsam patitur. Vt ergo in horologio artificiali maiores & minores rotæ suum proprium cursum & motum habent prout artifex disposuit, sic inquam habent, vt hi illis non sint impedimento, sed omnes & singuli continuo in horæ vnius spacio vertantur: ita in maximo illo horologio naturæ (nēpe cœlo) omnes & singuli orbes suo modo & loco perpetuo voluūtur, vt summus architectus mundi ordine diuinæ ꝓuidentiæ constituit, & ita voluuntur vt alter alteri vim non inferat, sed dies sempiternos & annos, vt illud horas, sine vlla cessatione describat. Puncta vero & loca quos terminos appellamus, in quibus cœlum suum incipit & claudit motum, sunt signa cōficta & mathematica cognitionis nostrę, non partes cœli, in quibus nulla quies motusq; priuatio inest. Quippe non cessat cœlum in ortu aut occasu moueri, sed quoad nos cessare aut quiescere dicitur, quia in ortu lux incepit, & in occasu horizontis (nostri respectu) definit, vnde dies tempus motus, nox, tēpus quietis definitur esse. Hoc (inquam) definitur, non quod quiescat cœlum, sed quod absente sole (vitæ & motus fonte) res omnes sopore quasi captæ silere & dormire videantur. Esto igitur, cœlestis mo-

Cœli supremi motus non retardatur.

Simile ab horologio.

Cœlum absolute non cessat sed respectu nostri.

tus est perpetuo continuus, & continuo perpetuus, sine mora, sine quiete, sine priuatione; non est contrarium in cœlo, cardines motu circumgyrationis voluuntur, non stat in terminis suis immensum corpus, ortus & occasus sunt puncta obseruationis nostræ, non partes reales moræ aut cessationis; nulla ergo est in cœlo interruptio à motu, non est quies non reflexio, non est priuatio, illius tota perfectio in motu est, quia illius motor æternus est, infinitus est, Deus est, qui cœlo per motum hanc vim & virtutē dedit, vt vna cum preparata materia omnium rerum in hoc inferiore & minore theatro mundi, causa prima à seipso dicatur. Hinc (inquit Arist.) omnis forma est in cœlo, id est, cœlum (cuius imperio & veluti sceptro omnia in hoc mūdo subiiciuntur) per motum, lumē, & influentiā suam omnes formas naturales efficit. Nam etsi formæ naturales à potentia materiæ educātur secundū philosophos, actio tamen in materia, aut potentia materiæ (quæ ambo sunt merè passiua) nō est, si cœlum nō influat, & vitā quasi vitalē suo motu addat. Hoc constat manifeste in plantis, seminibus, fructibusq; terræ, quæ omnia in puluere sepulta & quasi mortua latent & languent, si vi solis influentis, lucentis, mouentis, non excitētur ad motum, trahantur ad formam, perducantur ad vitam.

Cœli nulla quies, sed eius perfectio motus.

Formæ naturales in his inferioribus à cœlo.

Summa praecedentium.

Quid multis? hæc summa est, cœli partem nullam esse realiter immobilē, non esse inæqualitatē in motu, non esse in terminis reflexionē, non esse quietem, non esse retardationem per contrarium & repugnantē conatum inferiorū orbium; sed solum per motorem & moderatorē primum, qui est Deus, cuius potentia cœlum est, cuius virtute regit & operatur omnia quæ in hac infima regione mundi elementorum varia & multiplici commixtione fiunt. Sic (vt vides) cœlum solium Dei est, & illius motus vnus, vniformis, perpetuus, vt aliqua ex parte suo motori respondere videatur.

Quæst. 1.

His positis, nunc tandem videamus An in motu locali corporum inferiorum & mobilium sit vlla in punctis reflexionis à motu cessatio? videtur sane ex Aristotelis sententia in ipso textu esse. Nam in hoc apparet discrimē inter cœlestem motum, & motum aliorum, quia in illo non est omnino reflexio, vt modo edocui: in hoc vero non solum aliquando

Inter motum cœlestem, & alios motus discrimen.

quando

quando est, sed etiam in ipsa reflexione aliqua ad tempus quies, vt in expositione textus nunc facile patebit. Concisis syllogismis & enthymematis perstringam omnia. Probaturus Aristo. nullum localem motum (circulari excepto) simul continuum & perpetuum, sic argumentatur. Omnis locus ad motũ est aut rectus, aut circularis, aut mixtus, sed neq; rectus neq; mixtus potest habere infinitam continuitatem ∴ ergo soli orbiculari motui debetur. Assumptio probatur à ratione magnitudinis, & à conditione cõtinuitatis. A ratione magnitudinis, quia nulla linea recta aut mixta, in qua fit motus rectus vel mixtus, est infinita, nisi fiat reflexio: quæ si fiat, motus in illa non est continuus, quoniam in reflexione est contrarietas & quies, quo fit vt ille motus non sit perpetuus. A cõditione continuitatis, quoniam ad continuitatem motus requiritur triplex vnitas, mobilis, temporis, & formæ, vt est in 5. Physicorum; quæ in contrariis motibus & reflexis (quales sunt recti & mixti) inesse nõ potest: non sunt ergo recti, aut mixti motus simpliciter cõtinui, non sunt simpliciter perpetui. At dices omnem motum esse à contrario in contrarium: hæc ergo ratio nõ probat circularem motum esse præ aliis simpliciter cõtinuum aut perpetuum. Respondeo esse re, quædam contraria, quæ impediunt cõtinuitatem & perpetuitatem motus; esse autem intentione alia quæ non impediunt, vt sunt illa puncta quæ à Mathematicis contrarii termini cœlestis motionis dicũtur. At replicabis rectum & mixtum motum reflexum esse perpetuo continuum, & continuo perpetuum. Nego, quoniam reflexus motus non est idem qui antea fuit: siquidem reflexu motu (vt ait Philosophus in textu) mobile non simul accedit ad terminum, & recedit ab eodem, sed est in eo; & proinde assignari potest tempus, in quo nec accedat nec recedat, sed quiescat in eo. Præterea, quæ specifice differunt non ad se inuicem continuantur; sed motus rectus & reflexus specie differunt (cum sint plane contrarii) ergo non sunt continui, non sunt perpetui. Deinceps, ille motus non est vnus aut continuus qui est interruptus: sic autem est motus reflexus: motus ergo reflexus non est vnus, non est continuus. Insuper, si esset vnus & continuus, mobile in termino reflexionis moueretur: sed hoc est

Motus localis triplex est.

Obiectio.

Responsio.

Motus reflexus non est continuus sed quies est in puncto reflexionis.

falsum, quia si moueatur mouebitur simul contrariis motibus, nempe motu accessus, motuq; recessus. Porro, illi motus non sunt continui & perpetui cum quorũ vno stat quies alteri opposita; sic vero est in motu ante & post reflexionẽ motus: ergo reflexus nõ est vnus, non est perpetuus. Adhuc, in motu reflexio inest contrarietas: non est ergo in eo continuitas. Postremo, fieri non potest vt motus rectus sit continuus & perpetuus, quoniam fit semper in spacio finito, in quo non fit iteratio nisi per reflexionem: at interposita reflexione non est vnus idemque motus, vt iam satis demonstratum est. De motu mixto ex circulari & recto constat eundem non esse vnum, continuum, aut perpetuum; quia nullum mixtum (cui talis motus conuenit) omnino existit perpetuũ. Prima ergo conclusio recte infertur, nullum esse localem motum præter circularem, qui esse potest continuus & perpetuus. Quippe (vt in principio huius capitis docuimus) omnis motus est vel rectus, mixtus, vel circularis; sed nec rectus, nec mixtus potest esse perpetuus: relinquitur igitur vt tantummodo circularis simpliciter continuus & perpetuus existat.

Zenonis ratio. tex. 19. & 75. Ob. Exempla Aristotelis in textu literis alphabeti velata sunt, ideoque enthymematis & syllogismis planiora feci. Sed hic monendus es (studiose lector) Aristotelem respondere argumento Zenonis, olim in lib. 6. adducto, quo conatus est motum omnino tollere, quia in qualibet magnitudine, spacio, & tempore sunt infinita puncta, quæ omnẽ motum motusque successionem impedirent. *Solutio 1.* Verum difficilis non est solutio huius obiectionis; quippe etsi Philosophus illic demonstret esse omnem magnitudinem, omne spacium, omneque tempus, & quoad partes proportionis, & quoad punctorum in illis numerũ infinita: partes tamen nec puncta actu infinita, sed solum potentia affirmat esse, sic vt non impediatur motus. *Solutio 2.* Præterea, hæc partium proportio, diuisioq; punctorũ potius ad mathematicã mensuram quã naturam physicã spectat, licet minimũ reuera in re nulla dari aut assignari possit, si partes proportionis solum cõsideres.

Instans indiuisibile dupliciter considerãdum. Vltimum quod agitur in hoc capite est consideratio instantis seu momenti in quo motus reflexus fiat. Instans (vt ait) considerari potest duobus modis, vel in se, & sic non

est

est diuisibile, vel in subiecto mobili, & sic communiter diuidi & secari potest. Nam aliter corpus (inquit) quod ex albo nigrescit in eodem ipso momento indiuisibili cõtrariis motibus (nempe accessu ad nigredinem & recessu ab albedine) cieretur. Similiter dicendum est de puncto reflexionis in motu recto & mixto, nimirum quod fiat reflexus in eodem puncto communi non proprio; commune enim punctum diuisibile est, proprium vero non est, & proinde in eo contrarii motus reflexionis esse non possint. Quid multis? huc tendit hæc tota nunc disceptatio, vt intelligat studiosus & eruditus lector nobilissimum illum motum cœli tantũmodo continuum, simplicem, perpetuum, & diuinum esse; idque non solum secundum formam, potentiam, figuram, & proprietatem excellentis ætherei corporis in quo est: sed secundum prouidentiam, voluntatem, & imperium primi mouentis, cui in vltimo cap, huius libri omnia sapienter ascribit Philosophus. Sapienter dico, quia sic (vt vides) totum hunc mundum vbique describit, vt (præterquam in cœlo) nihil stabile, nihil firmum, nihil constans, fixum, & perpetuum esse defendat. Ratio est, quoniam motus aliorum omnium præterquam cœli interruptus non continuus existens, casum & occasum rerum omnium arguit. O quam fragilis est hic status mundi in vitreo Oceano, cuius motus reflexus est, non vnus, non continuus! Vnus est portus Deus, in vna via sursum ad cœlum motus. In hoc enim motu solum est sempiterna quies.

Tracedentia quo tendant.

Distinctio quæst. cap. 8.

Omnis motus est, aut
- Circularis qui est ꝓprie & per se continuus, simplex, perpetuus, non interruptus & reflexus, vt probatur
  - 1 A potentia motoris, qui est actu infinitus nullamq; sui mobilis reflexionem patitur.
  - 2 A potentia, forma, figura, & virtute mobilis, cuius cursum nullũ inferius corpus aut virtus impedire potest.
  - 3 A ratione contrarii, quoniam vbi est motus reflexus, ibi est terminorum conflictus & repulsus: sed in cœlo non est cõtrarium, termini enim in cœlo sunt designationis non oppositionis.
  - 4 A fine, quia motus cœli est causa reliquorum motuum; quod esse non potest si in punctis reflexionis quiesceret.

Rectus & mixtus ex vtroq; videlicet & hi duo motus aliquando reflexi sunt interrupti, nunquam autem sunt continui & perpetui, vt motus cœlestis ille quo Deus cœlum voluit, prout constat in rebus tum naturaliter tum violenter motis. Hinc oritur quæstio. *An mobile reflexum quiescat in puncto reflexionis suæ.* In hac q̃stione consideranda sunt mouens, mobile, motus reflexus, terminus reflexionis, medium & quies. Mouẽs est violentum aut naturale; mobile, corpus quod præcipue motu locali cietur; motus rectus aut mixtus (nã de circulari non agitur.) Reflexus, qui est vel per defectum virtutis mouentis, vel per obuiationem alterius corporis repellentis. Terminus reflexionis in quo res mota quiescere hic dicitur. Medium quoad terminum fertur & ab eodẽ termino reflectitur. Quies qua à motu ad momentum vel longius tẽporis spacium cessat. Hæc, inquam, omnia diligter discutienda sunt & obseruãda; nam aliter facile error nascetur. Quippe nunc quies est, nunc quies non est, in terminis reflexionis; quies, si sola vi naturæ fiat reflexio, quies vero nulla, si reflectentis & mobilis nulla sit proportio Exẽpli causa si mola ruens ab alto fabam aut pilam sursum proiectam repellat, est certe in hac repulsa nulla quies, nulla mora. Sed de istis superius satis.

Contra priorem quæstionem.

Opp.

Si cœlum non cesset à motu in polis & cardinibus suis, qui fit vt semper in eodem fixo & definito loco cardines & poli appareant? Præterea, cum mirabiliter tota terra concutiatur motu (vt tremuit anno salutis 1580.) videtur subesse aliqua mutatio motus in cœlo; siquidem nihil præter naturam in effectis contingit, nisi in primis causis fiat aliqua alteratio: at hæc alteratio in cœlo esse non potest sine statione cœli aut cœlestis alicuius partis quiete. Quippe causa existente similiter affecta, noua, mira, & inusitata effecta nõ oriũtur. Postremo, extrema signa vltra quæ progredi non potest sol in motu maximæ declinationis suæ sunt Cancer & Capricornus, ad quæ simul accedere & ab iisdem recedere & resilire, certe sine aliqua, in iisdẽ, mora non licet, nisi contrarios motus fieri simul in momento concedas, quod hic negat Philosophus: est ergo in cœlo, cœlique motu aliqua quies. Huc addi

potest

potest illud Astrologorum, solem reliquosque planetas in suis orbibus subsidere, nec non propius aliquando ad terram accedere, qui motus non est sine quiete in terminis reflexionis, nisi accessum & recessum, motus plane contrarios in eodē instanti simul fieri defendas.

Resp.

De polis & verticibus mundi in discursu antea constat solutio: nempe apparere illos semper, non quod non moueantur, sed quod illæ partes cæli in quibus eminent, occasum non videant. De vniuerso terræ marisque motu quem nominas in secundo loco, respondeo eundem digito solius Dei factum fuisse, non vi naturæ, aut alia præternaturali causa: quippe fuit non solum in fistulosis & montosis meatibus, sed etiam in compactissimis partibus terræ, idque non particulatim, sed vniuersim. Imo (quod addit miraculo) non solum in terra sed in mari quod (vt viri dignissimi fide scribunt) tum horribiliter concussum tremuit. Quid plura? In instanti factus est vbique ille tremor qui si ex materia in medullis & visceribus terræ concepta motaque factus fuisset, non in instanti, sed in successione temporis vicissim extitisset. Nimis ergo curiosi essemus cum iam de prima causa agamus si hoc mirabile opus illi soli qui nullis mediis alligatur, non tribuamus, qui verbo fecit cælum & terram, vno ictu oculi totum concussit centrum. Hinc inde minorem admoniturus mundum, posse totū dissoluere, si in lachrymas pro scelere non dissoluatur homo. De duobus solstitiis, dico in illis non esse moram solis, non esse quietem vllam; quia potentia orbis solaris tanta est, & tam actiua, vt in eodem momento se retrahat quo attingat scopū. Nam vt in volatu auis sursum non est necesse vt sit mora aut quies in termino reflexionis, quia potentia illius admodum actiua est, vt se vertat deorsum quando placet: ita in motu solis à solstitio non est cessatio, non est quies, quia illius virtus efficacissima est reuertēdi, nullo corpore impediente in signis & punctis stationis suæ. De sepulchro solis & reliquorū planetarū in suis orbib. quæstio anceps est, & adhuc ab Astrologis nō plene planeq; definita; credo tamē subsidere, ppiusq; suis flammis & ardentib. radiis ad deuastandū vniuersam terrā quotidie accedere. Eo etiam splendore, quo solebat, Phœbus non intuetur terram, velis & nubibus à nobis occul-

Terra motus non naturalis.

In instanti factus.

Sol & planetæ languens.

Sol in tropicis non moratur.

tat faciem, splendet quasi iratus, & instar Martis igneos calores & colores sanguineos formidolose spargit, virtutes eas & vires in plantis & hominib. quas olim nō imprimit. Adest, adest dies ille, ante cuius aduentū sol in tenebras, & luna in sanguinem conuertetur: tenebris & sanguine plenus est mundus, & quid nisi tenebra & sanguis restat? Sed quo vado hac ecstasi animi delirantis mei? da veniam (studiose lector) discupio enim visum rerum currendo facere. Ad rationem dico posito quod sol & planeta subsidant in orbibus, non est tamen quies in terminis reflexionis, quia hic motus si sit, continuus est, tamq; valida est cuiusq; sideris potentia & virtus, vt impediri aut retardari non possit.

Argumenta contra secundam quæstionem, An mobile in termino aut puncto reflexionis moueatur?

Opp. *Ancipites sunt interpretes quid in hac quæstione definiant: eorum enim quidam asserunt Aristotelem potius obiecisse quam definisse in hoc tractatu de puncto reflexionis. Nonnulli defendunt ex animo illum locutum fuisse, sed quæstionem solum ad naturalem motum reflexum reuocasse: Alii putant illum vniuersaliter de omni motu intelligendū esse: tu incerte & indefinite in expositione loqueris: quid ergo certi sit statuendum adhuc incertum manet.*

Quomodo mobile non quiescat in reflexionis puncto.

Resp. *Disputationis causa probabiliter defendi potest hac quæstio in omni motus genere, & violento, & naturali, modo non detur in occursum aliud fortius agens quod repellat. Exempli gratia, si grano milii sursum proiecto occurrat magna moles ferrea, haud dubie tum nulla erit quies in puncto reflexionis: alioqui esset probabile molem maximam in medio aere ad tempus posse detineri, quod est perspicue & euidenter absurdum.*

Op. *Quāprimū cessat impetus lapidis sursum proiecti, continuo sine mora descendit: ergo non est quies in puncto reflexionis. Antecedens probatur, quia non est causa retentionis aut quietis, quippe grauitas tum lapidis principatum vendicat, viq; sua actiua ad centrum sine mora impetu sublato redit, aliter graue sursum existens, non prohibitum sursum quiesceret, quod videtur esse absurdissimum.*

Resp.

Resp. *Causa cur Aristoteles in textu defendat in omni motu reflexo esse quietem, tres sunt: prima, quoniam si inter motum directum & reflexum non daretur quies, essent hi motus continui, & proinde contrarii motus specieq; distincti continuarētur, q esse nequit. Secūda, quoniā mobile q reflectitur in puncto reflexionis actu existit tanquā in principio & fine, q in instāti fieri nō posse natura & ratio indicāt. Tertia est, quoniam mobile antequam moueri incipiat quiescere debet sub termino* à quo, *qui terminus* à quo *mobilis reflexi est punctum reflexionis. His prælibatis ad argumentum respondeo, lapidem proiectum & non repulsum quiescere sursum in puncto reflexionis suæ per conatum naturæ, quæ impetu extincto proiicientis, reuolantis lapidis vires languentes reficit, quibus collectis redire incipit. Alii respondent quietem hanc triplicem habere causam, naturā, medium, ipsamque lapidis grauitatem, quæ in ipso puncto reflexionis quodammodo vt in principio & fine manet.*

Causa tres cur Arist. in motu reflexo quietē esse dicat.

Opp.

Ridiculum hoc mihi videtur esse, vt in puncto reflexionis vlla ponatur quies: mille exempla contrarium docent. Primum, si auis in altum volet, & in puncto reflexionis moriatur, quæ tandem hæc quies dicitur? Iterum, quæ mora aut quies est in pila repulsa à pariete? Si paruulum murem currentem retrahas per filum pedi alligatum, an mus in puncto tractionis quiescit? Estne quies vlla in nutritione, augmētatione & alteratione humorum, cum semper dum viuit animal non aliter quam fluctus marini fluant & refluant? Quæ generationis est quies in instanti? quæ denique morula vllius motionis in puncto? certe nulla. Vniuersalis ergo hæc non est propositio, scilicet omne mobile quiescere in puncto reflexionis suæ.

Resp. *Recte contrahis mille exempla in admodum pauca, parum omnino mouent. Auis (vt ais) in altum volans moritur: quid tum? ergo non quiescit in puncto reflexionis? Argumentum hoc nego, quippe de quiete motus non mortis hoc loco agitur. Ad alia exempla de pila repulsa, & mure retracto dico non esse quietem, quia omnia quæ violenter repulsa & retracta sunt ab hac regula excipiuntur: vt antea constat de grano milii, quod proiectum in aerem obuiam mole ferrea*

Non est quies in motu reflexo violenter.

reuerberatur. Ratio vero cur in hoc violento occursu non sit status aut quies, est, quoniam fortius est agens quod in occursum venit. Sunt qui affirment etiam in his esse moram, quia si dura sint fortis est impressio, si mollia facilis est retentio. Postremo, de fluxu humorum affirmo esse in illis statum quietem: nam certos suos terminos periodosq; reciproca motionis habet. Eorum enim fluxus & refluxus sunt contrarii motus & interrupti, qui sine quiete in puncto reflexionis esse non possunt. Hæc nunc sufficient de motu reflexo, quoniam in aliis locis eundem demonstraui.

Humores in reflexu habent quietem.

Opp. *Nulla quies est nisi in tempore, vt in 6. Physicorum docuit Philosophus: sed quies proiectorum corporum in puncto reflexionis (si vlla sit) est momentanea: ergo propriè non est eorum quies. Quod sit momentanea sic probo, quia si pila vi proiecta sit ferrea, duraq; moles obuia, subito hæc pila ferrea reuerberatur: si vero pila sit mollis, ex pilo pelleq; confecta facillime repellitur: proiectorum ergo quies in puncto reflexionis est aut nulla aut momentanea. Nulla, inquam est, quoniam momentanea quies habetur nulla.*

Tex. 30. 72. 74. & li. 4. tex. 118.

Resp. *Si in propugnatione huius quæstionis omnia interquiescere in terminis reflexionis suæ peroptes defendere, poteris istas obiectiones de pila ferrea & molli pro argumentis defensionis sumere (liberum enim hoc ipsum tibi relinquo, quoniam sunt classici interpretes Aristotelis qui eadem pro argumentis sumunt) sin vero placuerit tibi ea excipere in hac lite quibus fortiora agentia & repellentia occurrunt, possis dicere non esse omnino in istis moram, quia repellentia sunt fortiora potentia & actione quam repulsa. Vnde in puncto reflexionis non est omnino vlla quies, vlla commoratio.*

Opponentis replicatio.

Videtur esse quies in vtroq; impetu: nam si pila ferrea tincta sit oleo aut atramento, molem aut parietem obuium & aduersum inficit & conspergit, quæ infectio aut conspersio non est sine tempore. Infectio enim est actus quidem, omnisq; actus est motus, omnisq; motus fit in tempore, & ex consequenti in puncto reflexionis suæ pila ferrea sic tincta & repulsa aliquam moram & quietem habet. Similiter dici potest de pila lentore, quæ vi proiecta duriori corpori sic cedit vt fiat compressio:

Argumenta à pila

cõpressio; at hæc compressio passio est; omnisque passio motus successiuus. Postremo sit violentissimus motus istorum corporum corũ tamen contactus non est sine medio: at interpositio medii separatioque contingentium aliquam moram postulant: interquiescit ergo proiectum aliquantisper in pũcto reflexionis suæ.

Resp. *Iterum dico, si vniuersaliter veram hanc regulam esse (vt licet) existimaueris, ista quoq; argumenta in suppetiis habere potes: sin minus, sic probabiliter respondeo, pilam æneam aut ferream atramento illitum aliud corpus eodem conspergere: non quod quiescat pila, sed quod diffluat materialis ille color per violentum impetum & contactum vtriusque. At ista (inquis) infectio aut conspersio motus est: non est propria motus sed finis & terminus motus, id est mutatum esse, quod instanti non tempore, vt ait Arist. mensuratur. Idipsum respondeo de compressione parietis pila fetrea vulnerati & concussi, aut de compressione mollioris pilæ, si in marmoreum lapidem aut ferrum quod non cedit, impetu feratur: sic (inquam) comprimi non est propriè pati sed mutari, quod instans non tempus mensuram habet. Postremo, vbi vrges ad interpositionem aeris & contactum semper requiri tẽpus, dico hoc verũ esse si nullus sit metus admittẽdi vacui: at si sit vllũ periculũ vacui (vt sæpe in istis violentis motibus contingit) tum subito ad tollendum vacuum corpora contra naturam suam ferũtur, vt ignis deorsum, sursum terra, & sic aer hoc loco se subito interponit, si violenta manu & impetu concutiantur corpora: alioqui concussa & compressa (quod est notatu dignum) hæc corpora obuia & aduersa non separantur: sed coniuncta & conglutinata (ne in separatione admittatur vacuum) manent.* *At tollendum vacuum corpora contra naturam feruntur.*

Dubium: An instans sit mensura inceptionis & desinentiæ rerum?

Opp. *Dubium hoc in textu de inceptione & desinentia rerum plus ingeniosæ subtilitatis quam veritatis habet. Sed esto, quoniam Aristot. instans esse mensuram asserat, sic contra illũ disputo: si res incipiant in instanti, aut incipiũt in instanti vt verũ sit dicere hæc res sunt, aut in instãti quo verũ*

sit dicere, hæ res non sunt sed erunt: sed neutro istorum modorum incipiunt: instans ergo non est mensura rerum quæ incipiunt. Assumptio probatur, quoniam si dicas res incipere cum sint, absurde loqueris: nam res actu existentes non incipiunt: si vero dicas incipere in instanti in quo non sunt, multo absurdius loqueris, quia res quæ nõ sunt, non incipiunt. Sin dicas inter esse & non esse rerum mediũ aliquod extare, regula philosophorum te vulnerat, quæ est: Quod inter esse & non esse nullum sit medium. Similiter obiicio de obitu & desinentia rerum, quas si dicas, desinere in instanti quo sunt, absurdum est, quia tum sunt: si vero dicas desinere in instanti in quo non sunt, absurdius est quod dicas, quia tum desierunt esse, non desinunt.

Resp. *Subtile hoc dubium à multis multipliciter resolui solet, sed non ero multus: distinguunt philosophi res incipere duobus modis, vel in instanti quo ita sunt, ante quod immediate non fuerunt, & sic incipere vocant per primum sui esse intrinsece: vel in instanti in quo ita non sunt, sic tamen vt statim sint, & hoc modo incipere res dicunt per vltimum non esse sui extrinsece. Pari ratione ex aduerso res posse desinere concludunt, aut scilicet in instanti in quo ita sunt & immediate post non sunt, aut in instanti in quo ita non sunt, & immediate antea fuerunt, quod appellant philosophi desinere extrinsecus seu per primum sui non esse. Hac distinctione adhibita, facillima erit resolutio obiectionis tuæ, nimirum rem quamlibet incipere in instanti in quo ita est: tum enim primum est, & etiam tum esse incipit. At (dices) est, ergo non incipit. Argumentum nego, quia hæc prima lux eius esse existit. Cæterum adhuc dices alterius rei esse in eodem instanti desinit: desinere autem & incipere duo contrarii actus sunt, qui in eodem instanti simul esse non possunt. Erras, nam non sunt duo actus: desinere enim est priuatio, incipere vero actus: vel (si placet) possunt duo contrarii actus simul esse in eodem momento non in eodem subiecto: in eodem momento si diuersus respectus hic habeatur. Hæc quidem vera est (mea opinione) sententia Aristotelis: nam etsi res incipere dicatur in instanti, in quo ita non est (modo sic statim sit) per accidens tamen sic in tempore omnino dicitur, quia proprie incipere res solum tũ dicitur, cum primũ actum & (vt ita loquar)*

Res omnes incipiunt duobus modis intrinsece, extrinsece.

Res desinunt duobus modis.

Duo actus contrarii esse possunt in eodem momento non in eodem subiecto.

ictum

ictum sui esse habet, quem in instanti illo non habet in quo ita non est. Aperta hac erunt vno exemplo: homo in eo instanti incipit in quo incipit esse: at in instanti illo in quo embryo adhuc formam non amiserit homo non est: ergo homo in instanti in quo embryo formã non amiserit nõ incipit: nisi illũ per accidens incipere dicas anteq̃ generetur, sed generari res ꝓprie in instãti dicitur. Mutato nomine idipsum de desitione rerũ dico: res.n. desinere ꝓprie & intrinsece dicuntur in illo instanti in quo ita sunt, & immediate post ita non sunt. Sed hac prudentiori lectori relinquo, hoc solum addens, posse quidem omnem inceptionem & desitionem rerum ad hac duo capita reduci, vt per se & intrinsecus incipere aut desinere in illis instantibus dicantur, in quibus ita sunt: per accidens vero & extrinsecus in eis in quibus ita non sunt. Maioris perspicuitatis ergo hanc distinctionem attexo, duplicem inceptionem rerum assignari, inchoatam & perfectam: secundum inchoatam res in instanti illo incipere dicuntur in quo ita non sunt, vt planta in semine, homo in embryone: at secundum perfectam non item. Doctissimum Collegium Conimbricense aliiq; insignes interpretes Philosophi multa hic verba & pracepta tradunt de inceptione & desinentia rerũ in tempore & in auo positarum, nec non de accessione & remotione formarum: sed huc referuntur & reuocantur omnia, vt dicas rem tum proprie incipere cum ita est, & desinere cum ita non est ac modo fuit. Quid, inquis? an moritur homo & viuit simul? an in eodem instanti incipit vermis esse, & desinit esse homo? Agnosco sic esse, & quid est hoc instans? Hoc instans est fere nihil. Misera profecto vita est qua instanti clauditur: imo beata est si hic misere non viuatur. At quis bene in momento viuit? Is certe qui quouis momento moritur. Melius est non viuere quam vita non frui: imo melius est in hac vita mori quam nunquam viuere. Quid plura? instans in quo desines vita hac tota momentanea est, hodie sum, cras non sum. O felix instans quod cali ostium pandit! O aterne motor cali, in instanti illo in quo desinam esse misero succurre mihi, in momento illo in quo mouebis & mutabis omnia misero succurre mihi.

Inceptio & desitio rerum ad duo capita reducuntur.

Inceptio rerum duplex.

Humana vita miseria & breuitas.

Pia precatio.

* * *

CAPVT IX.

Vtrum motus cœli sit naturalis, & illoq; modo compositus?

Motus cœlestis præstantia.

ORbis ſupremus regium quaſi ſolium primi motoris eſt, motuſque circularis primum inſtrumentum : vt ergo orbis ille ſtellarum infinita multitudine, ſplendore, gloria & influentia alia corpora inferiora ſuperat : ita hic motus ordine, dignitate, velocitate & perfectione omnibus aliis longiſſime præcellit. Ordine, quia primus : dignitate, quia cœleſtis: velocitate, quia continuus, minimeque interruptus : perfectione, quia ſimplex, vniformis, cõpletus & perpetuus exiſtit. Hic orbis, & hic motus motorem primum arguunt, quia metaphyſica & ineffabili potentia, ſapientia, bonitate facit, regit, cõſeruat omnia. Quid plura? hoc totum eſt quod in ipſo capite & in ſequenti agitur. Hic enim dignitas circularis motus, illic maieſtas primi motoris demonſtratur.

Summa huius capitis.

Sed ne ſterilius & ieiunius, quam res tanti momenti poſtulet, tractentur hæc duo argumenta quæ ſunt in textu, more dialecticorum in formam colligam & concinnabo. Si ergo quæras, quomodo Ariſt. probet motum circularem ſolum eſſe continuum, perfectum, primum & perpetuum, attente quatuor hos ſyllogiſmos, lege. Quicunque motus nec eſt ex contrariis compoſitus, nec curſu ſuo præpeditus, is vere & perfecte continuus : ſed motus ſolum cœleſtis nec ex contrariis motibus eſt compoſitus, nec aduerſo vllo impetu agẽtis præpeditus: ergo motus ſolum cœleſtis eſt perfecte continuus. Perfectio huius motus ex conſequenti ratiocinatione facile colligitur, quæ ſic habet. In quocunque motu idem eſt principium & finis, is eſt perfectiſsimus : ſed in motu circulari idem eſt principium & finis : ergo motus circularis eſt perfectiſſimus. Quod primus ſit motus cœleſtis, alter ſyllogiſmus concludit, qui ſic formatur. Quicunque motus eſt ſimpliciſſimus : is eſt primus motus; ſed mot⁹ circularis eſt ſimpliciſſimus ergo motus circularis eſt primus. Aſſumptio probatur à diuiſione motus in circularem, rectum, & mixtum : ſed circularis eſt ſimplicior recto & mixto : ergo eſt ſimpliciſſimus. Recto eſt ſimplicior, quia rectus vel reflectitur (vt ſupra docuimus) & ſic ex contrariis

Motus circularis ſolus continuus.

Perfectiſs. mot.

Primus.

Simpliciſsimus.

trariis motibus cõponitur, & proinde non eſt vnus & ſimplex: vel non reflectitur, & ſic deſinit, & propterea imperfectus exiſtit; ſed omne ſimplex & perfectum eſt prius imperfecto: ergo circularis motus qui eſt ſimplex & perfectus eſt prior recto. Eſt quoque prior mixto, quoniam mixtus ex recto & circulari conſtituitur. Quid multis? eſt prior recto & mixto: ergo eſt primus. Huc addas rationes a nobis ſuperius allatas; eſſe primum quia immediate eſt à prima cauſa, eſſe primum quia eſt prima paſſio primi mobilis, eſſe primum quia eſt principium aliorum motuum, eſſe denique ordine, natura, tempore, perfectione primum.

Simpliciter recto.

Simpliciter mixto.

Ariſt. Phyſ l. 8. tex. 74.

Duo adhuc argumenta in textu reſtant quæ primatum huius motus probant. Vnum ab æquabilitate, alterum ab authoritate ducitur. Primum ſic habet. Omnis motus æquabilis & vniformis eſt prior motu qui in ſe diſpar eſt & inæquabilis; ſed motus circularis eſt ſolum æquabilis & vniformis: ergo eſt prior motu recto & mixto, qui ſemper ex inæquabili curſu conſtant. Quod rectus & mixtus motus in diſpari & inæquabili curſu ſtadioque decurrant, hinc liquido apparet, quia corpora quæ per lineam rectam aut mixtam feruntur inæqualiter à principio & in fine mouentur. Omnia enim quo longius à loco quietis abſint, eo tardiore veluti cientur pede & motu: orbicus autem motus eſt ſemper æquabilis, & quia in ſeipſo principium & finẽ contineat, & quoniam nunquam à principio longius & à fine diſtet.

Alterum argumentum à teſtimonio ſeu authoritate eſt, quia is motus haberi debet primus & perfectiſſimus qui omnium philoſophorum calculis habetur ſic eſſe; ſed omniũ veterum philoſophorum (vt ait Ariſtoteles) calculis motus circularis habetur primus & perfectiſſimus. Hanc aſſumptionẽ probat nominãdo quoſdam palmares & primarios viros, qui primatũ ſemper lationi, id eſt motui locali, detulerũt. Infert hic Thaletẽ & Anaxagorã qui diuinam mentẽ, Empedoclẽ qui æternam concordiam. Platonẽ qui ſempiternam animam ſeu intellectũ cauſam huius motus poſuerunt. Mens diuina Dei potentia eſt, æterna concordia Dei amor eſt & prouidentia, ſempiterna anima ipſe Deus, qui

Thaletis.
Anaxagoræ.
Empedocles.
Platonis.

fecit, dilexit, & conseruauit mundum. Fecit potens, amans diligit, conseruat Deus. Cōseruat quidem mundum quamdiu mundus est: at si immundus & impurus fiat nō conseruabit, quoniam Deus est qui id solum, quod est mundum diligit.

Mundū Deus solus conseruat.

Sed pergam. Si quis hic quærat quorsum tantopere Arist. hoc loco primum mobile motumque primum laudibus extollat; illum scire oportet eo tendere omnia sapientis præcepta, vt concludat vnum motorem, vnum Deum, vnam primam causam cœli rerumque omnium esse. Suprema ergo hæc mundi specula multis hic verbis ornat, vt aliqua notetur inter mouens, mobile, & motum proportionis similitudo. Proportionis similitudo dico, quia æqualitas omnino nulla esse potest; quæ enim æqualitas inter finitum & infinitum? inter cœlum & Deum? Est tamen proportionis similitudo quædam, quia vt Deus omni principio & fine caret: ita cælum neque principium nec finem suæ cōuersionis habet: & vt Deus sua diuina potētia, sapiētia, prouidētia creat, regit, dirigit totum hunc mundum: ita cœlum suo motu, lumine & influētia quodāmodo eundem gubernat & conseruat. Et vt Dei infinitam essentiam nemo mortalium scire aut inuestigare potest: ita cœli infinitam virtutem nemo Philosophorum adhuc vnquam cognouit. Miracula enim in Deo omnia sunt si naturam, oracula permulta in cœlo sunt, si humanam ignorantiam spectes.

Proportionis similitudo inter mouens & mobile, inter Deū & cælum.

Deus & motus cœli in quibus conueniant.

Quid? an cum Aristotele cœlum motumque cœlestem æternitate infinitum, & infinitate æternum nunc facis? an cū Deo comparas? Certe eo sensu quo tu somnias nō comparo, rem igitur apertam faciam. Vt solium regis auro & pretiosis gemmis splendens non ideo regium dicitur quia dignitate aut maiestate regi æquiualet, sed quoniam sic arte excellenter ornatum est & perpolitum, vt subditorū nulli conueniat in eodem sedere: ita cœlum (augustissimū illud corpus) luminibus & stellis infinitis vt gemmis decoratum, arx Dei aut sedes primi motoris dicitur, non quod tanta maiestate sit dignum, aut eidem vllo modo æquale, sed quod tā magnificè factum aut solius Dei templū, vt est in 1. de Cœlo, aut nullius habitatio prorsus nominetur. At finitum est cœlū, finitus est motus, totus finitus est mundus in essentia

Simile à Regis solio.

sua

ſua vt ait Ariſtoteles: quomodo igitur cum Deo actu infinito comparari poteſt? Infinitum (vt noſti) ſecundum Ariſt. duplex eſt, actu & virtute; Deus quidẽ eſt infinitus actu & ſimpliciter in eſſentia, cuius cẽtrum eſt vbique & circumferentia nuſquam, vt ſapienter ille (quicunque erat) dixerit: virtute autem infinitum cœlum habetur eſſe, quoniam à prima ſui cauſſa infinitam vim & virtutem communicatã habet. Sic infinitum dicitur non magnitudine, non actu, non eſſentia, ſed virtute: quia in cœlo potentia & vis eſt cõſtituendi omnia. Omnis (inquit Philoſophus) forma naturalis in cœlo eſt, id eſt cœlum in ſe vim & virtutem habet generandi omnem formam naturalem, ſi præparata ſit materia, & veluti liquefacta cera, vt ſigillo naturæ obſignetur, fiatque imaginis impreſſio in eo quam natura cœleſti ſemper motu lumine, & influentia adiuta intendit.

Infinitum duplex.

Cœlum virtute infinitum.

Plura in hac cauſſa non addam, ſed verbo cõcludam cum Philoſopho, cœlum eſſe diuiniſſimum corpus naturæ nobiliſſimum tectum totius mũdi, ſpecioſiſſimum templũ motoris primi, opus excellens Dei, in quo æterna mens vt dux in arce, infinitus ſpiritus vt rex in regno ſedet. Et tamen ſi hoc corpus, hoc tectum, hoc templum, hoc opus ruat, Deus ſempiternus motor tamen cœli (de quo proxime dicendum eſt) in ſempiternum beatus erit. Erit dixi? imo eſt: nam hoc ipſum fuiſſe aut fore diuina eſſentia neſcit, vbique enim in omnibus & ſingulis præſens eſt, & ſi non ſit, id ipſum in quo non eſt, nihil eſt, quia malum eſt, primoque eſſentiali bono (in quo res omnes ſuum eſſe & bene eſſe habent) priuatum.

Cœli dignitas.

Deus beatus ſemper etiam ſine cœlo.

Distinctio eorum quæ in hoc capite continentur.

In hoc capite facta est cõparatio inter motũ circularem, rectũ, mixtũ: motusque circularis præfertur motui recto & mixto, à

1 Prima causa quæ est Deus, qui propria sua potẽtia & prouidentia cœlum absque adiacentia alterius corporis locantis mouet; motus autem rectus & mixtus aliam causam habent.

2 Secunda causa nẽpe natura, quæ est principium motus & quietis in cœlo, sed excellentiore ordine & modo, per potentiam actiuam cœlestis formæ, quæ omnes alias formas rerum inferiorum efficit & excellit, nec non motui recto & mixto totum suum esse tribuit.

3 Subiecto quod est ipsum cœlum, simplicissimũ corpus, quintaq; essentia dictum; huic ergo corpori nobilior motus debetur quam cæteris quæ ex corruptibili & caduca natura constant motus ergo cœlestis est excellentior recto & mixto, qui minus nobilibus partibus mundi conueniunt.

4 Contrario, quia hic motus nullis contrariis, interrumpitur vt rectus & mixtus, qui sæpe reflexi desinunt esse.

5 Perfecto, quia motus neque principium, nec medium, nec finem habet: rectus vero & mixtus terminantur.

6 Simplici essentia, quia in motu circulari nulla est compositio: at rectus & mixtus componuntur. nam rectus si reflectatur ex duobus contrariis motib. mixtus ex recto & circulari constat.

7 Aequali & vniformi ratione motionis, quia motus orbicus est semper idem, semper vnus, semper æquabilis & regularis: motus vero rectus & mixtus non item.

8 Aeternitate, quia hic motus non cessat, rectus autem & mixtus in occasum ruunt.

9 Authoritate omnium philosophorum, qui hũc motum aliis prætulerunt.

Vsu & fine qui est aut

- Diuinus, quoniã hic motus est primum instrumentum primi motoris:
- Naturalis qui duplicem effectum habet,
  - 1 Cœli, cui inest vt naturalis & propria passio, per quã in diurno cursu mundi inferiores sphæræ planetarũ circũaguntur, & in suis ipsorũ motibus veluti refrenãtur.
  - 2 Inferioris globi & regiõis cuius tota gubernatio naturalis à cœlo effectiue pẽdet.

Argu-

Argumenta contra quæstionem; An motus cœli sit naturalis?

Opp.

Moues quæstionem, An cœli motus sit naturalis, & eiusdem fere attingis nihil. Multa enim de dignitate motus cælestis, multa de perfectione, aternitate, simplicitate & vsu loqueris: parum autem aut nihil de naturali aut formali ratione eiusdem: es ergo vel oblitus tui, vel id omittis quod videtur maxime necessarium, cum de ratione huius motus plurimum inter doctissimos philosophos dubitetur.

Resp.

Quod vrges lubens admitto vt satisfaciam tibi, hoc autem non oblitus mei nunc facio, sed quoniam antea eādem quæstionem attigi, & quoniam Arist. potius alibi quam hic de eadem differit. Caterum quandoquidem hoc in loco apposite moueatur, cum motus circularis, recti, & mixti fiat comparatio, breuissime sententiam addam. Distinguit motum Philosophus in motum naturalem, violentum, & voluntarium: cæli motus non proprie naturalis est quia non est in loco, non violentus quia conseruat potius quam destruit, est ergo voluntarius vt Iohanni Scoto placuit. Sed attende, est (inquit) voluntarius, analogice ex parte mouentis libere, ex parte vero mobilis neuter est: nam quatuor (inquit) modis moueri contingit: alia enim mouentur naturaliter vt grauia deorsum, alia violenter vt grauia sursum, alia neutro quodam modo, & vt vtar illius verbo neutraliter, vt angelus & anima post separationem à corpore, alia nec naturaliter nec violenter, vt ignis in suaipsius sphara, qui mouetur circulariter ad motum cæli: & sic motum cæli respectu motoris voluntarium, respectu cæli vtcunque naturalem, respectu vtriusque neutrum esse concludit. Sed hac sunt obscuriora, apertius ergo agam (vt supra) nimirum motum cæli respectu motoris esse voluntarium, respectu cæli esse analogice naturalem: naturalem dico quia essentia, forma, figura, proprietate aptissimum est ad talem motum. Essentia enim cæli non repugnat, quia est ab aterno mobilis: forma non repugnat, quia est ab aterno mouens: figura non repugnat, quia est circularis: proprietas non repugnat, quia est

Motus cæli voluntarius.

Omnia mouentur quatuor modis.

Motus cæli voluntarius naturalis analogice.

ipse motus; motus (inquam) orbicus de quo nunc agimus. Est enim motus orbicus propria passio cæli: est ergo naturale cælo moueri & proinde motus cæli naturalis; Analogice (inquam) naturalis, quia est respectu mouentis voluntarius, vt Scotus dixit, non simpliciter naturalis sed analogice respectu deficientis loci & corporis continentis in quo naturaliter & vere mouetur. Verus enim & proprius motus naturalis est in loco, qui est superficies corporis continentis, in cuius ambitu & amplexu non comprehenditur. Sufficiat hac ergo distinctio, est circularis motus metaphysicus respectu Dei, physicus respectu cæli, analogicus respectu loci, cuius defectu non simpliciter sed analogice naturalis dicitur.

Et propria cæli passio.

Opp. *Cælum est simpliciter corpus naturale: ergo illius motus est simpliciter naturalis. Ratio tenet, quia quale est subiectum, tale est eiusdem proprium; si ergo cælum sit simpliciter naturale, illius propria passio nempe motus erit simpliciter naturalis.*

Cælum ens naturale analogice.

Resp. *Si sumas corpus naturale pro composito ex materia & forma, sic cælum est ens naturale; sed si capias ens naturale pro eo quod vi propria natura produci & corrumpi potest, sic proprie cælũ ens naturale nõ dicitur, sed analogice vt modo de illius motu diximus. Comparatione ergo facta cælum & motus cæli non sunt sic naturalia, vt alia corpora in inferiore globo & regione mundi, qua præter naturam nihil sapiunt; sed sublimiorem causam motricem & conseruatricem habent, qua sua solius potentia id præstat quod communis natura non potest.*

Opp.

Vera differentia & naturales proprietates motus cælesti motui conueniunt, successio partium velocitasque & tarditas motionis: ergo cæli motus est vere & simpliciter naturalis. Antecedens probatur, quia tempus est propria passio primi mobilis, quod tempus est successiua mensura motus. Præterea hoc manifeste constat, cum cælum non in instanti, sed in tempore moueatur. Postremo neminem latet alios orbes cælestes tardiores alios velociores esse in suo motu: velocitas ergo & tarditas qua sunt proprietates temporis & motus cælesti conuersioni conueniunt.

Aristot. Ethic. lib. 10. ca. 3.

Resp.

Resp.

Istorum nihil quidam interpretes negāt si cœlum in seipso (vt aiunt) consideres sine relatione ad primum mouens, sed si subtilius accuratiusq; rem velis perpendere, dicendum est analogice hæc omnia cœlo cœliq; motui conuenire. At dices tempus per se esse mensuram cœlestis motus secundum Arist. ergo per se illius motus est successiuus. Respondeo, tempus per se esse mensuram cœlestis motus, non vt cœlum est in propria & simplici essentia perpetuum (perpetuum enim & tempus differunt) sed vt est in relatione per motum, lumen & influentiam ad hæc inferiora quæ regit. Hinc illud Philosophi est, nimirum tempus propriam esse mensuram rerum habentium initium & finem, causamq; esse corruptionis; sed cœlum nec initium nec finem ex sententia Aristotelis habet: illius ergo in absoluta essentia sumpti mensura non est tempus, sed vt ad hæc inferiora quibus præest comparatur. Quod vrgeas cœlum non in instanti moueri, & proinde successionem per se conuenire cœlo vt mensuram mensurato; argumentum nego, quia successio sæpe actionibus animæ spiritibusque conuenit, & tamen nemo vnquam dixerit animam aut spiritum tempore mensurari nisi per accidens & analogice, & sic cœlo per accidens has affectiones conuenire dicimus. Vltimum quod adfers nihil est: nam etsi alia sphæra tardius, alia velocius moueantur, hoc tamen fit, non quod simplex, æqualis aut vniformis sit motus cœli, sed quia maiora aut minora sint illa corpora, quibus analogice & comparate hæc accidētia competunt, quæ tamen æquabiliter perpetuo in suo ordine & loco cientur.

Tempus quomodo sit mensura cœlestis motus.

Arist. phys. lib. 4 t. 117.

Successio conuenit cœlo per accidens.

Non est velocitas & tarditas in cœlis.

Argumenta contra alias partes capitis & quæstiones.

Opp.

Motus cœli non est primus omnium: ergo non bene distinguitur à recto & mixto in eo quod sit primus. Antecedens probatur, quia intelligentiæ natura & ordine sunt priores orbibus quos mouent, quæ intelligentiæ secundum Philosophos etiam mouentur: est ergo motus prior motu cœli & per consequens cœli motus non est primus.

Intelligentia non mouent physice.

Resp. *Intelligentiæ seu spiritus principia mouentia sunt non mota, nisi per accidens ad motum orbium quos mouent. Alii respondent definitas spiritus quidem moueri non motu physico sed Metaphysico. Moueri dicunt, quia talem naturã habent vt à prima causa mutari possint (nihil enim absolute & simpliciter incommutabile est præter solum Deum) metaphysice autem moueri affirmant non physice, quia physico principio motus & quietis carent, est tamen aliqua proportio motus in illis vt dicantur hoc vel illo tempore motum incipere & motum terminare, non autem sic vt ipsi aut eorum motus mensurentur tempore, sed quod nos aliter eorum vestigia, actiones, & motus obseruare non poterimus, cum infinita & abdita sit causa cuius imperio in suo motu obsequãtur.*

Opp.

Tres causæ mihi videntur efficaciores quibus probem cælestem motum non esse simplicem: prima est quia cælum ipsum mihi videtur non omnino moueri, quia in eodem loco semper persistat: nam moueri localiter est à loco in locum cõmutari, neq; sufficit dicere idipsum secundum partes loco moueri; cum vtraq; illius medietas (vt ita loquar) non aliter quam totũ in eodem loco permaneat. Secũda causa est, quia nullus mot⁹ existit simplex: nã id proprie simplex est quod diuidi non potest: sed omnis motus diuidi potest secundũ Arist. in partes proportionis, successionis, tẽporis: nullus.n. motus est momentaneus. Vltima causa est, quia planetarũ motus cælestis est, & tamen ex duobus motibus contrariis componitur, nempe ab ortu in occasum & ab occasu in ortum: non est ergo absolute simplex motus cælestis.

Locus cæli non est physicus.

Resp.

Cælum nec secundum se totum, nec secundum partes & medietates (vt ais) in eodem loco immobile & fixum permanet: quippe physicus non est omnino eiusdem locus, quia superius primo mobili non est omnino corpus, mouetur tamen (vt antea demonstraui) partim cohærentia partium partim actiua potentia formæ, maxime vero prouidentia infinitæ primæ causæ, quæ sic omnia disposuit vt principium motus primumq; mobile sine loco moueatur. Ad alteram partem

Simplicissimus motus cæli quare.

argu-

argumenti dico, cœli motum simplicissimum motum dici, non quod nullam diuisionem quantitatis subeat, sed quod nullã ex contrariis motib. compositionem, nullam interruptionem habeat. Ad postremum ergo argumentum respondeo, planetarum motum per se vnum & simplicem esse, nempe ab occasu ad ortum: motus vero ille ab ortu ad occasum non est proprius, sed raptus primi mobilis cuius vi & impetu quotidie inferiores sphæræ planetarum circumaguntur. Non est ergo hic motus compositus (vt ais) sed in se & vi sua simplex & vnus. At dices nullum violentum esse in cælo: ergo hic quoque motus est naturalis. Nullum violentum est quidem in cælo si violentum sumas pro eo quod destruit naturam, aut quod ad perniciem naturæ tendit, sed est violentum quo motus inferiorum corporum refrenetur.

Motus planetarum simplices.

Violentus motus est duplex.

Opp.

Ais motum cæli esse aliquo modo naturalem: est ergo aliquo modo velocior in fine quam in principio: sed ita non est: ergo non est naturalis. Conditio naturalis motus est vt sit velocior in fine: nam sic differt à violento: sed lex cælestis motus perpetua est vt sit æqualis & vniformis.

Arist. de Cæl. li.3.t.28.

Resp.

Tenet hæc regula & conditio velocitatis in motu recto & mixto, non circulari. Motus enim rectus lapidis deorsum (exempli gratia) est incitatior in fine quam in principio, sursum vero tardior.

Illud axioma, verum est in motu recto, mixtoque, non in circulari.

Dubium an omnia quo longius à loco quietis absunt eo tardius moueantur?

Opp. *Hoc dubiũ (vt opinor) obiter infert Arist. vt ostendat discrimen inter motum orbicum, rectum & mixtũ, quia motus orbicus est semper æqualis, motus vero rectus & mixtus inæqualis. Sed probo hoc falsum esse quod ais: nam appetitus naturalis vehementior est in principio quam in fine. Quod sit vehemẽtior in principio quam in fine hinc constat, quoniam in principio integer est appetitus qui longiore veluti itinere facto & tædio ipsius medii defessus languet. Vt ergo exul à patria quo longius ab ea distat eo ardentius eandem appetit videre: ita quo longiore inter-*

nullo res naturales absunt à loco, eo vehementius appetũt & proinde velocius mouentur.

Resp.

In superioribus libris hoc dubium uberius attigi & resolui. breuissime ergo nunc respondeo, non esse vehementiorem appetitum in principio quam in fine: imo potius vehemẽtiorem esse diceres in fine quam in principio. Sed attende, velocitas motus non tam ab appetitu quam à potentia rei mobilis & medii distantia pendet, tardius enim mouentur quo longius absint à loco quietis potissimum ob duas caussas, vna est quia medium (quod tũ amplius est) impedit & retardat motum: altera quoniam potentia mobilis adhuc in actum perfectum non prorupit: motus enim mouendo crescit viresque acquirit, quo ergo minus est spacii & medii relictum eo velocius res naturalis mouetur. Ratio est, quia minor est resistentia impedientis medii & maior potentia mobilis subiecti. Similitudo tua exulis à patria omni ex parte non tenet, sed pulchre docet esse quidem ardentiorem appetitum reuertendi ad locum quod concedimus, sed appetitum esse causam velocitatis & tarditatis in motu locali pernegamus: hac enim a potentia mobilis subiecti & distantia medii pendent.

Duæ caussæ cur res moueantur tardius quo lõgius sunt à loco suo.

CAPVT X.

Vtrum
- *Aperte constet Deum esse vbiq; eundemque infinita virtute secundum Aristotelem?*
- *Circumferentia cœli primus vocetur locus Dei?*
- *Spacium extra cœlum sit imaginarium, & an in eo sit Deus beatique spiritus secundum Aristotelem?*

QVemadmodum illi qui in orbem feruntur, idẽ punctũ, initium & finem sui motus habent: ita equidẽ in hoc veluti circulo physicæ auscultationis stadio iã decurso meo ad idẽ lineã reflexã video. Quare vt vnde exorsa est, ibi nunc terminetur oratio, id ꝙ mihi exordium differendi fuit, finis, qes & portus erit. Prima q̃stio q̃ in hoc ope ꝓposui hæc erat

An

An vna sit prima caussa rerum omnium naturalium secundum philosophum? sitne eiusdem causa cognitio naturali philosopho necessaria? Ex positione octo librorum (quasi reuolutione septem planetarum & primi mobilis) vtcunque à me absoluta per eclipticam veluti lineam ad idẽ indiuisibile punctum iam redeo, eandemque causam & quasi immobilem polarem stellam tracto.

Quid in hoc vltimo cap. actum.

Sed quis sum, & quid sum ausus si tantam prouinciam in me suscipiam quam mortalium nemo vnquã sustinere potuit? Quis enim vnquam potuit definire Deum? Da mihi (O Deus) vt te tota mente diligam, fide credam, vita sequar: & quid sis curiose nõ quæram, satis est si te agnoscam vnicã causam salutis meæ. O vtinam (si hoc liceat optare) idipsum agnouisset Philosophus qui nobilissimum hoc opus diuinæ maiestatis descriptione clausit. Concludam cum illo (docte & studiose lector) & breuius quam res tanta dici potest concludam. Memineris quæso hæc elogia Philosophi de Deo aperte sic loquentis *Deus est*, & iterum *qui dubitat, An Deus & parentes sint colendi, dignus est pœna*, & si hoc sit verum cur illud negatur in libro de mundo, in quo vt expansis manibus in cœlum colatur Deus, postulat. Omitto cultum, est inquit vna prima causa, est vnus primus motor, est vnum primum agens, est hoc ipsum agẽs liberrimum, nullis mediis, nullis vinculis naturæ alligatum, velle & posse in hoc mouente, in hoc agente vnum sunt, summum, incommutabile & æternum bonum est, est ens actu infinitum, est semper, est vbique, nusquam tamen loco circumscriptus est, vbi vero est, totus est essentialiter indiuisibilis est, nullum accidens in eo est, principium & finis omnium est.

Si Deum bene diligas quid Deus sit ne quæras.

Top. li. 1. ca. 9. Quid de Deo senserit Thõs.

Quid hinc concludam? certe philosophum illum non esse qui Socratem in suo discipulo spirantem & loquentem non audiat, qui Socrates pro vno Deo mortuus est: qui discipulus moriens vltima emissa voce eundem Deum & coluit & confessus est, vt Laertius in illius vita testis est. Qui hæc legit passim in Aristotele, & adhuc dubitat an lumine naturæ vir tantus & tam sapiens Deum penitus ignorauerit: credo equidem illum dubitaturum vtrum Sol vnquam luxerit quem oculis sæpe lucentẽ viderit. Expressa sunt hæc omnia apud Philosophum (studiose lector) & vere à me ex

Xenophõ memorabi. l. 1. & in ipso principio, & paulo post medium.

illo collecta: alia quoque sunt infinita loca quæ tuæ industriæ & studiosæ prudentiæ relinquo. Lege librum de mũdo, quẽ equidẽ credo illũ in senectute ad Alexandrum scripsisse, & hoc non sine ratione credo, quoniam eadem oracula de Deo in aliis partibus suorum operum iisdẽ fere verbis edita sunt, quæ in eodem opusculo enunciantur. Lege decimum Ethicorũ & tres postremos libros Metaphysicorũ: lege deniq; hũc librũ octauũ physicorũ & hoc vltimum caput, in quo caput diuini Philosophi plenũ sapiẽtia videas.

Aristoteles quando librum de Mundo scripserit.

Percurram breuiter quæ sunt in textu singula. Posito & concesso primum motorem iam esse, quærit in primis quantus sit hic primus motor, à quo primus motus oritur; est (inquit) primus motor, & tamen omni motu, est maximus & tamen omni magnitudine, est infinitus & tamen omni quantitate, est æternus & tamen omni tempore, est vnus numero, & tamen omni numero & accidente caret. Sic quantus est & non quantus; quantus in essentia, quia præter essentiã nihil: non quantus mẽsura quia indiuisibilis & immensus in sempiternum viuit. Vis vt ex textu hæc omnia probẽ, scilicet primũ motorẽ nullã magnitudinẽ habere, incorporeũ esse, in partes quantas diuidi non posse, vbique totum & semper in essentia simul præesse omnibus. Audi has tres hypotheses & facillime hæc tibi persuadebo. Prima hypothesis, est finitũ motorẽ nõ posse in infinito tẽpore mouere. Secũda est, infinitã vim mouendi, in definita magnitudine non inesse. Tertia est magnitudini infinitæ vim finitã nõ conuenire. His positis pspicuũ est, primũ motorẽ omni magnitudine & diuisiõe carere: nã si vlla ei insit magnitudo aut erit finita aut infinita; Magnitudo infinita non est, quia talis probatur esse nõ posse 3. Physicorũ, finita autem non existit, quia in primo motore est virtus mouendi actu infinita, quæ magnitudini definitæ conuenire non potest, vt in secunda hypothesi & conditione perspicue constat. Est ergo primus motor expers magnitudinis, expers quãtitatis, vnus sine numero, simplex sine diuisione, infinitus sine dimensione. Is est qui mouet omnia sed sine motu sui, qui semper subsistit sed sine tempore, qui vbique est sed sine loco: talis (inquam est) quem cœlum non capit, & tamen totus in puncto continetur. Vtitur medijs

Summa huius cap.

Quantus primus motor.

Tres hypotheses, de Deo inferentes eum omni magnitudine carere.

1 Reg. c. 8. v. 27
2 Chro. 6 18.

& tamen potest quicquid vult sine mediis agere; Metaphysica causa est, prima idea est, summus spiritus, animus mundi, fons vitæ, splendor cœli, stupor naturæ, ipse Deus.

At (dices) hic Deus non semel nominatur. De nomine nō contenditur, agitur de re; sub nomine primi motoris illum certe intelligit: & cum demonstret eum esse vnum, esse simplicem, esse infinitum actu, esse sine omni magnitudine, diuisione, parte: adhuc ne dubitas an Deum intelligat? Millies nominatus est ante, & in mille partibus illius operum nomen DEI celebratur: hic vero potius nomine motoris vtitur, quia vt naturalis Philosophus relationem ad motum & conseruationem rerum physicarum habet. Sed lege librū Metaphysicorū & in capite septimo eiusdem facile intelliges Deo illic ascribi, q̄ hoc loco primo motori ascribūtur.

Quare hic Deus Motor primus potius quā Deus à philosopho dicatur.

Plura in hoc capite de distinctione magnitudinis & virtutis motricis quam de excellentia primi motoris agit Philosophus: mirum ergo videtur esse quod hanc discutias, illam vero omittas. Nō omitto: nam in triplici illa hypothesi magnitudinis & virtutis totam demonstrationem cum relatione ad primum motorem insinuaui. Vt enim doceret motorem actu infinitum esse, eundemque omni magnitudine, mole & quantitate carere ostendit, nec magnitudinē finitam ab infinita virtute, nec magnitudinem infinitam à finita virtute posse moueri. Requiri ergo concludit vnum actu infinitum motorem, qui sua ipsius libertate fretus, nullaque necessitate coactus pro imperio, sapientia & prouidentia moueret, regeret, & conseruaret omnia: & hic motor Deus est à quo dependent omnia.

At dices, quid sibi vult Philosophus in textu cum de impetu & virtute mouēdi lapidis proiecti agat, dubiumque illud inutile & otiosum iterum moueat? *An proiectum vi sola proiicientis moueatur, an ratione medii?* Hoc quidem dubiū obiter attingit vt distinctio inter potētiā proiicientis q̄ languet, & virtutē primi mouētis, quæ semper indefessa & incōcussa valet, habeatur. Impetus inquit iaculātis & medii deferētis cessat: vis enim omnis naturalis motu violēto aut diuturno contabescit, virtus autē animi primique motoris laboriosa non est, quippe expers omnis magnitudinis ipsa immobilis & immutabilis subsistens motū perpetuū sine

An proiectum vi proiicientis an ratione medii moueatur.

Vis naturalis tabescit motu, at vis animi deique non labascit.

omni lassitudine & defatigatione efficit, quod viuentibus mole præditis non contingit.

Huius capitis epilogus in quo versatur.

Non ero molestus verbis. Catastrophe & epilogus sapiẽtis philosophi in hoc capite est, vt omnia antegressa præcepta de natura ad vnum primum immobilem & infinitum motorem referat. Attende studiose lector vt (inquam) ad vnum primum immobilem & infinitum motorem referat. Lege calcem capitis & in ea Philosophi argumenta, de vnitate, primatu, immobilitate & infinitate Dei considera. Motor (inquit) vnus est, nam aliter esset diuisibilis. Primus est: nam aliter in infinitum esset progressus. Immobilis est: nam aliter non esset incommutabilis. Infinitus denique est: nam aliter non esset Deus, neq; sine defatigatione & lassitudine regeret & moueret omnia. Hic (inquit) motor maximus est non magnitudine quantitatis sed infinitate virtutis, non successione temporis sed æternitate, non ratione multitudinis, sed diuinæ vnitatis, vt omnia totius vniuersi in eo dicantur vnum. Nam vt omnes lineæ circuli in vno centro: ita omnes omnium rerum essentiæ in vno Deo copulantur.

Locus primi motoris est vbiquitas.

Huius motoris locus (vt ita loquar) vbiquitas est: in loco enim non est circumscripte, quia non est corpus: non est definite in loco quia non est spiritus finitus: non est in loco comparate, quia in illum non cadit affectus: sed est in loco complete, quia illius maiestate totus impletur mundus. Nullus enim locus vacat illiús potentia, virtute, prouidentia, & hæc tria non sunt accidentia in Deo sed vna, simplex & indiuisibilis essentia, nullus ergo locus vacat illius essentia, id est, nullus locus vacat Deo. neque hoc mirum tibi videatur, quod sic disputet Philosophus de Deo. Nam vt in metaphysicis sapientissime demonstrat nullum accidens in Deum posse cadere, vnde cõcludi põt esse vbiq; & esse essentialiter totum: ita vt hoc conspicuum & manifestum fiat in libris de anima, animam totam in toto & totam in qualibet parte inesse, idque non virtute & potentia solum sed actu & essentia recte defendit.

Lib. 2. cap 2.

Deus est vbiq; in Mundo, vt anima vbiq; in corpore.

Quid? est ne animula vnius Socratis tota in toto & tota in qualibet parte corporis? an simplex & libera? an nullis locorum aut temporum septis circumscripta? & adhuc miraris quomodo anima mundi diuina & infinita essentia sit

tota

tota in toto, & tota in qualibet parte mundi? vnitas illius essentiæ diuisionem non patitur, vbi ergo est totus est: infinitas illius essentiæ non admittit angustias, totus ergo est vbique; vbiquitas illius præsentiæ arguit Deum esse, cur ergo vbique non colitur? Cur ab omnibus non timetur? Oculatior Argo est, videt omnia; velocior cœlo est, mouet omnia; natura melior est, conseruat omnia. Monstra ergo ingrata sumus, si bona Deo non tribuamus omnia, hoc est amorem, timorem, honorem, omnia. *Hominum ex agitat ingratitudinem.*

Sed dices me longius discedere ab Aristotele; certe non discedo: nam hæc omnia passim concedit ille. Imo non concedit (ais) nam hoc ipso in loco Deum in centro aut in circumferentia cœli locari somniat. hæc enim sunt illius verba. *Necesse est autem aut in medio esse aut in circulo.* Attende, hoc non dicit Philosophus ac si existimaret Deum cœlo aut centro, tanquam in loco circumscripto comprehendi, sed potius vt illius vbiquitatem demonstret, quia simul in cœlo & in centro totus subsistit, quasi diceret nullus locus maximus aut minimus illius præsentia caret. *Obiectio.* *Solutio.*

At dices quomodo immensa & infinita maiestas Dei in indiuisibili puncto & centro mundi tota comprehenditur? Respondebis tibimet ipsi si cōtempleris cœlum, oculoque clauso receptam ideam tantæ magnitudinis tecum consideres. Nā vt idea totius cœli pupillam oculi intrat & in indiuisibili mentis recessu integra: ita Deus in minima parte mundi, in musca, in centro, in puncto totus inesse dicitur, quia est indiuisibilis essentia: licet vniuersitas rerum non sit capax sui, quia infinitus est Deus quē mundus finitus capere non potest. Quod istis locis nulla necessitate alligari putarit Arist. liquido hinc constat, quoniam aperte in Metaphysicis vbique esse concludit, & in hisce libris Physicorum actū infinitum esse demonstrat; verum hic cœlum illius quasi solium esse definit, quoniam sursum est, & corpus plane diuinum, & in hoc secum concordat. Nam in primo de cœlo ait Barbaros & Græcos omnes cœlum Deo locum consecrare, quia immortale, diuinum est, & sursum. Verum enim vero quod non censuerit cœlo vlla necessitate astringi, in eodem libro apertissime liquet, vbi ait nihil esse extra cœlū nisi ea quæ æternā & beatissimā vitā agūt. Proculdubio illic *Obiectio.* *Solutio.* *Simile ab idea in oculum recepta.* *Cœlum locus Dei & angelorum.* *Lib. 1. t. 22. & l. 2 t. 2. l. de Mundo cap. 2.*

Deũ beatos ſpiritus intelligit, quos nullus locus, motus aut tẽp⁹ cõſeneſcere faciunt. Locus digniſſimus eſt repetitione: ſic ergo ſe habet. *Demonſtratum* (inquit) *eſt, extra cælum nec eſſe corpus, nec etiam eſſe poſſe: patet ergo neque locum eſſe extra cælum, neque vacuum, neque tempus. Quo circa neque apta ſunt ea quæ illic ſunt eſſe in loco, neq; tempus ſeneſcere ipſa facit, neque vllius eorum eſt vlla mutatio, quæ ſuper extima poſita ſunt latione, ſed nullis alterationibus, nullis paſſionibus prorſus ſubiecta, optimam in vniuerſa ſempiternitate vitam & ſufficientiſſimam habent.*

De cæl. 1. t. 100 & l. 2. t. 72.

Ex priori Ariſtotelis loco duo ſunt maxime obſeruanda. 1. Deum ex ſententia Philoſophi loco non alligari 2 ſpiritus & dæmones Ariſtotelem aſſeruiſſe.

Hactenus Ariſt. ex quo præclaro loco vel potius oraculo duo potiſſimum obſeruo, primum Deum nulli loco ſecundum Ariſt. alligari, alterum eſſe ſecundum Peripateticã doctrinam dæmones ſeu ſpiritus quos ex Ariſtotele non poſſe probari aliqui non parui nominis pertinaciter defendunt. Non eſt (inquit) illic corpus, non eſt vacuum, nõ eſt tempus, ſunt tamen aliqua quæ nullis alterationibus ſubiecta beatiſſimam vitam in ſempiternum agunt. Neque opponitur huic loco ille 12. Metaph. cap. 8. vbi Ariſt. alias non agnoſcit intelligentias præter illas quæ cœleſtibus ſphæris circumuoluendis aſſident. Nam illic agit ſolum de ordine & virtute mouentium, vt ad certa corpora & officia deſtinantur: hic vero de vita beata & libertate, & tamen iſtorum pace hoc etiam ex iſto loco animaduerto & concludo, ſecundum Ariſtotelem ſpiritus dæmoneſq; eſſe. Sed mirum eſt viros doctos & ſapientes in hac luce meridiana cæcutire: nam ſi ſecundum Ariſt. non eſſent ſpiritus, quorſum ſubſtantiam in corpoream & ſubſtantiam incorpoream diuidit? quorſum animam humanam immortalem, ſimplicem & ſeparabilem eſſe docuit? quorſum virtutes mentis æternas eſſe voluit? quorſum intelligentias nominat? & quorſum hoc loco extra cœlũ beatiſſimos ſpirit⁹ habitare nõ obſcure inſinuat?

Breuitati ſtudeo, multa aliter hic de penatibus, multa de incubis & ſuccubis, multa de diis localibus, id eſt de intelligentiis, quas vrbibus, regnis & imperiis præſidere voluit, ex ipſo hæc potuiſſem adducere, omnia hæc mea non ſunt. Clementem lege, qui in Stromatibus ait Ariſtotelem mentionem feciſſe de Diis localibus, qui vrbibus & regnis præſiderent. Non eſt vt otioſe hinc cõcludas Ariſtotelem plures

Per Deos quid velit Philoſophus.

Deos

Deos intulisse: nam contrarium huic iam satis est demonstratum. Est (inquit) vnus Deus, est vna prima causa, est vnus primus motor, est ens vnum indiuisibile primũ: vult ergo per Deos spiritus finitos intelligi, qui (vt ait in Metaphysicis) intuentes maiestatem primi motoris officia sua præstant sine omni tædio & defatigatione.

Deus extra locum omnem.

Sed redeo ad institutum meum. Hic primus motor Deus est in circumferentia cœli & non est, est in centro mundi & non est. Est in circumferentia cœli, quia si vllus locus sit illius capax, est ille omnium capacissimus. Est in centro mũdi, quia vniuersali quasi oculo omnia conspicit & intuetur simul: est enim à centro simul in omnia aspectus vnus. Vel (si placet) per *esse in circumferentia* illius immensitatem, quæ principio, medio, & fine caret: per *esse in centro* illius prouidentiam de rebus singulis particularem intelligas. Ne quicquam vero hic vel imagineris raptum esse circumferentia cœli, aut fixum necessario centro mundi, sed sic esse in vtroq; vt olim Trismegistus docuit, cum dixit Deum esse intelligibilem sphæram, cuius centrum est vbiq; & circumferentia nusquam. Caue quid hic per *sphæram* intelligas: nam vir ille diuinus per sphæram nõ corporis figuram, sed summam diuinæ essentiæ perfectionem insinuat. Huic sententiæ de amplitudine & ambitu diuini loci versus illi optime conueniunt.

Deus centrum & circumferẽtia quomodo.

Trismegisti verba de Deo exposita.

Vt tota per artus
Corporeos mens vna subit: sic vnus in vna
Mundi mole Deus, mundo tamen amplior ipso
Tendit in immensum, nulloq; includitur arcu,
Sphæra Deus viuens, centri tumor occupat omnem,
Curuatura locum nescit.

Si hæc argumentis probare desideres, ad vberiorem explicationem quæstionis quæ sequuntur accipe. Deus actu infinitus est: ergo ambitu mundi contineri non potest: præterea non aliter se habet immensitas Dei ad loca, quã æternitas ad tempora. sed æternitas excedit tẽpus: ergo immensitas excedit locum. Insuper Deus est (teste Philosopho) quo nihil maius cõcipi aut cogitari põt: at si finito amplexu & vlnis mũdi cõtineatur, eo maius concipi posset: ergo finito amplexu mũdi nõ cõtinetur, & proinde extra mũdi limites

esse & subsistere verissime dicatur. Porro, infinite perfectus est Deus: infinitam ergo sedem postulat; at cœlum & mundus finita sunt: eorum ergo spaciis non comprehenditur. Deinceps authoritate tum humana tum diuina constat. Ab humana, quoniam Trismegistus in Asclepio affirmat Deum super verticem cœli consistere, & tamen vbiq; esse, omniaq; simul circumspicere.

Trismegist. *Socrates.* *Plato.* *Aristoteles.*

Quid hic solum Trismegistum nomino? Socrates, Plato, Aristoteles, omnesq; sapientes philosophi, tum Ethnici tum Christiani agnoscunt æternitatem & vbiquitatem Dei. Indignum philosopho est (vt ait beatus Augustinus) negare Deum esse extra mundum: Deus enim est tanquam mare immensum, mundus vero minimam repręsentat spōgiam. Spongia sum minor minima, fac tamen (O Deus) vt te fontem vitæ ad salutem animæ absorbeam!

Lib 11. de Ciuit. cap. 5. *Lib. 1. Confess. cap. 3.*

Pergo, testimonia sacra locupletiora sunt in hac veritate: sed vnum instar omnium sufficiet. Si (inquit sapiens) cœlum & cœli cœlorum capere non possint, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Si cœli cœlorum capere non possunt, vbi est? certe extra locum est, vbique est, in seipso est. Quid enim capere potest Deum nisi Deus? Sed quid hoc est, Deum in seipso esse? est semper, simpliciter, & ineffabiliter beatum esse, req; nulla mortali ad beatissimam vitam indigere. O motor cœli quem cœlum non capit, animula te capiat mea.

Lib 3 Regum. cap. 8. *Nihil Deum capit præter Deum.*

Festino. Pugnant hic quidem contra Arist. & vrgent hoc spaciū extra cœlum, imaginarium esse, nō ens esse, nihil esse: & proinde Deum ens rei in eo collocari non debere. Parum attendunt isti quid in præclaro illo & sapiente capite nono primi libri de Cœlo dixerit Aristoteles. Locus (inquit) extra cœlum non est, nec vacuum, nec tempus: sunt illic tamen ea quæ per sæcula beatissimam vitam agunt. Imaginarium nō est illud spacium, sed solium Dei, cuius imaginem & ideam vix concipit intellectus humanus. Verum etsi non concipiat non idcirco imaginarium, non ens, aut nihil esse definiendum est: nam sic facile cōcludas Deum ipsum nihil esse, quia mens tua Deum non capit. Orandum potius est vt capiat te, ne non capiendo pereas.

Obiectio. *De cœlo lib. 1. tex. 100.*

Cōcludā: constat (studiose lector) ex hoc diuino lib. aliisque operibus Aristotelis, Deum esse: eundem essentialem, vnum,

Conclusio, multa Dei attributa continens.

vnum, infinitum, æternum, immenſum, ſummumque bonum: cõſtat etiam illum vocari primam cauſam, ideam primam, ens primum, primum motorem, mundi animam, principium & finem omnium: conſtat denique eum eſſe in cœlo, quia cœlum mouet, eſſe extra cœlum quia cœlo non capitur, eſſe in mundo quia mundum regit, eſſe centrum mundi quia totus in toto & totus in qualibet parte ſuorum operum continetur, eſſe in ſeipſo, in ſeipſo (inquam) quia ſi mundus non eſſet ſibi ſufficit, quia in ſeipſo beatiſſimus eſt. Beatiſſimus dixi? Imo ipſa beatitudo, cui nihil deficit: quia Deus eſt in quem omnia bona interna cadunt.

Diſtinctio capitis decimi.

Cum manifeſte conſtet apud Philoſophum Deum eſſe eũdemq; vnum, ſimplicẽ, æternum, Infinitũ, mediis non alligatum: aliæ hic de eo mouentur quæſtiones

- Prima eſt, An aperte cõſtet Deum vbiq; eſſe ſecũdum Ariſt. & probatur eſſe
  - 1 Ab eſſentia Dei, quam Triſmegiſtus pulchre deſcripſit eſſe intelgilibilem ſphæram, cuius centrum vbique eſt, & circumferentia nuſquam.
  - 2 Ab infinitate eſſentiæ, vnde ſic recte arguitur: eſt Deus actu infinitus: ergo mundi ambitu non continetur, & ex conſequenti eſt vbique.
  - 3 A comparatione immenſitatis & æternitatis ad locum & tempus, vnde tale formatur argumentum. AEternitas Dei nullo tempore clauditur: ergo immenſitas illius nullo loco continetur. & proinde vbique dicitur.
  - 4 A potentia animi Deum concipientis, vnde ſic diſputatur. Deus eſt (teſte Philoſopho) quo nihil maius ab animo concipi & cogitari poteſt: ſed ſi finitis limitibus mundi contineatur aliquid maius Deo concipi & cogitari poteſt: ergo Deus limitibus mundi non cõtinetur, & proinde vbique exiſtit.
- Secunda, Vide in ſeq. pag. lit. A

5 A prouidentia Dei quæ vniuersalis esse non potest, si non sit vbique. Nam prouidentia in Deo non est accidens secundum Aristotelem, vbi ergo est illius prouidentia ibi est ipse Deus: sed vbique est illius prouidentia, quę (teste Philosopho) conseruat omnia: ergo vbique est Deus.

6 A comparatione aliorum spirituum quos Arist. Intelligentias vocat. Si (inquit Philosophus) sint definite in loco, ergo Deus est vbique: nam aliter causa infinita à finito effectu non differret.

7 A conditione loci quæ est vt sit æqualis locato, solumq; corpus finitum ambiat, sed cum nihil æquale Deo esse possit, cumque Deus sit infinita virtute spiritus, necessario vbique est.

8 Ab ordine & statu mundi, qui nec esse nec bene esse potest si Deus vbique non sit, à quo omne esse & bene esse pendet.

9 Ab authoritate humana & diuina. ab authoritate humana, quia omnes viri sapiẽtes (vt Socrates, Plato, aliique) hoc ipsum affirmarunt. Ab authoritate diuina, quia à Propheta Baruch ca. 3. dicitur. *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* Vnde colligo finitum non habere locũ.

A

Secunda, *An circũferentia cæli recte ab Aristotele primus vocetur locus Dei?* In hac quæstione cõsiderari potest Deus duobus modis, vel in

1 Infinita & simplici essentia sua, & sic vbique esse dicitur: imo secũdum Aristot. non in circumferentia cæli solum, sed in spacio extra cœlum, & in centro mundi esse dicitur, vt in nono capite libri primi de Cœlo constat, quem locum discupio vt omnes Aristo: elicæ sapientiæ studiosi legerent.

Tertia est, Vide in seq. pag lit. B

2 Speciali prouidentia & comparatione ad motum cœli, & sic hoc loco circumferentia cœli illius primus & præcipuus locus apte nominatur. Rationes sunt, quia cœlum motu, duratione, magnitudine loci, ornatu, aliisque diuinis qualitatibus omnia corpora in mundo superat, & excellit, & quia omnes tum Græci tum Barbari cum numen inuocant manus & oculos ad cœlum attollūt: si ergo vllus locus sit capax Dei, cœlum recte illius speculum & habitatio dicitur.

B
Tertia est, *An spacium extra cœlum sit imaginarium? & An in eo sint Deus beatiq; spiritus secundum Aristotelem?* in hac quæstione duo consideranda sunt,

Natura spacii: & hic notādum est quod hoc spaciū non sit

1 Ens rei, aut corp⁹ aliquod continens actu quantitates rerum.

2 Ens rationis, quia in eo secundum Aristotelem primo de Cœlo spirit⁹ (qui sunt entia realia) insunt: est ergo intellectuale solium Dei, soli menti diuinæ notum, vacuum corporis, capax maiestatis.

Modus existendi in eo, sed hic considerare oportet quod Deus sit aliter in

In mūdo, Nam in eo eiusq; cunctis partibus est per

1 Essentiam vt sint.

2 Præsentiam, prouidētiam vt bene sint, & ferantur ad finem.

Spacio extra mundum, quod ponere necesse est: quia finita mundi vniuersitas illum capere non potest: est ergo in Deo non secundū coexistentiam cum aliis, sed secundum realem & infinitam existentiam sui.

Seipso, quia hoc modo nullius rei aut loci eget adminiculo: est enim essentialiter & infinite perfectum bonum

Contra primam quæstionem.

Opp. *Locum & vbi agnouit Phūs: sed infinitum locum & vbiquitatem non agnouit: ergo Deus non est vbiq; secundum Arist. Antecedens patet, quia locum & vbi in prædicamentis tractat, vbiquitatis vero nusquam mentionem facit.*

Resp. *Vix digner respondere friuolo huic argumento, sed ne verbis victoriam reportasse videaris. Dico sexcenties demonstrasse Arist. Deum esse ens actu infinitum. Quid? an voluit infinitum finito in loco contineri? Cæcus est qui in hoc ipso capite non videat Philosophum esse eo animo vt existimet virtutem actu infinitam non existere in definita magnitudine: & quorsum quæso id docet, nisi vt inferat Deum in loco finito non comprehendi? Verum enimuero si Deus in finito spacio non contineatur (quamuis hoc verbo vbiquitatis non vtatur) rem tamen agnoscit & fatetur.*

Deus infinitus non est in finita magnitudine.

Opp. *Videris nimium extollere Arist. loquentem de Deo, & plane loca huius capitis extra omnem concentum & harmoniam veritatis torques. Nam is disertis verbis hic Deum in circumferentia cæli collocat, quæ circumferentia cæli non est vbique, vt tu ipse interpretaris.*

Resp. *Vides apertis oculis, & tamen vis in luce solis cæcutire: dicit hic quidem Aristoteles Deum esse in circumferētia cæli secundum quandam relationem ad motum cæli, esse vero in spacio extra cælum & etiam in centro simul, hoc est vbique esse affirmat, si absolutam essentiam in eo spectes. Extra cælum (inquit) sunt qui beatissimam nec non sufficiētissimam in se vitam in sempiternum agunt. Sapius hunc locum insignem vrgeo, vt Deum vbiq; esse secundum Aristotelem manifeste intelligas.*

Opp. *Loca plura infesta huic opinioni tuæ ex Aristotele annumerabo: in hoc capite inquit duæ sunt præcipuæ partes mundi in quibus Deus videtur esse, nempe centrum & cælum. At in cælo illum collocat, quia rapida vertigine circumuehitur. Huic positioni consentit ille locus primo de cælo ca. 3. Vbi approbat consensum mortalium, cælum tanquam domicilium Deo attribuentium. Non est difficilis ille locus lib. 2. cap. 10. de ortu & interitu corpora longius à Deo seiuncta & separata turbulento motu cōcussa in perniciem ruere.*

Aliquot Arist. loca, quæ probant Deum nō esse vbique.

Postremo

Postremo in libro de mundo ad Alexandrum, statuit haud consentaneum esse diuinitati vt inferioris mundi rebus intersit, quod exemplo regis in administratione imperii declarat, si vim argumentis velis addere. Addo Iustinum Philosophum in oratione paranetica ad gentes sic de Arist. sensisse.

Iustinus Philosophus.

Resp. *Superius his locis adductis satisfeci, si Deum vt motorem comparate ad cælum animo consideres. Nam sic quidem Aristotelis fuit opinio, Deum scilicet immediate mouere primum mobile: non tamen sic immediate vt ipsam mouere differit vt eidem soli affixum aut alligatum putarit: sed ideo in cælo collocat, quia ex omnibus locis finitis hic augustissimus, altissimus proximusq; spacio illi existit in quo Deum reuera posuit. Approbat quidem cõsensum mortalium quærentium Deum sursum, non quod limitibus cæli cõtineatur, sed quod cælum ornatissimum tectum mundi sit in quo lucẽtes Dei literas & imagines vbiq; cernimus. Per corpora quæ longius absunt à Deo, Arist. non distantiam loci sed modum compositionis & existẽtiæ intelligit, quasi diceret omnia sublunaria corpora sunt interitui magis obnoxia, quo magis à Deo sint separata, non loco sed modo cõstitutionis & formæ, id est quia naturam fragilem à spirituali & diuina magis distantem induerunt. Hoc dicit, non quod Deus non sit præsens vbiq;, sed quia omnibus nõ præsit eodem modo. Similiter respõdeo loco illi quem ex lib. de mundo huc adfers, nempe non esse consentaneum vt Deus eodem modo omnes mundi partes administret. Summa omnium quæ dico hæc est, quam ex Beato Thoma colligo, nimirum Aristotelem non constituere Deum in supremo globo cæli quasi illum loco circumscriberet aut definiret: sed quod inibi vberior & illustrior sit eius operatio, amplior q; illius operationis significatio ob incitatissimum illius sphæræ motum. In libro de Ortu & interitu, distantiam accipit non pro intercapedine spacii, sed pro dissimilitudine naturæ: ita vt illa dicantur a Deo longius distare quæ perfectionis gradu ad eum minus accedant. Postremo in lib. de mundo, non simpliciter diuinam prouidentiam rebus singulis negat Philosophus, sed eodem semper modo non adesse omnibus affirmat: eodem tamen modo omnibus adest si essentiam Dei, non eodem modo si existentiam rei spectes.*

Superiorum locorum reconciliatio.

Cur Dei sedes cælum dicatur.

Cælum ornatissimum Mundi tectum.

Aliquid magis minusq; distat à Deo quia non eodem modo præest omnib.

Vel spacio, vel natura dissimilitudine alia omnia à Deo distant.

Contra secundam partem primæ quæstionis, An Deus secundum Aristotelem sit infinita virtute?

Opp. *Nescio equidem quid per virtutem infinitam in Deo intelligas, An illā pro essentia aut pro accidente sumas. Et iterum, an virtutē infinitam duratione solum, an virtutē perfectione & intensione intelligendā velis. Sed vtcunque accipias sic arguo. Nulla virtus infinita in magnitudine finita dari pōt: sed si Dei virtus sit infinita, sequetur infinitā virtutē esse in finita magnitudine, nempe in cælo quod infinita virtute mouet: ergo Dei virtus secundum Arist. non est infinita. Maior est in textu, minor quoq; Arist. qui virtutem infinitam Deo attribuit, quam tamen contradictione sui, tacitus omnino tollere videtur. Præterea, aperte in lib. 1. de cælo cap. 8 negat hanc infinitam virtutem Deo: quippe (vt ait) non potest Deus plures mundos constituere: idemq; in 2. lib. cap. 6. insinuat cum doceat motum cælestem proportionem habere cum virtute primi motoris: sed motus cæli est finitus: ergo finita est secundum Arist. virtus mouentis. Postremo Arist. hic solam mentionem facit virtutis infinitæ in Deo, duratione, non habitu & perfectione qua magis Deo conuenit: illius ratio in textu est ideo esse infinitam virtutem Dei, quia tempore infinito cælum mouet, quasi diceret illius virtus est solum duratione infinita.*

Resp. *Certissimum est Arist. virtutem non solum duratione sed habitu & perfectione infinitam in Deo agnouisse, cum illius potentiam, essentiam & prouidentiam vbiq; esse & in omnibus lucere agnoscat. Dignus est lectione ille locus 1. de partibus animantium capite quinto, vbi approbat Arist. Heraclitum, qui interrogantibus quibusdam an non puderet illum in vili & furnaria casa sedere, respondit, intrate: nam Deus quoq; hic est. Attende quod in hac approbatione Arist. fateatur duo,* vbiquitatem *(vt ita loquar) & in rebus sublunaribus prouidentiam. Si non studerem breuitati, legerem vnam sententiunculam ex Œconomicis Arist. quam in commentariolis meis obseruaui, in qua Arist. expresse dicit diuinam prouidentiam præesse nuptiis. Omitto testimonia fere infinita, quibus probare licet esse vanitis accusandos illos qui somniant Aristotelem existimasse*

Dei vbiquitas, prouidentia.

Lib. 2. cap. 1. 2. Virtus Dei infinita nō solum duratione sed etiam perfectione.

Deum

Deum esse quasi patremfamilias cœlestis solum Hierarchia. Ad argumenta nunc soluenda venio, & imprimis dico secundum Aristot. per infinitam virtutem non solum infinitam duratione, sed etiam infinitam perfectione intelligi: quia (vt ex eodem probatur) Deus est summũ & perfectissimum bonũ. Ad obiectionem quam à proportione inter virtutem & magnitudinem ducis respondeo, infinitam virtutem non esse finita magnitudinis propriam & internã: esse tamen posse communem & externam qualis est hæc in Deo, quæ non inhæret finitæ magnitudini cœli, sed illam libere pro imperio & arbitrio mouet. Ad locum ex primo de Cœlo aio, Aristotelem non expressis verbis docere Deum non posse constituere plures mundos, sed hoc dicit, plures mundos esse non posse: quod probat ex parte rei, quia implicaret contradictionem natura, plures scilicet esse simul. Vel dicendum est negare Aristotelem posse plures mundos esse, non ob defectum aut imbecillitatem diuinæ potentiæ quam actu infinitam esse credebat: sed ob determinationem voluntatis suæ, qua se rebus faciendis & mouendis applicat: idque non pro infinitate virtutis suæ, sed pro ratione & natura rerum quæ actum illius infinitæ virtutis effusum facile non ferunt. Alii respõdent posse Deum plures mundos facere ex opinione Aristotelis, si ipse secundum infinitam potentiam & virtutem nullis mediis astrictam consideretur. Eam metaphysicam & extraordinariam (vt ita loquar) virtutem Deo non negat: sed si consideretur secundum potentiam comparatam & ordinariam (vt vocant) qua se secundis causis & effectis (vt sunt & esse possunt) accommodat, non potest: Ratio est, non quod Deus non possit, si absolutã & infinitam virtutem effunderet: sed quod physica & finita res ordine naturæ constituta eam contradictionem non sustinerent. Pari ratione respondeo ad alterum locum ex eodem libro allatum, nempe motionem cœli referri ad potentiam motricem Dei: verum quod hic inferre queas potentiam & virtutem Dei esse finitam quia cœli motus finitus existit, argumentum nego: nam refertur ad potentiam Dei, prout Deus se applicat rebus conseruandis. Vt enim Nilus si se suasque omnes vires vltra littora vniuersim effunderet, facile totã Ægyptum immergeret: ita si Deus infinitã exerceret virtutem

Summa octaua per totam.

An plures esse possint mundi ex Aristotelis opinione.

Deus virtute ordinaria non potest, extraordinaria potest mũdum alium condere.

Infinitam suã potentiã Deus contrahit pro cuiusque rei angustiis.

Plini. hist nat. l.18.c.18. & l.9. c.53. & Iu. Scal. exer. 47. Iulius Scal 35. Hier l. 2. a principio.

in mouendo cælo, in momento cæli natura concussa rueret. Verum vt Nilus, superfluendo stata tempora & certa stadia obseruans terram fertiliorem reddit: ita virtus infinita Dei se veluti contrahens sic cælum omniaq; in hoc vniuerso mouet, vt eorum inde natura meliores & firmiores fiant. Ad vltimum argumentum dico, Aristotelem mentionem facere quidem hoc loco solius virtutis infinita duratione, sed hoc nõ probat (vt abunde demõstratum est) illum negasse virtutem infinitam perfectione in Deo prælucere. Quod etiam in hoc ipso insinuat Phũs, cum demonstret Deum virtute infinita mouere tam immensam magnitudinem & molem sine vlteriore loco quo cælum contineatur. Imo secundũ D. Thomam existimo non ideo dici virtutem Dei infinitam esse in mouendo cælo, quia ab æterno idipsum mouebat: sed ideo infinitam posuisse Aristotelem, quia ita mouet vt à nullo motricem vim & virtutem hauriat. Quæ sane mouendi ratio infinitam arguit virtutem, non duratione tantum sed & perfectione: ab eodem enim fonte & mouendi & essendi ratio fluit: sed Deus esse à seipso habet: ergo virtutem mouendi à seipso, & proinde est infinita perfectione & infinitate perfecta.

Dei virtus infinita.

Argumenta contra quæstionem An circumferentia cœli primus vocetur locus, domicilium, aut templum Dei?

Opp. *Serio disputatum est de vbiquitate & infinita virtute Dei: ludam ergo in hac quæstione quia obiter in prima satis discussa est: sic igitur disputo. Est Deus secundum Aristotelem vbiq;: ergo circumferentia cæli non recte primus locus vocetur. Præterea, cum spacio extra cælum ab Aristotele ponatur Deus, magis proprie diceretur illud spacium esse domicilium & templum Dei. Insuper, cum Deus sit indiuisibilis, ille locus eiusdem aptissime primus nominatur qui est indiuisibilis: sed centrum mundi est indiuisibile: ergo centrum mundi potius ipsius locus quam cælum diceretur. Postremo, si in vertice cæli contineretur Deus, infinitum in finito habitaret, quod est cõtra fidem philosophorũ qui proportionẽ inter loca & locata esse volunt: at quæ proportio inter*

Deum

Deum & circumferentiam cæli esse potest? Certe nulla: Deus ergo in circumferentia cæli non collocatur.

Resp. *Deus est vbique: ergo (inquis) non est in circumferẽtia cæli, contrarium potius intulisses: est vbique: ergo est in circumferentia cæli. Vbiq; est Deus & tamen cælum illius templum & tectum præcipuum & primum dicitur, quoniam est altissimum maximeque radiis & gemmis natura politum: at magis proprie spacium extra cælum locus Dei dicitur, quia, est locus intelligibilis qui primo intellectui & animæ mundi conuenit. Esto, si velis, magis per se non magis quoad nos dicatur, quia nos solum gloriam cæli stellati cernimus. Vltra hoc, centrum tanquam aptiorem locum Deo continendo obiicis, quia est vt Deus ipse indiuisibilis. Respondeo esse in centro, sed magis immensitas quam indiuisibilitas in Deo à nobis spectatur, & magis in cælo quã in terra colitur. Postremo infinitum (inquis) finito contineri non potest: ergo Deus non continetur in circumferentia cæli. Satisfactum est huic argumento antea, cum demonstratum fuit Deum virtutem suam infinitam veluti contrahere, & eandem contractam rebus sic applicare, vt earum natura ferant, & hoc modo in cælo est, idemque pro arbitrio & imperio mouet, regit & conseruat.*

Arist. de Mundo. c. 2. de Cæl. l. 2. t. 22. & lib. 2. t. 2.

Deus in Cælo magis quam in terra habitat, quia gloriam Dei in Cælo maiorem videmus.

Argumenta contra vltimam quæstionem; Vtrum spacium extra cœlum sit imaginarium. & an in eo sit Deus beatique spiritus?

Opp.

Nouum & inauditum nunc infers locum Dei, phantasticum, imaginarium, nullum: vltra cæli complexum nihil est reuera positum, nihil reale in quo rerum principium primum resideret. Sic ergo disputo: extra cælum nihil est (teste philosopho) sed Deus non potest esse in nihilo: ergo Deus non est extra cælum. Præterea, cum spacium cæli sit priuatio entis realis & intentionalis (vt aiunt) absurdissimum est Deum ens primum & maximum in eo collocare. Nam cur Aristoteles materiam primam ens minimum & fere nihil definiuit esse, nisi quoniam à Deo primo actu sit remotissima? at magis remota est hæc entis priuatio & imaginatio loci à Deo quam materia

De Cælo. l. 1. t. 99. & l. 2. t. 29.

Met. li. 7. t. 4.

qua aliquid entitatis (vt ita loquar) habet. Porro si ponas Deum in hoc priuatiuo spacio, cur negas Deum esse in cæcitate, surditate, morte, aliisque priuationibus quas omnes philosophi à Deo alienas rectè & sapienter iudicant? Hinc mali à Deo fugere dicuntur quia malum priuatio est boni: & qui committunt scelera Deo se priuant, mortemque incurrunt quæ est priuatio, si Deo (qui est summum bonum) non reconcilientur. Deinceps, vt sola nostra imaginatione concipimus esse tale extra cælum spacium: ita consequens erit, vt Deum inibi sola nostra imaginatione non reuera inesse dicamus: quod est absurdum, quia Deus est realiter vbique iuxta illud prophetæ, cælum & terram impleo: Deus ergo non est reuera extra cælum. Insuper, spiritus seu incorporeæ substantiæ non sunt in loco nisi per operationem: Deus autem extra mundum nihil operatur: ergo Deus non est extra cælum. Operatio Dei creationem arguit: sed antequam cælum fecit nihil fecit, vt ait D. Augustinus libro vndecimo Confess. capite duodecimo. Postremo, nihil est capax Dei nisi ipse Deus: sed spatium extra cælum non est Deus: ergo tale non est in quo Deus extra cælum in sempiternum viuat.

Mali Deum fugiunt, quia malum est boni priuatio.

Iere. c.23. v.24.

Resp.

Nouum & inauditum non est hoc dogma Aristotelis de infinito spacio extra cælum: sed multis argumentis (vt vides) multisque testimoniis philosophorum, patrum & sacrarum literarum confirmatum. Nam cum cæli cælorum non capiant Deum actu infinitum, immensum, immobilem, æternum, necesse est ponere tale spacium, mente conceptum in quo existat. At (inquis) extra cælum nihil est: sed Deus in nihilo non est: ergo non est in spacio extra cælum. Respondeo, extra cælum nihil esse reale præter Deum beatosque spiritus, qui realem & diuisibilem locum non requirunt: satis est si ille locus sit ens vtcunque intell. ctualis. Hoc dico, non vt negem Deum essentialiter vbique esse in rebus: sed vt doceam esse infinitam illius essentiam, vt subsistit reuera in omni loco, sit ille locus quantus vel non quantus: ens rei vel imaginarium vt aiunt: nam vt ea quæ non sunt non aliter quam ac si essent apud Deum sunt: ita spacium hoc extra cælum

1. Reg. c.8. v.27
Chro. c.6. v.18.

Nihil extra cælū præter Deū & beatos spiritus.

cælum mente conceptum, licet ens rei non existat, est tamen locus in quo Deus inesse potest. Cælum est locus Dei, & hoc corporeum, materiale est: cor hominis (si pro mēte sumas) locus Dei est, & hoc spirituale est: cogitatum cordis humani est locus Dei, & hoc intentionale est: spatium extra cælum est locus Dei, & hoc intellectuale est: Deus tamen in hisce omnibus & singulis ens vere subsistens & reale est: non est ergo hoc intellectuale & imaginarium spacium nihil, quamuis nec reale nec intentionale sit. At (dicis) hoc spacium priuatio est entis: sed Deus non est in priuatione: ergo Deus non est in hoc spacio. Nam si sit, cur non in cæcitate, surditate, morte, peccato inest? in quibus Deum inesse omnes tam philosophi quam theologi negant, quia sunt priuationes. Respondeo, non esse similem rationem cæcitatis aliarumque priuationum & negationum ac spacii extra cælum, quia in priuationibus non est aptitudo ad recipiendum habitum, at spacio extra cælum conuenit aptitudo ad recipienda corpora: competit ergo ei vt in eodem Deus esse dicatur. Hic addis idcirco Deum in hoc spatio non esse reuera, quia sola imaginatione eum inesse in eodem concipimus. Respondeo, nos concipere Deum esse in eo spacio reuera: non quod spacium illud sit reale & positiuum, sed quod Deus sit ens infinitum quod rerum limitibus & cancellis comprehendi nequeat. Vt ergo verissime concipimus Deum esse in cogitatione hominis, licet sit illa quidem ens intentionale: ita reuera concipimus Deum esse in hoc spatio licet non sit positiuum (vt aiunt) & reale. Vrges vlterius, spiritus & incorporeas substantias esse solum in loco per operationes: sed Deus nihil operatur extra amplexum mundi: ergo Deus non est in spacio extra cælum. Respondeo, non dicere Aristotelem incorporeas substantias esse in loco per operationes, sed definite cognosci in loco per operationes. Deus enim ante iacta mundi fundamenta in seipso fuit, tum vero in loco cognitus, postquam cælum & terram, sedem & scabellum suorum pedum condidisset. At hic adfers Beatum Augustinum qui in libro tertio contra Maximum ait Deum antequā mundum fabricarat, fuisse in seipso: respondeo, hoc non probare hoc spacium extra cælum, quia aliter Deus est in seipso, aliter

Locus Dei spiritualis, materialis, intentionalis, intellectualis.

1. Cor. 3.16. & 6.19. 2. Cor. 6. 16.

Deus solum in iis est qua apta sunt ad se recipiendum.

Deum concipimus esse extra cælum non quod spacium illud sit reale, sed quia sit Deus vbique & infinitus.

Esa. 66.1. Matt. 5.34.35. Act. 7. 49.

in spacio, aliter in mundo, vt superius diximus. Postremo, nihil est (inquis) capax Dei nisi Deus: non est ergo tale spacium extra cœlum quod comprehendit Deum. Rationem hanc tuam nego: nam etsi nihil sit capax Dei, vt ens actu infinitum præter Deum: omnia tamen in rerũ natura capacia Dei sunt, quia Deus vnus, infinitus, simplex in omnibus & singulis natura effectis essentialiter & totus inesse dicitur. Huic Deo essentia vni, actu infinito, virtute maximo, qui in cœlo, in terra, & spatio super cœlum cœlorum regnat, sit laus & honor in sempiterna sæcula.

Deus aliter in seipso, spatio, & mundo.

Deum omnia pro suo modulo capiunt.

FINIS.

Lectori beneuolo.


ERat mihi in animo (docte & amice lector) ex maiore volumine (quod in vniuersam philosophiam scripsi) breuiora scholia in singulos libros Aristotelis colligere, vt nunc in his libris Physicorum diligenter perfeci; sed aliter de me meoque consilio Deus Opt. Max. nunc tandẽ disposuit. Nam testam fragilem vitę quam dedit (corpus intelligo) valde infirmam morbo, studio, ætate reddidit. Vt ergo languens & defessus viator post lõgum iter diuersorium petit quo se reficiat; ita equidem iam senex valetudinarius, virga & baculo à Deo monitus, asylum non theatrum, Cœlum non prelum quæro. Quinquies in comœdia istius vitæ partem egi: si diuina ope fretus bene quid egerim, epilogus hic est, applaude; sin minus recte, humaniter interpretare, & amice corrige, pluraque ne expecta: nam plura non possum: supersunt qui plura & meliora possunt. *Vale prid. Cal. Nouembr. Anno reparatæ Salutis* ∞ IↃ. XC. IX.

2. Cor. 4. 2.

Psal. 23. 4.

Studiosissimus tui,

I. CASVS



INDEX EORVM quæ in hoc volumine continentur.

Amuleta

D

Contra primam quæstionem.

Opp. *Locum & vbi agnouit Phus: sed infinitum locum & vbiquitatem non agnouit: ergo Deus non est vbiq; secundum Arist. Antecedens patet, quia locum & vbi in prædicamentis tractat, vbiquitatis vero nusquam mentionem facit.*

Resp. *Vix digner respondere friuolo huic argumento, sed ne verbis victoriam reportasse videaris. Dico sexcenties demonstrasse Arist. Deum esse ens actu infinitum. Quid? an voluit infinitum finito in loco contineri? Cæcus est qui in hoc ipso capite non videat Philosophum esse eo animo vt existimet virtutem actu infinitam non existere in definita magnitudine: & quorsum quæso id docet, nisi vt inferat Deum in loco finito non comprehendi? Verum enimuero si Deus infinito spacio non contineatur (quamuis hoc verbo vbiquitatis non vtatur) rem tamen agnoscit & fatetur.*

Deus infinitus non est in finita magnitudine.

Opp. *Videris nimium extollere Arist. loquentem de Deo, & plane loca huius capitis extra omnem concentum & harmoniam veritatis torques. Nam is disertis verbis hic Deum in circumferentia cæli collocat, quæ circumferentia cæli non est vbique, vt tu ipse interpretaris.*

Resp. *Vides apertis oculis, & tamen vis in luce solis cæcutire: dicit hic quidem Aristoteles Deum esse in circumferētia cæli secundum quandam relationem ad motum cæli, esse vero in spacio extra cælum & etiam in centro simul, hoc est vbique esse affirmat, si absolutam essentiam in eo spectes. Extra cælum (inquit) sunt qui beatissimam nec non sufficiētissimam in se vitam in sempiternum agunt. Sapius hunc locum insignem vrgeo, vt Deum vbiq; esse secundum Aristotelem manifeste intelligas.*

Opp. *Loca plura infesta huic opinioni tuæ ex Aristotele annumerabo: in hoc capite inquit duæ sunt præcipuæ partes mundi in quibus Deus videtur esse, nempe centrum & cælum. At in cælo illum collocat, quia rapida vertigine circumuehitur. Huic positioni consentit ille locus primo de cælo ca. 3. Vbi approbat consensum mortalium, cælum tanquam domicilium Deo attribuentium. Non est difficilis ille locus lib. 2. cap. 10. de ortu & interitu corpora longius à Deo seiuncta & separata turbulento motu cōcussa in perniciem ruere.*

Aliquot Arist. loca, quæ probant Deum nō esse vbique.

Postremo

Postremo in libro de mundo ad Alexandrum, statuit haud consentaneum esse diuinitati vt inferioris mundi rebus intersit, quod exemplo regis in administratione imperii declarat, si vim argumentis velis addere. Addo Iustinum Philosophum in oratione paranetica ad gentes sic de Arist. sensisse.

Iustinus Philosophus.

Resp. *Superius his locis adductis satisfeci, si Deum vt motorem comparate ad cælum animo consideres. Nam sic quidem Aristotelis fuit opinio, Deum scilicet immediate mouere primum mobile: non tamen sic immediate vt ipsam mouere differit vt eidem soli affixum aut alligatum putarit: sed ideo in cælo collocat, quia ex omnibus locis finitis hic augustissimus, altissimus proximusq; spacio illi existit in quo Deum reuera posuit. Approbat quidem cõsensum mortalium quærentium Deum sursum, non quod limitibus cæli cõtineatur, sed quod cælum ornatissimum tectum mundi sit in quo lucẽtes Dei literas & imagines vbiq; cernimus. Per corpora quæ longius absunt à Deo, Arist. non distantiam loci sed modum compositionis & existẽtiæ intelligit, quasi diceret omnia sublunaria corpora sunt interitui magis obnoxia, quo magis à Deo sint separata, non loco sed modo cõstitutionis & formæ, id est quia naturam fragilem à spirituali & diuina magis distantem induerunt. Hoc dicit, non quod Deus non sit præsens vbiq;, sed quia omnibus nõ præsit eodem modo. Similiter respõdeo loco illi quem ex lib. de mundo huc adfers, nempe non esse consentaneum vt Deus eodem modo omnes mundi partes administret. Summa omnium quæ dico hæc est, quam ex Beato Thoma colligo, nimirum Aristotelem non constituere Deum in supremo globo cæli quasi illum loco circumscriberet aut definiret: sed quod inibi vberior & illustrior sit eius operatio, ampliorq; illius operationis significatio ob incitatissimum illius sphæræ motum. In libro de Ortu & interitu, distantiam accipit non pro intercapedine spacii, sed pro dissimilitudine naturæ: ita vt illa dicantur à Deo longius distare quæ perfectionis gradu ad eum minus accedant. Postremo in lib. de mundo, non simpliciter diuinam prouidentiam rebus singulis negat Philosophus, sed eodem semper modo non adesse omnibus affirmat: eodem tamen modo omnibus adest si essentiam Dei, non eodem modo si existentiam rei spectes.*

Superiorum locorum reconciliatio.

Cur Dei sedes cælum dicatur.

Cælum ornatissimum Mundi tectum.

Aliquid magis minusq; distat à Deo quia non eodem modo præest omnib.

Vel spacio, vel natura dissimilitudine alia omnia à Deo distant.

Contra secundam partem primæ quæstionis, An Deus secundum Aristotelem sit infinita virtute?

Opp. *Nescio equidem quid per virtutem infinitam in Deo intelligas, An illā pro essentia aut pro accidente sumas. Et iterum, an virtutē infinitam duratione solum, an virtutē perfectione & intensione intelligendā velis. Sed vtcunque accipias sic arguo. Nulla virtus infinita in magnitudine finita dari pōt: sed si Dei virtus sit infinita, sequetur infinitā virtutē esse in finita magnitudine, nempe in cælo quod infinita virtute mouet: ergo Dei virtus secundum Arist. non est infinita. Maior est in textu, minor quoq; Arist. qui virtutem infinitam Deo attribuit, quam tamen contradictione sui, taci tus omnino tollere videtur. Præterea, aperte in lib. 1. de cælo cap. 8 negat hanc infinitam virtutem Deo: quippe (vt ait) non potest Deus plures mundos constituere: idemq; in 2. lib. cap. 6. insinuat cum doceat motum cælestem proportionem habere cum virtute primi motoris: sed motus cæli est finitus: ergo finita est secundum Arist. virtus mouentis. Postremo Arist. hic solam mentionem facit virtutis infinitæ in Deo, duratione, non habitu & perfectione quæ magis Deo conuenit: illius ratio in textu est ideo esse infinitam virtutem Dei, quia tempore infinito cælum mouet, quasi diceret illius virtus est solum duratione infinita.*

Resp. *Certissimum est Arist. virtutem non solum duratione sed habitu & perfectione infinitam in Deo agnouisse, cum illius potentiam, essentiam & prouidentiam vbiq; esse & in omnibus lucere agnoscat. Dignus est lectione ille locus 1. de partibus animantium capite quinto, vbi approbat Arist. Heraclitum, qui interrogantibus quibusdam an non puderet illum in vili & furnaria casa sedere, respondit, intrate: nam Deus quoq; hic est. Attende quod in hac approbatione Arist. fateatur duo,* vbiquitatem *(vt sic loquar) & in rebus sublunaribus prouidentiam. Si non studerem breuitati, legerem vnam sententiunculam ex Oeconomicis Arist. quam in commentariolis meis obseruaui, in qua Arist. expresse dicit diuinam prouidentiam præesse nuptiis. Omitto testimonia fere infinita, quibus probare licet esse vanitis accusandos illos qui somniant Aristotelem existimasse*

Dei vbiquitas, prouidentia.

Lib. 2. cap. 1. 2. Virtus Dei infinita nō solum duratione sed etiam perfectione.

Deum

Deum esse quasi patremfamilias cœlestis solum Hierarchiæ. Ad argumenta nunc soluenda venio, & imprimis dico secundum Aristot. per infinitam virtutem non solum ifinitam duratione, sed etiam infinitam perfectione intelligi: quia (vt ex eodem probatur) Deus est summū & perfectissimum bonū. Ad obiectionem quam à proportione inter virtutem & magnitudinem ducis respondeo, infinitam virtutem non esse finitæ magnitudinis propriam & internā: esse tamen posse communem & externam qualis est hæc in Deo, quæ non inhæret finitæ magnitudini cæli, sed illam libere pro imperio & arbitrio mouet. Ad locum ex primo de Cælo aio, Aristotelem non expressis verbis docere Deum non posse constituere plures mundos, sed hoc dicit, plures mundos esse non posse: quod probat ex parte rei, quia implicaret contradictionem naturæ, plures scilicet esse simul. Vel dicendum est negare Aristotelem posse plures mundos esse, non ob defectum aut imbecillitatem diuinæ potentiæ quam actu infinitam esse credebat: sed ob determinationem voluntatis suæ, qua se rebus faciendis & mouendis applicat: idque non pro infinitate virtutis suæ, sed pro ratione & natura rerum quæ actum illius infinitæ virtutis effusum facile non ferunt. Alii respōdent posse Deum plures mundos facere ex opinione Aristotelis, si ipse secundum infinitam potentiam & virtutem nullis mediis astrictam consideretur. Eam metaphysicam & extraordinariam (vt ita loquar) virtutem Deo non negat: sed si consideretur secundum potentiam comparatam & ordinariam (vt vocant) qua se secundis causis & effectis (vt sunt & esse possunt) accommodat, non potest: Ratio est, non q̄ Deus non possit, si absolutā & infinitam virtutem effunderet: sed quod physicæ & finitæ res ordine naturæ constitutæ eam contradictionem non sustinerent. Pari ratione respondeo ad alterum locum ex eodem libro allatum, nempe motionem cæli referri ad potentiam motricem Dei: verum quod hic inferre queas potentiam & virtutem Dei esse finitam quia cæli motus finitus existit, argumentum nego: nam refertur ad potentiam Dei, prout Deus se applicat rebus conseruandis. Vt enim Nilus si se suasq; omnes vires vltra littora vniuersim effunderet, facile totā Ægyptum immergeret: ita si Deus infinitā exerceret virtutem

Summa octaua per totam. An plures esse possint mundi ex Aristotelis opinione.

Deus virtute ordinaria non potest, extraordinaria potest mūdum alium condere.

Infinitam suā potentiā Deus contrahit pro cuiusq; rei angustiis.

Plini. hist. nat. l.18.c.18. & l.9. c 58. & Iu. Scal. exer. 47. Iulius Scal 35. Hier l. 2. a principio.

in mouendo cælo, in momento cæli natura concussa rueret. Verum vt Nilus, superfluendo stata tempora & certa stadia obseruans terram fertiliorem reddit: ita virtus infinita Dei se veluti contrahens sic cælum omniaq; in hoc vniuerso mouet, vt eorum inde natura meliores & firmiores fiant. Ad vltimum argumentum dico, Aristotelem mentionem facere quidem hoc loco solius virtutis infinitæ duratione, sed hoc nō probat (vt abunde demōstratum est) illum negasse virtutem infinitam perfectione in Deo prælucere. Quod etiam in hoc ipso insinuat Phūs, cum demonstret Deum virtute infinita mouere tam immensam magnitudinem & molem sine vlteriore loco quo cælum contineatur. Imo secundū D. Thomam existimo non ideo dici virtutem Dei infinitam esse in mouendo cælo, quia ab æterno idipsum mouebat: sed ideo infinitam posuisse Aristotelem, quia ita mouet vt à nullo motricem vim & virtutem hauriat. Quæ sane mouendi ratio infinitam arguit virtutem, non duratione tantum sed & perfectione: ab eodem enim fonte & mouendi & essendi ratio fluit: sed Deus esse à seipso habet: ergo virtutem mouendi à seipso, & proinde est infinita perfectione & infinitate perfecta.

Dei virtus infinita.

Argumenta contra quæstionem An circumferentia cœli primus vocetur locus, domicilium, aut templum Dei?

Opp. *Serio disputatum est de vbiquitate & infinita virtute Dei: ludam ergo in hac quæstione quia obiter in prima satis discussa est: sic igitur disputo. Est Deus secundum Aristotelem vbiq;: ergo circumferentia cæli non recte primus locus vocetur. Præterea, cum spacio extra cælum ab Aristotele ponatur Deus, magis proprie diceretur illud spacium esse domicilium & templum Dei. Insuper, cum Deus sit indiuisibilis, ille locus eiusdem aptissime primus nominatur qui est indiuisibilis: sed centrum mundi est indiuisibile: ergo centrum mundi potius ipsius locus quam cælum diceretur. Postremo, si in vertice cæli contineretur Deus, infinitum in finito habitaret, quod est cōtra fidem philosophorū qui proportionē inter loca & locata esse volunt: at quæ proportio inter*

Deum

Deum & circumferentiam cæli esse potest? Certe nulla: Deus ergo in circumferentia cæli non collocatur.

Resp. *Deus est vbique: ergo (inquis) non est in circumferẽtia cæli, contrarium potius intulisses: est vbique: ergo est in circumferentia cæli. Vbiq; est Deus & tamen cælum illius templum & tectum præcipuum & primum dicitur, quoniam est altissimum maximeque radiis & gemmis natura politum: at magis proprie spacium extra cælum locus Dei dicitur, quia, est locus intelligibilis qui primo intellectui & animæ mundi conuenit. Esto, si velis, magis per se non magis quoad nos dicatur, quia nos solum gloriam cæli stellati cernimus. Vltra hoc, centrum tanquam aptiorem locum Deo continendo obiicis, quia est vt Deus ipse indiuisibilis. Respondeo esse in centro, sed magis immensitas quam indiuisibilitas in Deo à nobis spectatur, & magis in cælo quã in terra colitur. Postremo infinitum (inquis) finito contineri non potest: ergo Deus non continetur in circumferentia cæli. Satisfactum est huic argumento antea, cum demonstratum fuit Deum virtutem suam infinitam veluti contrahere, & eandem contractam rebus sic applicare, vt earum natura ferant, & hoc modo in cælo est, idemque pro arbitrio & imperio mouet, regit & conseruat.*

Arist. de Mundo. c. 2. de Cæl. l. 2. t. 22. & lib. 2. t. 2.

Deus in Cælo magis quam in terra habitat, quia gloriam Dei in Cælo maiorem videmus.

Argumenta contra vltimam quæstionem; Vtrum spacium extra cœlum sit imaginarium, & an in eo sit Deus beatique spiritus?

Opp.

Nouum & inauditum nunc infers locum Dei, phantasticum, imaginarium, nullum: vltra cæli complexum nihil est reuera positum, nihil reale in quo rerum principium primum resideret. Sic ergo disputo: extra cælum nihil est (teste philosopho) sed Deus non potest esse in nihilo: ergo Deus non est extra cælum. Præterea, cum spacium cæli sit priuatio entis realis & intentionalis (vt aiunt) absurdissimum est Deum ens primum & maximum in eo collocare. Nam cur Aristoteles materiam primam ens minimum & fere nihil definiuit esse, nisi quoniam à Deo primo actu sit remotissima? at magis remota est hæc entis priuatio & imaginatio loci à Deo quam materia

De Cælo. l. 1. t. 99. & l. 2. t. 29.

Met. li. 7. t. 4.

qua aliquid entitatis (vt ita loquar) habet. Porro si ponas Deum in hoc priuatiuo spacio, cur negas Deum esse in cacitate, surditate, morte, aliisque priuationibus quas omnes philosophi à Deo alienas recte & sapienter indicant? Hinc mali à Deo fugere dicuntur quia malum priuatio est boni & qui committunt scelera Deo se priuant, mortemque incurrunt qua est priuatio, si Deo (qui est summum bonum) non reconcilientur. Deinceps, vt sola nostra imaginatione concipimus esse tale extra cælum spacium: ita consequens erit, vt Deum inibi sola nostra imaginatione non reuera inesse dicamus: quod est absurdum, quia Deus est realiter vbique iuxta illud propheta, cælum & terram impleo: Deus ergo non est reuera extra cælum. Insuper, spiritus seu incorporea substantia non sunt in loco nisi per operationem: Deus autem extra mundum nihil operatur: ergo Deus non est extra cælum. Operatio Dei creationem arguit: sed antequam cælum fecit nihil fecit, vt ait D. Augustinus libro vndecimo Confess. capite duodecimo. Postremo, nihil est capax Dei nisi ipse Deus: sed spatium extra cælum non est Deus: ergo tale non est in quo Deus extra cælum in sempiternum viuat.

Mali Deum fugiunt, quia malum est boni priuatio.

Iere. c. 23. v. 24.

Resp.

Nouum & inauditum non est hoc dogma Aristotelis de infinito spacio extra cælum: sed multis argumentis (vt vides) multisque testimoniis philosophorum, patrum & sacrarum literarum confirmatum. Nam cum cæli cælorum non capiant Deum actu infinitum, immensum, immobilem, æternum, necesse est ponere tale spacium, mente conceptum in quo existat. At (inquis) extra cælum nihil est: sed Deus in nihilo non est: ergo non est in spacio extra cælum. Respondeo, extra cælum nihil esse reale prater Deum beatosque spiritus, qui realem & diuisibilem locum non requirunt: satis est si ille locus sit ens vtcunque intellectualis. Hoc dico, non vt negem Deum essentialiter vbique esse in rebus: sed vt doceam esse infinitam illius essentiam, vt subsistit reuera in omni loco, sit ille locus quantus vel non quantus: ens reale vel imaginarium vt aiunt: nam vt ea qua non sunt non aliter quam ac si essent apud Deum sunt: ita spacium hoc extra

1. Reg. c. 8. v. 27 2. Paral. libro. c. 6. v. 18.

Nihil extra cælũ prater Deũ & beatos spiritus.

cælum

cælum mente conceptum, licet ens rei non existat, est tamen locus in quo Deus inesse potest. Cælum est locus Dei, & hoc corporeum, materiale est: cor hominis (si pro mēte sumas) locus Dei est, & hoc spirituale est: cogitatum cordis humani est locus Dei, & hoc intentionale est: spatium extra cælum est locus Dei, & hoc intellectuale est: Deus tamen in hisce omnibus & singulis ens vere subsistens & reale est: non est ergo hoc intellectuale & imaginarium spacium nihil, quamuis nec reale nec intentionale sit. At (dicis) hoc spacium priuatio est entis: sed Deus non est in priuatione: ergo Deus non est in hoc spacio. Nam si sit, cur non in cæcitate, surditate, morte, peccato inest? in quibus Deum inesse omnes tam philosophi quam theologi negant, quia sunt priuationes. Respondeo, non esse similem rationem cæcitatis aliarumque priuationum & negationum ac spacii extra cælum, quia in priuationibus non est aptitudo ad recipiendum habitum, at spacio extra cælum conuenit aptitudo ad recipienda corpora: competit ergo ei vt in eodem Deus esse dicatur. Hic addis idcirco Deum in hoc spatio non esse reuera, quia sola imaginatione eum inesse in eodem concipimus. Respondeo, nos concipere Deum esse in eo spacio reuera: non quod spacium illud sit reale & positiuum, sed quod Deus sit ens infinitum quod rerum limitibus & cancellis comprehendi nequeat. Vt ergo verissime concipimus Deum esse in cogitatione hominis, licet sit illa quidem ens intentionale; ita reuera concipimus Deum esse in hoc spatio licet non sit positiuum (vt aiunt) & reale. Vrges vlterius, spiritus & incorporeas substantias esse solum in loco per operationes: sed Deus nihil operatur extra amplexum mundi: ergo Deus non est in spacio extra cælum. Respondeo, non dicere Aristotelem incorporeas substantias esse in loco per operationes, sed definite cognosci in loco per operationes. Deus enim ante iacta mundi fundamenta in seipso fuit, tum vero in loco cognitus, postquam cælum & terram, sedem & scabellum suorum pedum condidisset. At hic adfers Beatum Augustinum qui in libro tertio contra Maximum ait Deum antequā mundum fabricarat, fuisse in seipso: respondeo, hoc non probare hoc spacium extra cælum, quia aliter Deus est in seipso, aliter

Locus Dei spiritualis, materialis, intentionalis, intellectualis.

1. Cor. 3.16. & 6.19. 2. Cor. 6. 16.

Deus solum in iis est quæ apta sunt ad se recipiendum.

Deum concipimus esse extra cælum non quod spacium illud sit reale, sed quia sit Deus vbique & infinitus.

Esa. 66.1. Mat. 5.34.35. Act. 7. 49.

in spacio, aliter in mundo, vt superius diximus. Postremo, nihil est (inquis) capax Dei nisi Deus: non est ergo tale spacium extra cœlum quod comprehendit Deum. Rationem hanc tuam nego: nam etsi nihil sit capax Dei, vt enti actu infinitum præter Deum: omnia tamen in rerũ natura capacia Dei sunt, quia Deus vnus, infinitus, simplex in omnibus & singulis natura effectiu essentialiter & totus inesse dicitur. Huic Deo essentia vni, actu infinito, virtute maximo, qui in cœlo, in terra, & spatio super cœlum cœlorum regnat, sit laus & honor in sempiterna sæcula.

Deus aliter in seipso, spatio, & mundo.

Deum omnia pro suo modulo capiant.

FINIS.

Lectori beneuolo.


ERat mihi in animo (docte & amice lector) ex maiore volumine (quod in vniuersam philosophiam scripsi) breuiora scholia in singulos libros Aristotelis colligere, vt nunc in his libris Physicorum diligenterq; perfeci; sed aliter de me meoque cõsilio Deus Opt. Max. nunc tandẽ disposuit. Nam testam fragilem vitę quam dedit (corpus intelligo) valde infirmam morbo, studio, ætate reddidit. Vt ergo languens & defessus viator post lõgum iter diuersorium petit quo se reficiat; ita equidem iam senex valetudinarius, virga & baculo à Deo monitus, asylum non theatrum, Cœlum non prelum quæro. Quinquies in comœdia istius vitæ partem egi: si diuina ope fretus bene quid egerim, epilogus hic est, applaude; sin minus recte, humaniter interpretare, & amice corrige, pluraque ne expecta: nam plura non possum: supersunt qui plura & meliora possunt. *Vale prid. Cal. Nouembr. Anno reparatæ Salutis* ∞ IↃ. XC. IX.

2. Cor. 4. 2.

Psal. 23. 4.

Studiosissimus tui,

I. CASVS



INDEX EORVM quæ in hoc volumine continentur.

Amuleta

D

5 A prouidentia Dei quæ vniuersalis esse non potest, si non sit vbique. Nam prouidentia in Deo non est accidens secundum Aristotelem, vbi ergo est illius prouidentia ibi est ipse Deus: sed vbique est illius prouidentia, quę (teste Philosopho) conseruat omnia: ergo vbique est Deus.

6 A comparatione aliorum spirituum quos Arist. Intelligentias vocat. Si (inquit Philosophus) sint definite in loco, ergo Deus est vbique: nam aliter causa infinita à finito effectu non differret.

7 A conditione loci quæ est vt sit æqualis locato, solumq; corpus finitum ambiat, sed cum nihil æquale Deo esse possit, cumque Deus sit infinita virtute spiritus, necessario vbique est.

8 Ab ordine & statu mundi, qui nec esse nec bene esse potest si Deus vbique non sit, à quo omne esse & bene esse pendet.

9 Ab authoritate humana & diuina. ab authoritate humana, quia omnes viri sapiētes (vt Socrates, Plato, aliique) hoc ipsum affirmarunt. Ab authoritate diuina, quia à Propheta Baruch ca. 3. dicitur. *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* Vnde colligo finitum non habere locū.

A

Secunda, *An circūferentia cœli recte ab Aristotele primus vocetur locus Dei?* In hac quæstione cōsiderari potest Deus duobus modis, vel in

1 Infinita & simplici essentia sua, & sic vbique esse dicitur: imo secūdum Aristot. non in circumferentia cœli solum, sed in spacio extra cœlum, & in centro mundi esse dicitur, vt in nono capite libri primi de Cœlo constat, quem locum discupio vt omnes Aristo. elicæ sapientiæ studiosi legerent.

Tertia est, Vide in seq. pag lit. B

2 Speciali prouidentia & comparatione ad motum cœli, & sic hoc loco circumferentia cœli illius primus & præcipuus locus apte nominatur. Rationes sunt, quia cœlum motu, duratione, magnitudine loci, ornatu, aliisque diuinis qualitatibus omnia corpora in mundo superat, & excellit, & quia omnes tum Græci tum Barbari cum numen inuocant manus & oculos ad cœlum attollūt: si ergo vllus locus sit capax Dei, cœlum recte illius speculum & habitatio dicitur.

B

Tertia est, *An spacium extra cœlum sit imaginarium? & An in eo sint Deus beatiq; spiritus secundum Aristotelem?* in hac quæstione duo consideranda sunt,

- Natura spacii: & hic notādum est quod hoc spaciū non sit
  - 1 Ens rei, aut corp⁹ aliquod continens actu quantitates rerum.
  - 2 Ens rationis, quia in eo secundum Aristotelem primo de Cœlo spirit⁹ (qui sunt entia realia) insunt: est ergo intellectuale solium Dei, soli menti diuinæ notum, vacuum corporis, capax maiestatis.
- Modus existendi in eo, sed hic considerare opotet quod Deus sit aliter in
  - In mūdo, Nam in eo eiusq; cunctis partibus est per
    - 1 Essentiam vt sint.
    - 2 Præsentiam, prouidētiam vt bene sint, & ferantur ad finem.
  - Spacio extra mundum, quod ponere necesse est: quia finita mundi vniuersitas illum capere non potest: est ergo in Deo non secundū coexistentiam cum aliis, sed secundum realem & infinitam existentiam sui.
  - Seipso, quia hoc modo nullius rei aut loci eget adminiculo: est enim essentialiter & infinite perfectum bonum

Postremo in libro de mundo ad Alexandrum, statuit haud consentaneum esse diuinitati vt inferioris mundi rebus intersit, quod exemplo regis in administratione imperii declarat, si vim argumentis velis addere. Addo Iustinum Philosophum in oratione parænetica ad gentes sic de Arist. sensisse.

Iustinus Philosophus.

Resp. *Superius his locis adductis satisfeci, si Deum vt motorem comparate ad cælum animo consideres. Nam sic quidem Aristotelis fuit opinio, Deum scilicet immediate mouere primum mobile: non tamen sic immediate & ipsam mouere differit vt eidem soli affixum aut alligatum putarit: sed ideo in cælo collocat, quia ex omnibus locis finitis hic augustissimus, altissimus proximusq; spacio illi existit in quo Deum reuera posuit. Approbat quidem cōsensum mortalium quærentium Deum sursum, non quod limitibus cæli cōtineatur, sed quod cælum ornatissimum tectum mundi sit in quo lucētes Dei literas & imagines vbiq; cernimus. Per corpora quæ longius absunt à Deo, Arist. non distantiam loci sed modum compositionis & existētiæ intelligit, quasi diceret omnia sublunaria corpora sunt interitui magis obnoxia, quo magis à Deo sint separata, non loco sed modo cōstitutionis & forma, id est quia naturam fragilem à spirituali & diuina magis distantem induerunt. Hoc dicit, non quod Deus non sit præsens vbiq; sed quia omnibus nō præsit eodem modo. Similiter respōdeo loco illi quem ex lib. de mundo huc adfers, nempe non esse consentaneum vt Deus eodem modo omnes mundi partes administret. Summa omnium quæ dico hæc est, quam ex Beato Thoma colligo, nimirum Aristotelem non constituere Deum in supremo globo cæli quasi illum loco circumscriberet aut definiret: sed quod inibi vberior & illustrior sit eius operatio, amplior q; illius operationis significatio ob incitatissimum illius sphæræ motum. In libro de Ortu & interitu, distantiam accipit non pro intercapedine spacii, sed pro dissimilitudine naturæ: ita vt illa dicantur à Deo longius distare quæ perfectionis gradu ad eum minus accedant. Postremo in lib. de mundo, non simpliciter diuinam prouidentiam rebus singulis negat Philosophus, sed eodem semper modo non adesse omnibus affirmat: eodem tamen modo omnibus adest si essentiam Dei, non eodem modo si existentiam rei spectes.*

Superiorum locorum reconciliatio.

Cur Dei sedes cælum dicatur.

Cælum ornatissimum Mundi tectum.

Aliquid magis minusq; distat à Deo quia non eodem modo præest omnib.

Vel spacio, vel naturæ dissimilitudine alia omnia à Deo distant.

Contra secundam partem primæ quæstionis, An Deus secundum Aristotelem sit infinita virtute?

Opp. *Nescio equidem quid per virtutem infinitam in Deo intelligas, An illā pro essentia aut pro accidente sumas. Et iterum, an virtutē infinitam duratione solum, an virtutē perfectione & intensione intelligendā velis. Sed vtcunque accipias sic arguo. Nulla virtus infinita in magnitudine finita dari pōt: sed si Dei virtus sit infinita, sequetur infinitā virtutē esse in finita magnitudine, nempe in cælo quod infinita virtute mouet: ergo Dei virtus secundum Arist. non est infinita. Maior est in textu, minor quoq; Arist. qui virtutem infinitam Deo attribuit, quam tamen contradictione sui, taci tus omnino tollere videtur. Præterea, aperte in lib. 1. de cælo cap. 8 negat hanc infinitam virtutem Deo: quippe (vt ait) non potest Deus plures mundos constituere: idemq; in 2. lib. cap. 6. insinuat cum doceat motum cælestem proportionem habere cum virtute primi motoris: sed motus cæli est finitus: ergo finita est secundum Arist. virtus mouentis. Postremo Arist. hic solam mentionem facit virtutis infinitæ in Deo, duratione, non habitu & perfectione qua magis Deo conuenit: illius ratio in textu est ideo esse infinitam virtutem Dei, quia tempore infinito cælum mouet, quasi diceret illius virtus est solum duratione infinita.*

Resp. *Certissimum est Arist. virtutem non solum duratione sed habitu & perfectione infinitam in Deo agnouisse, cum illius potentiam, essentiam & prouidentiam vbiq; esse & in omnibus lucere agnoscat. Dignus est lectione ille locus 1. de partibus animantium capite quinto, vbi approbat Arist. Heraclitum, qui interrogantibus quibusdam an non puderet illum in vili & furnaria casa sedere, respondit, intrate: nam Deus quoq; hic est. Attende quod in hac approbatione Arist. fateatur duo,* vbiquitatem *(vt sic loquar) & in rebus sublunaribus prouidentiam. Si non studerem breuitati, legerem vnam sententiunculam ex Œconomicis Arist. quam in commentariolis meis obseruaui, in qua Arist. expresse dicit diuinam prouidentiam præesse nuptiis. Omitto testimonia fere infinita, quibus probare licet esse vanitis accusandos illos qui somniant Aristotelem existimasse*

Dei vbiquitas, prouidentia.

Lib. 1. cap. 1. 2. Virtus Dei infinita nō solum duratione sed etiam perfectione.

Deum

Deum esse quasi patremfamilias cœlestis solum Hierarchiæ. Ad argumenta nunc soluenda venio, & imprimis dico secundum Aristot. per infinitam virtutem non solum ifinitam duratione, sed etiam infinitam perfectione intelligi: quia (vt ex eodem probatur) Deus est summũ & perfectissimum bonũ. Ad obiectionem quam à proportione inter virtutem & magnitudinem ducis respondeo, infinitam virtutem non esse finita magnitudinis propriam & internã: esse tamen posse communem & externam: qualis est hæc in Deo, quæ non inhæret. finita magnitudini cœli, sed illam libere pro imperio & arbitrio mouet. Ad locum ex primo de Cœlo aio, Aristotelem non expressis verbis docere Deum non posse constituere plures mundos, sed hoc dicit, plures mundos esse non posse: quod probat ex parte rei, quia implicaret contradictionem natura, plures scilicet esse simul. Vel dicendum est negare Aristotelem posse plures mundos esse, non ob defectum aut imbecillitatem diuinæ potentiæ quam actu infinitam esse credebat: sed ob determinationem voluntatis suæ, qua se rebus faciendis & mouendis applicat: idque non pro infinitate virtutis suæ, sed pro ratione & natura rerum quæ actum illius infinitæ virtutis effusum facile non ferunt. Alii respõdent posse Deum plures mundos facere ex opinione Aristotelis, si ipse secundum infinitam potentiam & virtutem nullis medius astrictam consideretur. Eam metaphysicam & extraordinariam (vt ita loquar) virtutem Deo non negat: sed si consideretur secundum potentiam comparatam & ordinariam (vt vocant) qua se secundis causis & effectis (vt sunt & esse possunt) accommodat, non potest: Ratio est, non quod Deus non possit, si absolutã & infinitam virtutem effunderet: sed quod physica & finita res ordine naturæ constituta eam contradictionem non sustinerent. Pari ratione respondeo ad alterum locum ex eodem libro allatum, nempe motionem cœli referri ad potentiam motricem Dei: verum quod hic inferre queas potentiam & virtutem Dei esse finitam quia cœli motus finitus existit, argumentum nego: nam refertur ad potentiam Dei, prout Deus se applicat rebus conseruandis. Vt enim Nilus si se suasq; omnes vires vltra littora vniuersim effunderet, facile totã Ægyptum immergeret: ita si Deus infinitã exerceret virtutem

Summa octaua per totam. An plures esse possint mundi ex Aristotelis opinione.

Deus virtute ordinaria non potest, extraordinaria potest mũdum alium condere.

Infinitam suã potentiã Deus contrahit pro cuiusq; rei angustiis.

Plini. hist nat. l.18.c.18. & l.9. c 55. & Iu. Scal. exer. 47. Iulius Scal 35. Hier l. 2. a principio.

in mouendo cælo, in momento cæli natura concussa rueret. Verum vt Nilus, superfluendo stata tempora & certa stadia obseruans terram fertiliorem reddit: ita virtus infinita Dei se veluti contrahens sic cælum omniaq; in hoc vniuerso mouet, vt eorum inde natura meliores & firmiores fiant. Ad vltimum argumentum dico, Aristotelem mentionem facere quidem hoc loco solius virtutis infinitæ duratione, sed hoc nō probat (vt abunde demōstratum est) illum negasse virtutem infinitam perfectione in Deo prælucere. Quod etiam in hoc ipso insinuat Phūs, cum demonstret Deum virtute infinita mouere tam immensam magnitudinem & molem sine vlteriore loco quo cælum contineatur. Imo secundū D. Thomam existimo non ideo dici virtutem Dei infinitam esse in mouendo cælo, quia ab æterno idipsum mouebat: sed ideo infinitam posuisse Aristotelem, quia ita mouet vt à nullo motricem vim & virtutem hauriat. Quæ sane mouendi ratio infinitam arguit virtutem, non duratione tantum sed & perfectione: ab eodem enim fonte & mouendi & essendi ratio fluit: sed Deus esse à seipso habet: ergo virtutem mouendi à seipso, & proinde est infinita perfectione & infinitate perfecta.

Dei virtus infinita.

Argumenta contra quæstionem An circumferentia cœli primus vocetur locus, domicilium, aut templum Dei?

Opp. *Serio disputatum est de vbiquitate & infinita virtute Dei: ludam ergo in hac quæstione quia obiter in prima satis discussa est: sic igitur disputo. Est Deus secundum Aristotelem vbiq;: ergo circumferentia cæli non recte primus locus vocetur. Præterea, cum spacio extra cælum ab Aristotele ponatur Deus, magis proprie diceretur illud spacium esse domicilium & templum Dei. Insuper, cum Deus sit indiuisibilis, ille locus eiusdem aptissime primus nominatur qui est indiuisibilis: sed centrum mundi est indiuisibile: ergo centrum mundi potius ipsius locus quam cælum diceretur. Postremo, si in vertice cæli contineretur Deus, infinitum in finito habitaret, quod est cōtra fidem philosophorū qui proportionē inter loca & locata esse volunt: at quæ proportio inter*

Deum

Deum & circumferentiam cæli esse potest? Certe nulla: Deus ergo in circumferentia cæli non collocatur.

Resp. *Deus est vbique: ergo (inquis) non est in circumferẽtia cæli, contrarium potius intulisses: est vbique: ergo est in circumferentia cæli. Vbiq; est Deus & tamen cælum illius templum & tectum præcipuum & primum dicitur, quoniam est altissimum maximeque radiis & gemmis natura politum: at magis proprie spacium extra cælum locus Dei dicitur, quia, est locus intelligibilis qui primo intellectui & animæ mundi conuenit. Esto, si velis, magis per se non magis quoad nos dicatur, quia nos solum gloriam cæli stellati cernimus. Vltra hoc, centrum tanquam aptiorem locum Deo continendo obiicis, quia est vt Deus ipse indiuisibilis. Respondeo esse in centro, sed magis immensitas quam indiuisibilitas in Deo à nobis spectatur, & magis in cælo quã in terra colitur. Postremo infinitum (inquis) finito contineri non potest: ergo Deus non continetur in circumferentia cæli. Satisfactum est huic argumento antea, cum demonstratum fuit Deum virtutem suam infinitam veluti contrahere, & eandem contractam rebus sic applicare, vt earum natura ferant, & hoc modo in cælo est, idemque pro arbitrio & imperio mouet, regit & conseruat.*

Arist. de Mundo. c. 2. de Cæl. l. 2. t. 22. & lib. 2. t. 2.

Deus in Cœlo magis quam in terra habitat, quia gloriam Dei in Cœlo maiorem videmus.

Argumenta contra vltimam quæstionem; Vtrum spacium extra cœlum sit imaginarium. & an in eo sit Deus beatique spiritus?

Opp.

Nouum & inauditum nunc infers locum Dei, phantasticum, imaginarium, nullum: vltra cæli complexum nihil est reuera positum, nihil reale in quo rerum principium primum resideret. Sic ergo disputo: extra cælum nihil est (teste philosopho) sed Deus non potest esse in nihilo: ergo Deus non est extra cælum. Præterea, cum spacium cæli sit priuatio entis realis & intentionalis (vt aiunt) absurdissimum est Deum ens primum & maximum in eo collocare. Nam cur Aristoteles materiam primam ens minimum & fere nihil definiuit esse, nisi quoniam à Deo primo actu sit remotissima? at magis remota est hæc entis priuatio & imaginatio loci à Deo quam materia

De Cælo. l. 1. t. 99. & l. 2. t. 29.

Met. li. 7. t. 8.

cælum mente conceptum, licet ens rei non existat, est tamen locus in quo Deus inesse potest. Cælum est locus Dei, & hoc corporeum, materiale est: cor hominis (si pro mēte sumas) locus Dei est, & hoc spirituale est: cogitatum cordis humani est locus Dei, & hoc intentionale est: spatium extra cælum est locus Dei, & hoc intellectuale est: Deus tamen in hisce omnibus & singulis ens vere subsistens & reale est: non est ergo hoc intellectuale & imaginarium spacium nihil, quamuis nec reale nec intentionale sit. At (dicis) hoc spacium priuatio est entis: sed Deus non est in priuatione: ergo Deus non est in hoc spacio. Nam si sit, cur non in cæcitate, surditate, morte, peccato inest? in quibus Deum inesse omnes tum philosophi quam theologi negant, quia sunt priuationes. Respondeo, non esse similem rationem cæcitatis aliarumque priuationum & negationum ac spacii extra cælum, quia in priuationibus non est aptitudo ad recipiendum habitum, at spacio extra cælum conuenit aptitudo ad recipienda corpora: competit ergo ei vt in eodem Deus esse dicatur. Hic addis idcirco Deum in hoc spatio non esse reuera, quia sola imaginatione eum inesse in eodem concipimus. Respondeo, nos concipere Deum esse in eo spacio reuera: non quod spacium illud sit reale & positiuum, sed quod Deus sit ens infinitum quod rerum limitibus & cancellis comprehendi nequeat. Vt ergo verissime concipimus Deum esse in cogitatione hominis, licet sit illa quidem ens intentionale; ita reuera concipimus Deum esse in hoc spatio licet non sit positiuum (vt aiunt) & reale, Vrges vlterius, spiritus & incorporeas substantias esse solum in loco per operationes: sed Deus nihil operatur extra amplexum mundi: ergo Deus non est in spacio extra cælum. Respondeo, non dicere Aristotelem incorporeas substantias esse in loco per operationes, sed definite cognosci in loco per operationes. Deus enim ante iacta mundi fundamenta in seipso fuit, tum vero in loco cognitus, postquam cælum & terram, sedem & scabellum suorum pedum condidisset, At hic adfers Beatum Augustinum qui in libro tertio contra Maximum ait Deum antequā mundum fabricarat, fuisse in seipso: respondeo, hoc non probare hoc spacium extra cælum, quia aliter Deus est in seipso, aliter

Locus Dei spiritualis, materialis, intentionalis, intellectualis.

1. Cor. 3.16. & 6.19. 2. Cor. 6. 16.

Deus solum in iis est quæ apta sunt ad se recipienda.

Deum concipimus esse extra cælum non q̄ spacium illud sit reale, sed quia sit Deus vbique & infinitus.

Esa. 66.1. Mat. 5.34.35. Act. 7. 49.

in spacio, aliter in mundo, vt superius diximus. Postremo, nihil est (inquis) capax Dei nisi Deus: non est ergo tale spacium extra cœlum quod comprehendit Deum. Rationem hanc tuam nego: nam etsi nihil sit capax Dei, vt ens actu infinitum præter Deum: omnia tamen in rerũ natura capacia Dei sunt, quia Deus vnus, infinitus, simplex in omnibus & singulis naturæ effectis essentialiter & totus inesse dicitur. Huic Deo essentia vni, actu infinito, virtute maximo, qui in cœlo, in terra, & spatio super cœlum cælorum regnat, sit laus & honor in sempiterna sæcula.

Deus aliter in seipso, spatio, & mundo.

Deum omnia pro suo modulo capiunt.

FINIS.

Lectori beneuolo.


ERat mihi in animo (docte & amice lector) ex maiore volumine (quod in vniuersam philosophiam scripsi) breuiora scholia in singulos libros Aristotelis colligere, vt nunc in his libris Physicorum diligenter perfeci; sed aliter de me meoque consilio Deus Opt. Max. nunc tandẽ disposuit. Nam testam fragilem vitę quam dedit (corpus intelligo) valde infirmam morbo, studio, ætate reddidit. Vt ergo languens & defessus viator post lõgum iter diuersorium petit quo se reficiat; ita equidem iam senex valetudinarius, virga & baculo à Deo monitus, asylum non theatrum, Cœlum non prelum quæro. Quinquies in comœdia istius vitæ partem egi: si diuina ope fretus bene quid egerim, epilogus hic est, applaude; sin minus recte, humaniter interpretare, & amice corrige, pluraque ne expecta: nam plura non possum: supersunt qui plura & meliora possunt. *Vale prid. Cal. Nouembr. Anno reparatæ Salutis* ∞ IↃ. XC. IX.

2. Cor. 4. 2.

Psal. 23. 4.

Studiosissimus tui,

I. CASVS



INDEX EORVM quæ in hoc volumine continentur.

Amuleta

D

For-

G

H

I

Ma-

In-

M

N

Q

FINIS.

ANCIL-

ANCILLA PHILOSOPHIAE, SEV EPITOME IN OCTO LIBROS PHYSICORVM Aristotelis.

Autore,
IO. CASO Oxon.



FRANCOFVRTI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claud. Marnium & Jo. Aubrium.
M. DC.

CLARISSIMO

ET OPTIMÆ SPEI ADOLESCENTI IOANNI EGERTONO, ARMIGERO, Charissimo Patris sui filio & hæredi, fœlicitatem perpetuam tam in hoc seculo quam in futuro.



VANDOQVIDEM vt placet philosophis (Dignissime Egertone) filius imago & relatio patris est, illum non solum paternæ vitę & possessionis, sed etiam famæ & virtutis hæredem & participē esse oportet. Veruntamen hodie, cum multi tum patres tum filii in via & vsu virtutis penitus sic errent, vt morum periculosa fiat imitatio: næ tu pręmultis fortunatus es, qui patrem genere tam illustrem, vita tam integrum, virtute & authoritatē tam nobilem & eminentem habes, quem imiteris. Imitatio hæc tua nota est omnibus qui te norunt; nota nobis Academicis, qui in flore ætatis tuæ fructū, in herba messem, in primis tuis apud nos studiis spem maximam ingenii, virtutis, & futuræ dignitatis præuiderimus; imitatio (inquā) hæc tua sic nota omnibus, sic nota nobis, mihi iā causa est vt tuæ fidei virginem & filiam meā, Ancillam philosophiæ (si velis) sponsam tibi, aut alteri despondendam (si placet) offeram & cōmendem. Vnice te diligit; quia tu semper philosophiā (illius dominam) & studium sapientiæ dilexisti.

Præter te nihil quærit; quippe quæ didicit à Socrate transire forũ, videre multa, desiderare præter amorem virtutis & sapientiæ nihil. Apertius agam (vir illustris) volumẽ patri tuo nobilissimo, Epitomen tibi (Ancillam philosophiæ vocatam) nuncupaui; Vtriusque materia vna est, non aliter quam manus eadẽ clausa & extensa; fusius enim in eo, pressius in hac tua à me tractãtur principia, præcepta & mysteria philosophiæ. Extende manum, sereno vultu accipe, virgo est, Ancilla philosophiæ est, tua est, satis mihi erit si accipias; & certe non dubito quin sis humaniter accepturus, cum pater quem ingenio, virtute, studio & honore sequeris, tesseram officii & voluntatis meę magnifice acceperit. Vale; ab ædibus meis Oxon. 7. Calend. Nouemb. CIƆ. IƆ. XC. IX.

Dignitatis tuæ studiosissimus.

IO. CASVS.

AD



AD LECTOREM BENIGNVM.

QVemadmodum infantes manu nutricũ suffulti pedum suorum vim & vsum discunt, quo fit vt demum stare & incedere sine alterius subsidio possint: ita tyrones primis quasi labris vbera philosophiæ sugẽtes, progressum sensim & pedetentim faciunt, donec tandem accurate de abditis rerum causis philosophentur. Verũ ne incognita via incerti errent, semitam directam vtcunq; delineare conatus sum, in qua vestigia vrgentes scopum longioris itineris expeditius attingant & assequantur. Causa huius opusculi.

Per hanc semitam (Compendium hoc intelligo) in quo veluti in vno fasciculo primulas violasq; veris, id est, præcipuas Maximas & Axiomata Physiologiæ studiose collegi, Aristotelem imitatus sum, qui in Topicis artis Dalecticæ fontes & loca communia tradit. Operæpretium enim semper, & è re plurimum serio studentium futurum duxi, vt per flumen in Oceanũ sapientiæ nauigent, priusq; legant Epitomen (in qua elementa) quam volumẽ in quo arcanã oracula philosophiæ includuntur. Nam vt pauci aut nulli recte natãre discunt sine cortice: ita qui nulla Isagoge aut introductione perlecta contendunt verè philosophari, operam & oleum perdunt. Quid præstitit author in hoc opere.

Aristotelem solum sibi ducem proponit.

Sed quoniam omne compendium in philosophia sine Aristotele dispendium est; vanis & variis istius ætatis opinionibus relictis, Aristotelem solum philosophantem proponam. Tot enim sectæ, tot dogmata, tot paradoxa, multis iam retro sæculis refutata, meo quidem iudicio potius tacenda quam altius & articulatius repetenda sunt. Causa est, ne adolescentulorum ingenia rerum nouarum cupida errantium escas & hamos auidius, deserta veritate, deuorent. Quæ fenestra si aperiatur semel in minimis, verendum est ne proteruus & opiniosus Philosophus hæreticus Christianus fiat. Maiorum ergo prouidam sapientiam, & sapientem in hoc prouidentiam satis nunquã laudare possum; quod in omni arte certa quasi vexilla & signa, certos duces & authores sequendos statuerint, pœnamq; iniunxerint illis qui pertinaciter nouos duces nouosq; colores affectarunt.

Varia & multiplex authorum lectio non improbatur.

Non hic (quod obseruandum est) variã & multiplicem lectionem multorum interpretum in omni arte nego; hoc enim esset spoliare doctos magnis thesauris sapientiæ. Sed illud est quod opto, vt omnis tollatur confusio, nullaq; inducatur oppositio veritatis sine refutatione. Opiniones enim pugnaces proponere & nõ refellere, est tenera ingenia opprimere & veluti suffocare. *Vt ergo in vna eademq; mensa licet de variis generibus ciborum gustare sine dispendio sanitatis, si facilis sint similisq; qualitatis & concoctionis, sin vero aliter, periculum statim creant: ita in conuiuio Philosophico licebit epulas doctissimorum apponere, modo se non opponant veritati; sin autem opponant, à conuiuio & cœtu philosophorum exulent, ne latens venenum noceat. Quid? non vis vltro*

citro-

citroq́ inter opponentem & respondentem discuti argumenta? Hoc non nego, (est enim id genus disserendi examen optimum in disquisitione veritatis,) sed ramos inutiles & putridos amputandos doceo, ne plãtulas & flosculos philosophiæ penitus inficiant. Imo etiam in ipso examine veritatis inter opponentem & respondentem hanc legem inconcussam teneri & obseruari peropto, vt nulla sophismata sine accurata cõfutatione proponãtur. Quippe tam propẽsa & præceps est iuuenilis ætas ad errores & vitia, vt citius cum infantulis manus ad flammas, quam ad gemmam pretiosam porrigant: magisque oppugnantium virulentis telis, quam clypeis propugnantiũ delectentur. *Ne ergo in deliciis philosophiæ crapula, ne in conflictu & certamine philosophorum confusio vulneret; suadeo scriptoribus & interpretib. istorum temporum, vt in quauis arte nudam veritatem (quæ per se pulchra est) obtutibus iuuenum offerant, pictasq́ vestes, & meretricios colores (hoc est noua phantasmata hominum contentiosorum) penitus relinquant. Nam certe metus est (si hoc non agant) ne vt infantes pigmentis & imaginibus magis quam rebus ipsis vtilibus capiantur: ita curiosi adolescentes ardentius melioribus tractatis deteriora sequantur. Quare etsi equidem potuissem in hac Epitome, & in sequenti volumine numerosam authorũ & opinionum turbam cohortemq́ inducere: (triginta enim duos interpretes legi, quorum alii hanc, alii illam sequuntur aciem) manum tamen de tabula retraxi, ne indice multorum nominum superbus & ambitiosus videar, meosq́ lectores varietate & multitudine opinionum confundam.*

Argumentatio examen optimum in veritate disquirenda.

Propensa ad errores imbibendos iuuenilis ætas.

Nuda veritas per se pulchra.

Consilium authoris de opinionum varietate inferenda.

At vrges fortasse acrius, quærisq; An non liceat testimoniis doctorum veritatem sepultam & latentē explicare? Quid ni liceat? Nam vt ferrum si acuatur æruginem suam deponit & splendescit: ita veritas occulta sapientum examine omni discussa nebula elucescit magis. Cæterum vt placata motio fluctuum nauem in portum vehit, tempestuosa mergit: ita certa paucorum interpretum expositio plurimum iuuat, numerosa autem & contentiosa confundit omnia. *Verbosior & molestior forsan quam par est in hac re sum, sed longius telam orationis ex penso nunc traho, vt istum communem errorem animis multorum eximam, qui marginem pluribus nominibus quam textum rationibus & argumentis onerant & inferciunt; cum ex aduerso (quod philosophorum proprium est) margines vt rasas tabulas legentibus notandas relinquerent, textum validissimis syllogismis & demonstrationibus corroborarent.*

Philosopor ū proprium.

Sed ais, cum philosophia nullum foris hostem, nullum externum bellum habeat, ipsa suis viribus grauida, per intestinum quasi bellum squalescet; melius est ergo vt expansis sophistarum signis prouocetur in aciem, quam otiosa, intacta, & ab omni hoste libera consenescat. Concedo omnia quæ dicis, si sophistarum solum nomen odiosum tollas; nam aliud est philosophice, aliud sophistice in veritatem arguere. Philosophus enim differendo paleas excutit, nubes dispellit, librat & purgat aurum veritatis; at sophista insidias struit, animoque malitioso in arcem veritatis & sapientiæ pugnat. Licet ergo (vt dixi) in spatiis philosophorum eminus cominusque certare, pugnare contra veritatē latentem licet: at erratā & prodigio-

Sophistarum nomē odiosum.

Aliud sophistice in veritatem arguere, philosophice aliud.

digiosa oppugnantium veritatem paradoxa defendere certe non licet. Nam si liceret (taceo reliqua,) si inquam liceret, quis fulminibus sophistarum palatia Veritatis non solum in humana, sed in diuina etiam philosophia ruinosa non videat? Quippe effrons & effrænis licentia est, quia deterior præcox hæc ætas facta quiduis dicere aut docere ausa est. Fræna igitur in omni scientia ferocioribus ingeniis adhibenda sunt, certique authores & limites statuendi, *Quos vltra citraque nequit consistere rectũ,* vt Pöeta loquitur. *Exemplũ huius rei diu antehac dedissem, si magno opere in vniuersam philosophiam conscripto, si propriis facultatulis meis non deficientibus, patroni aut typographi ad id operis præstandum me animassent.*

Sed nunc tandem (studiose & perbenigne lector) non possum id boni agere quod tum proposueram: nuper enim morbo grauissimo (nimirum calculo, *quem Hippocrates non* dolorem *sed* cruciatum *appellat) correptus, iudicioque medicorum morti proximus, permulta flammis mandari iussi, ne (me Authore mortuo) mutilata & corrupta, (vereor ne dicã sensu mutata) in lucem ederentur. Verumenimuero Christo auspice, & nunc tyrannide morbi (qui rarissime aut nunquam in senibus curatur) mitigata, hos Commentarios in octo libros Physicorum reseruatos amicorum rogatu tibi commendo. In quibus longiori serie & catalogo nominum & authorum marginem non impleui, licet permultos tum veteres tum neotericos perlegerim, quibus me plurimũ debere scio. Mallem equidem rerum sensu quam verborum strepitu, rationum & argumẽtorum pondere quam nominum*

Cruciatum appellat calculi morbum Hippocrates.

& testimoniorum multitudine scripta hac mea locupletari. Quid multis? his Commentariis hanc Isagogen seu epitomē adieci, quæ veluti ancilla candidatos ad Philosophiam omnium scientiarum Dominam & Reginam ducat, doceatq; eos prius fores bis terue pulsare, quam temere in claustrum & palatium sapiētiæ irruere. Quippe qui vult esse sapiens, eum elementa philosophiæ prius discere oportet quam mysteria.

Epitome hæc tanquam ancilla philosophiæ.

Si plura desideres (studiose lector) te refero ad epistolam olim à me scriptam, & adiunctam fronti voluminis: quam equidem delendam idcirco libenter volui, quia in ea mentionem feci eorum operum quæ iam in flammas & cineres versa sunt. Cæterum quoniam præter hanc mentionem laudem physiologiæ, ordinem, & vsum docet: eandem tibi viuere & loqui haud inuitus permisi. Si quid in ea, si quid in hac epitome, si quid in toto opere te dignum inuenias, pro me (precor) ora, qui me meaque studia à flore ætatis ad occasum senectutis tibi tuaque vtilitati semper deuoui, & ad extremum spiritum deuouebo. Vale.

EPITO-

EPITOMES IO. CAS. IN OCTO LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS.

CAPUT I.

De iis quæ sunt consideranda in naturali Philosophia.

IN naturali Philosophia consideranda sunt eiusdem author, nomen, subiectum, diuisio, ordo, & vsus.

De authore.

Author Philosophiæ, primus fons sapientiæ fuit ipse Deus, qui menti humanæ libros naturæ aperuit; vt constat in Adamo, qui res omnes propriis & distinctis nominibus appellauit. Sed hoc lumine extincto alia sidera mortalibus apparuerũt: inter quos Thales, Trismegistus, Pythagoras, Plato, & (vt vno nomine omnes complectar) Aristoteles primas tenuerunt. Hi quoq; authores, vel auctores potius dici possunt, quoniam eorum alii fundamentum iecerunt, alii struxerunt mœnia, alii ornamenta dederunt; sed vnus Aristoteles quem sequor perfecit opus.

Deus author Philosophiæ primus.

Genes. 2. 20.

Aristoteles in philosophia primas tenuit.

De Aristotele.

Aristoteles nomine artifex, natione Græcus, Platonis auditor, Alexandri Magni Peripateticus præceptor, Athenarũ lumen, miraculum ingenii, oraculum moralis & naturalis philosophiæ fuit. Huic vni omnium ætatum & Scholarum consensus palmam præ aliis in philosophia dedit. Qui ergo illum tot doctorum synodis prælatum spernit, insolentiæ & ignorantiæ notam incurrit.

De interpretibus Aristotelis.

Interpretes Aristotelis in Nominales & Reales recte

Interpretes nominales & reales cur dicti. distinguas, illi Philosophum de imaginibus & vmbris rerum (quas intentiones & ideas nominarunt) scripsisse somniant hi vero res ipsas ad viuum definiisse & demonstrasse putant. Ex his vero alii Iohannem Scotum, alii D. Thomam, alii neutrum sequuntur. Scotistæ subtiliori ingenio, Thomistæ sagaciori iudicio sunt, qui neutram admittunt partem, nouitati student, & proinde exilio digni sunt.

De nomine Philosophia, & instituto.

Nomen *philosophia* generale & speciale est: generale omnes artes & partes sapientiæ continet, vnde Philosophus studiosus sapientiæ dicitur. Hoc nomen primum dedit Pythagoras, qui sapientis nomen modeste recusans, admisit nomen Philosophi. Speciale nomen *philosophia* ad contemplationem naturæ spectat, in qua Aristoteles causas, proprietates, effecta, & vsus rerum naturalium tradit. (Nomen philosophiæ duplex.)

De subiecto philosophia.

Si vniuersale nomen philosophiæ consideres, vniuersale est subiectum, nimirum *ens commune*, quod in ens rei & rationis diuiditur; si vero nomen speciale spectes, secundum alios *ens rei*, secundum alios *corpus* solum naturale subiectum dicitur. Si corpus naturale subiectum esse defendas nimis stricte, si *ens rei* communiter sumptum defendas nimis confuse, sin vero *ens rei naturale & mobile*, quod proprium est, subiectum nominas. Quippe non solum corpus naturale considerat Philosophus, sed eiusdem etiam vires, actus, motus, proprietates & accidentia, quæ naturæ vi parta substantiam corporis physici sequuntur. (Ens commune subiectum philosophiæ vniuersalis. — Ens rei naturale & mobile proprium subiectum philosophiæ specialis.)

De natura & definitione philosophia.

Vt nomen, sic natura & definitio philosophiæ communis est aut propria. Communis definitio philosophiæ est, vt sit omnium rerum tam humanarum (quæ naturam) quam diuinarum, (quæ mẽtem spectant) amplissima scientia. Propria est, vt sit scientia corporis naturalis per se mobilis, vna cum eiusdem principiis, accidentibus, & effectis, quæ vi naturæ insita sunt, vel adiuncta necessario. (Definitio philosophiæ cõmunis & propria.)

Diuisio philosophia.

Non secus diuisio quam definitio philosophiæ communis est aut propria. Communis diuisio philosophiæ est (vt

aiunt)

aiunt) in rationalem, realem, moralem. Rationalis existit vel in sermone, vt *Grammatica*, vel in eius ornatu vt *Rhetorica*, vel in eiusdem vsu & argumẽtatione, vt *Dialectica*. Distinguitur realis in Physicam quæ proprias rerum naturas, in Metaphysicam quæ primas rerum causas, in Mathematicam quæ abstractas rerum ideas docet. Mathematica diuisa est iterum in Arithmeticam quæ numerum, in Geometriam quæ figuram, in Musicam quæ concentum, in Astrologiam quæ cœli globum, motum, & aspectum definit. Moralis denique philosophia in Ethicam, Politicam, OEconomicam, & Monasticam diuisa, de virtute, ciuitate, familia, & priuata vita optima præcepta tradit. Hæc partim in contemplatione, partim in actione virtutis constat. Diuisio propria philosophiæ est huius partis quæ physica seu naturalis appellatur; hæc (inquam) est vel absoluta & per se, vel comparata & per accidens: illa solum in principiis & causis corporis naturalis versatur, hęc etiam proprietates & accidentia describit, nec non considerat de anima, de intelligentiis, de Deo, aliisque incorporeis substantiis, quatenus ad physicum corpus aut formandum aut mouendum spectant; vt in l. 7. & 8. Physicorum constat, vbi de Deo motore cœli, & in libris de Anima manifestum est.

Diuisio philosophiæ cõmunis & propria.

Cõmunis diuisio philosophiæ quæ.

Moralis philosophia partim in contemplatione, partim in actione constat.

De ordine procedendi in libris Physicorum.

Duplex ordo est, naturæ, & disciplinæ; ille à causis ad effecta, hic ab effectis ad causas procedit. Ordinem naturæ, non disciplinæ in libris sequitur Philosophus; nam primum communia principia rerum naturalium describit, tum effecta & accidentia discutit, qualia sunt infinitum, vacuum, locus, tempus, & motus, quorum duo prima opinione entia habentur, tria vero postrema verissime in rerum natura existunt.

Ordinem naturæ in lib. phys sequitur Philosophus.

De vsu naturalis philosophiæ.

Vsus naturalis philosophiæ in omnibus operibus à Deo creatis aperte cernitur; quippe eorum non solum communia principia & causas, nempe materiam, formam, efficientem & finem disquirit: sed occultas etiam potentias, actus, motiones, atque effecta luculenter demonstrat. Verum vt philosophorum more distinguam, proximus seu proprius vsus philosophiæ est cognitio naturæ, adeoque omnium

Proprius philosophię vsus quis.

quæ natura ſuo vtero aut concipit aut in lucem parit: remotus vero vſus eſt contemplatio cognitioque Dei, qui author & motor naturæ fuit. Hæc ſeries librorum Phyſicorum accurate oſtendit; nam ita de naturalibus cauſis & effectis in 6. primis libris agitur, vt in 7. & octauo vnus naturæ motor, vnus Deus, idemque ſimplex, immenſus, infinitus & incommutabilis eſſe concludatur.

Philoſophiæ propria.

Summa & ordo omnium librorum quos edidit Philoſophus de Natura.

Non ſolum hos libros Phyſicorum, ſed etiam & alios de natura ſcripſit Ariſt. quorum hæc ſumma & ordo eſt. Philoſophiæ naturalis pars vna ſcrutatur communia principia rerum naturalium, eorumque omnium quæ cum principiis neceſſario cohærent; hinc traduntur libri octo Phyſicorum. Altera pars verſatur circa corpora naturalia quæ ex principiis iſtis oriuntur; quorum alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. De ſimplicibus corporibus in quatuor libris de Cœlo diſſerit Philoſophus, eorum naturam explicans quatenus moueri poſſint. Verum quoniam ſimplicium alia perpetua ſunt vt cœleſtia, alia mutationi ſubiecta, factum eſt vt libros duos de Ortu interituque rerum naturalium proxime attexerit; ſed pergam. Compoſitorum corporum duo ſunt genera, videlicet imperfecta quæ in libris Meteororum, perfecta, eademque ſine ſenſu quæ in libris de Plantis; vel cum ſenſu, quæ in libris de Hiſtoria animantium demonſtrantur. Verum quoniam horum ſenſibilium partes duæ ſunt, corpus & anima (in quibus ſunt multæ & mirabiles facultates) libros de Senſu & re ſenſili, de Vita & morte, de Somno & vigilia, de Anima & eiuſdem diuinis potentiis addidit. Hæc eſt (vt vides) aurea catena librorum quos Philoſophus de natura in lucem edidit: quibus ſi addas libros de Mundo & mirabilibus mundi, admirabilem & ſempiternum Deum in operibus naturæ cernas. Nam huc tota de natura, de cauſis, & effectis rerum naturalium diſputatio Ariſtotelis tendit, vt in Metaphyſicis primam cauſarum cauſam Deum eſſe intelligas.

Deus in operibus naturæ cernitur

CAP.

CAPVT II.

In quo de nomine Philosophi, de officio, de instrumento, de natura, de eiusdem definitione & diuisione agitur.

QVi vult esse Philosophus amare sapientiam debet; nomen enim Philosophi sapientia studium & amorem continet. Amor hic sapientiæ desiderium indagandæ veritatis est in mysteriis naturæ. Sapientia quam quærit Philosophus est præcipua virtus mentis, omnium rerum, tam diuinarum quam humanarum amplissima scientia; cuius obiectum proximum est verum, quod à rebus per abstractionem intellectus sumitur, remotum vero illud incommutabile verum, quod per contemplationem rerum naturalium cernitur. Nomen ergo Philosophiæ diuinum est, quia diuinum subiectũ, nempe mentem, diuinum obiectum, nempe veritatem, diuinum scopum & finem, nempe Deum (qui est veritas æterna & increata) habet. Philosophi institutum quale. Obiectum duplex Philosophiæ. Nomen Philosophiæ cur diuinum.

Officium Philosophi.

Officium naturalis Philosophi in duobus consistit, in intentione & actione. Intentio à fine, actio à principiis incipit. Finis (qui primum intenditur à Philosopho duplex est, cognitio rerum, contemplatio Dei; res naturales per causas, Deum per effecta nouit. Si in *rebus naturalibus scrutandis acquiescat Idololatra est non Philosophus: si per causas ad primam causam cognoscendam volare studeat, verũ sapientis nomen optime meretur.* Actio Philosophi est immanens non transiens; est enim studere veritati: quod opus mentis est, non corporis, ita tamen est opus mentis, vt in spaciis Philosophorum vltro citroque differendo pateat. Finis à philosopho propositus duplex. Actio philosophi qualis.

De instrumento & eius materia.

In disserendo Philosophus demonstratiuo syllogismo tanquam proprio instrumento vtitur. Demonstratio autem duplex est, absoluta à causis quæ *à priori* comparatur, & ab effectis quæ *à posteriore* ducitur: vtraque est philosophantis telum, sed illud acutius. Demonstrationis materia veritas est, ex primis enim, necessariis & veris constat Demonstratio duplex. Materia demõstrationis est veritas.

Veritas triplex.

demonstratio. Veritatem autem triplicem distinguunt philosophi; mensurantem quæ est *Deus*, mensuratam quæ est *res* vel *signum rei*, abstractam quæ menti humanæ à rebus & signis auulsa inhæret. Notatu hoc loco dignum illud est, primam veritatem incommutabilem esse, quæ nec fallere nec falli potest: res vero & signa rerum in quibus veritas secunda existit certam in se legem veritatis habent; vltima autem veritas quoque certa est, si intellectus vere à rebus & signis ideas abstrahat. Cæterum quoniam mens humana sæpe in abstrahendo errat, Sectæ tum in humana, tum in diuina philosophia oriuntur. Male enim intellectis mediis, (quæ sunt res & verba, sint illa verba scripta vel voce prolata) finis non acquiritur, id est possessio veritatis. Monendi ergo hic sunt iuuenes studiosi philosophiæ, vt meliori iudicio maiorum acquiescant, suisque ingeniis nimium non confidant.

[illegible] cur o[illegible] [illegible]ctæ [illegible] & [illegible] philosophia.

De natura.

Multiplex est naturæ significatio, sed recte omnes reducas ad naturam (vt aiunt) naturantem, & ad naturam naturatam. *Natura naturans prima causa, primus motor, prima essentia, mens, & intelligentia prima, ens quoque primum, summum bonum, summumque & incommutabile verum à philosophis dicitur. Nam efficit omnia, mouet omnia, dat omnibus esse, omnia regit, percipit, comprehendit, flectit ad se hominis voluntatem, intellectum instruit, illius centrum vbique est, circumferentia nusquam; ab æterno est id quod est, sine loco sine tempore, & tamen omnem locum & tempus totus & præsens implet; quicquid in eo est essentia est, quia nullum accidens in Deum cadit.* Qui hæc & similia in Aristotele legit (sunt enim hæc illius omnia) discat velim non esse eum habendum omnino Philosophum, qui huius causæ cognitionem imprimis Philosopho necessariam non putet, eamque prius animo non apprehendat quam limina naturæ naturatæ pulset aut intret. Natura naturata est illa causa physica de qua in his libris Physicorum præcipue agitur, & quidem est causa actiua si res physicas spectes quas gignit, passiua vero si eandem ad primam causam infinitam referas.

Natura naturans Deus.

Non est habendus Philosophus, qui primæ causę cognitioné necessariam esse nō putet.

Natura naturata quæ & quomodo actiua, quomodo passiua dicatur.

Natura

Natura quid.

Definitur natura *principium & causa motus & quietis in re naturali, primo & per se, & non per accidens. Principium* in hac definitione naturæ constituentis præeminentiam, *Causa* dependentiam rei ab eo fluentis denotat. Quid multis? sensus hic est, *natura est principium internum motus & quietis*, hoc est insita causa vt id moueatur aut quiescat, *in quo primo & per se, non per accidens inest*. Magna volumina de hac definitione naturæ scribuntur; suadeo igitur vt centrum quæras, in quo fixus contempleris circumferentiam cœli, omniaque sub illo comprehensa, quibus naturã naturantem præsidere, naturam hic definitam inhærere facile intelliges. Illius maiestatem nemo nisi Theophilus, huius potentiam nemo nisi Philosophus studiosus sapientiæ percipit, miracula in illa, in hac mysteria multa insunt. Agit vtraq; sed diuerso modo. nam illã creat sine modo, hæc medio in omni opere & effectu vtitur.

Naturæ definitio explicata.

Natura naturans pręsidet, naturata inhæret.

Diuisio naturæ.

Natura iam definita vt analogon genus in materiam & formam diuiditur; est enim materia natura, est quoq; forma natura, sed ita vtraque natura dicitur, vt natura causa mouens vtriusque dicatur. Causam mouentem dico, non constituentem; principiorum enim non est constitutio sed subordinatio, vt Philosophi docent. Quippe fieri potest vt causæ causis, principia principiis ordine ad se inuicem subiiciantur, donec ad primam causam causarum venias. Animaduertendum hoc loco id quoque velim, naturam hic diuisam materia & forma communius principium esse, & aliquid amplius diuiniusque in se continere. Nam omnis materia natura est, sed omnis natura non est materia, similiter omnis forma natura est, at omnis natura non est forma: natura enim ad omnia effecta vtriusque se extendit, nec nõ ad accidentia quæ naturaliter illis inhærent. Quippe cum aliquid graue aut leue sursum volet, idipsum natura sursum aut deorsum volasse dicimus, licet graue & leue (quæ sunt accidentia) talis motionis solæ causæ existant. Quod sit aliquid diuinius in natura quam in materia & forma hinc constat, quia est quiddam vicinius primæ causæ, & quia in

Natura causa mouens materiæ & formæ.

Natura communius principium forma vel materia.

Materia res futilis & fere nihil.

motu, actione, & opere suo finem respicit. Materia autem res futilis, vix ens, & fere nihil à Philosopho nominatur. Forma res est diuina, sed ita diuina vt à naturæ sinu & fonte diuiniore suscepta fluat; solam formam humanam excipio, quam non ingenitam sed infusam doceo.

De genere argumentandi quo vti debent philosophi.

Materia philosophorum arcana naturæ.

Graue, subtile, & accuratum disputandi genus est quo philosophi vti solent: quippe res quas tractant philosophi arcana naturæ sunt, quæ & verum sapientem, & magnum ingenium postulant. Operæ pretium ergo & in primis vtile putaui, si in singulis sectionibus & articulis huius libelli Maximæ seu Aximota [quæ sunt veluti ossa & nerui philosophiæ] opportune suis locis adiiciantur. Attexã ergo præcipuas propositiones cuilibet materiæ quæ occurrit, vt laudabilius certamen iuuenum, causa & modo certandi cognitis fiat. Cæterum [vt in hoc certamine Aristotelem sequar] sicut ille in Topicis, ita ego quidẽ in Physicis quatuor prædicata & eorum annexa tradam, à quibus omnia problemata & loca communia eruantur. Prædicata sunt materia, forma, potentia, & actus, quorum illa interna ad essentiã, hæc externa ad existentiam rerum naturalium pertinent. Prædicata physica hęc quidem recte nominari possunt, tum quoniam de omnibus in rerum natura enunciantur, tum quoniam, singula in physiologia tractata ad ipsa reducuntur. Sunt enim omnia quæ sunt aut materialia, aut formalia, in potentia, vel actu posita. Potentia autem est vel materię quę passiua, vel formæ quæ actiua dicitur. Actus quoq; est duplex, vel inchoatus vt motus, qui instrumentum primũ naturæ existens *actus mobilis* definitur: vel perfectus, vt forma & finis quæ existentiam absoluunt. Annexa his prædicatis sunt motus, quies, mobile, locus, & tempus, omniaque accidentia quæ necessario cum rebus naturalibus coherẽt vt primæ qualitates, vel quæ videntur cohærere, vt fortuna, casus, fatum, infinitum, & vacuũ, de quibus in his libris Physicorum vt de rebus quæ apparent & non sunt. Aristo. luculenter disserit. Cæterum quoniam hæc omnia prædicata & annexa ab vno diducta sunt fonte [nempe natura] axiomata à communi loco naturæ primum tractabo, & sic deinceps de reliquis ordine discutiã, vt res quæ discutientur postulãt.

Quatuor prędicata physica, materia, forma, potẽtia, & actus.

Potentia duplex.
Act⁹ duplex.
Motus primũ instrumentũ naturę existit

Entia quæ apparent non sunt, fortuna, casus, fatum, infinitum & vacuum dicuntur.

De

De locis & axiomatibus à communi notione naturæ ductis.

Primus locus est *A notione naturæ*, cuius maxima talis existit. *Quo quidque est simplicius aut vniuersalius eo magis naturæ notum est quam nobis*, si distinctam cognitionem spectes. Ratio est, quia natura effectiue est vniuersalis causa, quæ in omnibus æternitati studet. Sit hoc exemplum, notior est naturæ homo quam illius indiuiduum Socrates aut Plato; natura enim primum intendit hominem, tũ Socratem aut Platonem gignit. At dices hoc est contrarium Aristoteli, qui vniuersalia notiora nobis esse affirmat. Respondeo notiora esse quidem nobis confuse, non distincte; intellectus enim humanus singulare sub ratione vniuersalis primum & vi sua confuse percipit, vt in Socrate longiore spacio à nobis remoto manifeste constat, qui primum sub ratione substantiæ, tum sub ratione animalis aut medii alicuius generis, hinc sub ratione hominis, postremo autẽ sub ratione singularis cognoscitur. 1. Locus. Max 1. loci. Natura in omnib. æternitati studet.

Locus secundus.

A negatione naturæ. *Quicunq; naturam negant vel etiã dubitant An sit? sensu & ratione carent*; causa est quia in re qualibet eandem quasi viuentem & spirantem videant. Exempla tot sunt quot sunt entia naturalia, quibus omnib. vt moueantur aut quiescant sola natura dedit. 2. Locus.

Locus tertius.

A definitione naturæ. *Quæcunque in se primo & vi sua principium sui motus & quietis habent, ea iure naturalia dicuntur*: ratio est, quia natura ipsa est internum principiũ motus à materia, & quietis in forma; exempla sunt cuncta naturæ opera. 3. Locus.

Locus quartus.

A differentia naturæ & artis, teiq; naturalis & artificiosę. Natura interna, ars externa causa motus in suis effectis dicitur. Vnde recte infertur hæc maxima. *Quicqd est naturale, illud etiã primo & per se mouetur*, vt Sol in orbe; *quicquid vero est artificiale id ipsum mouetur sane per accidẽs*, vt horologiũ, ꝙ in orbẽ cietur ratione artis & artificis. Hinc refellitur quorundã magicorũ vanitas & blasphemia, qui tabulas 4. Locus. Maxima quarti. Magicorum vanitas & blasphemia damnatur.

aureas, & amuleta charecteribus nescio quibus sub hac vel illa constellatione figurata vulgo diuendunt, asserentes habere illa quidem multas & miras virtutes motrices syderũ. Sed hic discat iuuenis ex philosophia, virtutẽ cœli fragmẽtis auri vel argenti non inhærere: forma enim artificialis nec per se mouet, nec mouetur. Contingit tamen nõ semel, vt (permittente Deo) incredibilia sic per dæmones malignos fiant, ac si per incãtamenta & amuleta istiusmodi variis characteribus cœli figurata fierent; hoc vero non agit Deus vt hominem deciperet, sed fieri inquam permittit, quia homo relicto Deo superstitiose suæ phantasiæ & fallacibus vmbris credit. Similis est ratio multorum quæ apparent in somniis, vt de euulso dente, de eruto oculo, de effuso sale in mensa & aliis sexcentis (vt aiunt) valde ominosis, quæ quidem sic visa aut contingentia concomitantur quidẽ mala nonnunquam euenta; veruntamen non quia apparuerũt aut contigerunt, sed quoniam dæmones nos nimis credulos, hac arrepta occasione, sæpissime decipiunt.

Forma artificialis nec per se mouet, nec mouetur.

Euenta ominosa qui cõtingant.

Locus quintus.

Locus quintus.

A certa proprietate naturæ. *Quicquid agit natura, id ipsum propter finem agit & non fallitur*; ratio est quia natura in se prouida existit, primæq; causæ nutum in omni opere & actione sequitur. Vetus illud est, *Deum & naturã frustra nihil agere*; *Deus enim prima causa Metaphysica est, natura prima causa Physica. Illa errare non potest, quia est infinita, hac falli non potest, quia imperio alterius subiecta est.* Si hic quæras quomodo natura sagax & prouida dicatur, cum non sit rationis & consilii compos; respondeo acceptam suam prudentiam primæ causæ referre, quæ omnibus instinctum diuinum (qui naturalis ratio dicitur) ad bonum commune & sui conseruationem inseruit. Turtur adulter non est, ciconia parentibus non ingrata, aranea nectit telam, formica aceruum colligit, hirundo nidum, herba sentiens declinat hostem pręsente homicida interfectus effundit sanguinem. Quæ omnium istorum causa? certe pręter naturam nihil, quæ instinctu diuinitus accepto non aliter effectus, quã gallina pullos sub alis prouidentiæ fouet. At monstrũ fit: ergo natura (vt ais) fallitur; hic error particularis naturę, nõ vniuersalis (de qua nunc agimus) habetur.

Natura primę causæ nutum sequitur in omni actione Lib. 1. de Cœlo text. 32. lib. 2. de Cœlo text. 50.

Instinctus diuinus naturalis ratio dicitur.

Monstrũ error particularis naturæ non vniuersalis.

Lo-

Locus sextus.

A consequentibus naturam; huius loci multa sunt axiomata. Primum *quod Omnis actio naturæ sit necessaria*; est enim fatalis in omni actione naturali causarum cum effectis vnio. Alterum est *quod natura sit nunquam otiosa*; natura enim causa actiua est & perpetua. Tertium, *quod in omni opere & actione naturæ oporteat aliquid de nouo fieri*; ratio est quoniam quicquid incipit natura, idipsum perficit. Quartum, *quod naturæ lex, ordo, & intentio sint res certæ*; rationem reddunt philosophi, quoniam à prima causa pendent, quæ impediri non potest. Quintum, *quod non solum essentia & existentia rerum sint opera naturæ, sed etiam eorum proprietates & accidentia*: causa in promptu est, quia non solum esse, sed bene esse (quod in accidentibus cernitur) ab ipsa natura manet. Sextum, *quod ars imitetur naturam*; est tamen in multis natura certior arte. Septimum, *quod fortuna & casus in actionib. effectisq. naturæ nullum locum teneant*; quæ enim fortuna & casu fiunt, temere & ignoranter fiunt. at naturæ opera sunt necessaria & ad certum finem destinata. Octauum, *quod natura à violento, vacuo, & non ente abhorreat*; hæc enim naturam tollunt. Postremum, *quod scientia naturæ sit omniũ nobilissima*; quia nihil nobilius, diuinius nihil natura est, in qua numen latet.

Locus sextus. Phys. lib. 2. tex. 75. — 1. — 2. — 3. — 4. — Phys. 8. text. 15. Rhetor. lib. 1. cap. 10. — Naturæ leges certæ. — 5. — 6. — 7. — Fortuna & casus à naturæ effectis exulant. — 8. — 9. — Natura ab infinito, vacuo & non ente abhorret.

Vides (docte & studiose lector) quomodo in quibusdam locis naturæ, Dialecticorum more nomen *maximam*, rationem *maximæ*, & exemplum dederim; vides etiam quomodo breuitati studens loca decem postrema veluti in vnũ contraxerim.

Articulatius in prioribus locis egi, vt discas illas quatuor partes ad omnem locum necessarias esse. Cæterum cõpendium nunc scribo, in quo non licet distincte & membratim singula enumerare, satis est in reliquis dato hoc exemplo, si axiomata solum adijciam, rationes & exempla tibi inuestiganda & addenda relinquam. Hoc vnũ velim semper memineris, me ideo intriuisse hæc loca communia rerum, vt non solum præcepta philosophiæ, & naturæ arcana intelligas, sed etiam ex iisdem præceptis & arcanis artem & formã recte disserendi ad vnguem (vt aiunt) teneas. Sunt enim loca inuentionis singulis partibus philosophiæ accõmodata,

ſparſa, & fuſa apud Ariſtotelem, vt in 3. lib. Top. liquido cō-ſtat, vbi loca fere omnia ad moralem philoſophiam perti-nent. Sed hic labor, hoc opus erit, hæc omnia in ordinē col-ligere, vſumque in ſingulis edocere. Conatus meus in hac parte non deerit, exemplum dabo, quo alii multo me do-ctiores idipſum in aliis partib. philoſophiæ præſtent. Quod ſi præſtiterint, proculdubio vtilius nihil ſtudioſis & candi-datis in philoſophia continget; quippe hinc non ſolum ar-ma & tela philoſophorum petant, ſed quomodo iiſdem ar-mis & telis vtantur, accurate diſcant.

Locorum vſu nihil vtilius philoſophiæ candidatis.

CAP. III.

De nomine, neceſſitate, numero, contrarietate, exiſten-tia, & lege ſeu proprietate principiorum.

NOmen *principii* latius ſe fundit quam nomen *cauſæ*, nam priuatio principium eſt, cauſa autem proprie dici non poteſt. Hoc nomen *principii* multiplex eſt; nā in Dia-lecticum, Phyſicum, Mathematicum, & Metaphyſicum di-uiditur; qualia ſunt *ſubſtantia, natura, idea, & prima o-mnium cauſa Deus*. Cæterum hoc loco principium ſolum phyſicum tractatur, quod definitur *ens rei*, vnde proxime effectus naturalis per motum naturæ oritur,

Nomen principii latius quam nomē cauſæ.

Nomen principii multiplex.

De neceſſitate principiorum.

Neceſſitas principiorū abſoluta eſt non cōparata, quippe ſublatis principiis omnia naturæ opera ruunt. Quid enim aliud ſunt effecta naturæ quam vnitæ inter ſe ordine natu-ræ cauſæ? vt ergo deficiunt riuuli ſi fontes, ita ceſſant omni-no effecta naturæ ſi cauſas & principia tollas.

De numero principiorum.

Placuit Meliſſo & Parmenidi vnum ſtatuere principium omnium, quod verum eſt ſecundum Ariſtotelem ſi vnum Metaphyſicum principium intelligas; Phyſica autem prin-cipia tria ſunt, duo oppoſita, & vnum ſubiectum omnium. Oppoſita ſunt forma & priuatio, omnium ſubiectum ma-teria prima dicitur. Numerus iſte principiorum hinc con-ſtat, quia vt res quælibet naturalis de nouo fiat requiruntur duo, conſtitutio & tranſmutatio. Ad conſtitutionem etiam duo ſpectant, potentia & actus; per potentiam materia, per actum forma intelligitur. Eſt enim materia tota in poten-tia, forma vero eſt internus rei actus & vltima perfectio;

Vnum principium qui vere dicatur, ſecundum Ariſtotelem.

Phyſica principia tria.

hinc

hinc illud, Materia appetit formam vt fœmina virũ. Transmutationis principium vnum est nempe priuatio, quæ ideo habetur necessaria, vt nouarum formarum continua successione natura æterna fiat. Quid multis? Sufficiunt hæc tria principia, pauciora non sufficiunt. Qui ergo plura aut pauciora fingunt, nodos (vt aiunt) in scirpo quærunt. At dices, natura est principium à materia & forma distinctum vt ipse doces: ergo sunt plura principia q̃ tria. Respõdeo naturá esse principiũ ratione & modo distinctum ab vtroque, non re simpliciter & absolute, quia in vtrasque vt genus in suas species diuiditur.

Materia tota in potentia.

Forma internus rei actus & perfectio.

Natura est principium distinctum à materia & forma ratione & modo tantum.

Probatur principia esse contraria.

Non ex concordia principiorum vt Empedocli, sed ex discordia (vt Aristoteli placuit) res crescunt naturales. Est enim inter principia vnum contrarium alteri, ne natura sit otiosa. Quippe contrarium est veluti aculeus quo excitatur segnis materia ad appetendam formam. Est [inquam] negatio præexistentis formæ, & causa *sine qua non* perpetuæ varietatis & successionis, quibus natura maxime delectatur. In principiis secundi ordinis, nempe in quatuor elementis hoc ipsum apertissime constat. Contrarietas enim elementorum est causa cur agant, eorum actio est causa mixtionis, eorum mixtio est mistibilium & alteratorum vnio, ex horũ vnione varia & infinita corpora enascuntur. Genus contrarietatis in principiis priuatiuum est, nimirum inter priuationem & formam; hæc priuatio est tanquam tinea in veste naturæ, vestis & ornatus naturæ forma est, *quam semper terit & consumit priuatio*; sic tamen consumit, vt ex eadem radice flos nouus, ex eadem potentia materiæ noua forma germinet, crescat, oriatur. Hinc grauida natura successione *rerum fœcundior facta est, nouarum formarum vicissitudine mater omnium quæ sunt in rerũ natura dicitur.* Nõ multus ero, duo sunt principia rei genitæ quæ essentiã spectãt, *materia* scil. & *forma*, tria vero generationis *materia, forma*, & *priuatio*. Priora duo amica sunt, & naturali quasi connubio copulata: posteriora priuatiue opposita sunt, & sibi inuicem semper infesta.

Principia cur contraria.

Contrarietas in principiis priuatiua.

Duo principia rei genitæ, tria generationis.

De essentia & existentia principiorum.

Cũ non sint entia priora primis, principia prima definiri

non possunt: essentiam ergo definitam in se non habent ipsa, sed causæ essendi in aliis existunt. Cæterum quandoquidem duplex sit definitio demonstratioq; rerum, vna à priore, à posteriore altera: licet principia à priori nec definiri nec demonstrari possint, à posteriore tamen sciri quidem & explicari possunt. Vt ergo effecta per causas ordine naturæ: ita ordine disciplinæ causas per effecta inuestigare solemus.

Principia cur non definiātur.

Summa omnium hæc est; principia rerum naturalium entia sunt prima, quæ in se solam confusam essentiam & existentiam, in effectis finitam & certam vtramq; habent.

De legibus principiorum.

Tres principiorum leges.

Leges principiorum tres sunt, vna *vt aliunde non oriantur*, altera *vt se inuicem non constituant*, tertia *vt omnia naturæ opera ab illis originem suæ essentiæ & existentiæ trahāt.* Aliunde oriri non possunt quia sunt prima, se mutuo non cōstituunt quia sunt contraria, ex illis alia suum esse trahunt quia sunt principia.

Axiomata communia à loco principiorum.

Principia rerum simplicia artium complexa cuiusmodi.

Axiomata hujus loci partim personam, partim materiā subiectam respiciunt. Quæ respiciunt personam hæc sunt. *Contra negantem principia non est vlterius disputandum. Oportet discentem principiis credere. Nō est quærenda principiorum ratio.* Principia hoc loco intelligenda sunt & rerū & artium. Principia simplicia rerum sunt *materia, forma, priuatio*; Principia artium complexa sunt, *prima* videlicet *axiomata, & vniuersalia enunciata*, in quibus artium demōstrationes fundatæ sunt. vt *Ab æqualibus demptis æqualibus relinquuntur æqualia. Cælum inferiora motu, lumine, & influentia regit.* Si quis hæc principia neget, aut ignarus, aut impudens haberi debet, qui tot ætatū & doctorū hominū synodū & consensum spernat. Qui nō credit principiis, intelligentia (quæ est habitus credendi principiis) caret.

Vna tantum ex virtutibus mentis cum ratione & consilio coniuncta. Intelligentia philosophorum fides.

Notatu hoc loco dignum est, quod inter quinq; virtutes mentis omnes præter vnam cū ratione & consilio coniunctæ sunt, nimirum *ars, scientia, prudentia, & sapientia*; vna vero illa (*intelligētia scil.*) rectè *fides Philosophorū* dicitur, quia est *habitus credēdi principiis sine ratione.* Animaduerterunt qdā sapiētes viri prima in qualibet arte principia nec definiri nec demōstrari omnino posse: cū ergo ratione eadē

pro-

probare non potuerant, legem hanc sanxerunt, vt *accedentes ad scientiam principiis à maioribus traditis & susceptis* (curiose de illis quęrentes nihil) *crederent*. Crederent (inquam) quia principiorum (vt dixi) non est quærenda ratio, nimirum An sint? Cur sint? Quomodo sint? satis est si credas esse, & omnia ex illis in qualibet arte dependere.

Restat vt de axiomatis materię subiectæ pauca adiiciam. Axiomata principiorum quæ rem subiectam spectant sunt ista. *Prima principia rerum aut artium non sunt, si illis probentur antiquiora.* Hæc maxima intelligenda est in eodem genere principiorum; nam in alio genere primis principiis naturalis philosophiæ probari potest prius Metaphysicum, nempe *Deus*, qui naturam & principia vt instrumēta regit. Alterum axioma est à duratione principiorum, nempe *quod nō sint principia si nō sint perpetua & vniuersalia; perpetua* antiquitate naturæ, *vniuersalia* effectiue, quia nunquam desinūt operari. Tertium axioma est, quod *actu positis principiis necessario sequantur effectus, potentia autem positis non item.* Ab effectis ad principia similis est argumentatio; nam positis effectis necessario ponuntur principia; quippe vt actu non sint principia nisi in effectis: ita effecta nō sunt omnino, si non sint principia ex quibus sint & coalescant. Postremū est, quod *principia natura sua vi coire desiderent, vt producātur effecta*; est enim in primis principiis appetitus producendi effectus, vt est in plantis producēdi fructus. Hic appetitus *actiua potentia* dicitur, qua principia ad actū & locum pertrahuntur. Huc addi possunt aliæ maximæ de principiis quoad personam; nempe *Temeraria cuiusquam de principiis assertione moueri philosophum non debere. Non admittendum esse absurdum de principiis*, quoniam vno de illis dato sequentur mille. *Negare velle illum ab effectis ducta argumenta qui audet negare principia.* Sed hæc (inquā) quoniam ad priora facile reduci possunt lubens omitto.

Axiomata subiectum respicientia.

Perpetua & vniuersalia principia quomodo dicantur.

3

4

Appetitus in principiis actiua potentia est.

1

Axiomata personam spectantia.

2

3

Hactenus de locis principiorum in genere; nunc de singulis in specie agam, & primum de materia.

CAP.

CAPVT IV.

In quo de Materia prima, de Forma de Priuatione, & de locis inuentionis ab iisdem?

ENs omnium remotissimũ à prima causa est prima materia; vt ergo illa est ens actu nobilissimum: ita hæc entis nomen in potentia vix quidem meretur. Hinc à philosophis nunc chaos, nunc indigesta moles, nunc entis vmbra, nunc abyssus rerum, nunc fere non ens, aut pene nihil appellatur. Cæterum si vere in sua ipsius propria natura consideretur, quamuis exile admodum in se esse habeat: ens tamen est, idemque primum & commune subiectum omnium. Subiectum dico, & tamen principium primum in potentia positum; ex quo omnia constituuntur primo, & in quod vltimo resoluuntur.

Materia primum & commune subiectum omniũ.

De cuiusmodi materia hic agatur.

Non opus est hoc hoc loco distinguere nomen *materia* in materiam *circa quam* (vt aiunt) *ex qua & in qua*; præsertim cum de ea potissimum materia hic manifeste agatur *ex qua* res naturales oriantur; hæc vero materia prima est, non secunda, cõfusa non distincta, inanis & vacua omnis formæ, non signata vt loquuntur. Postremo hæc materia nõ est nota nisi philosophis; neque hisce omnibus, quia est veluti rasa tabula in qua nihil depictum, aut massa ceræ in qua nihil impressum, aut nuda potentia in qua nihil actu distinctum videas. Cum enim aliquid actu existat, diutius nõ prima sed secunda & signata materia dicitur.

Signata materia quando dicitur.

De locis inuentionis à materia prima.

Locus 1. Primus locus est à discriptione materiæ primæ. Axioma est, quod *omnis rerum omnium naturalium generatio sit à materia prima, omnisque earum vltima resolutio in eam.* Ratio est, quia ex nihilo & non ente nihil fit; cuius rationis sensus est, *nihil ex nihilo fieri naturaliter sub via generationis.* at metaphysice fieri non negat Philosophus sub via creationis; nã aliter Deum liberrimũ & infinitum agens nullis mediis naturæ alligatũ, tam sæpe & aperte nunquã pronũciasset. Licet ergo expresso nomine *creationis* (quæ est *sine subiecta materia rerum productio*) non vtatur: quid tamen per hæc verba intellexerit, quid per accessionem animæ humanæ,

Nihil ex nihilo fieri quomodo intelligendũ.

Creatio quid.

manæ, (quam diuinitus datam, non naturaliter ingenitam affirmat) nescio equidem, nisi altius & diuinius quiddam in actionibus Dei quam naturæ considerari debere insinuauerit. At discrimen non est, si Deus & natura nihil sine medio & subiecta materia agerent. Imo ex parte, & non absolute (vt ait) Deus esset infinitus, simplex, immensus, liber, si non aliter quam natura mediis astrictus ageret.

Creatio implicite licet non expresse ab Aristotele tenetur.

Interpretatio sequentis loci ab æternitate materię primę similis huic est. Maximæ istius loci duæ sunt, vna ꝙ *materia sit æterna*; altera *quod sit ingenita & incorrupta*. *Æterna*, quia nullam causam prçexistentem ordine habuit: *ingenita & incorrupta*, quia est æterna, & quia nulla causa opposita est quæ corrũperet. Sed aduerte *æternum* hoc loco sumi secundum quid, vt aiunt, & cõparate. Nam simpliciter & absolute nihil est æternum secundum Aristotelem prçter *Deum*; principia vero physica dicuntur *æterna* respectiue, quia nec vi naturæ inceperunt, nec desinent quam diu mundus perfectissimum opus naturæ permanet.

Locus 2. Materia ęterna ingenita & incorrupta cur.

Æternũ bifariam sumitũr.

Deus solus absolute æternus.

Tertius locus est à potẽtia materiæ, cuius maxima est talis, ꝙ *materia formam naturaliter appetat*; ratio est, quoniã à forma materia perficitur. Hic appetitus est desiderii & cõplacentię vt aiunt non rationis. Instinctu enim fertur materia ad formam, non consilio aut electione ducitur; quippe materia prima est æqualiter omnium formarum capax.

Locus 3. Appetitus materiæ qualis.

Hinc sequitur 4. locus materiæ, à ratione seu proportione quam habet cum subiecto, cuius maxima est, quod *materia prima sit primum subiectum omnium*. Hæc propositio intelligenda est *potentia non actu*; quia materia est apta ad omnes formas tum internas, tum externas capessendas, actu vero omnes non capit.

Locus 4.

Alius locus est à potentia materiæ primæ, huius axioma est, quod *E potentia materia educantur omnes formæ naturales*. Hoc autem non fit ratione materiæ quæ est passiua, sed ratione naturæ in ea operosæ, quæ illius potentiam viuificam, & (vt ita loquar) actiuam & seminalem facit. Sicut ergo delitescit flos & fructus in vitali radice plantæ: ita formæ naturales in materia prima, à cuius potentia (vi naturæ ad appetendum excitata) fluunt.

Locus 5. E potentia materiæ educũtur formæ naturales qualiter.

Postremus loc⁹ est à modo & ordine cognoscẽdi materi-

Locus 6.

am; maxima est, *quod materia prima per se & vi sua sit incognita*; ratio est, quia nulla illius imago aut idea sensum ferit, vnde intellectus directe obiectum fiat. Cæterum analogica est illius notio, vt superius in exemplis de rasa tabula, cera, & nuda potentia constat. Sexcenta sunt alia, quibus breuitatis causa nunc supersedo.

Materiæ cognitio analogica tantum.

De Forma, & locis inuentionis ab ea.

Res nulla occultior, aut mysterium magis abditum reconditumque est in vniuersa philosophia, (mea opinione) quam forma, eiusdemque à potentia materiæ realis emanatio. Certarunt inter se philosophi diu, adhuc tamen (lite sub iudice quasi pendente) nihil certi definierũt. Certum est formam primum principium esse, quod nomẽ & *esse* rebus attribuit, sed quomodo emanet, emineatque ex traduce & potentia materiæ res tam difficilis cognitu est, vt (si creationẽ non agnoscas) vix certi ex philosophorum oraculis quicquã definias. Nam si dicas materiam eandẽ parturire formam, incurris statim in hoc incommodum, vt fatearis materiam principium actiuum esse, & causam formæ, quod Philosophus negat. Si vero affirmes ex potentia materiæ educi, maius absurdum videtur sequi; primum quia incertum est an vlla sit potentia materiæ, quoniam (vt ait Philosophus) impotentia materiam, potentia formam sequitur; tum an hæc potentia sit omnino actiua, cum materia ipsa ens solum passiuum dicatur. Hinc si sit potentia actiua, quomodo forma (qui est actus) ab illa oriatur? Sed omitto verba & id ipsum quod antea docui nunc iterum affirmo, naturam supereminentem causam vi sua effusam hoc opus efficere; inserit enim in materia seminalem potentiam formæ, quæ primum veluti in florem, tum in fructũ funditur: hinc ipsam materiã excitat, vt instinctu appetat, & motu acquirat formam; sic emanat forma ex materia, & tamen simul cum materia manet, non enim prius est materia quam forma, quia in semine & potentia materiæ, veluti fructus in radice latet. Si definire velis formam, nihil aliud est quam *principium physicum internum, quod dat nomen, essentiam, & perfectionem rei naturalis*; nomen distinctum, essentiam completam, perfectionem integram & internam. Hinc illud,

Forma nomẽ & esse rebus attribuit.
Res perceptu difficillima.
Qui forma naturalis à potentia materiæ emanet.

Definitio formæ.

lud, in materia confusio, in forma essentialis distinctio rerum naturalium inest.

De locis inuentionis à Forma.

Primus locus est à multiplici formæ nomine & distinctione; maxima quod *omnis forma à philosopho considerata sit vel assistens vel inhærens.* Assistens forma nulli insidet materiæ, sed foris assidet & præest, vt *Deus, Angelus, & animus hominis corpore exutus.* Inhærens forma est quæ actu subiecto cuipiam inhæret, ipsumq; informat, distinguit, & denominat. Inhærens vero forma est vel essentialis, quæ nouá speciem in substantia efficit; vel accidentalis, quæ solam externam mutationem aut distinctionem in re subiecta facit. Exemplum essentialis formæ est anima rationis compos in homine; exemplum accidentalis, vt figura Cæsaris in sigillo aut ære. Alter locus est à notatione formæ physicæ proprie sumpta. Maxima est, quod *forma physica sit principium natura ordine simul cum materia prima*: in illa tamen latet, vt flos in semine, donec operante natura, non aliter actus & perfectio eiusdem reique compositæ fiat, quam fructus plantæ. Vt enim fructus distinguit speciem plantæ: ita forma quæ est actus rei distinguit materiam è cuius potentia fluit. Tertius locus est ab existentia formæ; maxima est, *quod ante formam nihil omnino præexistat in materia prima.* Hæc propositio caute intelligẽda est, nam si simpliciter dicas nihil præexistere ante formam, concedes naturam aliquid ex nihilo producere: si vero affirmes aliquid præesse aut antecedere, cõcedes materiam actu aliquo modo fuisse antequam forma accessisset. Quippe id quod præexistit, siue completum siue incompletum sit, motum habet, qui actus mobilis definitur, Præterea, si dicas formam in materia prima inchoatam delitescere, motuque materiæ pullulare & perfici, videris eadem opera docere, substantiam magis & minus suscipere. At dices, formæ formabiles sunt non formatæ. Sed vnde (quæso) formæ formabiles dicuntur? Certe quia sunt incomplete in materia, vt ais. Cæterum vlterius te vrgeo, quæroque, vnde ista prima inchoatio & emanatio formæ sit? Si sit, aut erit ex aliqua, aut ex nihilo; si ex aliquo concedas, non negabis mihi aliquid actu fuisse in prima materia ante formam; si ex nihilo fieri existimes,

Primus locus.

Assistens forma quæ.

Inhærẽs forma quæ.

Inhærens forma duplex.

Locus 2.

Forma in materia tanquã fructus in planta

Locus 3.

Formæ formabiles & formatæ.

mes, cur creationem formarum negas? Quid restat? hoc scilicet, vt dicas nihil in materia prima præexistere ante formam prçter primam potentiam materię, quæ eadem est inchoate cum materia ipsa. Est enim prima potentia cuiusque rei eadẽ re cuius est, vt potentia ratiocinandi cum anima ratiocinatrice, potentia sentiendi cũ anima sensibili, potentia vegetandi cum anima vegetabili. Quid multis? nihil ergo præexistit in materia prima ante formam: id est nihil actu præexistit quod materiam actu existere in rerum natura faciat, nihil quod formet, nihil quod distinguat. Est tamen in materia radix formæ id est talis potentia realiter eadem cũ materia, quæ influente natura grauida tandem veluti facta formas & distinctiones rerum essentiales parit. Locus alius est à multiplici proprietate & officio formæ. Maxima, quod *naturalis formæ semper officiũ sit essentialiter denominare, definire, distinguere, & conseruare speciem quam facit.* Ratio est, quoniam rei nomẽ, natura, potentia à forma pendeant. Imo forma etiam finis rei naturalis dicitur: at finis bonum illud est quod natura appetit, & in quo res quęlibet naturalis cõseruatur. Hinc alterius maximæ apud Philosophos non est inepta, videlicet *natura appetit finem*, id est natura appetit formam, est enim forma interna perfectio rei, & finis ad quem natura in constitutione rerum tendit. Alter locus à dignitate formæ naturalis ducitur. Huius axioma est, quod *Omnis forma sit diuinum quiddam.* Interpretum aliqui asserunt diuinum dici, quia proxime à prima causa diuina fluit. Qui hoc asserunt, non viderunt quomodo naturalis forma ex potẽtia materiæ vt ex traduce aut radice educatur. Alia expositio est, quod per assimilationem dicatur diuinũ quiddam, nempe quoniam est simplex, purus, & essentialis actus, vt prima causa. Non est inanis quoque illa interpretatio, formam scilicet diuinam dici, quia est summa perfectio, summumque bonum physicum rei naturalis. Liceat tibi (erudite lector) quam velis interpretationem admittere, illa tamen mihi vehementer placet, quod diuinum quiddam forma dicatur, quia simplicem purioremque essentiam Deo acceptam refert. Sequitur locus ab vnitate formę, cuius duo axiomata sunt, primũ quod *cuiuslibet rei naturalis sit vna essentialis forma*; alterum quod *vna sit prima forma communis*

Prima potentia cuiusque rei eadem cũ re ipsa cuius est.

Radix formæ in materia inest.

Locus 4.

Formæ officium.

Naturã appetit finẽ quid significat.

Locus 5.

Forma cur diuina dicitur opiniones variæ.

Locus 6.

munis omnium. De primo axiomate nemo philoſophorum vnquam dubitauit, quia res quælibet naturalis non definitur aut diſtinguitur niſi à ſua ipſius propria forma. De 2 lis eſt & controuerſia magna, an ſit vna cõmunis forma omnium, quæ principium rerum naturalium dicatur? ſi affirmes, quænam illa tãdem ſit quæro? ſi neges, peto quomodo tria principia eſſe defendis? Nam ſi non ſit vna communis forma omnium, ſed ſola particularis ſingulorum, quomodo omnium principium definiatur eſſe equidẽ omnino neſcio. Quippe particularis cuiuſque forma non eſt prima, non eſt æterna, non eſt ingenita & incorrupta, non eſt omniũ cauſa, quæ conditiones ad principium conſtitutionis requiruntur. Sed quid moror? Alii putant eſſe vnam animam mundi, quam formam rerum naturalium nominant. Alii dicunt eſſe formam quidem omnium principium aſſiſtentem, non inhærentem. Alii cœli formam eſſe hanc formam omnium pertinaciter defendunt, quia Ariſt. dicit omnem formam eſſe in cœlo; quod intelligitur reſpectu inferiorum effectiue, quoniam ſol & homo generant hominem; per *ſolem* influẽs cœlum, per *hominem* mundum inferiorem variis formis ornatum intelligit. In hac lite audeo definire nihil, exiſtimo tamen formam recte vnum principiorum dici, non quod ſit vna eſſentialis forma omnium; ſed quod ſit vna cõmunis idea & apprehenſio formæ ex ſingulis generum, non ex generibus ſingulorum vt aiunt. Quaſi diceres, forma hominis primum principium hominis eſt, forma cœli primũ principium cœli eſt, forma ignis primum principium ignis eſt; & ſic de ceteris ſingulorum formis: ergo forma eſt principium omnium, quæ vi naturæ fiunt. Omnium (inquam) non quod ſit in omnibus vna comunis forma, ſed quod in ſingulis (quæ collecta vnum vniuerſale apprehenſione faciunt) vnã eademque diſtincta exiſtat à qua res proprie naturalis dicatur.

Opiniones de prima forma.

Omnis forma eſt in cœlo, quomodo intelligitur.

Propria opinio de forma communi.

De priuatione & eiuſdem locis.

Tranſmutationis principium priuatio dicitur, non conſtitutionis: nihil enim actu ponit ſed tollit formam, ita tamen tollit vt materiam ad nouam acquirendam perpetuo incitet & inſtiget. Diſcors hoc principium neceſſarium quidem eſt, vt ſegnis materia nuditatem veluti agno-

Priuationis neceſſitas & vſus in generatione.

ſcat ſuam, veſtemque; & ornatum id eſt formam quærat.

Multiplex nomen eſt priuationis.

Multiplex eſt hoc nomen priuationis. aliquando enim priuatam materiam, aliquando negatam formam, aliquando præexiſtentis formæ abſentiã, aliquãdo negationem formæ futurę & emergentis docet. Dicit Ariſt. materiã & priuationem numero & ſubiecto idem eſſe, quod verum eſt ſi priuationem pro materia nudata ſumas, aliter multis modis hæc ab illa differt. Nam materia eſt ens poſitiuum, priuatio vero ens negatiuum; materia eſt ſubſtantia, priuatio non eſt, materia eſt cauſa conſtitutionis, priuatio proprie cauſa non dicitur, materia appetit formam, priuatio tollit; materia eſt ingenita & incorrupta, ſed acquiſita forma priuatio tollitur. At dices quomodo principium eſt? Principium generationis non rei genitæ habetur. Generationis principium eſt quia ab ea omnis generatio incipit. Hinc philoſophi priuationem terminum *à quo* generationis appellant. Sed vlterius quæris, quomodo negatio (quæ apud Ariſtotelem nõ ens per ſe dicitur) inter principia phyſica numeretur? Reſpondeo priuationem eſſe quidem negationem, non tamen ſimplicem, negantem, & contradictoriam [vt aiunt] quæ omne ens negat, ſed mixtam, quæ aliquid [vt ita loquar] entitatis habet, & aliquid realitatis ponit. Recte ergo definitur priuatio *principium tranſmutationis in re naturali, quod materiã nudam & inanem, in ſola potentia poſitam ad appetitum formæ qua veſtiatur ſtimulat*: vel eſt *principium quod negat formam, mouet materiam, primamque actionẽ naturæ* [nempe generationem] *inchoat*; at poſſe *negare formam, mouere materiam, generationem inchoare* eſt aliquid in potentia ponere, licet actu [vt modo dixeram] nihil in rerum natura ponat.

Materia & priuatio numero & ſubiecto eadem quomodo intelligatur.

Omnis generatio à priuatione incipit.

Priuatio non eſt pura negatio & contradictoria, ſed mixta

Priuationis definitio.

Locus primus Priuationis.

Locus 1. Diſtinctio priuationis.

Ducitur hic locus à nomine, cuius diſtinctio eſt in priuationem ſecundum actum, ſecundum potentiam, & ſecundum vtrumque. Maximæ tres ſunt. Prima quod *à priuatione ſecundum actum ad habitum fiat regreſſio*; vt à ſomno ad vigiliam. Altera quod *Priuatio ſecundum potentiam non neget habitum, ante præfixum & definitum tempus à natura*; vt catulus non dicitur cœcus ante nonum diem. Poſtrema, quod *A priuatione ſecũdum actum & potentiam nunquam*

quam fiat regressus ad habitum; vt à morte ad vitam. Hæc postrema propositio intelligẽda est secundum ordinem naturæ: at Deus qui est liberrimum agens non alligatur mediis legibusque naturæ.

A priuatione ad habitum nō fit regressus in quibus valeat.

Alter locus priuationis nomen ab eodem numero & subiecto trahit. Maxima est, quod *priuatio sit eadem numero & subiecto cum materia*, id est (si recte intelligas) eadem numero accidente; quippe locus proximus à differentia priuationis ostendit manifeste, nō re penitus eandem esse cum illa. Maximæ huius loci sunt, quod *priuatio sit ens negatiuum*; quod *Non sit substantia*; quod *Non sit causa*; quod *Sit forma infesta & contraria*; quod *Sit accessione formæ extincta*. At materia est ens positiuum, est substantia, est *concausa* vt aiunt, est amica formæ, cuius copulam & connubium appetit: priuatio ergo non est re & natura penitus eadem cum materia, vt quidam ex textu Aristotelis colligunt. Verbo distinctionem materiæ & priuationis sic concludo, quod materia sit per se ens, sed ex accidenti in textu nō ens dicitur, quatenus scilicet cum priuatione sit coniuncta. Priuatio autem contra per se non ens appellatur, quia est absentia formæ; ex accidenti vero ens, quia materiæ inest antequam forma accedat: non est ergo priuatio simpliciter negatio contradictoria (quæ omne ens negat) quandoquidem habilitatem quandam (vt ita loquar) coniunctam habeat, cuius vi & beneficio *esse* quodammodo dicatur; nempe ex accidente & per aliud. Est tamen (vt ita dicam) ingrata negatio materiæ; nam pro tanto beneficio à materia accepto *vt sit*, maleficium rependit. Quippe quam diu materia illam quasi viperam in sinu suo retinet, *non ens* à Philosopho dicitur, cum vero per accessionem formæ eiiciatur, *ens completum* appellatur.

Locus 2.

Materia & priuatio eadem numero, tantum accidente.

Distinctio materiæ & priuationis.

Priuationis ingratitudo erga materiá.

Ens compleetum & incōpletū quando & quomodo materia.

Postremus locus est A subiecto habitus & priuationis. Maxima, *Habitus & priuatio versantur circa idem subiectum capax vtriusque, ordine irregressibili, tempore à natura præfixo, & determinato per subiectū, materiam, & rem naturalem*. Per *habitum* formam internam & externam, per *ordinem irregressibilem* negationem eiusdem formæ quoad actum & potentiam intelligo.

Locus 3.

Hæc de Principiis & eorum locis breuiter (studiosorum

causa) scripsi; nunc ad reliqua eodem ordine procedam: & primum de aliis duobus prædicatis, nempe *potentia* & *actu* pauca adiiciam. Quatuor enim prædicata physica docendi causa superius finxi, scilicet *materiam, formam, potētiam & actum*; *prædicata* hæc nominaui, quia latissime patent hæc nomina in hac scientia, nec non de omni ente in eadem tractato enūciantur. Omne enim ens rei est vel *materiale* vel *formale*, idque vel *in potentia*, vel *actu* positum.

Materia, forma, potentia actus prædicata physica cur dicta.

CAPVT V.

In quo Potentia & Actu agitur.

Potentia triplex.

POtentia *naturalis, præternaturalis, & violenta* dicitur: *naturalis* est quam perfecta actio, *præternaturalis* quā imperfecta actio, *violenta* quam actio vel passio contra naturam sequitur. Actio *perfecta* est actio formæ, actio *imperfecta* est actio materiæ, actio *violenta* est actio causæ alicuius externæ, quæ vim & potentiam naturæ tollit, remque subiectam ad interitum & perniciem trahit. Agitur præcipue hoc loco de naturali potentia, quæ definitur *qualitas interna vel externa, qua redditur subiectum aptum ad agendum*. Qualitatem *internam* vel *externam* dico, quoniam est aliqua *prima potentia* rei quæ interna; est quoque aliqua *secunda potentia* quæ externa qualitas seu affectio dicitur: *Prima potentia* cuiusque rei (vt ante docui) eadem est cum re cuius est potentia, vt *rationale* cum homine; secunda vero non est re eadem vt *risibile*: illa ad substantiam, hæc ad secundum genus qualitatis refertur. Distinguunt quidam potentiam in potentiam proximam, & in potentiam remotam, quam aptitudinem appellant; priorem definiunt id esse quod facile in actum reducitur; talis est potentia *oui* vt fiat pullus; posteriorem aiunt id esse quod raro aut nunquam reducitur ad actum, vt potentia qua plures *soles, lunæ*, aut *Phœnices* esse possint. Hæc postrema significatio potentiæ non est inanis & otiosa, si ad ea quæ aliter se habere queant, (tametsi nunquam se ita habeant) referatur: vt si dicas mare posse supernatando immergere & operire terram, aut aeris mediam regionem fieri posse calidam & humidam, quem-

Actio triplex.

De qua potētia potissimū hic agatur.

Potētia naturalis duplex.

Potentia proxima & remota quales. Potentia remota in rebus non in anis.

quemadmodum aliæ partes aeris existunt; hæc quidem nō repugnant naturæ quoad *esse* vt fiant, quamuis nunquam quoad bene *esse* fiant. Quod fieri possint hæc quoad *esse* rerum hinc constat, quoniam aqua leuior est terra, & vi naturæ superflueret; totum etiam elementum aeris naturaliter est calidum & humidum: ergo media illius pars sic esse potest, licet per antiperistasin contrariis qualitatibus perpetuo imbuatur.

Quid vltra quæris? Potentia naturalis est veluti scintilla in silice, & delitescens quasi vita in radice naturæ; ictus naturæ fit, actus rei à potentia statim elicitur; non potest natura segniter dormire, non potest esse otiosa, semper dextram suam porrigit & expandit, id est potentiam naturalem excitat, vt nouas formas apprehendat. Occultum quidem hoc opus est naturæ, sed agricolis, qui spicas ex granis disseminatis metunt, res non est obscura, vt pote quibus potentia in grano adhuc viuens segetem nouam & fœcundam messem reddat. Potentia naturalis tanquam scintilla in silice.

Loca à potentia rerum.

Primus locus huius capitis est A diuina potentia. Axioma sic se habet, quod *esse & posse in Deo idem sint.* Ratio huius axiomatis est, quoniam secundum Aristotelem nullum accidens, nulla mutatio in Deum cadit: at caderet si potentia & essentia in eo differrent. Potentia ergo diuina non dicitur quia est defectio aut motus in Deo (motus enim est imperfectus actus mobilis) sed quia DEVS est id quod est & aliter esse non potest; id quidem potest quod vult, & vult quod potest. Hoc quidem dico in eo sensu, quo Arist. dicit velle, posse, & esse idem in æternis & diuinis esse: nam velle & posse in Deo nihil aliud quam diuinam, æternam, & immutabilem essentiam docent. Locus 1. Phys. 8.

Alter locus ducitur Ab inutili, cuius maxima est, quod *frustra sit illa potentia quæ non reducitur ad actum.* Ratio est, quia actus potentiam naturalem perficit. Cæterum instantias patitur hæc propositio in potentia remota: nam in proxima sola simpliciter & absolute tenet. Locus 2. Frustra esse illā potētiam quæ nūquam ad actū reducitur, quomodo intelligendum.

Alius locus elicitur Ab vsu *potentiæ*: maxima est, ꝙ *omnis*

Locus 3. *potentia naturalis sit coniuncta causa actionis. Coniunctam causam* dico, quia *forma* causa vna, altera *potentia* dicitur.

Locus 4. Quartus locus est A differentia primæ & secundæ potentiæ, maxima est, quod *prima potentia sit eadem re cum subiecto, secunda autem semper diuersa.* Sed attende nos hic docere eandem re esse potentiam primam ex parte, non simpliciter & absolute.

Locus 5. Quintus locus A proprietate est, qui tale axioma habet, quod *potētia nulla naturalis suscipiat contrariū, aut magis & minus*: cōtrarium enim agentis est, & susceptio magis & minus certamen contrariorum arguit, quod in potentia (cui nihil est contrarium vt Philosophus docet) cernitur.

De actu.

Quot modis vnum oppositorū dicitur tot modis & alterū; vt ergo potentia est naturalis, præternaturalis, & violenta: ita etiā & actus. Actus naturalis est vt *respiratio*, præternaturalis vt *sternutatio*, quæ partim ex violēta causa, partim ex naturali constat, violentus denique actus est, vt *conuulsio corporis* quam mors repentina sequitur. Verum cum hoc in loco de actu naturali præcipue agatur, eum definiunt philosophi esse *primum effectum in re qualibet naturalis potentia & operantis natura.* Cæterùm cum hic effectus sit nunc in flore nunc in fructu, id est inchoatus & imperfectus: recte iterum distinguunt actum in actum perfectum qui est rei completæ, & imperfectum qui adhuc ad formam & finem tendit, qualis est motus naturalis, qui actus inchoatus & imperfectus mobilis in potentia esse definitur.

Actus naturalis definitio. Actus naturalis duplex.

Postremo, vt nihil in comparatione ista omittam, actus in internum & externum diuiditur. Internus sæpe à Philosopho pro ipsa forma sumitur; sic anima *actus corporis organici vitam habentis in potentia definitur.* Externus actus est vel *materialis*, vt aiunt, vel *formalis*; *materialis* vt accidens in quo fundatur actio, [exempli causa] *virtus*: formalis vt *operatio virtutis.* Huc adde quod sit actus proximus & remotus; proximus est qui proxime à potentia fluit, vt *motus*; remotus vt *forma*, aut *finis* quo natura tendit. Non hic omittas velim, esse actum diuinum, eundemque finitum & infinitū vt Arist. docet. Finitus est vt *animus*, infinitus vt *Deus*: nam vterque à Philosopho actus dicitur. Est [inquit] animus *actus*

Actus internus & externus est. Externus actus duplex. Actus primus & remotus.

actus corporis, est quoque [vt ait] Deus actus simplex & purus, vtriusq; etiam operatio actus nominatur, quia & hic & ille liberrimum agens esse ab illo demonstratur. Amplum & fusum est hoc nomen actus in vsu philosophiæ; uam non solum rerum naturalium motus sed etiam earum formæ actionesque dicuntur actus Imo actio & passio à Philosopho idem motus idemq; actus dicuntur. Præterea quicquid cōpletum est, aut quicquid ornatum existit in rerum natura, idipsum actu esse aut existere docemus. Error nō est, si ipsam essentiam primum actum internum, existentiam vltimum actum externum naturæ esse doceamus. Est enim coniunctio seu copulatio materiæ cum forma primum opus naturæ in quo essentia; est accidentium ornatus opus vltimum In quo existentia inest. Existere enim nihil aliud est quam vestiri accidentibus, & in rerum natura indiuiduum eminere. Late patente hoc nomine, & vsu iam actus perspecto, nemini mirum aut absurdum videri debet, quod inter prædicata philosophica à me enumeretur. Sunt ergo vt dixi quatuor [quoad inuentionem in rebus naturalibus ductam] prædicata, nimirum *materia, forma, potentia, actus*, inter quæ hæc duo posteriora [scilicet *potentia & actus*] materiæ & formæ respondent; materia enim ens in *potentia*, forma ens in *actu* dicitur. Primum & vltimū opus naturę essentia & existentia rerum dicitur. Existere, quid.

De locis inuentionis ab Actu.

Insinuaui superius, presliorem rationē tractandi loca me sequuturum; sed dum prima fundamenta tracto, perspicuitatis causa eandem viam & methodum obseruaui, post hæc pressius & contractius agam. Primus locus in consideratione actus est A Dignitate eiusdem, maxima est, quod *omnis actus sit melior potentia in re omni naturali*. In re omni naturali dico, quia *esse & posse idem sunt in Deo*, reque omni æterna & metaphysica. Locus 1.

Alter locus est A consequenti; maxima, *Si sit actus rei naturalis necesse est vt res [cuius est actus] aliquo modo existat*; nam si sit in motu ad formam, imperfecte; si sit sub forma, perfecte quidem existit. Locus 2.

Sequitur locus A negatione consequentis; maxima sic se habet, *potentia naturali posita non semper actus necessario sequitur*; ratio est, quia remota potentia raro aut nunquam Locus 3.

Error particularis naturæ.

ad actum venit. Cæterum ab omni propinqua potentia ad actum est necessaria consecutio, nisi error in particulari natura aliquando impediat; vt cum natura vniuersalis intendit hominem, particularis producit monstrum. Huc spectat illa maxima vulgaris & vsitata, quod *ab esse ad posse sequatur ratio, sed non è contra.* Nam sequitur, est cœlum: ergo esse potest; at non sequitur, potest esse: ergo est. Verum hic dices, quod à propinqua potentia ad actum sequatur ratio, vt modo demonstratum fuit: verum est quoad certitudinem naturæ reique futuræ, quæ à termino *ad quem* denominationem sumit; sic embryo hominis dicitur homo, nõ bellua aut planta, quia certum est hominem futurum esse.

Locus 4. & 5.

Alia duo loca supersunt, vnus A differentia motus, actionis, & actus, alter à fine; Maxima prioris est, quod *Motus, actio, & actus re omni ex parte non differant; distinctionis tamen causa non inepte motus mobilis, actio mouentis, actus vtriusque dicitur. Est enim motus [ait Philosophus] in mobili vt in subiecto, est actio in agente seu mouente, est actus in vtroque. In mobili,* nam motus est quidam actus; *in mouente* actio quoq; motus sæpe nominatur, præsertim in 3. Physicorum, vbi actio & passio idem dicuntur motus. Dicuntur motus, ergo dicuntur actus; nam motus actus definitur. Maxima posterioris loci est, quod *finis actus naturalis sit perfectio rei*: nam siue sit actus inchoatus, siue completus, tendit ad formam; vel est ipsa forma, quæ forma est finis, quæ finis est perfectio rei. Hactenus de Prædicatis; nunc de Annexis pauca dicemus.

CAPVT VI.

De nomine causæ & de eiusdem diuisione generali.

Cramben bis coctam (vt aiunt) apponerem, si de materia & forma (quæ inter principia discussa & definita sunt) nunc fusius agerem. Breuiter ergo & curiose percurram singula. *Causæ* nomen generale est, nam omne id dicitur causa, *cuius esse aliud vtcunque sequitur*, vel *cuius vi elicitur effectus*. Verum sciendum est, hæc nomina *principium, elementum & causam* ratione inter se differre. *Principium*

Causa quid.

enim

enim significat rem quamlibet à qua alia res emanat, sine vllo respectu an ab eadem dependeat, vel non; *Causa* vero respectum dependendi addit; *Elementum* vtriusque intrinsecam rationem subit. Hinc *Vnitas, punctum, priuatio* principia *numeri, lineæ, generationis* dicuntur, non causæ. Hinc efficiens & finis *causæ* compositi dicuntur; non *elementa*, nam ex illis non componitur. Pergam. *Causa est id cuius esse sequitur aliud.* Aliud dico, id est effectus essentialiter distinctus; nam hoc verbum *aliud* differentiam essentiæ indicat. Sed attende, hoc *aliud* seu *effectus* à causa dependet quoad *esse, fieri, & conseruari.* Quoad *esse*, quod est pars vel essentialis, vel integralis, sine qua res *esse* nequit. Sic compositum in substantia dependet in suo *esse* à materia & forma, quæ sunt partes essentiales ei, quarum altera generationi subiicitur quæ materialis, altera in eo de nouo generatur quæ pars formalis appellatur. Hinc illud quod vulgo dici solet, causa materialis est ex *qua*; formalis *per quam* res cõstituitur. Dependet etiam effectus à causa quoad *fieri*, idque vel *à quo*, vel *propter quod*: *A quo* effectiue res producitur, vnde causa efficiens emergit, quæ materiam ad quærendam & recipiendam formam præparat & disponit: *propter quod*, vnde causa finalis sequitur, cuius desiderio vel odio efficiens causa ad agendum excitatur. Hæc causa perficit & conseruat, quapropter ad illam etiam quoad *conseruari* res quælibet naturalis refertur, licet omnia quæ sunt vna cum causis à Deo primo & per se sint & conseruentur. Causæ, principii & elementi differentia.

Summa omnium hæc est: omnis causa est ex *qua* vt materia, *per quam* vt forma, *à qua* vt efficiens, *propter quam* vt finis, quæ primum in intentione, & vltimum in executione est. Intenditur enim primum, quia est scopus naturæ, vltimo vero acquiritur, quia est opus ad quod perficiendum motus & tempus requiruntur. Causa materialis ex qua, formalis per quam, efficiẽs à qua, finis propter quẽ.

Axiomata causæ in genere.

Primus locus est A relatione; Maxima, *causa & effectus sunt simul natura*; nã causa est effectus causæ, & effectus est causæ effectus. Hæc propositio intelligenda est quoad intentionem & consecutionem nominis, non quoad constitutionem rei: nam hoc posteriore modo causa est suo Locus 1. Omnis causa effectus & è cõuerso, quomodo intelligendum.

effectu prior, vt locus secundus A priore ductus probat. Cuius maxima alteri contraria est, nempe, quod *omnis causa sit prior suo effectu*; nam vetus est illud *Causam causato dicimus esse prius*. Sed attende, quod hæc etiam propositio nō sit semper interpretanda de priore naturæ ordine [efficiens enim & finis sic semper non sunt] sed omnis causa natura, tempore, aut dignitate prior effectu dicitur. Natura, vt materia, forma; tempore, vt efficiens causa; dignitate & perfectione, vt finis.

Locus 3. Sublata causa tollit effectū. in quibus teneat.

Alius locus est Ab interitu causæ; Maxima est, ꝙ *sublata causa tollatur effectus, sed non è contra*. Indubitata est hæc propositio in causis internis, in externis vero instantias patitur; nam sublato artifice opus eiusdem manere potest.

Locus 4.

Sequitur locus copiosus A multiplici proprietate causæ, in quo maxima prima est, quod *eiusdem effectus plures causæ esse possint*. Hæc propositio veritatē habet, & in causis per se, & in causis per accidens. Exempli gratia, hominis causæ internæ sunt *corpus, anima*; externæ, *Sol, pater, & mater*; quæ licet sint inter se diuersa, eidem tamen generi causæ efficientis subiiciuntur. Altera maxima huius loci est, ꝙ *causæ sibi mutuo possint esse causa*; quæ propositio intelligenda est in diuerso genere causæ, nō in eodem. Si exemplum desideres hoc accipe, sanitas est causa finalis ambulationis, & tamen ambulatio est causa efficiens sanitatis. Similis est reciprocatio etiam inter materia & formā; dicitur enim forma causa materię quatenus eidem *esse* attribuit, dicitur materia causa formæ, quatenus eidem subiecta est, eandemq; sustētat. Tertia maxima est, quod *idem sui ipsius nullo modo causa existat*: ratio est quia causa debet esse prior effectu; at nihil seipso prius esse potest: ergo nihil est suiipsius causa. Quarta maxima est, ꝙ *contrariorū effectuum vna eademq; numero possit esse causa*; sic *sol* causa hyemis & æstatis ꝑ motū, sic causa liquefactionis in cera & indurationis in luto per æstum & calorē dicitur. Vltimū axioma loci est quod *causa causæ subordinetur donec ad primam omnium causarū veneris*. Intelligit Philosophus Deum semper benedictum, quę veluti Rector chori, alias omnes causas quasi neruos & chordas musicas, ad harmoniā & concentū rerū flectit. Est enim tota huius mūdi fabrica tāquā cithara altissimi; cū is primū neruum

Causæ sibi mutuo possunt esse causæ quomodo intelligendū.

Materia causa formæ. & vicissim forma materiæ.

Deus inter causas rector chori.

neruum pulset, cœlumq; moueat, suauior quam dici potest musica in aure sapientis sonat.

De diuisione causæ.

Incurro prolixitatis vitium, quod in hac epitome vitare libenter velim, sed leges fertilior de causis oblata causa est cur longior sim. Numerum causarum [vt aiunt] & sufficientiam bis terue probaui; verbo igitur hoc loco de numero perstringam omnia. In omni mutatione naturali considerari debent *subiectum, terminus, actio*, & *intentio* naturæ. Subiectum *materia est*, terminus mutationis *forma*, actio *causa efficiens est, intentio finis*, quæ causam efficientē mouet. Primum oportet *esse* subiectum, id est, materialē causam, nā aliter in actione naturali nihil de nouo fieret; quippe si non sit subiectum in quod recipiatur forma, nihil fit. Veruntamen, quoniam hoc subiectum [scilicet *materia*] sit per se nullius viuacitatis vel actiuitatis [vt verbo artis vtar] necessario requiritur *efficiens causa*, quæ extrinsecus eandem ad recipiendam formam præparet & disponat. Postremo quoniam nihil agit, nihil mouet aut præparat nisi intentione consequendi aliquid desideratum, vel fugiendo infestum & odiosum sibi: idcirco *finalis causa* additur, quę efficientem causam ad præparandam materiam excitet: finalis ergo causa primum intētione agit, tum efficiens causa materiam segnem & otiosam mouet, motam materiam forma sequitur, forma inducta res naturalis perficitur: plures ergo species causarum quam quatuor ad rem naturalē efficiendam non requiruntur. Sed animaduertendum est in hac diuisione demonstrari solum causas per se: sunt etiam aliæ causæ per accidens, vt *casus, fortuna, fatum, exemplaris causa*, & *causa sine qua non*. de quibus suo ordine & loco dicemus.

I in mutatione naturali considerãda sunt quatuor.

Loca à generali diuisione causæ.

Maxima prima loci *à diuisione causæ est*, quod *Omnis causa sit materialis, formalis, efficiens, aut finalis*; quæ propositio vera est aut per se absolute, aut per accidens reductiue; nam aliæ omnes causæ ad hæc quatuor capita reducuntur. Alter locus est *ab amplitudine, & quantitate causæ*; Maxima, quod *Omnis causa sit vniuersalis quæ multis, aut particularis quæ vni destinatur.* Vniuersalis est, vt *sol* in

Locus 1. Omnes causę ad materialē, formalem, efficientem, & finem reduci possunt.
Locus 2. Omnis causa vniuersalis, vel particularis est.

motu & in generatione omnium; particularis, vt *luna* in fluxu & refluxu maris. Alius locus *à distributione causarum quoad existentiam* ducitur; nempe *quod omnis causa existat vel actu, vel potentia*; *actu* vt *ædificans* qui nunc in ædificatione versatur, *potentia* vt *ædificator* qui intendit opus.

Locus. 3.

CAP. VII.

De causis externis in specie, nempe de efficiente & finali.

NE SIM molestior verbis, loca materialis & formalis causę ante sub ratione principiorum speciatim tractata nunc lubens omitto. Superest ergo vt de efficiente & finali agam. Efficientis causæ apud philosophos amplissimus scopus & vsus est; nam ad omne genus causæ pertinet: diuerso enim respectu omnis causa efficiens dicatur. Proprie tamen externum principium mouendi & præparandi materiam in generatione & alteratione rerum naturalium definitur. Externum dico non internum; nam internũ principium motus sola natura est, externum efficiens causa, quæ (vt modo docui) segnem & ignauam materiam, in potentia veluti sepultam ad formam & actum pertrahit. Diuiditur efficiens causa in *veram*, & in causam *sine qua nõ*: illa non otiosa, sed semper in effectu producendo extrinsecus aliquid agit: hæc vero nihil omnino per se agit, sed solum res est sine qua aut omnino, aut non commode fiat effectus; aut id denique quo absente impeditur agens quo minus opus naturæ præstet. Galenus libr. 3. de Differentiis symptomatum sic causam *sine qua non* definit. *Ea* [*inquit*] *quæ nihil conficiunt, & non possunt separari à conferentib. habent rationem causæ quæ dicitur* causa sine qua non; *vt in curatione vulneris, causa sine qua non est remotio puris; quippe nisi pus remoueatur vulnus non curatur*. Sic lumen in visione est causa sine qua color videri non potest.

Efficientis causæ vsus amplissimus apud philosophos habetur.
Efficientis causæ proprie sumptæ definitio.
Efficientis causę diuisio.
Causa sine qua non.

Sed de hoc genere causæ non sumus solliciti, diuisionem causæ vere efficientis quærimus. Causa ergo vere agens seu efficiens duplex est, vna quæ propria virtute aliquid operatur: altera, quæ alterius virtute vtitur; illa principalis, hæc instrumentalis dicitur. Principalis iterum distributa est in vniuersalem quæ ad omnium, [*vt Deus*] vt plurimorum (vt

Efficiens causa vera duplex.

cæle-

cæleste corpus] concurrit productionem: & in particularē, quæ paucorum aut vnius constitutionem spectat. Sed attēde, eam esse inter vniuersalem & particularem causam connexionem, vt particularis nihil per se sine influxu vniuersalis agat, sunt enim subordinatæ. Exempli causa cœlum nihil agit sine prouidentia Dei, elementa nihil agunt sine influentia cœli. Particularis causa nihil sine influxu vniuersalis operatur.

Quid moror? aliæ adhuc restant diuisiones efficientis causæ; nam alia agit efficiens causa ex necessitate, vt *ignis fomite adiecto vrit*, alia agit libere vt *homo*, quando consilio & deliberatione in agendo vtitur. Nimis ambitiosus in exemplis essem, si partitiones attexerem efficientis causę, quas interpretes Aristotelis vberius insinuarunt; satis est si intelligas eam esse vel per se, vel per accidens. Per se, quæ desiderio aut odio finis mota materiam pręparat & inuitat ad formam; per accidens sunt omnes aliæ causæ externæ, vt causa sine *qua non, casus, fortuna, instrumentū, exemplar* aliaq; sexcenta, quæ analogice nomen causarum efficientiū vendicant, quia ad motum rerum conferunt. Efficiens causa quomodo libere, quomodo necessario agit.

De locis ab efficiente causa.

Primus locus est A definitione veræ efficientis causæ; Maxima. *Quicquid primo & per se præparat mouetq; extrinsecus materiam ad capessendam formam, idipsum vere efficiens causa habeatur.* Locus 1.

Alter locus est A diuisione; Maxima, quod *Omnis efficiens causa sit vel per se vel per accidens; per se*: sic *sol* est causa *luminis, ignis caloris: per accidens*, sic causa *sine qua nō* causa efficiens dicitur: quæ quidem causa per se nihil agit, cōfert tamen vel adiuuando vt *scala in ædificatione*, vel remouendo impedimentum, *vt apertio fenestræ ad illustrandam domum.* Locus 2. Vsus causę sine qua non.

Tertius locus A comparatione efficientis causæ cum suo effectu ducitur; Maxima, q *Qualis sit causa talis sit effect⁹ in bonis & malis.* Animaduerte hic non intelligi cōparationem solum in bonis & malis morum: nam sic nonnunquā fallit regula, quippe pater sæpe est bonus, filius malus: sed tenet maxima in bonis & malis naturæ, cum connexio sit causarum necessaria, quam naturalis & bonus effectus necessario sequitur. Locus 3. Qualis causa talis effectus qui intelligenda.

Locus 4. Alter locus est A subordinatione causarum efficientium; maxima, *quod particulares causa essentialiter subordinata nihil agant sine influxu vniuersalium, quibus ordine agendi subiiciuntur*: vt *malleus* nihil agit sine *artifice*; *elementum aut mixtum* nihil agunt sine *influentia cæli*; *cælum* nihil sine *Deo* primo motore & causa prima efficiente sui.

Locus 5. Causa sine qua non duplex. Sequitur locus A distinctione causæ efficientis *sine qua non*; maxima, quod *Causa efficiens sine qua non analogice solum dicatur causa, quia non agit*; hæc autem est vel *positiua*, vel *priuatiua* vt aiunt; *positiua*, cum aliquid per se nihil agens extrinsecus in opere naturæ aut artis necessario ponatur, exempli causa *scala* vt ædificetur *tectum*; *priuatiua*, sic *ignorantiam* causam eorum quæ imprudens & incautus agit, sic nautæ *absentiam* causam *nauis demersa* dicimus. Dicimus, [inquam] sed impropriè; nam nec ignorantia, nec absentia causæ sunt; sed is qui sponte ignorans & absens vitium incurrit. Similis est ratio eorum quæ temere facta casui & fortunæ ascribimus, quasi in istis mundi idolis numen sacrum inesset, quod ad puppim sedens actiones humanas & voluntates pro imperio flecteret.

Casus & fortuna mundi idola.

Locus 6. Locus postremus veræ causæ efficientis est Ab adiunctis, quæ duo sunt, *necessitas actionis* & *libertas agentis*; hæc duo omnem causam veram efficientem continent. Maxima huius loci talis est, quod *effectricem causam necessario agẽtem & per se sequatur effectus, agentem vero libere non itẽ.* Necessitas ad actiones naturæ, libertas ad actiones humanæ voluntatis [quæ dicitur à Philosopho principium suarũ actionum] refertur. Exemplum necessitatis est, vt *ortus solis* quem dies necessario sequitur, exemplum libertatis est, vt *consilium medici, aut applicatio medicinæ*, quorum effectus *sanitas* non semper sequitur.

Quæstio. Quæstio hic moueri solet, *An omnia bruta animantia necessitate agant?* cum eorum multa docilia sint, & agere videantur non sine delectu libere. Rodolphus Agricola vir doctissimus ex Aristotelis sententia respondet omnia bruta necessitate agere; sequuntur enim opinionem iucundi aut molesti, non quam volunt, sed quam rebus obiectis acceptam ferunt. Necessitate ergo rapiuntur, nec possunt non trahi quo obiecta præsentia & vniuersales causæ [quibus

sub-

subordinantur] trahunt. Homo vero animantium princeps, author suarum actionum & moderator existens, libere quidem & non fatali necessitate agit. Concedo tamen se- qui hominem crebro deteriora; potest enim in ea quæ deliberando sæpe damnauit præceps nunc irruere, & contra toto impetu fugere quæ in deliberatione expetenda maxime iudicabat. Hæc cum agat sponte agit, quia habet potestatem idipsum agendi vel non agendi. Non est enim fatalis necessitas menti & voluntati humanę imposita; agnosco tamen esse occultas causas motrices voluntatis, quia voluntas est causa aliis subordinata. Agnosco etiam esse actiones aliquas inuitas, vt exorta pcella merces in profundum immergere, aut amicum furiosum occidere, ne ipse transfossus pereas, libertatem autem penitus non tollo, quoniã electio agendi in inuitis cernitur.

Homo animalium princeps & autor suarũ actionum.

Ethic. lib. 3. cap. 1.

Concludo, sunt qui alia loca deducunt A distinctione causæ efficientis, quam diuidunt in præparantem, perficientem, adiuuantem & continentem. Scio equidem vsum ex hisce locis elici posse, quia effectrix causa *præparans* dicitur vt materiam, perficiens vt formam, adiuuans vt instrumentum, continens vt finem respicit. Silentio tamen hæc prætereo, quoniam ad priora capita facile reuocentur omnia; solum autem de continente seu coniuncta causa [quam veteres philosophi *concausam* appellant] hoc addo, esse quidẽ in ea necessariam connexionem cum alia causa, vt producatur effectus. Continens seu coniuncta causa appellatur, quia simul agit cum altera causa rei, vt *calor hepatis* cum *febri*, vt *inflammatio sanguinis* cum *pleuritide* dici possint continẽtes seu coniunctæ causæ tabis, in quam febri aut pleuritide laborantes cadunt, si præualente natura aut medicina ad pristinam sanitatem corporis non redeant & vindicentur. Hactenus de efficiente causa, nunc de finali pari breuitate agam.

Causa continens & coniuncta cur sic dicta.

De causa finali.

Prima omnium & vltima causa rei naturalis diuerso habito respectu finis dici potest; prima si intentionem naturæ, vltima si perfectionem rei de nouo factæ cõsideres: primum enim natura intendit finem, quo tamen potitur ex voto. Mirabilis quidem & occulta vis mouendi in fine inest,

Prima & vltima causarum finis.

illius enim quasi amore capta efficiens causa materiam ad connubium formæ trahit, neq; cessat tædas nuptiales istius veluti amoris alere, donec fine [qui est vltimus actus & perfectio rerum] natura perfruatur: sequitur enim intentioné naturæ actio efficientis causæ, actionem efficientis causæ perfectio rerum completa sequitur, quæ recte finalis causa definitur esse. Omissis verbis natura, ars, homo multipliciter errant, si ad finem vt ad mensuram & centrum suarum actionum & operum lineas non ducant. Est enim finis regula ad quam metienda sunt omnia: sapienter ergo dictum id fuit *Respice finem*; deuius siquidem est qui ad hanc metam vestigia non vrgeat. Sed [Deus bone!] quot sumus inter mortales qui latam viam ingressi orcum pro cœlo capimus? Quid dicam? omnes *declinauerunt & prauaricauerunt vias suas, non est qui facit bonum, non est vsq; ad vnũ.* Ingeminas hoc verbum, *non est vsq; ad vnum?* nemo ergo vt decet respicit finem; nam finis & bonum [vt docet Philosophus] conuertuntur.

Mir[illegible] & occ[illegible] mouendi in fine.

Finis regula qua metiẽda sunt omnia.

Psal. 53 3 & 4.

Finis definitio.

Sed quo me animus nunc rapit? Reuertor, finis definitur *causa gratia cuius aliquid fit*; vel *id finis est quo efficiens causa mouetur ad operandum.* Diuiditur finis in primarium & secundarium; primarius est qui primo à natura intentus operationi efficientis causæ præexistit: secundarius siue [vt vulgo dici solet] *finis quo* est quod agens vltimo producere intendit, quo producto cessat ab omni actione ad finem destinata: hoc modo effectus assidue acquisitus finalis causa dicitur, sic domus est *finis quo* struentis domum, sanitas medentis aut ambulantis; nam hæ actiones medentis aut ambulantis ad acquirendam sanitatem destinantur, qua acquisita cessant. Hinc colligo & concludo, hunc finem proprie non esse finalem causam, sed verius magisque proprie illius intentionem; hæc enim præexistit, & efficienté causam mouet ad præparandam materiam. Vt ergo intentio domus præexistit struenti, primo mouens illum ad paranda ligna, lapides, cæmentum, aliaq; vtilia & necessaria ædificationi: ita quando natura conatur opus aliquando ꝓducere, id proprie finis illius est ꝙ primo mouet illã; at hæc intentio est quæ præexistit, non opus, quippe operis intẽtio ad operandũ trahit, opus vero nõ vt causa præexistit, sed vt effe-

Finis quo potius intentio quam causa.

effectus hanc motricẽ intentionẽ sequitur. Loquar tamen cum multis, & cum illis dicam sanitatem esse finem medicinæ, & architecturæ domum, similiterque omne in omni arte opus artificis manu factum; licet verius loquar si intẽtionem istorum quæ primo ad operandum vrgent, finem esse concludam. Per *intentionem* hoc loco non ideam & vmbram vagam mentis intelligo, sed realem operis impressam imaginem, quam animus partim vi sua, partim ex aliis reb. similibus sensu perceptis colligit; eandemque perceptam & collectam operi intenta applicat. **Intẽtio quid significat.**

Sed pergo, non est otiosa & inutilis illa distinctio finis, nempe quod alius sit medius vt *virtus*, alius vltimus vt *fœlicitas*, ille non propter se sed propter aliud, hic vero propter se expetitur. Illius est alia distinctio, scilicet quod sit vel directe ordinatus ad vltimum finem, vel indirecte; directe ad fœlicitatem cõsequendam destinatur virtus eiusdẽq; actio, indirecte vt diuitiarum & amicorum acquisitio. Hinc veteres distinguunt finem in ordinatum, vt aiunt, & inordinatũ; ille est vel vniuersalis & independens ab alio, vt Deus ad quem omnia quę sunt in rerum natura ordinantur; vel specialis, vt fœlicitas humana quæ ad hominem solum pertinet: inordinatus [vt ita dicam] finis meretricius & fallax est, contra ordinem naturæ & legem rationis, qualis est voluptas quam Epicurus, diuitiæ quas auarus, honor quẽ ambitiosus, potentia quam tyrannus vt summum bonum sitiunt, appetunt, persequuntur. **Finis medius & vltimus.** **Finis medius duplex.**

Caue (studiose lector) quo pedem in delectu finis dirigas; nam Argi & lynces istius mundi sępissime cæcutiunt & falluntur, qui voluptates, diuitias, honores & imperia, neglectis veris finibus rerum adorant. Sed ad rem, finis naturalis duplex est, vel internus vt forma (est enim vt ait philosophus) formæ finis vel externus, vt operatio formæ, seu opus ad quod res de nouo constituta tendit. Exempli causa, internus finis hominis est anima rationis capax (nam propter hãc intrinsecus agit natura) externus vero vt beatitudo, quæ summa animæ pfectio dicitur, & (si vere definias) æterna fruitio Dei, ad q̃ homo, si recte Deo seruiat, destinatur. **Finis naturalis duplex.**

De locis à Fine.

Amplus differendi campus à fine apud philosophos est;

Philoſophi omnia ad finem referũt.

philoſophi enim interpretes naturæ ſunt, & omnia ad finẽ referunt. Sed vela contraham, & remis in hoc certamine paucis incumbam, quippe ſi ventis & vndis nauem cõmitterem, quamuis de fine diſputem, vix finem & portum inuenirem. Quod enim ſunt obiecta totius philoſophiæ, tot ſunt fines ſeu propoſita à quib. loca & argumenta inuentionis petas.

Locus. 1.

Generatim ergo de fine, non ſpeciatim agam: & primũ A communi notione finis. Maxima huius loci talis eſt, *quicquid intenditur à natura primo, aut per ſe expetitur, & cuius gratia aliquid fit, id finis iure habetur* ratio. eſt, quia nihil expetitur propter ſe niſi perfectio rei quæ eſt finis.

Locus. 2.

Alter eſt A ſynonymis; maxima, *bonum & finis conuertuntur*; ratio eſt quia bonum & finis non re, ſed ratione ſolum differunt.

Locus. 3.

Tertius locus eſt A diſtinctione finis; maxima, *quod finis medius ſemper deſtinetur ad vltimum*; medium enim extremum arguit.

Locus. 4.

Maior neceſſitas finis quã aliarum cauſarum.

Quartus ducitur locus A neceſſario; Maxima, *quod maior ſit neceſſitas finis quam aliarum cauſarum*; ratio eſt, quoniam licet res naturales ab omnibus cauſis dependeant, ordo tamen cauſarum magis ad finem refertur, & quia primum mouet efficientem cauſam vt diſponat materiam ad formam, & quia neceſſitas omnium cauſarum in neceſſitatem finis reſoluatur; omnis enim actio naturæ à fine incipit quem primo intendit, & in finem deſinit quem vltimo acquirit.

Locus. 5. Altera finis diſtinctio.

Qui diſtinguunt finem in primum, vltimum & medium, locum Ab vnitate finis vltimo trahunt, cuius maxima eſt, quod *vnus ſit ſolum vltimus finis cuiuſque rei, fines vero cõmunes multi*. Credo equidem poſſe intelligi per vltimum finem vel primam cauſam [quæ eſt vniuerſalis finis, idemque vnus numero & natura Deus] vel internam & particularem formam cuiuſque rei, quæ etiam finis internus vnus numero ſemper exiſtit. Eſt enim vna ſolum forma cuiuſque rei quæ definitur, diſtinguitur perficiturque vt anima rationis compos in homine, ſenſibilis in bellua, vegetabilis in planta. Addunt hic alii in externis finibus vnum quoque eſſe vltimum, ſi per ſe & propter ſe prę aliis expetatur, vt fœlicitas humana.

Per vltimum finem quid intelligendũ.

Al-

Alter locus est A comparatione finis; maxima, quod *ut finis sit melior in moralibus quem capto consilio prudens eligit, meliorq; ille in naturalibus ad quem ordine tendit natura, optimus in omnibus à quo dependent omnia*; & hic Deus est, qui esse & bene esse rebus omnibus in rerum natura dedit. Locus 8.

Supersunt quædam loca Ab eligibili, cuius axiomata respiciunt vel finem ipsum, vel finis durationem, vel subiectũ & ordinem quoad finem ipsum: tales sunt maximæ, nempe *Omnem finem esse magis eligendum quam medium ad finẽ.* Iterum *id medium esse magis eligendum quod est propinquius fini*; quæ maxima est vera si medium directe ordinetur ad finem. Deinde *finem omnem si sit verus esse eligendum propter se, & anteferendum tum mediis, tum subiectis in quibus inest.* Axiomata quæ durationem finis respiciunt hæc sunt, quod *finis sit melior quo diuturnior, quodq; sit optimus qui est æternus.* Postremo, ea axiomata quæ respiciunt subiectum & ordinem ista sunt, quod *melior sit finis qui est in meliore subiecto; mediumq; præstantius & nobilius quod ordine nobilius subiectum sequitur.*

Alia sunt fere infinita loca A fine, quæ per excellentiam moralem philosophiam sapiunt. Hæc [inquam] libentius hic transeo, quia copiose à Philosopho 3. Top. pertractantur. Hoc vnum tamen addo quod omittendum non puto, fieri quidem posse vt sit non solum finis, sed omnium fere & singularum causarum reciproca commutatio, idq; non solum nomine & ratione, sed reipsa. Exempli causa, anima humana est causa efficiens suarum actionum, formalis compositi, finalis prædispositæ materiæ, materialis deniq; respectu scientiarum & virtutum quæ in illa hærent. Similiter Deus est causa efficiens omnium quia mouet omnia, finalis quia conseruat omnia, formalis omnium [non tamen formalis vt aiunt formans, sed exemplaris] quia omnia à se creata non aliter quam si fuissent præcognouit. Omniũ causarum reciproca est cõmutatio.

Hic diligenter animaduerte [studiose lector] in toto ordine entium vnum duntaxat esse cuius simpliciter est nulla causa, sed hoc est causa reliquorum omnium. Theologi hoc vnum Deum vocant, Arist. quoq; multis in locis Deum, ens primum, primam causam, motorem primum, vltimũ hoc Vna duntaxat causa cuius nulla causa sit, Deus. Li. de Mundo Phys. 8.

Meta. 12. Gen. cap. 1.

loco acquisitum, & tamen primum intentum finem; *α & ω* est, principium & finis, qui solus per se perennis materiã, tempus, mundum, omnia ordine ex nihilo creauit, operaq; 6. dierum verbo miraculose fecit; fecit [inquam] vt Creatorem tui omniumque tua causa factorum in eo religiose coleres. Philosophi viderunt ex volumine lumineq; naturæ hoc vnũ bonũ, idemq; summum appellarunt. Sed eorũ permulti *euanuerunt in cogitationibus suis*. & id ipsum vt summum Deum non coluerunt. Cæterum fides [melior scientia quam est philosophia] aliter nos docuit, nimirum non solum *Deo* credere, sed etiam credere *in Deum*, id est illum præ omnibus diligere & adorare. Sed (Deus bone!) quot hodie viuunt Christiani nomine deteriores philosophis, qui voce affirmant, vita negant Deum?

Rom 1.

Fides melior scientia quã philosophia.

CAP. VIII.

In quo de causis simpliciter & per accidens disseritur.

Causæ per accidens duob. modis dicuntur.

CAusę per accidens dicuntur duobus modis: vel quia per se in opere artis aut naturæ producendo nihil agunt, ad quod tamen perficiendum plurimum conferunt: vel quia in opinione quidem habentur causæ, re tamen causæ non sunt. Priori modo causa *sine qua non* causa efficiens dicitur, vt scala in ædificanda domo, quæ nihil per se agit, confert tamen: posteriori modo casus & fortuna causæ appellantur, quas quidem causas non veras sed spurias ignorantia genuit, aluit imprudentia, temeritas præceps & cæca pertinaciter defendit. Ignorantia (inquam) genuit: nam prudẽtia illas non admittit; vetus enim est illud Philosophi, vbi est plus prudentiæ ibi esse minus fortunæ; quasi dixisset, ad consilium & prudentiam nullo modo admitti fortunã. Sed quid contra fortunam mortalis nunc disputo, quam tot ætates, tot secula vt deam coluerunt? Poeta enim Satyricus ita loquitur.

Casus & fortunę mater ignorantia.

Iuuẽ. Sat. 10.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus (Fortuna) deam cœloq; locamus.

Non muto tempus, non muto personam *nos*, [ingeminabo hoc verbum] *nos facimus fortunam deam, cœloq; locamus*; *nos* [inquã] qui hac ipsa ætate viuimus. Si quid n. de inopinato, si quid præter spem & expectationem nobis cõtin-

tingat, exclamamus statim, *sed te nos facimus fortuna deã, cœloq; locamus.* Sed quid agimus nos Christiani? Deus est; ergo casus non est: diuina prouidentia est; ergo cæca fortuna non est. Argumenta hæc sunt A certissima causa omnium; ideoque negari non debent.

Sed dices, si casus & fortuna non sint veræ causæ, redde rationem cur lupus hanc ouem, non illam ex magno grege raperet? cur fulmen hunc non illum hominem perfoderet & vulneraret? Non tibi parcam in sacris, si casus & fortuna non dominentur, cur Tobiæ piscis in flumine Euphrate occurreret, cuius viscera medicamento patri & vxori futura essent? Cur ædes repentino casu Iob. filios epulantes opprimerent? Hæc & similia infinita sunt, tum in sacris tum in profanis historiis, quæ rotam fortunæ imperantis arguunt? Arguunt quidem, id est condemnant eos qui tam incertam causam fingunt. Nam quamuis cæca ignorãtia hoc idolum colat, prudentia tamen aliam subesse causam, nempe diuinam prouidentiam vere agnoscit.

Tob. 6. 7. & 8.

Iob. 1. 13.

Cæterũ quoniã respectu istius ignorantiæ humanę multa incerta lege contingenter in rerũ natura fiant, quid sit casus, quid fortuna secundũ philosophorũ opinionẽ breuiter dicemus. Casus seu cõtingentia *est modus natura agendi incõstans q nulla fit necessitate.* Versatur autẽ hic modus aut in materia aut in voluntate. In materia ꝑ defectũ, abundantiã, malũq; ordinẽ. Per defectũ vt in monopode, per superabũdantiã vt in tripode, per malũ ordinẽ vt in gibboso homine, cuius partes naturæ ordine non disponuntur. In voluntate, vt cum pictor ille frustra sępe contendisset spumã in ore Bucephali pingere, iratus [iniecta spongia variis colorib. tincta in os imaginis] pulcherrimam spumam finxit. Fortuna aliam à casu definitionem habet, nempe vt sit *causa per accidens, quando aliquid præter efficientis & deliberantis scopũ de repentino, nulla euidenti causa antecedẽti, euenit.* Veteres casum & fortunã hoc modo definiunt, casus *est causa per accidens in raro contingentib. quando præter intentionẽ naturæ agentis, aliquid inopinato contingit.* Vt si lapis ab alto cadens occidat hominẽ. Fortuna etiã est *causa per accidens, quãdo præter intentionẽ & ꝓpositũ, deliberãtib. aliq̃d euenit notabilis* [vt aiunt] *bonitatis vel malitiæ.* Sic auarus aliquãdo

Casus quid.

Casus in materia seu in voluntate versatur.

Fortuna quid

Casus & fortunæ defi itio secundum veteres.

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπε βρόχον, αὐτὰρ ὁ χρυσὸν Ὃν λίπεν οὐχ εὑρὼν ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον. Luc.12.& 20.

Fortunę secundum alios definitio.

cum eat aurum defossum spectaturus, funem quo dignus est, surrepto suo Deo, reperit. Caueāt epulones istius mundi; ne præter spem & expectationem videant manum scribentem hoc in pariete, AVFERETVR REGNVM, vel audiant illud, *Stulte hac nocte repetent tibi animam.*

Sed ad institutum redeo. Fortuna [vt quidam definiunt] est nihil aliud quam *intellectus humanus actionum suarum causa, cui dum ex proposito vnum effectum producere intendit, alius plane diuersus notabilis bonitatis aut malitiæ insperato euenit.* Sic si exempla desideres, Fabricius aratro intentus factus est consul: Sic Cæsar in senatu mali nil suspicans misere transfixus periit; beatus ille, hic vulgo infortunatus dicitur. O cœcam fortunam! quo vertis globum? Vbi figis pedem? O cœcam fortunam dixi? animum & cōsilium nunc muto, O diuinam prouidentiam dico! quæ de stercore erigis pauperem, & diuitem inanem dimittis; non est, non est fortuna, sed prouidentia Dei quæ regit, dirigit, disponit omnia. Latēs & occulta sæpe hæc causa est, sed certa, fixa, definita. Incerta tibi, aut quia non sapis, aut quia non conuenit vt finitus cum sis infiniti agentis consilium scias. Hoc vnum tamen [nisi sis imprudens & inconsideratus] scias, non esse reales has causas quas *casum & fortunam* imperita turba & multitudo mortalium fingit. Nomina ergo [si placet] hæc mecum admittas (vix tamen vt Philosophus Christianus hæc ipsa audio) res vero putes subesse nullas. Imo sic de casu & fortuna agas, vt olim quidam philosophi de *Chimara* & *Quadratura mundi* egerunt. Sunt enim hęc duo [non aliter quam vacuum & infinitum] entia opinione facta, quæ veteres simpliciter phantastica & *putatiua* nominarunt. Verum quoniam vmbra frequenter pro corpore sumi potest, & frons meretricis pro casta virgine aut continente fœmina, dico respectu crassæ ignorantiæ humanæ multa casu & fortuna fieri; non quod casus & fortuna sint veræ & reales causæ, sed quoniam reddi alia non potest in promptu ratio cur hoc vel illo modo latenter & inexpectato fierent. Notatu hoc loco dignum illud est, casum & fortunam in raro contingentib. causas definiri, vbi per aduerbium *raro*, non tam raritatem temporis, quam raritatem sequelæ [vt aiunt] & effectus intelligit Aristot. Nam raro con-

Nomina tantum, non res fortuna & casus.

Qui fit vt casus & fortuna causæ habeantur.

Quid raro in definitione casus & fortunæ significet.

contingit eclipsis solis vel lunæ, est tamen certa & necessaria eiusdem causa, vt manifeste in philosophia constat.

Loca communia Casus & Fortunæ.

Locus primus est A distinctione contingentium; maxima, quod *alia necessario, alia fortuito, alia raro, alia frequēter, eadēq; vel cum deliberatione, vel sine deliberatione cōtingant euenta.* Necessario contingunt, vt *eclipsis solis*: fortuito & frequenter, vt *naufragium*; fortuito & raro vt *cometa & monstrum.* Locus.1.

Alius locus est A subiecto contingentiū; Maxima, quod *subiectum contingentium illis remotis vi sua possit subsistere.* Hæc propositio intelligenda est de accidentibus quæ in substantia insunt. Nam hæc etiam fortuita & contingentia dicuntur. Exempli causa, homo potest esse sine virtute. Locus.2.

Sequitur locus A differentia fortunæ & casus; maxima; quod *fortuna cum deliberatione, casus sine consilio in rebus humanis & naturalibus fiat.* Exemplum fortunæ est, si incidas in amicum cum expectes hostem: exemplum casus est, vt generatio monopodis. Locus.3.

Quartus locus est A cōparatione artis & fortunæ; maxima ex Arist. quod *ars & fortuna versentur circa idem.* Interpretanda est hæc propositio quoad incertitudinē euentorum quæ actiones vtriusq; sequuntur. Fieri enim potest vt artifice intendente vnum aliud eueniat. Ars tamen & fortuna differunt, si illius certa præcepta, huius euenta occulta & incerta spectes. Locus.4. Ars & fortuna circa idem versari qui intelligendū.

Quintus locus est A conditione euentus fortuiti: maxima, *quod euenta fortuita non dicantur nisi sint rara & inexpectata*; ratio est, quia leuiora quæ contingunt vt *offensio pedis*, aut *inuentio auicula* non mereantur nomen *fortuitorum euentuum*, quia non sunt insigniter boni vel mali. Locus 5. Euenta fortuita non dicuntur nisi raro eueniāt.

Sextus locus est A diuisione fortunæ; maxima, *quod fortuna omnis sit bona, mala, vel media*; *bona* vt inopinato fieri regem; *mala* vt de alto cadere statu in miseriā, media vt transilire murum læso pede, & collum non frangere. Locus 6. Fortuna quotuplex.

Ab authoritate Aristotel. proximus locus petitur; maxima, *quòd respectu Dei, vniuersalis natura, rerūq; æternarū, nō sint fortuna & casus*; ratio est quia semper certa est Dei prouidētia, q̄ nihil latet aut fallit; quia certa etiā est vniuer- Locus.7.

salis natura quam prima causa diligit, & quia constans est rerum æternarum status, ordo & cursus quem primus motor posuit. Relinquitur ergo has causas per accidens re non esse causas secundum Aristotelem, sed sola opinione hominum, qui alias causas ignorarunt.

At dices, cur tum docet Philosophus naturę intentionem falli, si nullus naturæ effectus sit casualis, nullus fortuitus? respondeo particularem naturam falli cum generetur mõstrum, vniuersalem autem naturam non falli. Præterea hoc etiam affirmo, casualem aut fortuitum euentum propriè dici cum fiat monstrum respectu solius ignorantiæ humanæ, quæ in indagine latentium causarum fallitur, non respectu naturæ, quæ primæ causæ sceptro & prouidentia regitur.

Natura particularis fallitur in generando monstro, vniuersalis non fallitur.

Quid ergo? an nihil contingens, nihil fortuitum in rerum natura esse existimas? Non sic existimo, contingentia enim multa cum Philosophis prauas opiniones non tenentibus defendo: sed ita defendo, vt eo omnia quæ nobis insperata eueniunt vere existimem fieri Dei consilio & iudicio, quo sapienter disponuntur omnia. Deus enim quæcũq; vult facit, in cœlo, in terra, in mari & in abysso.

De fortuna propria opinio.

Concludam verbo, duasq; sectas philosophorum hoc loco condemno, nimirum Epicureorum & Stoicorum, quorum illi in rebus omnibus humanis casum & fortunam dominari somniarunt, hi fortuitis & contingentibus omnino negatis omnia fato seu ineuitabili necessitate fieri contenderunt. Sed de casu & fortuna hæc sufficiant, de fato nunc pauca adiiciemus.

Epicureorũ & Stoicorum sententiæ.

CAP. IX.

In quo de Fato & Necessitate.

Fati definitio.

RES omnium cognitu difficilima est fatum apud Philosophos. Sed ambagibus relictis illud definio esse *perpetuum ordinem, & rerum ex sese contextam consertamq; seriem.* Multi *necessariam connexionem*, nonnulli *confluentiam causarum cum effectu* recte appellarunt. Aliæ fati sunt traditæ definitiones, eædemq; inter se diuisæ, prout opiniones hominum de eo litigantium sunt distractæ; qui vero accuratius rem hanc considerant, etsi aliis verbis quam Aristoteles, non tamen alio sensu definiunt. Nam cum dicant fatum esse *ineuitabilem necessitatem in conceptione partusq;*

na-

natura producendi effectum; aut cum describant *illud esse diuinam, occultam, necessariam causam cum aliis causis cōcurrentem in procreandis naturalib. effectis*; aut cum affirment id esse nihil aliud quam *diuinam prouidentiam velut effusam in omnia quæ fiunt*; vel denique cum aiunt esse *sempiternum nexum & veluti auream catenam causarum cum causis à qua omnia pendent*: idem re certe cum Aristotele concludunt, fatum esse *ordinem seriemq;*, vt supra.

Non hic nego esse quidem distinctionem aliquam inter *fatum*, quod Philosophus definit, & *prouidentiā Dei* si metaphysice prouidentia diuina consideretur. Verum enimuero si ꝓuidentia Dei pro perpetuo ordine & dispositione causarum naturalium & effectuum sumatur, discriminis parum inter vtrumq; existit; necessarius enim hic nexus ordoque fluens à Deo, & in causis rerū effectaq; influens, fatum hoc loco vel diuina prouidentia recte dicatur. Sed breuitati studeo, omitto reliqua, solum exemplum addam. Contemplare mecum primum mobile diuina lege perpetuo circumuolutum; vide ornatum, disce aspectum reliquorum orbiū, motum, ortum & influentiam considera, nota imperium, descende mecum ordine ad ignem, aerem, aquā & centrū; intuere in illis mille & vicissitudines & mutationes rerum quæ aliter naturæ cursu fieri non possunt. Vides nunc seriē, ordinem & catenam rerum: hæc vnio lex est diuina, hæc lex diuina fatum est ꝙ dissolui non potest. Sic enim causę causis subordinantur, earum sic sibi inuicem subiectarū & agētium connexio & ordo fatum est; non illud poeticum Parcarum pensum & filum, sed velum naturæ, quo omnia effecta sua secundis veluti auris in portum trahit. Prouidentia Dei & fatum quomodo differant.

Definito iā fato, q̄ritur ꝓxime quid sit necessitas. Omissis verbis, necessitas non est ipsum fatū, sed *modus in causis naturalib. agendi necessario*. Aliud ergo est *fatū*, aliud *causa*, aliud *agendi modus*. Fatū est *cōnexio causarū*, causa est *ex qua elicitur effectus*, modus est *species vel ratio actionis*, vel vt quibusdā placet *vis & potentia cōnexionis naturalis. Naturalis* [inquā] vt est in reb. *metaphysica* vero & diuina vt est in Deo. Esto igitur, necessitas est *modus agendi in reb. naturalib.*: hoc modo magnes nō potest non ferrū attrahere, sol non potest non illuminare, ignis non potest non calfacere. Necessitas quid.

Necessitas quomodo absoluta, quomodo conditionata.

Sed attende (studiose lector) hanc necessitatem seu modum agendi naturalem non esse tam immutabilẽ, quin Dei nutu mutari possit, vt sacræ historiæ vbiq; docent. Necessitas ergo hæc est & absoluta, & etiã secundũ quid seu conditionata, vt aiunt; absoluta si naturã, conditionata si primam causam spectes. Absoluta [inquã] si naturam spectes, quippe secundum ordinem naturæ lex ista perpetua est & immutabilis: prima tamen causa non esset prima, non esset infinita, nõ esset libera, si semper naturali necessitati alligata & astricta ageret. Necessitas ergo in illa libertas est, vt agat vel non agat pro libero imperio & voluntate. Sed plura de fato & necessitate in commentariis meis Physicorum lege.

Loca communia inuentionis de Fato.

Locus. 1. Primus locus A definitione fati suum nomen trahit; maxima, quod ***omnia quæ fiunt fato, necessario fiant***; ratio est, quoniam fatum est ***necessaria confluentia causarũ, quã ordo seriesq; rerum naturalium effectarum sequitur.***

Locus. 2. Alter locus ducitur A contrario sensu; maxima, ***quod actiones voluntatis humanæ non sint fatales***; ratio est quia secundum Philosophum in Ethicis voluntas est libera, nullaq; ineuitabili necessitate coacta; intelligenda ergo est definitio fati & fatalis necessitatis solum de agentibus causis naturaliter, non de intelligentiis & hominibus, quibus primus motor motum animi voluntarium vltra sortem communis naturæ dedit. Nam vt intelligentia & voluntas res non sunt simpliciter naturales; ita aliquid excellentius natura, id est immortalitatem essentiæ, & libertatem voluntatis habent. Sic tamen homo in hoc carcere lapsus habet, vt sine gratia nihil ex se bene, nihil boni faciat. Sed aduerte quod prouidentia diuina voluntatem humanam flectat, non cogat; ratio est, quoniam in ea veluti sub cineribus scintilla libertatis inest, quę diuino spiritu excitata vehemẽtius ardeat.

Diuina prouidentia flectit, nõ cogit.

Locus. 3. Tertius locus deductus est A potentia fati; maxima, ***quod in multis occulta & mirabilia fato naturali fiant***; ratio est, quoniam diuina prouidentia sub nomine *fati* latet, quæ sæpe, ne natura patiatur iniuriã, miranda facit: vt ne admittatur vacuũ, contra ordinẽ naturæ ignẽ elementorũ leuissimũ deorsum, terrã corporum grauissimũ sursum volare cogit.

Quar-

Quartus locus naturam fati astrologici definit; maxima est, ***quod astra fatalem necessitatem rebus inferioribus imponat***; ratio est, quoniã cœlestis motus est vniformis, & influentia syderum quoad naturam certa & indubitata. Sed obserua hanc maximam interpretandam esse de necessitate quoad materiam & formam physicam seu naturalem, non quoad formam metaphysicam seu humanam, in quam cœlum nihil nisi ex consequenti agit. Ex consequenti dico & mediate, quia primum agit in partes corporis, tum in humores, hinc in affectus, & postremo si animus corpori, humoribus & affectibus mancipetur, in ipsum flectendo, non imprimendo necessitatem agit.

Locus 4. **Astra cur necessitatem rebus inferioribus imponãt & quomodo.**

At dices, hæc Ptolomæo aliisque Astrologis contradicũt, qui affirmant hominum voluntates, respub. ciuitates, imperia, omniaque mutabilia à syderum aspectu dependere. Imo addunt vitam, mortem, bellum, pacem, religionem, regna hinc vicissitudines habere suas. Audio istorum errores, nec non cum maioribus penitus condemno, nisi id argumentis confirment quod frequenter vrgeant, nimirum ***Deum alligari istis secundis causis, aut saltem illis vt instrumentis necessario vti***, in conditionibus rerum humanarum commutandis, aut denique illas insitas esse vires, vt vim in mentem humanam necessario imprimant. Habuerunt Assyrii, habuerunt Persæ, habuerũt Romani certas suorum imperiorum periodos, sed non à stellis; translata est religio à Iudæis ad Gentes, id stellis non efficientibus.

Mentes hominum & voluntates non formant, non mutant stellæ, nec stellis assidentes dæmones vt somniant; non sunt stellæ animalia æterna, diuina, suaque virtute infinita, vt delirãt. Sub aspectu Iouis ascendentis nati non sunt perpetuo fortunati, Solis faustus aspectus honorificos non facit, Veneris radiosa frons in vlnis furiosi Martis bellicosos non reddit, terram bellis non vastat Saturni cum Marte malitiosa coniunctio, Igneorum syderum concursus nõ incendit, Aqueorũ confluxus non immergit. Quid multis? octogesimus octauus annus mirabilis ille, de quo tot augurum, aruspicum, coniectorum somnia, tot Astrologorum diuinationes & oracula fuerunt edita, refellit omnes, refellit omnia vberius & copiosius.

Astrologorũ deliria.

Hanc

Hanc rem (studiose lector) iam tracto, quoniam aures vbique gentium apertas nunc video Ptolomæi tabulis. Merlini fabulis, vanissimisque insomniis cupide audiendis: Deus est in cœlo qui mouet, qui regit, mutat omnia; non cœlum, non stellæ, non vtriusque motus & influentia. Agnosco tamen fatum esse in his, id est nexum, ordinem & seriem naturalium causarum: nam cœlum, stellæ & vtriusque aspectus naturaliter mouent, regunt, mutant inferiora; sed ita mouent, regunt, mutant, vt sursum sit causa sapientissima quæ dominetur astris. Mouet cœlum minorem mundi globulum, mouet etiam minorem mundum, id est hominē, affectus in illo varios variosque humores gignit: mentem autem diuinam illam partē hominis directe non mouet, quia medio quo moueret naturali caret, si quidem corpus in spiritum directe & naturaliter non agit. Dum vero est in hoc carcere inclusus, eundem flectit; flectit (inquam) non ei imponit necessitatem; quia omnes fere sensus & affectus, non mentis imperium sequimur.

Quomodo mouent, regunt & mutant stellæ.

At agit (inquis) spiritus, agit Deus; non nego. Est ergo fatalis necessitas humanarum actionum; nam Deus regit mētem, regit voluntatem. Regit quidem, vt nihil agat homo, vel non agat contra illius potentiam; sed hominem finxit simillimum mente sibi, eumque noluit fatali necessitate cogi aut coerceri. Si quid boni agat à summo bono habet, si quid mali, sibi ipsi acceptum ferat, qui malum declinare noluit. Si viuas saluus salus est à Deo, si pereas, ne dicas cū Stoico *fato perii*; necessitas absoluta non impulit, cōditionata permisit, vt male si teipsum perdas, malus pereas; nā quoties te volui congregare? sed noluisti: velle tuum simpliciter non est, sed est nolle tuum, *salus tua ex me, perditio ex te o Israel.*

Regit mētem humanam, & voluntatem Deus qualiter.

Ose. 11. 9.

Superest locus A necessitate, quæ est modus agendi in necessariis; maxima, *quod necessaria sit & cōnexio causarū, & necessaria etiam effectuum consecutio.* Hęc propositio intelligenda est de confluentia causarum naturalium, quæ actu vnitæ necessario suum effectum pariunt. Verum quoniam naturales causæ non proprie, per se & immediate in mētem & voluntatem humanam agant, mentis & voluntatis actiones liberæ dicuntur, non necessariæ, id est non coactæ; notę tamen sunt & præuisæ primæ causæ, quam nihil omnino latet.

Locus à necessit. te.

Mentis actiones & volūtatis cur liberæ dicantur.

tet. Sed hæc præcognitio non est causa necessitatis, quippe nō hoc vel illud necessario agit homo quoniam præscit Deus; præscientia enim Dei est vniuersalis præcognitio futuri, non fatalis necessitas impulsioque facti. Dei præscientia qualis.

Sed grauissimis hæc theologis relinquo, qui de electione nostra ante iacta fundamenta mundi, de prædestinatione & reprobatione sobrie & sapienter disputant. Solum te hoc loco (iuuenis philosophe) monendum esse censeo, ne sis in hac quæstione Stoicus, ne sis Epicurus; hoc est ne sis nimis curiosus aut dissolutus; aliquid enim diuinum in hoc nomine *fati* latet, quod sapientes plerumque exclamare cogit *O altitudinem & profunditatem sapiētiæ Dei*! Sape igitur ad sobrietatem; nam qui abyssum fodit, gurgite vertigineque absorptus facile non emergit. Rom 9. Lege D. Aug. l.5. de Ciuit. cap 10.

CAPVT X.

De motu in genere, & de requisitis ad motum & illius distinctionem.

PRincipiis & causis rerum naturalium tam internis quā externis breuiter à me demonstratis, sequitur nunc vt agam paucis de effectibus & adiunctis naturæ. Et quoniam motus in definitione naturæ potius est primum instrumentum & veluti dextra manus qua natura vtitur in apprehendendis formis, rebusque omnibus commutandis, de motu in primis agam.

Hoc nomen *motus* multiplex & ęquiuocum est, quod nō in vno sed in multis prædicamentis ponitur. Est enim in Substantia, Quantitate, Qualitate & Vbi. Cæterum distinctione eiusdem tradita fieri potest vniuocum, iuxta illud quod dici solet *æquiuocum distinctum fit vniuocum*. Omissis ergo verbis, omnis motus est vel Metaphysicus, vel Physicus seu naturalis. Metaphysicus extra aleas viresque naturæ est, quia materiam nullam subiectam habet, vt *creatio*, & *in nihilum* commutatio, quæ vulgo *annihilatio* dicitur. Motus physicus sumitur aut absolute aut analogice; absolute pro reali progressione naturæ à termino ad terminum, vt in *nutritione ab alimento in substantiam aliti*; analogice pro in- Motus nomē multiplex & æquiuocum. Æquiuocum distinctum fit vniuocum. Motus distinctio. Motus physicus bifariam sumptus.

tentionali mutatione sensuum, quæ per abstractas species inter sensus & obiecta oritur. Absolute sumptus motus definitur metaphysice *instrumentum primum manusque naturæ qua apprehendit formas*; definitur autem physice, *actus entis mobilis in potentia quatenus fiat tale*. Est *actus* inchoatus non perfectus; nam actus perfectus forma est non motus. Est *actus entis* realis non intentionalis; *est actus entis mobilis*, & non sub forma quiescentis; nam acquisita forma motus quiescit. Est *actus entis mobilis in potentia*, id est in potentia propinqua quæ reducitur ad actum, non in remota quæ raro terminum acquirit. Est *actus entis mobilis in potētia quatenus fiat tale*, id est quatenus ens mobile (quod est proximum subiectum motus) hanc vel illam formam induat. Sunt aliæ definitiones motus, nempe quod sit *progressio rei mobilis à termino ad terminum*, quod sit *actiua potentia natura qua acquiritur forma*, quod sit *primus gradus perfectionis naturalis*, quod sit *imperfecta perfectio mobilis in potentia*; nā absoluta perfectio forma est, & ex parte motus quo ad formam vehitur.

Variæ definitiones motus.

Assignata definitione sequitur enumeratio eorum quæ requirūtur ad motū. Requiruntur quidē ad motum mouēs, mobile, tēpus, terminus *à quo* & terminus *ad quem*. Mouēs physicum est aut metaphysicum, hoc nempe metaphysicum prima causa dicitur, quam Deum & primum motorem appellat Philosophus: Deum quia videt omnia, motorem quia mouet omnia. Illud nempe mouens physicum natura, potentia, efficiens, finis diuerso respectu dicitur. Natura, quæ est principium motus; potentia, qua materia appetit formā; efficiens causa, quæ ipsam potentiam mouet; finis primum intentus, qui efficiētem causam vrget, vt segnem materiam primam in mera potētia positam ad formam acquirendam incitet: natura & potentia primæ materiæ interna, efficiens & finis externa mouentia sunt & appellantur. Vt mouens, ita mobile ad motū requiritur; est enim motus actus mobilis, & mobile definitur proprium subiectum motus; at accidens sine subiecto esse non potest: non est ergo motus sine mobili.

Ad motum requisita quæ.

Qui definiūt mobile aiunt *ens rei esse, quod ad aliud naturæ vi mutatum tendit*: vt *ouum* ad formam *pulli*, *granum sepul-*

Mobilis definitio.

sepultum in terra ad formam *plantæ*, *embryo* in vtero *ad formam hominis*. Tempus est *mensura motus*: necessario ergo requiritur ad motum tempus; mobile enim ad terminum suum in instanti non fertur, hinc *successiuum* propria passio motus dicitur, quippe illius partes simul actu esse non possunt. Terminus *à quo est vnde incipit motus*, terminus *ad quem vbi desinit*; duo enim extrema sunt, principium *à quo* & finis *quo* tendit motus: ad motum ergo requiruntur.

Tẽpus quid.

Terminus à quo qualis.

Terminus ad quem.

Restat vt de diuisione motus paucula attexam. Diuiditur omnis motus in internum & externum. Internus aut respicit formam in substantia quę de nouo acquiritur, *vt generatio*, aut quæ deperditur, vt *corruptio*. Externus motus respicit aut qualitatem in qua alteratio, aut quantitatem in qua *augmentatio* & *diminutio*, aut vbi in quo *loci mutatio* ponitur. Alteratio duplex est, impropria vt alteratio animi per species intentionales rerum, propria cum sit realis contrariorum in eodem lucta & concertatio, quæ lucta fit aut pluribus aut paucioribus gradibus qualitatis; si pluribus *intensio*, si paucioribus *remissio* qualitatis dicitur. Vt qualitatem motus respicit, vnde *alteratio*, eiusdemque species *intensio* & *remissio*: ita quantitatem quoque respicit, vnde *augmentatio* & *diminutio* oriuntur. Sed attende quod respiciat quãtitatem quoad *maius* vel quoad *minus*. Quoad maius duobus modis, aut per ingressum alicuius substantiæ, vt in *augmẽtatione propria*, vel per ingressum nullius substantiæ, vt in *rarefactione*. Est enim augmẽtatio cum admixta sit alia substantia, vt in *spongia aqua repleta*, & *in corpore alimento naturaliter aucto*; est rarefactio nulla alia admixta materia, vt in *ebullitione lactis* cernitur, vbi parum materiæ multum extenditur. Si vero hic motus fiat ad minus, fit etiam duobus modis aut per egressum alicuius substantiæ, vt in compressione spongiæ cum effluat aqua, & sic *diminutio*: aut per egressum nullius substãtiæ, vt in constrictione gelu, quę proprie *condensatio* dicitur. Est enim condensatio *cum sub parua quantitate multum lateat materia, quæ intus compacta parum extenditur*. Postremus respectus ipsius motus est in Vbi, vnde loci commutatio suum nomen trahit. Hic vero motus est vel in principio, vt *motus cœli in potẽtia primi motoris*: vel in naturali exitu & loco, vt *motus ignis in sua sphæ-*

Motus diuisio.

Alteratio duplex.

Condensatio quando fiat.

ra. Hactenus generatim de motu, de requisitis ad motum, & eiusdem generali diuisione.

Loca communia à generali consideratione & natura motus.

Locus 1. Primus locus est A subiecto motus; maxima, quod *omnis motus sit in mouente vt in principio, in mobili vt in subiecto proprio.* Ratio est, quoniam in subiecto completo, vt in *pullo* cessat motus: est enim motus via naturę ad formam, qua acquisita mobile perficitur, motusque quiescit, donec priuatio eandem formam acquisitam sustulerit, materiamque compellat ad nouam formam acquirendam.

Locus 2. Alter locus est A necessitate motus; maxima, *quod ignorato motu ignoretur natura*: ratio est, quoniam motus est in definitione naturæ loco differentiæ, aut primæ passionis à qua nostra cognitio oritur.

Locus 3. Tertius locus est A quãtitate motus; maxima, *quod omnis motus sit continuus & infinitus.* Continuus, quoniam illius partes copulantur ad *mutatum esse* in re omni mutabili; infinitus, non actu sed potentia, non secundum eiusdem diuisionis & quantitatis, sed secundum partes eiusdem proportionis. Est enim omne continuum diuisibile in infinitas partes proportionales vt aiunt, iuxta illud ꝙ dici solet, in *quantitate continua non licet inuenire minimum, in quantitate discreta non licet inuenire maximum.*

Locus 4. Motus & quies opponuntur priuatiue. Quartus locus ducitur A contrario; maxima, *quod motus & quies opponantur.* Hanc maximam intellige priuatiue; nam quies est priuatio motus.

Locus 5. Omnis motus à cõtrario in cõtrarium quomodo dicatur. Quintus locus est A proprietate motus; maxima, quod *omnis motus sit à contrario in contrarium*, id est à termino *à quo* ad terminũ *ad quem* per medium in progressione mobilis ad finem.

Locus 6. Sextus est A mensura motus; maxima, quod *omnis motus in tempore fiat successiue, nullusque omnino in instante*: ratio est, quia successiuum est differẽtia motus quæ nunquam in instanti contingit.

Locus 7. Septimus est A medio termino motus; maxima, ꝙ *mutatum esse sit in motu medium, vt instans in tempore.* Illius enim partes ad illud, vt huius ad hoc vniuntur.

Locus 8. Octauus est Ab interitu subiecti; maxima, *quod sublato corpore*

corpore tollatur motus. Intelligenda est hæc propositio de motu physico & naturali; nam angeli & intelligentiæ definitiue & spirituali motu cientur.

Nonus locus est Ab vnitate motus; maxima, *quod omnis motus dicatur vnus & cõtinuus, qui vnitate forma, mobilis & temporis coniungitur.* Formæ, nempe vt sit vnus numero terminus, hinc *calefactio* & *frigefactio* nõ sunt vnus numero motus, quia nõ est vnus numero terminus; nec *dua calefactiones* sunt vnus motus, quia non est idem numero calor. Mobilis, quia requiritur vt mobile sit per totũ tempus ipsius motus vnũ, cuius defectu *motus lapidis* & *ferri* non est vnus, quamuis vtrumque ab eodem agente moueatur. Temporis, quoniã si fiat interruptio idẽ numero nõ est motus, cessatio enim & quies motus indiuiduam vnitatem negant. Locus 9.

Decimus est A partibus motus; maxima, *quod omnis motus habeat partes & medium*; id est in omni motu assignari possint priores & posteriores partes, quæ necessario copulatæ sunt ad *mutatum esse*, cuius medii in omni motu mensura instans est. Nam licet motus ipse non sit nisi in tempore, *mutatum* tamen *esse* in instanti fiat. Locus 10.

Vndecimus est A comparatione mobilis cum motu; maxima, quod *quicquid mouetur ab alio mouetur, quodque in motu dici non possit primum.* Ratio prioris partis in hac propositione est, quoniam vt est internum principium motus, videlicet natura: ita est externa causa eiusdem, nempe efficiens, quæ extrinsecus vim addit mobili. Ratio secundæ partis est quoniam motus est semper continuus & diuisibilis: primum ergo instans in quo motus insit dari non potest, si motum in specie spectes. Locus 11.

Vltimus locue est A comparatione motus cum terminis; maxima, ꝙ *mobile ratione motus partim in termino* à quo, *& partim in termino ad quem*, id est partim actu, partim potentia existat, vt in omni genere motus videre licet.

CAPVT XI.

De singulis speciebus & proprietatibus motus.

CONstat generatim quid sit motus, & q̃ ad motũ requirantur; superest vt nũc species eiusdẽ definiantur, carũ-

que ordine aſſignentur proprietates. Non placet Ariſtoteli *ortum interitumque* inter motus ſpecies repetere; ratio duplex eſt, quia in inſtanti fiunt, & quia vtriuſque termini entia non habentur. Ducitur enim *generatio* à non ente, & in non ens dilabitur *corruptio*. Cæterum cum vtraque ſpecies aut progreſſiue (vt aiunt) in tempore, aut perfectiue in inſtanti ſumatur: priori modo vtramque acceptam paucis definiã.

Cur ortus & [illegible]itus in- [illegible] ecies [illegible] enn- [illegible] r. Generatio quid.

Eſt ergo generatio *progreſſio ſeu motus mobilis à nõ ente ad ens*. Per *non ens* non ſimpliciter nihil, ſed *non ens tale* quale futurum eſt mobile per motum: per *ens* formam in ſubſtãtia acquirendam intelligo. Sic cum generetur *ignis* aut *terra*, materia prima *non ens*; cum abſoluatur generatio, forma acquiſita *ens* proprie dicitur. Attende etiam quod generatio dicatur à non ente procedere, quia à *priuatione, quæ eſt principium generationis, non re genita* auſpicatur. Similiter corruptio in priuationem, id eſt in *non ens* forma ſublata deſinit. Hinc corruptio *eſt progreſſio ſeu motus mobilis ab ente ad non ens tale*, vt ab *homine* ad *cadauer*. Nota quod duplex ſit generatio, & itidem corruptio duplex, ſimplex & propria in Subſtantia, cum de nouo acquiratur vel deperdatur forma eſſentialis; ſecũdum quid (vt aiunt) & impropria, cum accidens aliquod generetur aut corrumpatur. Proprie enim & per ſe generatio & corruptio ſunt in ſubſtantiis, impropriè vero in accidentibus, quæ ſuum ortum & occaſum habent.

Corruptio quid.
Generatio duplex.
Corruptio duplex.

Præter has internas ſpecies aliæ quatuor ſunt, quarũ duæ in Quantitate vt *augmentatio, diminutio*, vna in Qualitate vt *alteratio*, vltima in Vbi vt *loci mutatio*. Augmentatio definitur *praexiſtentis quantitatis per ingreſſum alicuius rei* (vt ita loquar) *maioratio*. Hoc quidem in nutritione *infantis* & *plantæ* creſcentis manifeſte cernitur, quorum quantitas naturæ vi auctior ampliorque redditur, hoc eſt cùm alimentum in naturam aliti conuerſum per generationem totius & ſingularum partium menſuram auget, quod ſemper fit donec vegetantia ad conſiſtentem ætatem peruenerint. Diminutio eſt *maioris quãtitatis ſine alicuius ingreſſu minoratio ſeu decretio*; vt poſt conſiſtentem ætatem in homine euidenter videre licet, quando viribus ſpiritibuſque vitæ languеſcẽtibus flos iuuẽtutis cadit, & autumnus ſenectę tabeſcen-

Diminutio quid.

bescentis incipit. Animaduertendum hic est augmentationem & diminutionem bifariam sumi, aut proprie, cum vi naturæ fiant vt supra, aut improprie, quando arte aut alio præternaturali modo contingant; sic augmentatio in tumoribus ex vulnere, sic diminutio in hecticis febribus ex nimio calore cernitur. Huc spectant rarefactio & condensatio; rarefactio est cum modica materia vel substantia multum sit extensa, sine ingressu alterius substantiæ, vt in *aqua ebulliente*; condensatio est cum copiosa substantia seu materia sub parua quantitate delitescens parum extenditur, vt *in aqua concreta gelu*. Rarefactio analogice ad augmentationem, condensatio ad diminutionem refertur; est enim rarefactio (vt ita loquar) *quadam maioratio*; condensatio vero *quadam minoratio quantitatis, vna cum loci extensione aut compressione*.

Augmentatio & diminutio bifariam sumuntur.

Rarefactio quid.

Condensatio quid.

Alteratio quinta species motus est quoque duplex, propria & impropria; illa est motus naturalis per gradus ab vna contraria qualitate ad contrariam, in eodem subiecto capaci vtriusque, vt *à calido* in *frigidum*, ab *humido* in *siccum*; impropria alteratio est inter eas qualitates, quæ naturaliter non agunt, non patiuntur, vt inter qualitates aliorum generum à tertio in prædicamento Qualitatis: in tertio enim solum genere sunt proprie actiuæ & passiuæ qualitates, quæ in primas & secundas diuiduntur; primæ sunt *vt calor, frigus, humiditas & siccitas*, in *igne, aqua, aere & terra*; secundæ sunt *vt rarum, densum, leue, asperum*, coloresque omnes qui ex primis oriuntur. Notandũ hic est quod alteratio propria fiat per gradus in agendo & patiendo; hi vero gradus sunt vel plures vnde *intensio*, vel pauciores vnde *remissio*, analogicę species alterationis oriuntur. Est enim intensio *alteratio, cum agens qualitas in subiecto vires patientis qualitatis superet*, quod in *aqua calescente* fit: remissio vero *cum qualitas gradibus intẽsionis diminutis redit ad propriam vim & naturam suam*, vt in *aqua refrigescente* igne sublato cernitur.

Alteratio duplex.

In tertio genere qualitatis actiuæ & passiuæ qualitates tãtum reperiuntur.

Postrema species motus *loci commutatio est*, quæ definitur proprie *mutatio alicuius de loco in locum*. Hunc motum diuidunt aliqui in rectum, orbicum & mixtum; rectus est *elementorum*, orbicus *cælestium corporum*, mixtus *animali-*

Intensio & remissio analogicæ species alterationis sunt.

um. Aliqui etiam eundem distribuunt in violentum, animalem, naturalem. Violentus motus est ab extrinseco principio, passo vim nō conferente, id est, mobili nullam inclinationem ad illum naturaliter habente, imo quantum in se est resistente. Sic motus *lapidis* sursum violentus est, causa aliqua externa lapidi vim imprimente; quæ vis impetus, qui impetus virtus impressa impellentis dicitur, quæ virtus languescens tardiorem in fine quam in principio motum violentum reddit. Hinc illud, *motus naturalis est velocior in fine, quia vires mouendo acquirit; violentus autem tardior quia vires in principio impressas mouendo tandem penitus amittit.* Naturalis motus est cuius principium internum est in re mobili, per *principium internum* naturā intellige; vel est à principio intrinseco passo vim cōferēte, id est re mobili inclinationem habente ad talem mutationem; hic motus est, (vt modo diximus) remissus in principio & intensus in fine. Animalis denique motus est cuius principium intra se est anima, quæ qualemcunque cognitionē rei obiectæ mouentis habet; *sic bellua sensu & phantasia, sic homo voluntate & intellectu* mouetur. Ex his constat animalem motū mixtum & medium esse inter violentum & naturalem, quia ex principio intrinseco constat vt naturalis, passo vim non conferente vt violentus; differt autem ab vtroque, quia & in principio & in fine tardus, in medio intensus & velox existit. In principio enim plerumque animal viribus nondum satis excitatis admodum tardiuscule, in fine etiam spiritib' propemodū exhaustis segniter mouetur, in medio autem cursu viribus auctis & valentibus citatius celeriusque rapitur.

Naturalis motus qualis.

Animalis motus qualis.

Motus violēti species.

Pergamus; singula hæc genera motus localis suas partes & species habent, nam violentus motus in *pulsionem, tractionem & vectionem* diuiditur. Pulsio est *motus quo aliquid à se propellit, & non adhæret*; sic *telum* aut *balista mouere* dicitur motu pulsionis. Tractio *est motus quo aliquid aliud ad se trahit*, vt *adamas ferrum.* Vectio est *motus per accidens quo aliquid quiescens mouetur, vt homo in naui.* Huc referuntur analogice *impulsio* qualis est motus *claui infixi malleolo*; *appulsio*, qualis est motus *sagittæ ex arcu*; *rotatio*, qualis est motus *rotæ* ex pulsione & tractione constans. Sed hæc de violento motu satis.

Pulsio quid.

Tractio quid.

Vectio quid.

Motus

Motus naturalis (vt antea demonstraui) diuisus est in *rectum, orbicum & mixtum*. Rectus est *sursum* aut *deorsum*, idque duobus modis *sursum*, aut *simpliciter*, vt *motus ignis*, aut *secundum quid*, seu ex parte, vt *motus aeris*. *Deorsum* itidem aut *absolute*, vt motus *terræ*, aut *comparate* vt motus *aquæ, quæ* propter salutem animantium in canalibus terræ continetur. Orbicularis motus est *conuersio corporis ab eodem puncto ad idem*; hic autem motus est vel *secundum totum*, vel *secundum partes*: secundum totum, sic *orbes planetarum* mouentur, inter quos superior orbis est locus inferiori: secũdum partes, sic *cælum primum mobile* cietur, quia vna pars alteri in motu loc⁹ habetur. Qui vero de motu primi mobilis accuratius philosophantur, affirmant quidem causam motionis in illo triplicem esse; *formam internam* quæ est maxime actiua, *figuram externam* quæ est ad talem motum aptissima, *potentiam mouentis* quæ est infinita, quæque sola potest sine loco naturali corpus primum mouere. Mixtus motus *motus animalis est*, qui respicit omnes differentias loci, nimirum *sursum, deorsum, ante, pone, dextrum* & *sinistrum*. Hic motus animalis *ex parte* non *simpliciter* naturalis dicitur, qui est quodammodo in omni animali, maxime vero in homine voluntarius. Species huius motus quatuor sunt, *gressus, volatus, natatio* & *reptatio*. *Gressus* est cum animal *pedibus incedit*, *volatus* cum *alis innixum in aerem fertur*, *natatio* cum *pinnis aqua innatat*, *reptatio cum corporis constrictione & dilatatione super terram mouetur*: huc reuocatur motus ille *dilationis* qui in conchis affixis suis locis cernitur. Et hæc de motu in specie; sequuntur loca inuentionis, in quibus propria eiusdem enucleatius demonstrantur.

Motus naturalis species.

Motus orbicus quid.

Triplex causa motionis assignata in primo mobili.

Motus mixtus.

Motus animalis in omni animali, maxime vero in homine voluntarius.

CAPVT XII.

In quo loca communia differendi de Motus speciebus ordine tractantur, & primum de Generatione.

DVcitur primus loc⁹ A relatis; maxima, ꝙ *motus, mobile & mouẽs sint relatiue simul*: ratio est, quia mouẽs nõ

Locus 1.

est sine mobili, & mobile non est sine motu. Hæc maxima intelligenda est quoad actum, in quo simul considerentur hæc tria.

Locus 2. Alter locus est A partibus seu adiũctis ipsius motus, nempe ab actione & passione; maxima, *quod actio & passio sint realiter vnus idemque motus*: ratio est, quoniam sunt idem actus quem agens agendo (vt ita loquar) causat, & quem mobile patiendo recipit, vt paret in igne calefaciente aquam. Vt enim est idem spacium ascendentis & descendentis, eademque via Thebis Athenas, & Athenis Thebas: ita mouentis & mobilis vnus est actus, non re sed solum ratione distinctus.

Locus 3. Tertius locus est A proprietatibus, vel vt quidam volunt A speciebus motus; maxima, *quod omnis motus sit velox aut tardus*; ratio est, quia omnis motus tempore breui aut longo mensuratur. Est enim velocitas motus qui breui: tarditas vero est motus qui longiore tempore conficitur.

Velocitas & tarditas.

Locus 4. Sequuntur iam loca de speciebus motus; primus A speciali proprietate generationis petitur; maxima, *quod generatio vnius sit corruptio alterius*; ratio est, quoniam generatio à priuatione incipit, quę semper præeuntem corruptionem arguit.

Locus 5. Secundus est A diuisione generationis; maxima, ꝙ *omnis generatio sit simplex vel mixta*; ad illam formæ cum materia vnio, ad hanc accidentium accessio requiritur.

Locus 6. Tertius ab oppositis; maxima, *si generatio alicuius rei sit bona, res ipsa erit bona, eiusdemq; corruptio mala*: quæ maxima intelligẽda est in eodem genere boni aut mali, vt Dialectici docent. Exẽpli causa, si generatio *Socratis* sit *bona* naturaliter, *Socrates* ipse erit *bonus* effectus naturæ, cuius *interitus* ex consequenti *malus* erit, quia *bonum* opus naturæ tollit. Cæterum si mutes genus boni aut mali, ratio non tenet; quia non sequitur, Socratis generatio est bona *naturaliter*: ergo Socrates est bonus *moribus*, aut illius corruptio est mala *si animi dona spectes*.

Forma differendi a Corruptione.

Locus 1. Primus locus est A distinctione *corruptionis*; maxima, ꝙ *omnis corruptio sit naturalis aut violenta*: naturalis est cum per motum naturalẽ priuatione insita declinet forma, vt *in*

Corruptio duplex.

decrepita ætate hominis videre licet; violenta est cum ante defectionem naturalem externa vi res ipsa tollatur.

Alter locus est A subiecto & proprio corruptionis; maxima. *quod quicquid corrumpitur à contrario corrumpatur*, ratio est, quia actio & passio sunt inter se contraria. Locus 2.

Tertius locus est A modo corruptionis; maxima, *quod omnis corruptio fit in non ens, nulla tamen in nihilum.* Intelligenda est hæc propositio quoad vim naturæ, quæ semper in transmutatione rerum materiam relinquit. Locus 3.

Quartus A fine corruptionis, nempe *quod finis corruptionis reiq; naturalis corruptæ sit putredo aut putrefactio*; hæc maxima interpretanda est de corpore naturali, quod deficiente calore naturali in putrefactionē, sublato autem & penitus extincto calore in putredinem tendit. Hic nota discrimen inter putredinem & putrefactionem hoc esse, *quod putrefactio sit consumptio caloris reiicto humido*, vt in proiecto cadauere: *putredo autem sit consumptio caloris, tum etiam humoris*, vt scheleton *humanum docet*, cum caro, musculi, nerui & humores in cinerem commutentur. Locus 4. Finis corruptionis quis. Discrimē inter putredinē & putrefactionem.

Forma disserendi ab Augmentatione & Diminutione.

Primus locus est A principio & causa augmētationis propriè; maxima, *quod anima sit primaria, calor naturalis minus primaria seu instrumentalis causa tum nutritionis, tum augmentationis*; ratio est, quia nutritio & augmētatio proprie sint solum in animatis, in quibus anima motus principium, calor instrumentum dicitur. Locus 1. Calor instrumentum nutritionis.

Secūdus locus est A differentia nutritionis & augmentationis; maxima, *quod nutritio ad substantiæ restaurationē, augmētatio ad iustam quantitatis proportionem referatur.* Hinc illud *Quicquid augescit nutritur, sed quicquid nutritur non augescit.* Senes enim nutriuntur, sed non augentur. Locus 2.

Tertius locus est A proportione & cognatione augmentationis & nutritionis; maxima, *quod nutritio & augmentatio in principio* vz. anima, *& instrumento* vz calore, *& fine* vz. conseruatione aucti & nutriti *conueniant.* Nam vt nutritio est *conuersio alimenti in naturam alti ab anima profecta, mediante calore naturali, vt restauretur deperditum*: ita augmentatio quoque est *conuersio alimenti in na-* Locus 3.

turam aliti, facta ab anima mediante calore naturali, vt corpus iustam attingat quantitatem.

Locus 4. Quartus est A cõtraria specie; maxima, quod *tum nutritioni tum augmentationi opponatur naturalis diminutio,* quæ est *consumptio rei animatæ, orta ab anima, mediante calore aut minus ardenti, aut efferuescenti minus*; quã consequitur corporis in singulis partibus *decretio*, seu vt loquũtur veteres *minoratio*.

Locus 5. Potẽtiæ augmẽtationis, & nutritionis quatuor. Quintus est A potentiis augmentationis & nutritionis; maxima, *quod potentiæ vtriusque sint quatuor; attrahendi, retinendi, digerendi, expellendi*, quæ omnes in toto corpore animato, & etiam singulis partibus continentur.

Locus 6. Sextus est A gemino proprio augmentationis; maxima, *quod qualibet pars aucti augeatur.* Similiter dicendum est de diminutione, sed intelligenda est hæc maxima duntaxat de partibus sanis; nam putridæ mortuæque partes, maleque affectæ non augentur, non nutriuntur.

Locus 7. Septimus est A modo & ordine augmẽtationis; maxima, *quod homogenea & heterogenea, id est similares & dissimilares partes in corpore non similiter augescant*; ratio est, quia nutrimentum non æqualiter attrahatur ad omnes partes, cum vna pars minus, alia magis à fonte nutritionis distet.

Locus 8. Octauus est A necessariis, maxima, quod *proxime ad formalem augmentationem requiratur concoctio & eiusdẽ comes assimilatio*; concoctio est *perfectio nutritionis*, assimilatio est *perfectio concoctionis* cũ singulæ partes per appositionem nutrimẽti restaurentur. Concoctio triplex est, prima in chylũ quæ in stomacho, secunda in sanguinẽ, quæ in hepate, tertia in substantiã totius & partis, quæ in singulis partibus per iustam distributionem naturæ cernitur.

Locus 9. Nonus est A subiecto augmẽtationis; maxima, quod *auctum maneat idem vnumque numero ante & post augmentationem*; ratio est, quia illius partes secundum situm, figuram & dispositionem nõ mutantur; hoc idem est quod Aristoteles dicit, augmentationẽ fieri secundum partes formales non materiales; hoc (inquã) dicit, nõ quod materiales augeantur, sed quod in formalibus proportio & ornatus quãtitatis magis quam in illis cernatur.

Locus 10. Decimus est A consideratione extrinseci; maxima, quod

augmen-

augmentatio semper aduentu alicuius corporis extrinsecus adiuncti sine vlla corporum aut dimensionum penetratione fiat; ratio est, quia incorporeum nullo modo auget, & quia natura abhorret à vacuo, quod esset admittendum si vlla esset dimensionum penetratio.

Postremus locus est A comparatis; maxima, quod *augens & auctum sint similia in materia, quæ tamen ante conuersionem in naturam forma omnino differunt, ita tamẽ differunt, vt vnũ sit capax naturæ alterius*. Nã vbi nõ potest esse cõuersio, ibi non est similitudo, de qua hoc loco Arist. agit; vt in *venenis* constat, quæ in naturam aliti non commutantur.

Modus differendi ab Alteratione.

Pauca omnino loca A diminutione in vltimo tractatu equidem ducebam, quoniã mutato nomine & sensu eadẽ oppositorũ habeatur inuentio. Pergam ad alterationẽ, in qua tractanda primus est locus A notione nominis; maxima, ꝙ *alteratio propria sit solum mutatio subiecti à contraria qualitate in contrariam, per actionem & passionem, nisi vna earum qualitatum formaliter insita naturæ, vt calor igni, splẽdor soli*. Formaliter dico, quia *candor* in niue sequens materiam niuis in alium colorem mutari potest. Locus 1. Alteratio propria.

Alter locus est A gradibus alterationis; maxima est, quod *qualitates alteratrices proprie magis & minus suscipiant*. Ratio est, quia duæ sunt species alterationis, *intensio & remissio*, de quibus supra satis. Locus 2.

Tertius est A causis intensionis & remissionis; maxima, quod *causa intensionis* sit *potentia naturalis agentis, causa remissionis impotentia patientis*, quod cedendo vincitur; ratio est, quia secundum formam & potentiam agere, secundũ materiam & impotentiam pati res naturales dicantur; forma enim vim potentiæ, potentia vim actioni addit, materia autem & impotentia contrarium agunt. Locus 3. Intensio & remissio species alterationis.

Quartus est A medio alterationum; maxima, quod *medium inter aduersa, si cum vno extremorum cõferatur rationem contrarii subeat*: siquidẽ medium solum respectu vtriusque, non vnius extremi dicitur. Potest hæc maxima intelligi de mediis tum *participationis* tum *abnegationis*. Participationis media sunt quæ de vtroq; extremorũ communicant, vt *medii colores*; abnegationis quæ per negationẽ vtri- Locus 4.

usque cognoscuntur, vt *quod nec est bonum nec malum, vt dispositio.*

Locus 5.

Quintus est Ab vsu alterationis; maxima, quod *finis alterationis sit alteratorum vnio, vt rerum perpetua vicissitudo fiat.* Alteratorum vnio est mixtio simplicium corporum, primarumque & secundarum qualitatum naturalis coitio, vnde omnia physica corpora perfecte mixta oriuntur. Mixtio vero est vel ad pondus (vt aiunt) cum vnum elementorum aut qualitatum non prædominetur: vel ad iustitiam, cum talis sit proportio mixtorum, talis temperies, qualem prouida & sagax natura singulis præscribit. Illa aptitudine fieri potest, sed nunquam fit, quia non conuenit naturæ vt fiat: hæc vbique in omni mixto eminet & apparet, in quo vnum elementorum, vnaque qualitas elementaris cæteris ex lege naturæ præest.

Mixtio duplex.

Formæ differendi à locali motu.

Locus 1.

Primus locus est Ab externa causa motus localis; maxima, ꝙ *intrinsecum principiũ motus localis sit natura potentiaque natura, qua res qualibet ad locum naturalem tendit.* Hæc ꝓpositio intelligi debet de motu locali naturali, cuius mobile in se principium habet, ipsam videlicet naturam; nõ de motu violento cuius principium est extrinsecum, quod passum renitens reluctantique ad alium locum pellit.

Locus 2. Motus violẽtus cur nõ sit æternus.

Alter locus est Ab opposito; maxima, quod *motus violentus* (qui opponitur naturali) *nõ sit diuturnus*, ratio est, quoniam naturæ fibras viresque conuellit.

Locus 3.

Tertius est A cõparatis; maxima, quod *naturalis motus sit velocior in fine quã in principio: animalis vero & violentus tardior.* Rationes huius maximæ superius tradidi.

Locus 4. Motus animalis solum proprie & per se loci differentiis distinguitur.

Quartus est A differentia loci motusque localis; maxima, quod *proprie & per se solũ motus animalis idemq; perfectus loci differentiis distinguitur*; ratio est, quia solum in animalibus sint membra seu partes, quę iisdem differentiis respõdeant; sic *caput hominis* sursum, *pedes* deorsum, *frons* ante, pone *dorsum*, latera *dextrum* & *sinistrum* dicuntur. Sed attende, *sursum* vel nutritionem vel dimensionem respicere: priori modo radicem plantæ *sursum*, posteriori modo id omne quod est cœlo proximum *sursum* esse dicimus.

Quintus est Ab instantia; maxima, ꝙ *primus motus localis*

calis sit per potentiam mouentis, secũdum partes, sine externo loco aut spacio, vt motus cœli: alius sine reali mutatione loci, vt motus conchæ, qui motus dilatationis, *nõ* localis mutationis *dicitur*. Sed hi motus analogice reduci possunt ad mutationem loci, quia in illo est pars parti locus, & in hoc dilatio respectum loci mutat.

Locus 5. Conchæ motus est dilatationis.

Postremus locus est A fine motus localis; maxima, quod *finis motus localis sit, vt res qualibet corporea in suo loco naturali quiescat & conseruetur*; ratio est, quia extra locum naturalem non est quies, sed pernicies interitusque rerum.

Locus. 6. Cur res naturales in loco conseruentur.

Hic animaduerte [studiose lector] tot modis de quiete posse disputari quot modis de motu. Est enim quies opposita motui, definitur enim *priuatio eiusdem cum aptitudine ad eundem*. Vel (si placet) definitur, *forma seu dispositio in qua mobile quiescit*. Verum vt ad præsens institutum accõmodetur oratio, quies est vel violenta, vel animalis, vel naturalis, vt superius de motu locali diximus. Violenta *cum aliquid à principio extrinseco contra naturalem appositionẽ suam in loco improprio teneatur, vt* lapis detentus sursum: animalis, quæ est *à se, sine à principio extrinseco per apprehensionem obiecti, in quo animal delectatur, & ad tempus in eo quiescens à motu suo proprio cessat*: naturalis, quæ est *secundum naturalem inclinationem, & non apprehensionẽ animalem*, & sic res quælibet corporeæ in propriis suis locis tanquam in incunabulis conquiescant.

CAP. XIII.

De tempore.

AFfine & cognatum motui apud omnes Philosophos habetur tempus; *est enim tẽpus mensura motus*: tractationem ergo de motu tractatio de tempore optimo iure sequitur. Sed dum verba nunc facio, tempus amitto: currã ergo, & si opus sit, cum illo volabo. Pretiosus hic thesaurus naturæ *tempus*, quo nihil pretiosius, definitur *numerus seu mensura cœlestis motus, ex vertigine cœli solisq. deductus, secundum prius & posterius, cuius partes ad momentum commune terminum vtriusque copulantur*. Per *numerum* nõ

Tempus pretiosus naturæ thesaurus. Temporis definitio.

Numerus in definitione temporis qualis.

formalem illum numerum quo numeramus, nec proprie numerum numerantem [id est animam] nec numerũ numeratum intelligi oportet; sed numerosam & successiuam dimensionem qua motus cuiuslibet rei mobilis terminatur. Similiter sub nomine *motus cælestis* vt causa pro effectu per excellentiam hoc loco nominatur. Est enim cœlestis motus primus, à quo motus omnium in inferiore hoc mũdi circulo pendent. Per *vertiginem cæli solisq;*, conuersionẽ vtriusq; in certis figuris, gradibus & minutis Zodiaci intelligendam puto; nam ex istis distincta tempora, mutationes & motus rerum cognoscuntur. *Prius & posterius* in hac definitione, præteritum & futurum temporis partes notant, in quibus perpetua successio & vicissitudo inest. *Momentum* indiuisibile punctum seu instans definitur, quo distinctionis causa partes temporis in omni actione, motu opereque naturæ per animam numerantem omnia coaptantur. Hinc constat tempus esse ens in fluxu & successione positum, cuius pars nulla constans & immota manet. Recte Ouidius.

Momentum quid.

Tempus ens in fluxu.

Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen, neq; enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest; sed vt vnda pellitur vnda,
Vrgeturq; eadem veniens, vrgetq; priorem:
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur.

Partes generales & speciales temporis.

Differentiæ seu partes generales temporis sunt, *præteritum* quod iam fuit, *instans* quod est, *futurum* quod erit: speciales vero sunt *hora, dies, mensis & annus*, nec non quę annis mensurantur *ætates & sæcula*. Quid multis? omnis duratio motus sub communi nomine temporis continetur; sed in hoc discrimen est, quod duratio (si proprie sumatur) latius quam tempus pateat. Duratio enim in *tempus*, *æuum & æternum* (vt certa fiat distinctio rerum) diuiditur. Tempus *mensura rerum habentium initium & finem*, Æuum *mensura rerum habentium initium sed carentium fine*, Æternum *rerum habentium nec initium nec finem mensura dicitur*. Æternum autem duplex est secundum philosophos, vel *per se* vt *Deus* qui simpliciter & vi sua solus est æternus; vel *comparate*, vt principium & vniuersale, quo prius in re vel arte non existit. De aliis partibus temporis [quæ omnes sunt

Durationis & temporis discrimen.

Æternum duplex.

ſunt homogeneæ & eiuſdem nominis cum toto] pauca aut nihil omnino dicam, quia ſi dicerem annus eſſet antequam annum (quæ eſt pars ſolum vna temporis) accurate deſcriberem. Hortor tamen iuuenes ſtudioſos philoſophiæ, vt cõuerſioni Zodiaci diligenter ſtudeant, indeque diſcant certa & diſtincta tempora & ſpacia rerum. Nam valde turpe eſt homini philoſopho, ſi quærenti quid ſit *hora*, *dies*, *menſis* aut *annus*, reſpondeat neſcio. Cæterum eo ignorantiæ iam deuentum eſt in Calendario, vt horas dieſque ſalutis, id eſt ea tempora in quibus myſteria ſalutis noſtræ maxima ex parte agerentur penitus ignoremus. Imo & quod peius eſt, quamuis Deus in creatione mundi ſolem & lunam finxit fixitque in cœlo vt fiant ſigna temporum, volumus hanc diſtinctionem anni [quem motu ſuo faciunt] ignorare. Sed eſto, digito demonſtro viam. Annus *tempus eſt quo ſol totũ Zodiacum, & in eo 12. ſigna perluſtrat*. Habet annus menſes 12 : eſt enim menſis *tempus illud quo ſol vnum ſignum proprio ſuo motu conficit*. Hebdomadas duas & quinquaginta, diemq; vnum habet; dies vero trecentos ſexaginta quinque & ſex horas fere ; tanto enim interuallo ſtadium ſuum in Zodiaco ſol totum decurrit. Si articulatius de hac re agi deſideres, refero te ad commentarios meos 4. Phyſi. vbi ſingulas ferme partes temporis definiui. Refero te etiã ad veteres Ephemerides, in quibus ad Chriſtianum vſum Epactam, Aureum numerum, Indictionem aliaſque notas & tabulas reuolutionis cæleſtis cito, facile & fructuoſe diſcas, nec non ſingulis partibus anni pie accommodes. Breues quidem reperies illic regulas ſed vtiliſſimas, ſi illas ſic legas vt intelligas, ſi ſic intelligas vt memoria ſemper retineas, ſi denique memoria ſemper retineas, & in ſingulorum dierum ortu & occaſu vitæ tuæ fluentem ſtatum & ruinoſum conſideres. Occaſio calua eſt, ſi non conſideres, theſaurum pretioſum perdes.

Turpe eſt hominem Philoſophũ quęrenti reſpondere Neſcio.

Annus quid. Menſis quid.

Loca inuentionis à Tempore.

Exiſtentia temporis res quidem valde incerta eſt, primũ igitur locũ A temporis exiſtentia duco ; maxima, *quod tempus partim in ſubiecto, partim in termino, partim in mẽſura, partim deniq; in principio exiſtat. Subiectũ* illius totus mũd' eſt, & res quælibet obnoxia mutationi. *Terminus* inſtãs ſeu

Exiſtentia tẽporis valde incerta.

Subiectum temporis mundus.

momentum est, in quo illius partes vniuntur. *Mensura* motus est, cuius fluxu illius partes per accidens mensurantur. *Principium* anima est, principium [inquam] cognitionis, quo quid sit apprehenditur. In subiecto inhæsiue vt aiũt, definitiue in termino, in mensura relatiue, in animo apprehensiue inest. Cæterum quoniam de istis singulis vehemẽtius apud interpretes litigetur, ab illis articulatim loca iam alia petam. Et primum à subiecto; maxima, *quod temporis primum & proprium subiectum sit primum mobile, nam primi mobilis passio ipsum tempus dicitur.* Sed dices, cur modo totum mundum remque omnem mutationi obnoxiam subiectum temporis esse statueras? Respondeo, secũdum aliquos, primum mobile esse proprium subiectum: commune vero esse totum mundum: vel [si placet] dico, sub nomine *cælestis motus* omnem motum, & sub nomine *primi mobilis* rem omnem mobilem, per excellentiã causæ recte intelligi.

Locus 1. Proprium & primum subiectum temporis quid.

Alter locus est Ab existentia, quam tempus habet in suo termino; maxima, *quod Vnio præsentis & futuri in momento sit formalis pars temporis à qua actu suum esse habet.* Est enim nihil temporis (vt docet Philosophus) existens, præter præsens, in quo illius partes constringuntur. Existentia temporis in mensura sua per accidens, nempe in motu à relatis pendet, quia mensura & mensuratum relata sunt, quorum existentia mutua est. Nam alterum sine altero esse non potest, non enim existit tempus sine motu, nec motus sine tempore. Sed hic labor est, & hoc opus, vt probetur existentia temporis ab anima dependere. Credendum est quia Aristoteles dixit, at non videtur esse verum quia tempus est ens reale quod extra animam suum *esse* habet. Verbo resoluam, ab anima existentiam habere apprehensiue vt aiunt, quia partes motus & temporis numerare est opus animæ.

Locus. 2.

Tempus existentiam ab anima apprehensiue sortitur.

Sequitur locus Ab vnitate temporis; maxima, *quod Vnũ numero sit tempus omnium*: ratio est, quia vnum est numero subiectum temporis, nempe primum mobile, sed ab vnitate subiecti accidens suam vnitatem sumit. Verum hic animaduertendum est, respectum temporis multiplicari ad, mul-

Locus. 3.

multiplicationem motuum rerumque caducarum, tempus autem in omnibus numero vnum esse.

Alius locus est A proprietatibus temporis; huius loci maximæ sunt quatuor, quarum prima est, *dari posse in tempore minimum respectu continui*; numerus enim vnitatem habet, continuum non habet. Altera est quod, *omne tempus vt sua dicatur longum aut breue, non velox aut tardũ*; longa enim aut breuis oratio dicitur, quia longum aut breue est tempus in quo habetur, velocitas autem & tarditas per se motum, tempus vero per accidens respiciunt. Tertia est, *quod omne tempus numero sit irreuocabile, specie vero reiterari possit*. Quarta, *quod omnis motus mensuretur tempore, & e conuerso omne tempus mensuretur motu, sed ille formaliter & per se, hoc autem per accidens.*

Locus.4. Respectus tẽporis ad multiplicationẽ motuum multiplicatur. Tempus omne numero irreuocabile non specie.

Locus qui sequitur A proprietatibus momenti seu instãtis ducitur; cuius maxime sunt, *quod instans sit notius tempore, id est quoad nos*; quod *non sit tempus continuum nisi per instans*; quod *propria instans non sit pars temporis, sed communis terminus quo partes illius copulantur*; quod *vnum sit omnium instans, eo scilicet respectu quo vnum est tẽpus omnium*; postremo, *quod instanti non tempore omne* mutatum esse *mensuretur*. Est enim *mutatum esse* indiuisibile quiddam in motu, vt instans in tempore. Axiomata permulta sunt quæ temporis essentiam & existentiam declarant; vt, *nihil esse primum in tempore, si tempus pro æterno sumatur*. Iterum, *nihil finitũ in infinito tempore, aut infinitum finito tempore posse moueri*, quippe *inter mensuram & mensuratum debet esse æqualis proportio*. Deinceps, *nihil omnino mutari posse nisi in tempore, nam mutatio non est sine motu, motus non est sine tempore*. Adhuc *tempus esse causam potius interitus quam ortus*, quia (vt vulgo dici solet) tempus est edax rerum, omniaque consenescunt tempore. Sed nota, tempus esse causam interitus sine qua non. Porro *nihil ad statum seu quietem tendere nisi tempore: nam vt motus per se, ita quies & status rerum per accidens mensurantur*. Postremo *nihil incorporeum tempore simpliciter & proprie mensurari: tempus enim est mensura motus, motus est actus mobilis, mobile res physica est & naturalis; at spiritus & separata substantia non sunt res physica: nec ergo*

Locus.5. Vnum Instãs omnium quomodo. Mutatum esse quid. Tempus causa interitus sine qua non.

Spiritus & separatæ substantiæ quomodo cientur.

motu proprie cientur, nec mensurantur tempore. Sed animaduertendum est moueri quidem & mensurari posse, vt aiunt, definitiue ex præscripto primi motoris, qui incommutabiliter manens sine omni motu & tempore mutare potest omnia, ipse vero mutari non potest. Mouentur ergo separatæ substantiæ loco, mensurantur tempore, non quod loco aut tempore physice contineantur, sed quia analogice earum existentia & duratio non aliter à nobis quam motu & tempore cognoscantur.

CAP. XIV.

De loco.

QVoniam corpora mobilia tempore dimensa sine loco moueri non possunt, oportune tractationem motus & temporis tractatio nunc loci sequitur. Compluribus huius nominis significatis omissis, locus philosophorum cõmuni consensu id omne dicitur *quod aliud continet commensuratiue vt aiunt, quod etiam extrinsecus per contactũ rem locatam definit, & quod circumscribendo in se recipit & apprehendit.* Hinc ab Aristotele definitur *terminus vel superficies corporis continentis immobilis primo.* Duo in hac definitione verba videntur subobscura, nimirum *superficies & immobile.* Ad pleniorem ergo intellectum, dicendum est quod *superficies* sit vel plana, vel planicies huius chartæ quam legis: vel obliqua, & hæc est vel conuexa quæ exterior, vel concaua quæ interior rei facies dicitur. Cum locus definiatur *superficies*, intelligitur esse superficies concaua nõ conuexa; concaua [inquam] sed cum dependentia & relatione. Nam superficies in hac definitione non tam absolutam quantitatem quam respectum corporis continentis significat, aliter millies in vna hora corpus immotum & fixum (vt turris) mutaret locum, siquidem millies huc illuc impulsa superficies concaua cum aere mutatur, respectu eiusdem vtique immobili & immutabili manente. Si probe aduertas hanc expositionem istius nominis, non erit difficilis interpretatio alterius, nempe *immobilis primo* & per se. Locus enim non est *immobilis* vt est superficies, sed vt est respectus corporis continentis ad contentum, qui mutata superficie idem numero & natura manere potest. Alii interpretantur locum *immobilem* dici respectu ordinis & situs ad

Locus quid.

Loci definitio secundũ Aristotelem.

Superficies duplex.

Superficies qualis in definitone loci.

ad polos mundi, qui semper immobiles existunt. Ex horum sententia dicendum est, vnitatem & immobilitatem loci nequaquam sumendam esse ab vnitate & immobilitate superficiei corporis continentis, secundum realem æquiualẽtiam quam habet mobile locatum dum in eodem ordine & situ manet. Sic vnus idemq; immobilis locus est pyramidis fixæ, tametsi aer continens, & eiusdem superficies circũcingens eam sæpissime commutetur.

Loci diuisio.

Diuiditur locus in communem, proprium, naturalem & violentum. Communis est, sub cuius ambitu plura continentur corpora, vt *inferiores sphæra cæleftes* sub primo mobili; proprius, in quo vnum solum cõprehenditur, vt *ignis in concauo lunæ, aer in concauo ignis*; naturalis est, *in quem mobile extra positum & non impeditum secundum breuissimam lineam vi sua fertur, & in quo quiescit atque conseruatur*; hic autẽ ordo in rebus naturalibus communiter ex grauitate & leuitate attenditur. Est enim rerum naturalium ordo vt grauiora suæ ipsorum naturæ relicta sub leuioribus esse desiderent, quemadmodum in situ elementorum manifeste constat. Violentus locus est, *in quo aliquid cõtra appetitum & quietem suam coercetur*: *vt ignis in fistulis terræ* suppressus, vnde nonnunquam terræ motus nascitur. Inter naturalem locum & proprium hoc quidam discrimen ponunt, quod omnis nimirum proprius locus sit naturalis, sed omnis naturalis non sit proprius. Exempli causa, naturalis locus terræ est aggregata superficies aquæ & aeris, vtrumq; enim corpus eandem continet: proprius autem locus terræ non est aggregata superficies vtriusq;, sed simplex vnius aquæ, quæ vt leuius corpus supernataret, fieretque proprius locus centri: verum enimuero propter salutem animantiũ, vniuersalis natura particularem de suo loco cedere coegit, legemq; perpetuam dedit, vt aqua littoribus tanquã mœnibus circumcincta teneatur.

Locus naturalis quis.

Rerum naturalium ordo.

Locus violẽtus quis.

Discrimen inter propriũ & naturalem locum.

Distinguunt hic quidam interpretes, quod aliquid sit in loco quadrifariam; nimirum *circumscripte, definite, complete & cõparate*. Circumscripte vt *corpus*, definite vt *Angelus*, complete vt *Deus*, cnoparate vt *accidens*: *corpus* n. loco circũscribitur, *Angelus* in hoc vel illo loco nũc inesse definitur, *Deus* totus in omni loco simul esse dicitur, *accidẽs* codẽ

loco cum suo subiecto fruitur. Hinc illud, *Motis nobis mouentur omnia quæ sunt in nobis* id est partes & accidentia.

Forma disserendi a Loco.

Locus 1. Primus locus est A definitione; maxima, *quod locus sit superficies corporis continentis, immobilis primo.* Aduerte *locum* in hac definitione non solum quantitatem, sed etiam respectum in prædicamento Vbi significare; aliter immobilis dici non posset, quippe superficies continentis sæpissime mouetur; vt de *arbore* crescente in *aqua fluente*, & de *pyramide* in *aere* fixa manifeste constat. Cæterum tametsi superficies quotidie mutetur, situs tamen & ordo respectu primi locantis aut conseruantis non mutatur.

Locus 2. Secundus locus ducitur A relatis; maxima, *quod locus sit simul & æqualis cum locato. Simul* quia locus est locati locus, & econuerso: *æqualis*, quia singulæ partes locantis singulis partibus locati adæquantur.

Locus 3. Locus cur rē naturalē conseruare dicatur. Tertius locus est A proprietate loci; maxima, *quod loci sit proprium rem naturalem ad se attrahere & conseruare*, vnde *principium conseruandi* dicitur. Ratio est, quoniam in proprio & naturali loco [de quo in hac maxima solum agitur] sunt insitæ qualitates & virtutes quæ maxime conueniunt rei quæ in eodem generatur.

Locus 4. Quartus locus est A differentiis loci; maxima, *quod omnis locus sit aut sursum aut deorsum, aut ante aut pone, aut denique dextrorsum aut sinistrorsum.* Hæc propositio intelligenda proprie est de situ animalis respectu cœli, cuius pars quælibet *sursum* dicitur,

Locus 5. Rationes cur vltima sphæra non sit in loco. Quintus locus est Ab instantia; maxima, *quod vltima sphæra non sit in loco*; ratio est, quia alio vlteriore corpore non circumscribitur. Quod vere circumscriptio ad hoc corpus locandum non requiratur, Philosophia has rationes reddit, quia est principium mouendi in aliis, tum quia actu infinitum motorem sui habet, qui liberrime agens non alligatur mediis, hinc quia illius forma est maxime actiua, & illius figura aptissima ad motum per se, denique quia illius capacitas & concauitas efficit vt vna pars alteri parti locus fiat.

Locus 6. Sextus locus est Ab appetitu rei naturalis; maxima, *quod res qualibet naturalis instinctu feratur ad locum naturalem*

lem in quo quiescat. Hanc maximam interpretatus sum ante in tractatu De motu.

Septimus locus est Ab impossibili; maxima, *quod nec aliquod vnum numero sit in diuersis locis simul, nec plura in eodem*: ratio est quia locus & locatum sint æqualia, & quia vnicuiq; corpori vnus proprius & naturalis motus destinetur. Locus 7.

Cap. XV.

De Vacuo & Infinito.

Multa in rerum natura sunt, multa apparent esse: sunt quidē illa de quibus diximus *natura, principia, causa, motus, tempus* & *locus*; apparent vero & non sunt *vacuum* & *infinitum*. De *vacuo* proxime ordine naturæ agitur, quoniam opinione quorundam Philosophorum *vacuum locus definitur esse*. Somniarunt enim locum esse posse sine corpore, quem *vacuum* appellarunt. Inanis ergo non est Philosophi de istis apparentibus vmbris disputatio, quia classici & graues doctores in philosophia eas pro rebus in rerum natura existentibus habuerunt. Vt ergo eorum error refutetur, operæ pretium est de iisdem pauca in hoc tractatu addere. Entia vera & apparentia quæ.

Vacuum ergo est *locus non repletus corpore, aptus tamen repleri*, vel vacuum est *spacium inane nihil continens actu*; vel deniq; est *superficies corporis nihil actu cōtinentis, si modo id natum sit & aptum corpus continere*. Desudat & contendit Philosophus probare, nullo modo fieri posse vt talis vspiam existat locus. Primum quoniam nullus est locus sine corpore, tum quoniam si esset vacuum nullus fieri posset motus; non est enim motus sine mobili, non est mobile sine medio, medium autem non est sine pleno, cuius resistentia velocitas & tarditas mobilium refrænantur. Vacuũ quid.

Huc spectant rationes & argumenta omnia quæ ab experientia ducuntur, nimirum igne potius volare deorsum, lapides sursum, quam admittatur vacuum. Perforata clepsydra nō effundit *aquam*, *fulmen* disrumpit nubem, ignis suppressus concutit & discindit terram, cucurbitula affixa ab alto elicit cruorem. Quorsum [quæso] hæc omnia si admittatur vacuum? Omitto sexcenta alia exempla, & ad In- Vacuum nullo modo admittit natura.

finitũ venio, cuius tractatio ordine nunc recte sequitur, quia motus, tempus, magnitudo non semel ab Aristotele ante dicũtur infinita.

Infiniti definitio.

Solliciti sunt hic multi interpretes de ordine & multiplici significatione *infiniti*, sed breuitatis causa cunctis relictis ambagibus idipsum sic definio. Infinitum est *ens cuius de quantitate sumentibus aliquid semper extra vlterius remanet accipiendum*. Est *ens* opinione hominum non rei veritate, si actu physico rem infinitam intelligas: actu vero metaphysico agnoscit Philosophus infinitum, nempe DEVM. Distinguitur ab Aristotele infinitum in infinitum *actu* & infinitum *potentia*. *Actu infinitum* motu, tempore, magnitudine omnino negat: *potentia* vero aliquo modo concedit. *Actu* non esse infinitum demonstrat multis argumẽtis, sed hoc vnum præcipuum est, nempe quod omne corpus physicum aptum sit vel moueri ad locum suum naturalem, vt *graue & leue*, vel loco suo circulariter cieri, vt *cœli*; sed corpus *actu infinitum* neutro istorum modorum moueri potest: ergo corpus nullum physicum est *actu infinitum*. Minor ostenditur, siquidem motu recto corpus tale moueri nequit; nam cum omnia repleat, nullum extra se relinquit locum ad quem moueatur. Circulariter quoque moueri non posse aperte conuincitur, cum omnis circularis motus sit à puncto ad punctum. Præterea; si esset corpus circulare actu infinitum, sequeretur nullum locum relictum esse corporibus recto motu incitatis, quia circulare illud infinitum existens omnem per se repleret & occuparet locum.

Infinitum duplex.

Omnis circularis motus à puncto ad punctum est.

Distinctio partium.

Quod sit *potentia infinitum* aliquid Arist. nõ negat, quoad potentiam & partes proportionis. Hinc illa distinctio est de partibus, quod aliæ sint eiusdem *molis* seu quantitatis, aliæ eiusdem *proportionis*. Partes eiusdem *molis*, diuisionis, seu quantitatis sic se habent, *vt prima sit eiusdem quantitatis cũ secũda, secunda cũ tertia, tertia cũ quarta, & sic deinceps donec ad minimũ actu perueneris*, & sic nõ est infinitũ.

Partes eiusdẽ quantitatis & molis quæ.

Partes eiusdem *proportionis* sic sunt, *vt qualis est proportio primæ partis sublata ad secundam, talis erit secunda ad tertiam, & tertia ad quartam*: vt si linea diuidatur in duas medietates, & vna earum medietatum in alias duas, & sic ordi-

Partes eiusdẽ proportionis quę.

ordine deinceps, *potentia* quidem infinitum apparet. *Potẽtia* [inquam] non *actu*, quoniam *actu* infinita nulla fieri potest diuisio, nulla proportio nullus ꝓportionis ordo. Quod hoc loco de magnitudine dicitur idipsum de motu, tempore, loco, omniq; continuo dici potest. Omne enim continuum diuidi & secari potest in partes infinitas eiusdem proportionis *potentia*, non *actu*; sed hoc dignum obseruatione tua est, quod Arist. de infinito loquutus per partes eiusdẽ *diuisionis* intelligat partes realis quantitatis, in qua est minimum: & per partes *proportionis* intelligat partes mathematici ordinis, in quo est infinitum. Infinitum [inquã] *Mathematicum* non *Physicum intentionale non reale*: si dicas motum cœli actu esse infinitum, respondeo non esse quoad extensionem mobilis & loci in quo est, sed quoad reciprocationem eiusdem per spaciũ illud in quo mouetur; & hoc idipsum est quod modo dixeram, aliquid infinitum esse potentia non actu. Si adhuc vrgeas potentia concedi infinitũ, & proinde concludas actu concedendum esse, quoniã frustra est potentia quæ non reducitur ad actum: dico potentiam hanc esse remotam non proximam, idcirco concludo absurdum non esse si nunquam reducatur ad actum. Multa enim dicuntur posse fieri quæ actu non fiunt; vt possunt esse *duo soles* sed non sunt. Verum nunc ad vsum istorum *entium apparentium* à locis inuentionis venio.

Motus cœli quomodo actu infinitus.

Frustra est potentia quæ nunquam reducitur ad actum.

Loca à Vacuo & Infinito.

Primus locus est Ab opinione vulgi, vel ab æquiuoca significatione nominis; maxima, *quod (secundum opinionem vulgi) sit vacuum id omne quod denso corpore nõ est repletũ*; sic aer improprie, & vas aqua effusa vacuum dicitur. 1.

Secundus locus est A veritate rei; maxima, *quod natura ab infinito & vacuo penitus abhorreat*; ratio est, quia illud communem motum, hoc omne medium, ordinem & proportionem mouendi tollit. 2.

Tertius est A contraria dispositione medii, mobilis & situs; cuius maxima est; *Si mediũ nõ resistat diuisioni sua, vt quo sit densius eo tardius propter resistentiã illius moueatur mobile: si etiam ipsum mobile in locũ contrariũ pulsum non repugnet (vt in motione grauis sursum) si deniq; distantia & cõtrarietas terminorũ* à quo *&* ad quẽ *fit motus nõ impediat,* 3.

sequetur vacuum esse; sed medium habere resistentiam suam; remque contra naturam a loco naturali pulsam habere renitentiam, & deniq; terminos ordinis & situs habere repugnantiam ipsa experientia docet: non est ergo vacuum, nisi moueri corpora in ipso instāti dixeris. Inæqualitas enim & moderatio motus à resistentia medii, à renitentia subiecti, & a contrarietate loci (in quo fit motus) pendet.

Locus 4. Quartus locus est Ab adiunctis, & à consequentibus; maxima, *quod licet sint rara & densa corpora, non est tamē vacuum*; ratio est quia si fiat extensio corporum vt *in raris*, aut compressio vnioque vt *in densis*, aut idem corpus extensum occupat locum, aut aliud ingreditur & succedit, quemadmodum in aqua frigore concreta cernitur.

Locus 5. Quintus locus est Ab experientia; maxima, quod *omnia exempla quæ ducuntur ad probandum vacuum, probe examinata inferant contrarium.* Vt sunt illa de fistula explosa, de terræ motus causa, de Clepsydra, de cucurbitula, de dolio cineribus pleno, non minus tamen aquæ recipiente quam si esset vacuum, de tabulis & follibus compressis & vndique obstructis. Sed hæc omnia prætereo, concludens nihil esse in rerum natura vacuum naturaliter: non negans tamen quin fieri possit vi supernaturali & diuina, quæ nullis mediis alligata potest in nihilum corpora commutare, vacuum efficere.

Solummodo supernaturali vacuum effici potest.

Loca ab Infinito.

Locus 1. Disputatio de *Infinito* anceps est, quia Aristoteles ait *Infinitum* partim esse, partim non esse. Verum vt explicetur opinio Philosophi, primus locus ducetur A distinctione nominis; maxima est, quod *omne infinitū sit aut actu, aut potentia. Actu infinitum* non est, infinitum vero potentia est, si mathematicam proportionem partium, seu partes proportionis non realis diuisionis consideres.

Locus 2. Alter locus est Ab hypothesi; maxima, *si detur actu infinitum, sequetur actu nihil moueri posse, quia omnis motus est successiuus, potentia non actu infinitus, sed actu infinitus esse deberet si aliquod actu mobile infinitum existat*; quippe inter *motum, tempus & mobile*, debet esse proportio. Vnde colligitur, si actu aliquid sit mobile infinitum, actu quoque motum quo mouetur esse infinitum, & tempus etiam

actu

actu infinitum: at motus & tempus sunt entia successiua, nõ actu existentia, vt omnium philosophorũ consensus docet. Postremus locus est Ab vsu huius scientiæ de *infinito*; maxima, quod *infinitum potentia physicum, arguat esse infinitum actu metaphysicum*. Ratio est, quoniam aliter cœlũ perpetuo non moueretur, non regeretur mundus; aliter [inquam] in rebus numero infinitis, nulla esset distinctio, nullus ordo, nulla in perpetuum successio & vicissitudo. Hoc enim infinitum Metaphysicum actu idem incommutabile & immobile subsistens æternum numen est à quo omnia pendent, primum principium est à quo omnia fluunt, finis est ad quem omnia tendunt, DEVS est per quem omnia sunt, mouentur & conseruantur. At dices Arist. hoc infinitũ vsumq; infiniti penitus ignorasse: toto cœlo erras; nam sic in 1. libr. Physicorum de principiis, in secundo de natura & causis [quid moror?] in tertio & reliquis de hoc motu, tempore, vacuo, & infinito agit, vt 8. illo libro singulari sapientia conscripto, vnum mouens in omni motu sine motu, in omni tempore sine tempore, in omni loco sine loco, in omni ente finito sine finito ens infinitum actu non potentia subsistere & inesse probet. Est enim primus motor immobilis, ergo sine motu, est æternus: ergo sine tempore: est vbique, ergo sine loco: est actu infinitus, ergo sine finito si illius diuinam, infinitam & gloriosam essentiam spectes; vult tamen in hisce omnibus sic inesse, vt hæc omnia foueret, disponeret, conseruaret.

Locus 3.

Li. de Mundo Metaph. l. 12.

De mouentibus causis breuis conclusio.

Causæ mouentes duplices sunt vt philosophia docet, internæ & externæ. Internæ sunt *materia, potentia, forma*, de quibus satis iam dictum est. Externæ sunt quoque duplices, inhærentes vel assistentes; inhærentes vt *efficiens & finis*; assistentes vt *separata substantia* quas Intelligentias philosophi nominant. Harum vero alia est distinctio, nimirum quod quædam ex iisdem sint finitæ, vt *Angeli & Dæmones*; vna autem infinita, vt *Deus*. Illi simplices actus & formæ, sed non sine potentia, hic simplicissimus purissimusq; actus & forma, id est perfectio omnium, sine vlla admixta potẽtia dicitur. Quod sint tales mouentes causæ philosophia probat multis argumentis. Primũ est à diuisione substantiæ

in corpoream & incorpoream: si ergo sit corporea substantia (vt sensibus patet) incorporea necessario erit. Ratio est, quoniam membra internæ diuisionis & opposita inter se, & simul cum diuiso esse oportet. Vt ergo corporea substantia est quæ ex materia & forma constat: ita incorporea substátia est quæ omni materia caret. A motu argumentum non minus necessario concludit, quia non est motus sine mobili, non est mobile sine mouente; mouens autem vel inhæret vt forma, vel assistit foris vt intelligentia.

Primum mobile extra se locum non habet.
Motus primi mobili sine loco, Deum esse arguit.

A primo mobili demonstratio prima est. Primum mobile omnium philosophorum consensu locum extra se nō habet à quo moueatur: necesse ergo est vt sit spiritus infinitæ potentiæ, qui illud sine loco moueat; quippe materia, & forma, & vtriusque potentia ex sese non possunt; propterea quod hæc sint naturalia, & vltra sortem naturæ nihil possunt: est ergo Deus, Deus inquam est qui illud, qui (inquam) illud primum mobile sine loco proprio vlteriore mouet. Est Deus, ergo spiritus quem philosophi primam intelligentiam appellarunt. Ratio ab ordine rerum deducta hoc ipsum manifeste euincit; nam fieri non potest vt tanta sit pulchritudo & ordo in rebus si non sit externa spirituum administratio. Fieri, inquam, non potest vt vi naturæ, quæ ratione & intellectu caret sic disponantur, disposita sic conseruentur; quippe summa & singularis sapientia in illis cernitur.

Lib. 2. de Anima Meta. l. 12.

A minore etiam res hæc facile probatur; quia anima humana adhuc suo carcere inclusa, sæpe se spiritum seu separatam substantiā ostendit esse, vt in diuinationibus & in somniis; & quando in seipsam versa proprio suo lumine seipsam sine vlla specie a sensibus lata intelligit: quæ omnia arguūt illam immortalem esse, nec non posse extra corpus in perpetuum viuere; vnde hoc argumentum colligo, animam, dum sit in corpore, substantiam incorpoream existere: est ergo spiritus, cum vero sit extra corpus, esse liberiorem spiritum. Sed infinitæ fere sunt animæ singulorum hominum: ergo sunt fere infiniti spiritus.

Ratio Ab absurdo sequitur, nimirum rem esse penitus à ratione alienam, vt primus aliquis dicatur motor idemque infinitus, si alii etiam non essent motores secundi ijdemque finiti, cum inter primum & secundum, finitum & infinitum

sit

sit necessaria relatio. Imo, cum nemo philosophorum dubitet Deum esse spirituum primum, summumque bonum; absurdum est si alii non sint spiritus, qui tantæ maiestati inseruiant. Quippe vt fons riuulis suam aquam, sol radiis suã lucem: ita primus motor Deus, suam mouendi virtutem aliis inferioribus mouentibus attribuit. Absurdum spiritus & intelligentias negare.

Mirabilia sunt multa istius mundi quæ hanc rem euidenter probant; vt motu concuti vniuersam terram vno instãti temporis, quod nostra ætate contigit. Quid? an natura hoc ipsum fecit? Erras si dicas, siquidem non est potis, non est infesta sibi natura; spiritus ergo fecit, spiritus Dei fecit, agnosce ac time; spiritus Dei fecit. Si historias gentium legas, plena sunt volumina magnis dæmonibus, plena oraculis: Sibyllæ folia, auguria, vaticinia sacerdotum, & coniectorum responsa, imo historiæ omnium temporum te refellunt, si neges. Si mali sint spiritus, cur bonos esse negas? Indignus es bono genio, si [deficiente ingenio] malum admittas & non salutes bonum. Agam cum mordaci conscientia tua, quæ scelerum aliquando aculeis & furiis vulnerata tremet horretque. Quorsum quæso, si non sit Deus, si non sit spiritus? Omitto hic sæpe apparentia spectra, quæ probe concludunt hoc argumentum; videntur habere corpora sed non habent, videntur nobiscum degere sed non degũt: sunt ergo spiritus. Maleficos, magicos & fascinatores esse si ibis inficias, haud mentis cõpotem sobrii te habebunt homines; cur ergo negas dæmones esse quorum insidiis non suis ipsorum ingeniis proculdubio vtuntur.

Sed quorsum hæc omnia? certe vt intelligas spiritus esse, eosdemq; bonos & malos, prout diuersis finibus à primo motore destinantur. Audi, hos dæmones seu spiritus intelligo, quos philosophi motores nominant, eosdemq; ordine subiectos primo motori volunt. Nam [inquiunt] vt est subordinatio corporum vsq; ad primum mobile sine loco: ita est subordinatio mouentium causarum vsq; ad primũ motorem immobilem & sine motu: quem Deum [non obstantibus his à philosophis ductis argumentis] si Atheus quispiam negauerit esse: mittam illũ ad asinũ prophetę, qui videns Angelum in via districto gladio illũ docebit melius. Num. 22.
Verũ si adhuc pergat & dicat cũ stulto in corde nõ est Deus,

illum relinquam Deo, qui iudex & vindex est primam negantium veritatem.

Vides [studiose lector] ad quem scopum hæc omnia de *principiis*, de *causis*, de *loco*, de *motu*, de *tempore*, *vacuo & infinito* tendunt, vis vt verbo altius hæc repetam? Huc quidē tendunt, vt multa mobilia, sed vnum primum mobile, multa mouentia sed vnum primum motorem probent. Concludam, motores finiti spiritus sunt, motor primus *Deus*; qui illos negant ratione carent: qui hunc negant sine Deo viuunt, & penitus insaniunt; Sed heu hodie quot negant? Christianus sum & Christianos alloquor, quot inquam hodie negant? Quid? estne inter Christianos qui neget? Heu quot hodie non verbo sed facto, non lingua sed vita negāt? Christianos alloquor, Væ nobis, quot hodie verbo, facto, lingua & vita negant. Semel Væ dixi? ingeminabo verbum Væ & tertio Væ nobis, si primus motor authorq; salutis nostræ nos illum negantes in vltima hora neget. *Sed ens entium es, o benedicte Deus, & negare nos, quod est non ens, in tuo Christo nescis: illum, illum tibi in cruce offerimus, cui nihil pro nostra salute oranti negas.*

Laus Christo Deo.

IN-

INDEX RERVM IN HOC OPVSCVLO CONTENTARVM.

A

C

Tem-

FINIS.





